UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum, tum Seculare

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

urn:nbn:de:hbz:466:1-62355

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N III
14
Th. 4789.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JURIS CANONICI THEORIA ET PRAXIS,

AD FORUM TAM SACRAMENTALE

quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum, tum Seculare.

OPUS EXACTUM NON SOLUM

ad normam Juris Communis & Romani, sed etiam Juris Francici:

Authore JOANNE CABASSUTIO Aquisextiensi Congreg. Oratorii Domini Jesu Presbytero.

Editio postrema ab ipso Authore recognita & aucta.



Collegii Soc. Jesu Anno Jesu Paderborna 1701

LUGDUNI,
Sumptibus PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAUD.

M. DC. XCVIII.
CUM PRIV[illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



EMINENTISSIMO DOMINO

HIERONYMO GRIMALDO,

S.R.E. CARDINALI,

Aquarum-Sextiarum Archiepiscopo:

JOANNES CABASSUTIUS Aquisextiensis, Oratorii Domini nostri Jesu Presbyter S. D.

ETSI commune omnium Christianam Religionem profitentium officium in imitatione Christi consistat, cujus Apostolus nos adhortatur ut simus imitatores sicut filii charissimi; Sanctusque Ecclesiæ Doctor Gregorius Nyssenus toto suo ad Harmonium libro explorans quidnam rei sit Christianismus, nihil aliud esse commonstret quàm imitationem Christi Domini: hoc tamen officio arctiùs præ cæteris adstringuntur illi

quos, ut Divinæ Scripturæ verbis utar, posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Horum quippe vitam necesse est specimen esse Christianæ perfectionis, & lucernæ instar cæteris omnibus qui in domo Dei sunt præfulgere, ut subditi horum Fideles eorum imitatione mores suos ad exemplum Christi sanctissimè exigant, sitque spectabilis inter eos Præsul, tanquam supremi Pastorum Principis, nostræque omnium salutis Authoris spirans ac vivens effigies. Hoc ipsum non inanis jactantiæ, sed Divini Spiritus impulsu de se prædicat Gentium Apostolus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hanc Tibi mentem insidêre, hoc Te duci proposito imitandi Jesu Christi norunt quotquot vitæ tuæ rationem perspectam habent; hoc mores, hoc actus tui, hoc instituta tua palam faciunt. Hoc solo spiritu ductus Ecclesiæ cultui & obsequiis vitam omnem & labores tuos consecrasti, pro qua tuenda & ornanda perillustres diversis temporibus tum Legationes, tum Præfecturas magnâ solicitudinis, religionis & prudentiæ laude obivisti. Summos etiam Pontifices indefessâ operâ, sapientissimis consiliis & laboriosis officiis demeruisti, tum ante, tum post delatam Tibi ob insignia merita Cardinalis Purpuram. In istis quidem omnibus à Te gestis solam Dei gloriam expetivisti; humanæ verò gloriæ nulla Tibi cupiditas incessit. Exploratum tamen est quod veteres Sapientes prodidêre, gloriam esse umbræ persimilem, quæ insequitur fugientes, cùm tamen fugiat insequentes. Ita enim factum est, ut tua inter homines laus & perho-

norifica fama quam despexisti, virtutis tuæ comes & assecla fuerit, atque etiam invitus stabile fundamentum ad gloriam & dignitatem Nominis tui latiùs propagandam & altiùs exstruendam subjeceris. Attamen in tanta negotiorum Tibi incumbentium mole mens tua sublimis ad unicum propositum sibi finem Deum incessanter aspirabat, & ardenti affectu illas mysticæ Columbæ pennas cum Regio Psalte desiderabat, quibus sublevata, ab omnium aspectabilium rerum solicitudine libera, convolans ad Deum, ei soli tandem vacaret, in eoque deinceps conquiesceret. Atque hoc beneficium propitio votis tuis Numine consequutus es amplissimum, ex quo nostræ hujus Provinciæ, quæ prima Galliarum Christianæ Fidei documenta à primis ipsis Domini nostri discipulis excepit, creatus es Archiepiscopus. Itaque stationi huic illigatus, justamque obtendens residendi necessitatem, tumultuosis Aulæ tum Romani Pontificis, tum Christianissimi Regis fluctibus Te subduxisti, ut in isto tranquillo portu conquiesceres soli Deo vacans, & commissi Tibi gregis saluti prospiciens. Quanto verò studio ferveat in Te zelus domus Dei, ejusque quam decet sanctitudo in longitudinem dierum, decorem diligas, testatur tuis impensis fundatum illud celebratissimum Aquense Seminarium, ex quo velut ex Argonautarum navi, aut equo Trojano, tot ut ita dicam, Heroës Sacræ Militiæ addicti prodeunt. Testantur insuper illæ Sacerdotum à Te institutæ per universam Diœcesim excursiones, classicum adversùs omnia peccata proclamantium, quorum indefesso labore flagitia quæque stirpitùs evel-

luntur, ignorantia populorum discutitur, simultates extinguntur, sacrilegæ confessiones reparantur, & omnis plebs ad meliorem frugem revocatur. Testantur etiam eximiæ tuæ illæ Sanctiones, quibus Ecclesiæ Sanctæ disciplinam undequaque suffulsisti. Testatur & illa nunquam satis laudata provisio tua, per quam videmus totâ Diœcesis amplitudine ad singulas metrocomias Clericorum concursus statis hebdomadæ diebus, ex circumjacentibus vicis & minoribus oppidis ad Ecclesiasticas collationes & dissertationes, quibus præficiuntur delecti Presbyteri virtutibus & eruditione insignes. Quàm est speciosa, Te duce, Te auspice hujusce Diœcesis tuæ facies? Lubet hoc loco cum Regio Vate illo divinitus inspirato sic exclamare: *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua Israël! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas?* His verò tuis sanctissimis institutis, quæ Tibi ad perennem felicitatem viam muniunt, Te verum probas imitatorem Jesu Christi, ad hoc unum intenti ut nos sanctificaret, exhiberetque ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliud hujusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. Ad istam gregis tui sub Te optimo & amantissimo Præsule cumulandam felicitatem quamplurimi Tibi subditi Sacerdotes creditas sibi à Deo animi facultates & spiritualia dona, Te hortatore conferunt. In his ego, tametsi aliorum meritis impar, sperans Tibi non injucundum fore, quidquid in me studiorum

rum

rum ineſt, in Tui obſequium & Cleri utilitatem jampridem impendere inſtitui. Iſto ductus affectu ante aliquot annos Notitiam Conciliorum ſub Illuſtris Nominis tui præſidio edidi: deinde tuo juſſu brevem de Uſuris tractationem; eodemque ſtudio impulſus iſtam Juris Canonici Theoriam & Praxim quantâ valui diligentiâ contextam, tutelæ tuæ clypeo munitus, tuæ benevolentiæ dignatione fretus, tuis cohortationibus excitatus, publicæ tandem luci permitto. Faxit Deus ut iſte labor eam quam intendo frugem pariat, tuaque Eminentia ad gregis Dominici ſalutem diu perſtet incolumis.

AD

AD LECTOREM
Admonitio Authoris.

IN tradendis disciplinis, maximè verò illis quæ ad morum institutionem pertinent, multipliciter peccari contingit. Plerique ex quodam animi morbo receptas & probatas viris præstantioribus, qui in disciplinis investigandis indefesso studio, miraque ingenii felicitate versati sunt, sententias amore novitatis fastidientes, doctrinas recentes consectantur. Quibus illud apprimè convenit quod in Athenienſibus divina Scriptura notat Act. 17. *Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Isti sanè quibus aures ad novitates pruriunt, cùm non sincero judicio, sed animi levitate ducantur, veram & solidam rerum cognitionem nullatenus assequi valent; & cum illa rudi materia quæ principium generationis corporum à Philosophis censetur, hoc commune habent, ut quemadmodum ista novæ, atque etiam sæpenumerò vilioris formæ appetitu ingenito, veterem & nobiliſſimam formam animæ viventis rejiciendo, quasi nimiæ excellentiæ pertæsa, formam cadaveris expetit; sic etiam illi à sapientibus traditam olim disciplinam hoc solo fastidiunt, quòd gratiâ careat novitatis, ut sibi in absurdis & paradoxis rerum novarum studio complaceant: perinde ac si quis demens admiranda illa mundi luminaria, Solem, Lunam, cæteraque cœlis affixa sydera, & in his infimis elementis perfectiſſimè efformata corpora dedignaretur, & horum vice cometas in cœlis, & coporum monstra in terris substitui averet. Hujusmodi furunt insaniâ circumforanei quidam audaculi, & vix semieruditi, de summis & eximiis viris mirâ ingenii felicitate præditis, qui multos annos tum Theologiam, tum Juriſprudentiam

prudentiam Canonicam in primariis totius Europæ Academiis magna nominis celebritate professi sunt, perversè judicantes; ex quibus ob insignia merita nonnulli ad supremam Petri Sedem, ut duo Innocentii, III. & IV. & Adrianus VI. alii ingenti numero, non sorte, non affinitatis respectu, non gentis nobilitate, non opibus, non ambitu, non aulicis artibus, sed solo præcellentium meritorum delectu ad Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum dignitatem provecti sunt; quidam alii, ut S. Raymundus, qui jussu Gregorii IX. Codicem Decretalium compilavit, & Summam Casuum dictam Raymundinam conscripsit; S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, in Album Sanctorum qui publico Universæ Ecclesiæ cultu honorantur & invocantur, adscribi meruerunt. Sancti quidem Antonini Florentinorum Archiepiscopi Summam proponit legendam & addiscendam primum sub Carolo Borromæo Mediolanense Concilium provinciale, sub titulo, *Qui libri potissimùm à Clericis legendi.* Alios Summi Pontifices etiam ex remotis & alienis ditionibus Romam acciverunt, ut eorum scientiâ & sapientissimis consiliis in arduis negotiis & difficultatibus decidendis uterentur; in istis eminet Martinus Navarrus, à quo præceptore alterum Juris Canonici decus Didacus Covarruvias Episcopus Segobiensis, & Supremus Hispaniarum sub Rege Philippo II. Cancellarius, in lib. 4. Decretal. parte 1. cap. 1. num. 14. gloriatur se Jurisprudentiam didicisse, cùm ille non vulgari honorario Jus in Universitate Salmanticensi prælegeret; quique Romam evocatus tanti habitus est, ut quandoque viri sapientiâ & longo usu, studiisque consummatissimi, occurrentibus gravibus quibusdam difficultatibus Navarrum esse consulendum, ejusque consilio standum communiter deliberaverint: & præcellens ille Cardinalis Bellarminus suum de Scriptoribus Ecclesiasticis librum commemoratione Martini Navarræ, cujus magnam doctrinam & pietatem commendat, quasi aureâ quadam fibulâ concluſit. O si ad aliquorum malè feriatorum libidinem stellæ istæ, quæ in firmamento Ecclesiæ præfulgent, extinguerentur! quot ignorantiæ tenebræ, quot novarum opinionum monstra, quot animarum laquei & conscientiarum tendiculæ ad efformandam novam veteri disciplinæ oppositam doctrinam in medium proferrentur? Quantæ inter novos Doctores exurgerent opinionum concertationes & simultates? Quanti

ambiguitatum tenebris obvolverentur piorum mentes? Quantis scrupulorum aculeis divexarentur illâ extinctâ luce, quam tot pientissimi & eruditionis præcipuæ Viri collatis laboribus, studiis & frequentibus ad Deum precibus per annos ferè quingentos accenderunt? Expectanda essent plura secula donec pares exurgerent tum superiùs nominatis, tum Dominico Soto Academiarum Hispaniæ, & Concilii Tridentini, in quo præfulsit, ornamento; & Sylvestro Prierati Sacri Palatii Magistro, ambobus Dominicanis; tum nunquam satis laudato Cardinali Francisco Toleto è Societate JESU, & aliis.

II. Cùm tamen proclives sint hominum sibi nimis indulgentium animi ad opposita extrema, nec libenter in mediocritate, quæ utplurimùm virtutis & veritatis propria est sedes, conquiescere velint, æquale vitium est hominum ad opinionum morumque laxitatem, & aliorum in oppositam nimiamque rigiditatem deflectentium. Non me latet in singulis ac seorsim spectatis, quantumvis præstantibus Scriptoribus, rariùs quidem, sed tamen aliquandò utrumque extremarum opinionum posse notari defectum. Nemo enim mortalis usque adeò eruditus & perspicax est, ut non aberret aliquando: sed hujusmodi singulorum defectus advertit & corrigit communis cæterorum gravium Authorum consensus, quo fit ut errare interdum aliquis possit inhærendo alicujus gravis & laude digni Scriptoris opinioni; non tamen peccabit inhærendo communi, vel majori graviorum & sapientiorum Doctorum consensui, modò propria ipsius conscientia, quanvis erronea, non adversetur. Leves autem Authores, & novarum, suspectarumque opinionum studiosos opifices, quanvis mutuò initâ inter se factione plusquam centeni occurrerent, nihil moror. De talibus admonet Evangelium: *Cæcus si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.* Præferendum esse gravium Authorum consensum unius, aut alterius etiam gravis alioqui Authoris singularibus placitis, sapienter docent Joannes Andreas in cap. 1. de constit. & Navarra cap. 27. num. 280. duo Canonici Juris lumina.

III. Sanctus Joannes Damascenus in fine sui hæreticorum catalogi quosdam notat, quos vocat Ethicoproscoptas, id est circa morum doctrinam errantes: horum verò duo invicem contraria, sed tamen æqualiter pernicioſa dicit esse genera; eos scilicet qui

nimia

nimia facilitate & segnitie res quæ illicitæ sunt, dicunt esse licitas; & illos è contrario, qui nimia severitate res quæ licitæ sunt, pronunciant illicitas. Utrosque eodem judicio, parique maledictione condemnat Deus Isaiæ 5. *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Præclarè quoque ait S. Bonaventura lib. 2. Compend. Theolog. Verit. cap. 52. *Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta: nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem: item prima sæpe dicit malum bonum, secunda è contra bonum malum: item prima sæpe salvat damnandum, secunda è contra damnat salvandum.* Idemque Sanctus Doctor paulò post subjungit: *Error conscientiæ causatur ex singularitate, quâ homo sequens sensum proprium non conformat se aliis, nec sequitur communes vias bonorum. His convenit illud Numer. 11. Extrema castrorum consumpsit ignis.* En igitur ut Seraphicus Doctor extrema opinionum quasi oppositos scopulos Scyllæ & Carybdis declinanda docet; auream verò consectandam mediocritatem, quam ab illo inveniri monet, qui communes sequitur bonorum vias, proprioque abdicato sensu, communi bonorum judicio se conformat.

IV. A quibusnam ingeniis ultra modum aut severioribus, aut indulgentioribus magis periclitetur animarum salus, difficile æstimatu fuerit. Per indulgentiores quidem deducuntur animæ per spatiosam & latam viam quæ ducit in æternam perditionem, taliumque Directorum obstetricante manu educitur coluber tortuosus, concipitur, paritur & fovetur peccatum. Hinc apud Ezechielem cap. 13. Dominus indignatur & maledicit consuentibus pulvillos sub omni cubito, & facientibus cervicalia sub capite universæ ætatis, ut scilicet molliter & blandè in peccatis suis conquiescant homines seducti, sibique de hujusmodi Directoribus complacentes. Hos perstringit Isaias cap. 30. *Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Sapienter ait S. Hieronymus ad Eustochium epist. 19. *Quoniam mel in Dei sacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata est, & quadam, ut ita dicam, piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantùm suave placet, nisi quod in se habet aliquid mordacis veritatis.* Illud quidem à Domino significatum

credo ubi mel à sacrificiis prohibet, sal verò naturali acrimoniâ præditum adhiberi jubet. Ecclesiam certè nuper ingemuisse vidimus à factione quorumdam novorum Casuistarum, qui quum antiquos aspernarentur, seque illis longè præferendos jactanter scriberent, eam morum relaxationem, & criminum etiam atrocissimorum licentiam quamplurimis editis libris prædicabant & propugnabant, ut satis mirari nemo possit hæc opinionum portenta quæ Alexander VII. proscripsit & anathematizavit, potuisse hominibus probari, quibus aliqua rationis & probitatis scintilla supereſſet: adeò interest communi Patrum & Doctorum consensui debitam servari laudem & approbationem.

V. Cæterùm sicut noxia est laxior indulgentia, ita & immoderata in rebus conscientiæ austeritas, quæ hominum imbecillitatem nihil pensi habens, neque à præceptis consilia discernens, dum illos ad nimis ardua compellit, viam salutis æternæ, quam Christus illis aperuerat, præcludit; salvandos, ut ait D. Bonaventura, damnat, & conscios propriæ infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit enim ut miseri homines hac audita rigidiore doctrinâ credant vel dubitent inesse mortalem culpam ubi nulla est; sed tamen rei difficultate victi, ex erronea conscientia mortaliter peccent & damnentur. Suam ex opposito benignitatem Salvator hominum Jesus Christus nobis enixè commendat: *Venite ad me*, inquit, *qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Idemque Scribas & Pharisæos hoc nomine criminatur, Matth 23. *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Quem in locum vetus Operis Imperfecti Author, qui sub nomine S. Chrysostomi prodiit, ita commentatur: *Tales sunt nunc etiam Sacerdotes, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt; qui dicunt, & non faciunt: & sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse est ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* Qui locus allegatur in can. *Alligant*, 26. quæst. 7. His accedit

cedit S. Ambrosii prudens discretaque admonitio commentar. in Psal 118. serm. 5. *Sunt etiam in nobis qui timorem Dei habent, sed non secundùm scientiam, statuentes duriora præcepta quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere. Sed insciti in eo est, quia non compatiuntur naturæ, nec æstimant possibilitatem.* Quapropter præclarè admonet in suis distichis S. Gregorius Nazianzenus:

Μὴ δικαιοσύνῃσι τιν' ἀκάμπεα μή τε φρόνησιν
Ἀγκυλοέσσαν ἔχειν. μέτρον ἄριστον ἅπαν.

Noli justitiæ rigidæ & inflexibili, neque prudentiæ versatili addictus esse. Optima est in omnibus moderatio.

VI. Advertant quæso illi qui omnia reprobare solent quæcumque non sapiunt extremam rigiditatem, quàm directè adversetur eorum propositum sacro Canoni sic admonenti: *In his verò super quibus jus non invenitur expressum, procedas æquitate servatâ, semper in humaniorem partem declinando, secundùm quod personas & causas, loca & tempora videris postulare:* cap. ult. de transact. Discerni vix potest ex duabus extremitatibus relaxationum & rigiditatum, utra plures animas in infernum præcipitet. Prima quidem spatiosam illis viam aperit, quæ Christo attestante ducit ad perditionem: secunda verò, quæ privato, non evangelico spiritu præscribitur, easdem urget ad æternam damnationem duplici tramite, scilicet erroneæ conscientiæ, & desperationis ex nimia difficultate. Etenim persuasæ sibi, esse mortale peccatum ubi nullum est, & aliunde rei difficultate deterritæ, mortaliter peccant ex erronea conscientia, propriæque infirmitatis experimento: & ex desperatione eò tandem labuntur, ut præcedentem, quâ anteà afficiebantur, salutis suæ curam penitus abjiciant.

VII. Constat ex nimiùm pertinaci ad æquo rigidiorem illam, quæ suprà descripta est, disciplinam affectu permultas hæreses ortum duxisse, quales fuerunt Novatianorum, Encratitarum, Manichæorum, Montanistarum, Cataphrygum, qui pro suis ultra modum rigidis observationibus bellum Ecclesiæ indixerunt, & Fideles quosque fugillaverunt ut carnales, animales, sensuum voluptatibus addictos & indisciplinatos. Novatiani pariter eadem tetrici spiritus rigiditate semel lapsos omni spe veniæ excludebant, & Christi Ecclesiam aversabantur hac ex causa, quia lapsos pœnitentiâ functos reconciliabat. Quis credidisset Tertullianum

præcellentis ingenii Scriptorem, qui tam ſtrenuè patrocinatus Eccleſiæ fuerat editis invictiſſimis ad Gentiles apologiis, & adversùs hæreticos libro illo de Præſcriptionibus, qui velut arx inexpugnabilis & munitiſſimum armamentarium vel ſolus ſufficiat ad omnes hæreſes debellandas; futurum tamen acerrimum hæreſis propugnatorem, & quod amplius admireris, inſulſiſſimi Montani, & duarum muliercularum fanaticarum diſcipulum? Scilicet tetricum & ſuperbum ejus ingenium quidquid extremum rigorem & inflexibilem duritiem non ſapiebat, inſolenter & protervè dedignabatur. Fugam in perſequutione crimini vertit, præferens Montani dogma Chriſto ſuis ſuadenti diſcipulis, ut urgente perſequutione fugiant de civitate in civitatem, ut ex ejus libro de fuga in perſequutione liquet. Militibus Chriſtianis fas eſſe præfractè negat, coronam pro accipiendo (ut tunc moris erat) donativo in capite deferre: quâ futili & falsâ doctrinâ poterat facilè odium & perſequutio Gentilium in Chriſtianos recrudeſcere, ut contigit Chriſtiano militi cruciatibus addicto, qui hac imbutus perſuaſione incoronatus ad donativum recipiendum acceſſerat, ut patet ex ejus de Corona militis libello. Idem ſecundas nuptias pari cum ſtupris condemnatione criminatur, ut ex ejus Tractatibus compertum eſt de Monogamia, & de Pudicitia. In hoc ſecundo Romani etiam Pontificis Decretum illis qui fornicati aliquando fuerint pollicens veniam, ſi converſi canonicâ pœnitentiâ functi fuerint, proclamat propudioſum & infame, atque ad inſcriptiones amandat proſtibulorum januis præfigendas. Idemque in Orthodoxos, quos pro ſua modeſtia perpetuò vocat animales, acriter invehitur libro de jejuniis adversùs Pſychicos, hoc nomine, quòd multò minùs quàm Montaniſtæ jejunarent.

VIII. Quid Luciferum Calaritanum Epiſcopum commemorem? Illum enim poſt inſignia virtutum ſpecimina, poſt mirificâ de Eccleſia in arduis negotiis & temporum difficultatibus merita, nimia inflexi animi ſeveritas in ſchiſma præcipitem egit. Quia nimirum præfractè averſabatur ſapientiſſimum tum Liberii Romani Epiſcopi, tum Alexandrinæ Synodi Decretum, cui magnus præſederat Athanaſius, prorſus ad Eccleſiæ tantoperè periclitantis pacem inſtaurandam, & reducendos ad orthodoxam Fidem Arianos neceſſarium. Iſto itaque pervicaci ſpiritu perniciosum diuturnumque ſchiſma Antiochiæ excitavit in odium

Meletii

Meletii laudatissimi Episcopi, hoc prætextu, quod antequam ejus urbis Patriarchatum iniret, exteriùs cum Arianis communicaverat; ideoque novum ibidem instituit Lucifer Episcopum Paulinum. Nec his contentus, nolens deinceps quidquam habere commune cum reconciliatis Arianis, neque cum Orthodoxis qui cum reconciliatis communicabant, omnem cum Ecclesia Catholica, tanquam veterum Canonum infractrice, communionem abrupit usque ad vitæ suæ exitum.

IX. Multorum verò consulens utilitati, amice Lector, permultas tractationes in unum corpus redegi, quales antehac visæ non fuerunt in unum compilatæ, sed dissitis ac sejunctis voluminibus dispersæ. Alii namque Scriptores Canonicam disciplinam qua methodo in Universitatum Scholis tradi solet, egregiè explicatam, non ad usum forensem, sed ad theoriam, seu speculativam notionem litteris commendaverunt: alii ad praxim collimantes in ea sola versati sunt quæ conscientias dirigit, & ad usum pertinet sacræ Confessionis. Cæterùm alii diversum sibi scopum præfigentes, eam solam sibi proposuere praxim, quæ circa beneficiarias lites & contentiosas causas occupatur. Atque etiam ex Authoribus istis aliqui solius Juris Communis practicam disciplinam tradidere, nihil eorum attingentes quæ ad Gallicanum usum, consuetudines ac leges Regni Francici, plerumque à Jure Communi diversissimas, singulariter pertinent. Quocirca operæpretium non exiguum fore visum est, si post diuturna in his studia & indefessam perquisitionem, harum cunctarum Ecclesiasticarum rerum pleniorem tractationem susciperem, quæ simul theoriæ principia umbratilis, & utriusque fori usum, tum secundùm Jus Commune, tum etiam secundùm Jura Gallicana complecteretur: quæ tam multiplex atque diffusior cognitio cùm hactenus hauriri non nisi ex multorum voluminum operosa lectione posset, jam multò facilius & celeriùs per hasce lucubrationes nostras compararetur. In his præterea curam adhibui, ut quæ sæpenumerò alibi perplexè & obscurè traduntur, quantâ potui perspicuitate declararem.

EPISTOLA

EPISTOLA

A R. P. D. PAULUTIO Sacræ Romanæ Rotæ Auditore ad hujus Operis Authorem transmissa.

Admodum Reverendo Patri ac Domino, Domino JOANNI CABASSUTIO, *Congregationis Oratorii Domini JESU Presbytero.*

ADMODUM REVERENDE PATER AC DOMINE,

Vix prodiit summo Venetiis excepta plausu Notitia tua sacrorum Conciliorum, & vel solo excitatus titulo, ob quem (cum Plinio dicam) sacri Juris cultor vadimonium deserat, statim eammihi habendam censui. Legi, & opinioni Opus respondit: nihil enim reperi non in ea brevitate mirandum. Suspexi Diatribarum elegantiam, ac planè selectam Ecclesiasticam eruditionem. Dimissâ benigno nutu Serenissimæ Reipublicæ Venetæ sacrorum Canonum interpretatione, quam è prima Sede vespertina in Patavino Lycæo profitebar, evocante Summo Hierarcha Clemente X. veni ad Jus reddendum in supremo Romanæ Rotæ Auditorio, vixque limina attigi ac Opus alterum à doctissimo Cabassutio vulgatum audivi. Pro contracto, mecumque delato in id nominis cultu, quæsivi anxiè, percurri avidè, & pristinæ æstimationi non modica facta est accessio; Theoriæ enim Canonici Juris junctam mirificè conspexi Praxim, ac eâ non omissâ quæ in florentissimo Galliarum Regno obtineat; ac brevitatem ubique sine dispendio, sine fuco elegantiam, sine fallacia doctrinam. Indeque opportunum nactus interpretem Illustrissimum Joannem Baptistam Chiavary, Abbatem S. Mariæ de Regali, Româ in comitatu Eminentissimi Cardinalis Hieronymi Grimaldi Aquas-Sextias remeantem, eidem observantiæ in Te meæ, ac ingenuæ æstimationis delegavi officium, quod Tu sic excepisti, ut peruberem

ubrem ſcriptionis tuæ repoſueris uſuram, quâ & propriam in me conteſtaris voluntatem, & Operum quæ moliris, rationem perhumaniter exhibes. Gaviſus ſum ſic in me affectum intuens Virum à pietate, à virtute magnum, novumque lumen accendi huic ævo per Operum quæ adornat gravitatem & elegantiam. Laudo augendam tuam Theoriam, Praximque Canonicam aliis additamentis, novamque admovendam Eccleſiæ facem per Notitiam hiſtoriarum, & Conciliorum ſelectorum, quam dare paras: nihilque non magnum expecto, quod ſtilo tuo, & tanti Cardinalis ſuaſione ac auſpiciis vulgetur. Gratias ex animo & habeo, & reddo; humanitatemque illam impensè revereor, quæ te ſic inclinat, ut & officia mea grata habeas, & literaria conſilia tua reveles. Invideo beatum quo frueris otium: quod ſi pars ejus mihi daretur modica, Opus ſacri Juris, quod jam ſatis provexi, ſperarem ad culmen perducere, cujus ſpecimen, ac lineamenta libare Tibi non audeo. At aliò vocavit Numen, & quò vocat eundum. Tu perge feliciter, meque tui cultorem eximium inſolubili devotionis nexu obſtrictum in reliquum vitæ habe.

Romæ IV. Idus Aprilis, MDCLXXVII.

Dom. tuæ admodum Rev.

Addictiſſimus, & ex corde Servus,

ANTONIUS PAULUTIUS.

APPROBA

APPROBATIONES Doctorum.

PERLEGI Librum cui titulus, *Juris Canonici Theoria & Praxis, ad forum tam Sacramentale, quàm contentioſum, tum Eccleſiaſticum, tum ſeculare :* Opus exactum non ſolùm ad normam Juris communis & Romani, ſed etiam Francici, Authore JOANNE CABASSUTIO Aquiſextienſi, Congregationis Oratorii D. Jesu Presbytero. Datum Pariſiis decimoſeptimo Aprilis 1674.

M. GRANDIN, pro Illuſtriſſimo Domino Cancellario Franciæ.

JUris Canonici Theoria & Praxis ad forum tam Sacramentale quàm contentioſum, tum Eccleſiaſticum, tum Seculare, Authore JOANNE CABASSUTIO Aquiſextienſi, Congregationis Oratorii Domini Jesu Presbytero, novis nunc acceſſionibus ab eodem locupletata, non ſolùm nihil continet quod Sacris Canonibus & Catholicæ Fidei adverſetur, ſed etiam cùm inſignem Authoris pietatem ubique ſapiat & doctrinam, ad Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem & commodum plurimùm conferet, ſuoſque Lectores & in Eccleſiaſtico Jure exercitatiores reddet & meliores. Ita cenſeo, ita teſtor. Datum Aquiſſextiis die 9. menſis Maii, anno Domini 1684.

JAUBERT, in Univerſitate Aquiſextienſi Anteceſſor, & Sacrorum Canonum Profeſſor Regius.

Licentia Reverendiſſimi Patris Generalis Congregat. Oratorii Domini noſtri JESU-CHRISTI.

NOs ABEL LUDOVICUS DE SAINTE MARTHE, Congregationis Oratorii Jesu Christi Domini noſtri Presbyter & Generalis Præpoſitus : Juxta Regium Diploma datum 22. Decembris 1672. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ejuſdem Congregationis imprimant, & venales exponant citra licentiam noſtram : Viſis Doctorum approbatione

batione & Diplomate Regio, permittimus LAURENTIO ARNAUD, & PETRO BORDE, Lugduni Bibliopolis, ut librum cui titulus, *Juris Canonici Theoria & Praxis, ad forum tam Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum, tum Seculare: Opus exactum non solùm ad normam Juris communis & Romani, sed etiam Francici, Authore* JOANNE CABASSUTIO *Aquisextiensi, Congregationis Oratorii Domini Iesu Presbytero*, Typis edere, ac liberè divendere possint. Datum Parisiis 6. Kal. Julii 1674.

A. L. DE SAINTE MARTHE.

SUMMA PRIVILEGII REGIS Christianissimi.

LUDOVICUS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus, singulari privilegio sanxit, ne quis per universas Regnorum suorum fines, intra decem annos à die novæ impressionis finitæ computandos imprimat, seu typis excudendum curet & venalem habeat librum qui inscribitur, *Iuris Canonici Theorica & Praxis, ad forum tam Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum, tum Seculare, Authore* JOANNE CABASSUTIO *Presbytero Congregationis Oratorii Domini Iesu*, præter PETRUM BORDE, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibuit insuper eadem authoritate Regiâ omnibus suis subditis eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam ubicumque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dicti PETRI BORDE: Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis contra delinquentes expressis, uti latiùs exprimitur in Literis datis Parisiis die 20. Maii 1685.

Ex mandato Regis,

Signatum LEPETIT.

Peracta est hæc postrema editio die 27. Februarii 1698.

SYNOPSIS LIBRORUM ET CAPITUM THEORIÆ ET PRAXIS JURIS CANONICI.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. RÆCIPUUS ac ultimus finis, ad quem collimare debet Iurisprudentia Canonica : materia circa quam versatur, ejusque partitiones. p. 1

II. De diversis sacrorum Canonum collectionibus. 6

III. Juris divisio. 10

IV. Quatenus lex humana liget secundùm conscientiam. 12

V. Iuris Canonici & Civilis differentia, istiusque Operis divisio. 15

VI. De Summorum Pontificum rescriptis generatim. 16

VII. De electione primùm in genere : deinde de Episcoporum electione, postulatione, consecratione, charactere : & de Archiepiscopis. 21

VIII. De officio & potestate Episcoporum, & eorum jure dispensandi circa vota. 27

IX. Prosequutio potestatis Episcoporum. 33

X. De potestate Episcopi erga personas exemptas, aut loca. 38

XI. Prosequutio potestatis Ordinariorum erga exemptos Regulares. 49

XII. De translationibus & renunciationibus Episcoporum. 60

XIII. De Vicario Episcopi, de Archidiacono, & de Coadjutoribus. 61

XIV. De literis Dimissoriis, & quarum literarum valor, & concessionum perpetuus sit, aut ad solam limitetur concedentis vitam. 68

XV. De officiis & potestate Legati, & Delegati. 72

XVI. De Coadjutoribus Prælatorum. 76

XVII. De Vicariis in Gallia foraneis. 78

XVIII. De Parochis. 79

XIX. Ecclesiæ & Clericorum immunitates quædam, & jura recensentur. 83

XX. De Regularibus & Regulari Professione, & quatenus ab ea reclamare liceat. 92

XXI. De obedientia primùm generatim ; tum in specie de obedientia Regularium. 96

XXII. De paupertate Regularium. 105

XXIII. Quatenus sit licitus ad alteram Religionem transitus. 108

XXIV. Utrum Beneficiarii, aut Episcopi olim Religiosi, aut alii etiam quilibet Regulares testari possint de fructibus à se perceptis. 111

LIBER

LIBER II.

Qui est de Beneficiis Ecclesiasticis. pag. 115

CAP. I. QUid sint Beneficia, eorumque variæ divisiones; & de jure Commendarum. ibid.

II. Diversa & necessaria temporum præscripta servanda in re Beneficiaria. 120

III. Quibusnam competat jus providendorum Beneficiorum. 125

IV. De datis à Rege Galliæ Indultis, ac Expectativis. 131

V. De Regiis ad Prælaturas nominationibus, & aliis juribus Concordati Bononiensis. 135

VI. Jura Graduatorum circa vacantia Beneficia Regni. 137

VII. De Iurepatronatus. 140

VIII. De præsentatione proprii filii, & de Prioribus, seu Rectoribus Patronis. 148

IX. Conditiones aliquot, ut quis de Beneficio provideatur, requisitæ discutiuntur. 150

X. De insinuationibus. 155

XI. Beneficiariæ quæstiones circa prælationem inter simul concurrentes. Litigantium subrogationes: Beneficiorum uniones: unionum præscriptiones: Beneficiorum divisiones: Beneficiorum in alium statum mutationes. 156

XII. De Beneficiorum renunciatione, seu resignatione. 163

XIII. De resignationibus in favorem. 167

XIV. De pensionibus super Beneficiis. 170

XV. Edictum Regium de pensionibus beneficiariis. 179

XVI. Prosequutio beneficiariarum pensionum, in primis secundum Gallicanas consuetudines, deinde secundum Ius commune Canonicum. 180

XVII. De Beneficiorum permutatione. 185

XVIII. De jure regressus. 189

XIX. Ad regulam de infirmis resignantibus. 194

XX. Prosequutio cæterarum Regularum Cancellariæ in Gallia vigentium. 197

XXI. De jure præventionis: de partibus supplicationis beneficialis, & de Signaturis. 204

XXII. Recensentur ea quæ post provisionem Beneficii facienda sunt. 212

XXIII. Diversi quidam vacationis Beneficiorum modi discutiuntur. 217

XXIV. De electione, simulque de Capituli jure & potestate. 224

XXV. De capitulari Beneficiorum provisione, Sede non vacante, & de simultanea Episcopi cum Capituto provisione. 234

XXVI. Beneficiariorum hæredes & successores ad quid teneantur. 237

XXVII. De Ecclesiarum structuris & reparationibus: & de Ædituis, sive Matricularis. 244

XXVIII. Beneficiariæ aliquot quæstiones elucidantur. 246

XXIX. De Decimis & Oblationibus. 254

XXX. De rerum Ecclesiæ alienationibus. 257

XXXI. De celebratione festorum. 259

XXXII. Nonnulla de Divinis Officiis recitandis, & audienda Missa. 261

LIBER III.

In quo agitur de Sacramentis. pag. 265

CAP. I. DE Sacramentis generatim. ibid.
II. De Baptismo. 268
III. De Confirmationis Sacramento. 271
IV. De venerabilis Eucharistiæ Sacramento. 274
V. Quænam requiratur præparatio ad sacræ Eucharistiæ communionem. 278
VI. Utrum carentes rationis usu capaces sint istius Sacramenti. 284
VII. Utrum Sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. 286
VIII. De ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 289
IX. De Contritione. 297
X. De Confessione. 304
XI. De causis ab integritate confessionis excusantibus. 314
XII. De illorum confessione qui venerunt ex alia Diœcesi : & de casuum reservatione. 318
XIII. De opinione probabili. 320
XIV. De satisfactione. 343
XV. De Extremæ Unctionis Sacramento. 345
XVI. De Ordinis Sacramento. 348
XVII. De Sacramento Matrimonii, & de Sponsalibus. 355
XVIII. De materia, forma & Ministro Sacramenti Matrimonii. 360
XIX. De Matrimonio per procuratores contracto. 363
XX. De proclamationibus Matrimonio præmittendis. 365
XXI. De Matrimoniorum impedimentis : ac primum de non dirimentibus. 368
XXII. Impedimenta Matrimonium dirimentia. 372
XXIII. Prosequutio impedimentorum dirimentium. 376
XXIV. De impedimento vis ac metus; ac generatim quænam consensus libertas requiratur ad Matrimonium, ad sponsalia, & ad vota. Item de impedimentis Ordinis, ligaminis, publicæ honestatis, & affinitatis. 380
XXV. De impedimento impotentiæ. 389
XXVI. Reliqua duo impedimenta discutiuntur, clandestinæ conventionis & raptus. 398
XXVII. Ad quem pertineat potestas dispensandi in Matrimoniorum impedimentis. 408
XXVIII. De divortiis. 415
XXIX. Resolutiones circa oscula, aliosque similes actus, ex S. Thoma & S. Antonino. 418

LIBER IV.

De judiciis Ecclesiasticis. pag. 421

CAP. I. QUotuplex sit Ecclesiæ jurisdictio. ibid.
II. De foro competenti, litis contestatione, processu judiciario, procurationibus, & Iudicum suspectorum recusatione. 426
III. In causa criminis quemadmodum procedatur. 431
IV. De juridica inquisitione, & testibus, & juramento. 438
V. Quandonam aliquis non tenetur testificari : & ad quid obligetur qui falsum testimonium dixerit. 445
VI. De reo criminis. 450

VII. De

VII. *De Beneficiorum possessorio & petitorio judicio.* 453
VIII. *Alii proponuntur casus, in quibus Judices seculares de Clericis & causis Ecclesiasticis cognoscere solent in Regno Galliæ.* 455
IX. *Si Judex tanquam suspectus recusetur: & aliquæ materiæ recensentur ad Ecclesiæ jurisdictionem spectantes.* 460
X. *De provisionibus in forma* Dignum: *de examine, &* Visa Ordinarii, *& de Devolutis secundùm Gallicanam praxim.* 462
XI. *De subrogatione collitigantium, & variis formis ad praxim Beneficiorum servandis.* 464
XII. *De appellationibus.* 467
XIII. *De appellationibus tanquam ab abusu.* 473
XIV. *Quænam concessiones, vel acta morte Judicis aut Prælati, ejusve abdicatione exspirent, vel non exspirent.* 476
XV. *Nova jura Gallicana circa judiciarios causarum processus.* 480

LIBER V.

Qui est de delictis, eorumque pœnis canonicis. pag. 487

CAP. I. DE *delicto non residentiæ.* ib.
II. *De delicto violentæ manuum injectionis in Clericum vel Monachum.* 491
III. *De simonia.* 495
IV. *Variæ circa simoniam difficultates solvuntur.* 505
V. *Altera elucidatur in materia simoniæ difficultas circa Monasteriorum ingressum.* 512
VI. *Aliæ quædam circa simoniam difficultates elucidantur.* 521
VII. *Utrum simonia committatur in pensionibus Beneficiorum? Jura quoque harum pensionum discutiuntur, necnon Ecclesiasticarum dispensationum.* 526
VIII. *Simoniacorum pœnæ canonicæ.* 531
IX. *De facienda restitutione rei simoniacè acceptæ.* 540
X. *De censuris Ecclesiasticis generatim.* 543
XI. *De effectibus excommunicationis.* 552
XII. *De minori excommunicatione.* 558
XIII. *Quænam ignorantia excuset à censuris.* 560
XIV. *De absolutione à censuris.* 565
XV. *De casibus reservatis tum Papæ, tum Ordinariis.* 570
XVI. *De Suspensione.* 577
XVII. *Suspensiones latæ contra Episcopos, Conventus, & Capitula.* 583
XVIII. *De depositione & degradatione.* 589
XIX. *De irregularitatibus in genere, & de illis in specie quæ exurgunt ex defectu.* 591
XX. *De irregularitatibus ex delicto.* 597
XXI. *De Ecclesiarum consecratione, pollutione, seu profanatione, & reconciliatione.* 603
XXII. *Responsum Authoris ad consultationem remotæ cujusdam provinciæ Archiepiscopi, de pœnis canonicis refractario cuidam Clerico debitis.* 607

LIBER

LIBER VI.

Theoriæ & Praxis Juris Canonici. pag. 613

CAP. I. *Obligationes quæ restitutioni adstringunt. Parentum & filiorum mutua officia, præcipuè circa alimenta, & successiones.* ibid.

II. *Quibus ex causis oriatur obligatio restituendi: & de contractibus in genere.* 619

III. *Utrum conventiones inter vivos, aut ultimæ bonorum dispositiones valeant in conscientia, etsi Iure Civili habeantur invalidæ ex defectu solennitatum.* 623

IV. *Quænam personæ contrahere prohibeantur, & de filiisfamilias, eorumque peculio: de Senatusconsulto Macedoniano: de mulieribus, & Senatusconsulto Vellejano.* 626

V. *De mutuo.* 632

VI. *De duobus reis in eandem rem in solidum obligatis: & de hypothecariis actionibus.* 654

VII. *De usuris.* 638

VIII. *De usura fundata super periculo sortis.* 648

IX. *De emptione & venditione.* 650

X. *De cambiis.* 658

XI. *Utrum is qui ex re aliena lucrum retulit quod dominus rei non retulisset, possit illud sibi retinere.* 661

XII. *De censibus, & de contractu emphyteutico: & de feudis.* 662

XIII. *De societatis contractu.* 671

XIV. *De Clericorum debitis restitutionibus.* 674

XV. *Quibus ex causis oriatur restituendi obligatio: & de acceptis ob turpem causam: & de impediente alterius bonum.* 684

XVI. *Quando, & quomodo teneatur restituere qui cooperatus est alterius damno.* 690

XVII. *Utrum secluso dolo, aut conventione, quævis culpa obliget in conscientia ad restitutionem.* 695

XVIII. *De quantitate obligante ad restitutionem, & de possessore bonæ fidei.* 697

XIX. *De vectigalibus.* 700

XX. *De quibusdam hæreditariis obligationibus.* 704

XXI. *Quidnam restituendum sit.* 710

XXII. *De causis à solutione debitorum excusantibus.* 713

XXIII. *Ordo in restitutione servandus.* 718

XXIV. *De damno ex legitimo proprii juris usu in alterum redundante.* 724

XXV. *De restitutione per moribundum facienda: & de restitutionis internunciis.* 725

XXVI. *De pactis quæ contractibus adjunguntur.* 728

XXVII. *De conditionibus, demonstrationibus, & causis appositis.* 730

XXVIII. *Sponsarum, uxorum & viduarum jura: & de diversorum creditorum concursu ac prælatione.* 731

XXIX. *Selecta quædam & præcipua jura donationum.* 736

XXX. *De regulis Iuris.* 739

JURIS

JURIS CANONICI THEORIA ET PRAXIS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Præcipuus ac ultimus finis, ad quem collimare debet Canonica Jurisprudentia: materia circa quam versatur, ejusque partitiones.

STUPENDA prorsus, nec unquam satis deploranda est humani cæcitas animi, quem Divinus Spiritus suâ illâ supernaturali luce non collustraverit. Cùm enim nihil ita hominis interfit, eique tam necessarium sit, ut est cognitio finis ac felicitatis suæ, ad quam omnis vita, omnisque actus dirigendus sit; ipsi tamen Gentiles Philosophi, qui omne ferè studium ad hanc perquisitionem contulerunt, à scopo isto adeò infeliciter aberrarunt, ut veterum Romanorum doctissimus Varro, teste Augustino lib. 19. de Civit. Dei, cap. 1. ducentas octoginta & octo diversas

diversas de fine, summoque hominis bono sententias collegerit : cùm tamen ex tanto sententiarum numero non nisi unica possit esse vera & complectenda, ea scilicet, quæ finem, summumque hominis bonum in unius Dei fruitione constituit. Hanc verò tanti momenti notitiam singulari felicitate ingenii Plato, quem Divinum cognominavit Antiquitas, assequutus est, de quo idem sic testatur Augustinus lib.8. de Civit. Dei, cap.5. *Plato Dei imitatorem, cognitorem & amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus.*

Hunc sensum diu ante Platonis ortum piorum animis infuderat Deus; Abrahamo quippe Fidelium patri sic promiserat : *Noli timere Abram, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Idemque per Regium Prophetam pronuntiaverat : *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Facessat illa Sapientium Chaldæorum insipientia Regi Nabuchodonosori asseverantium, nullam esse Deorum cum hominibus conversationem. Daniel.2. Verum istud quidem de falsis & inanibus, quos colebant, Diis : sed non de vero & unico, qui solus colendus est, Deo nobis asseverante delicias suas esse cum filiis hominum, & quem suus amor ad hoc impulit, ut juxta prophetiam Baruch, in terris tandem visus sit, & cum hominibus conversatus fuerit. Neque verò sibi quisquam persuadeat, obstare Dei cum homine consortio infinitam illam, quæ inter ambos interjecta est, disparitatem : quin potiùs illa tanta inæqualitas conciliatrix est admirabilis Dei nobiscum commercii, hoc præsuppositio, Deum esse infinitæ, immensæque bonitatis. Est enim bonitas, ut divinus docet Dionysius, sui diffusiva : & quo major est bonitas, eo ipsa magis appetit esse in alios benefica ; sicut quo major est ignis, eo latiùs suum diffundit ardorem. Hoc ipsum præclarè significat illa insignis Platonicorum veterum fabula de connubio Pori divitiarum Dei cum paupertate inito, ex quo progenitus sit amor. Quæcumque enim natura conjunctam habet cum bonitate felicitatem, desiderio afficitur locupletandi inferiorem naturam egestate laborantem ; atque hæc vicissim desiderio ardet conjungi cum natura benefica & opulenta, cujus communione sua suppleatur indigentia, suæque miseriæ succurratur. Hujusmodi cernitur convenientia mutui amoris inter nutricem, cujus ubera lacte turgent, & infantem aviditate sugendi præ fame laborantem, ex qua oppositione mutuus inardescit amor, quo nutrix infantem, & infans nutricem appetit. Hac ratione egestas ac miseria humana Divinam provocat bonitatem & opulentiam, afficitque mirificè ad commiserandum & opitulandum nobis, unde conciliatur æternum mutui amoris commercium ac fœdus.

Quanta verò inde fidelibus fiducia innascitur, quàm dulce solamen exurgit perspicientibus non in terris, non in cœlis, non in hominibus, non in Angelis, non in ulla quantumvis præcellenti re creata, sed in ipso æterno, immenso & infinito Deo, ejusque perenni fruitione suam habere collocatam & stabilitam felicitatem ! Huc ergo, & non aliò vitam omnem nostram,

omnes

omne ſtudium, omnes actus noſtros, omnemque rerum præſentium uſum referamus, dirigamus & intendamus : nec aliud appetamus & conſectemur niſi Deum, & pari cum Propheta cordis affectu exclamemus : *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram ? Defecit caro mea, & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Virtutes porrò, in quibus illi, qui minùs hallucinabantur Philoſophi, hominis finem ac felicitatem collocabant, amor ipſe Dei, quo inardeſcere corda noſtra debent, ſibi adeò vindicat, ut ſuas eis conditiones & proprietates impertiat, faciatque illas ſuis conatibus & ſanctis affectibus ancillari. Charitatis namque perinde ac ignis proprium eſt, ut quæcunque attingit, in ſui obſequium, ac demùm immutata in ſuam naturam convertat. Egregiè itaque Auguſtinus in epiſt. 53. ad Macedonium : *Virtus* (inquit) *non eſt niſi diligere quod diligendum eſt. Id eligere, prudentia eſt : nullis inde averti moleſtiis, fortitudo eſt : nullis illecebris, temperantia : nullâ ſuperbiâ, juſtitia eſt. Quid autem eligemus, quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius inveniamus ? Hoc Deus eſt.* Hactenus Auguſtinus.

Diſciplina ergo, quâ ad juſtitiam erudimur, tota ad dilectionem Dei traducenda eſt. Judicia etiam cauſarum, quæ ſunt ipſius juſtitiæ uſus ac exercitium, ad unum divini amoris ſcopum dirigi debent : atque omnium Judicum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Sæcularium auribus ſemper inſonare debent iſta verè aurea Regis Joſaphati monita 2. Paralip. 19. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini. Et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite : non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Spectabilis eſt Juſtinianea lex *Rem non novam*, Cod. de judiciis, de jurejurando à Judicibus & cauſarum Patronis præſtando, & de habendo aſſiduè ſacrarum Scripturarum Codice in ipſo judicii loco.

Theologica diſciplina, & Juriſprudentia Canonica, quaſi germanæ ſorores & gemellæ, pleraque inter ſe communia ſimul habent : ambæ namque directè & immediatè ad religionem ſpectant, ambæ pariter circa eadem ferè ſubjecta verſantur, Scripturas ſacras & divinas traditiones, Conciliorum, Summorumque Pontificum conſtitutiones, Sanctorum Patrum ſcripta. Id tamen diſcriminis intercedit, quod Theologica diſciplina ex ſe merè ſpeculativa eſt, & in divinarum rerum cognitione quieſcit ; cùm tamen Canonica Juriſprudentia referatur ad praxim, ſcilicet Eccleſiarum regimen, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus earumdem rebus.

Materia porrò Canonici Juris dividitur in res Fidei, & in res quæ circa diſciplinam verſantur. Res Fidei comprehenduntur partim ſacris utriuſque Teſtamenti paginis, partim Traditionibus Apoſtolicis, quæ ut unanimes docent SS. Patres, pari nituntur cum divinis Scripturis authoritate, ut tradit canon *Eccleſiaſticarum*, diſt. 11. deſumptus ex Baſilii libro de Spiritu Sancto,

cap. 27. Circa res verò disciplinæ, quædam sunt per universam Ecclesiam receptæ, aliæ non ubique, sed certis quibusdam locis invaluerunt. De illis quæ in universa servantur Ecclesia egregium est Augustini documentum epist. 118. ad Januarium: *Illa* (inquit) *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri: sicut quod Domini Passio, Resurrectio, atque Ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniversaria celebritate veneratur.* Sed neque in rebus disciplinæ, quæ universali authoritate stabilitæ, usuque communi ubique receptæ sunt, fas cuiquam fuerit abscedere vel transgredi quidquam, ut est præfixus à Nicæna Synodo Paschalis celebritatis dies. Accidunt nihilominus pro particularium Ecclesiarum ac locorum institutis atque usibus diversi ritus consuetudinesque, quibus soli locorum incolæ astringuntur: advenis autem consilium datur à SS. Patribus Ambrosio & Augustino, ut dum in eisdem versantur locis, se his pariter usibus accommodent; non enim sunt à delicto immunes, si scandalum inferant, juxta monitum Apostolicum 1. Corinth. 8. de usu escæ alioqui licitæ, si frater inde scandalizetur.

Sanctus istis adstipulatur Augustinus in eadem epistola 118. dicens: *Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicut est quod alii jejunant Sabbata, alii verò non: alii communicant quotidie corpori & sanguini Christi, alii certis diebus; & si quid aliud adverti potest, totum hoc genus liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in illis melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo viderit agere Ecclesiam, ad quamcunque devenerit.* Additque ibidem, beatissimæ memoriæ virum Ambrosium illa consuluisse, atque ita solitum agere, ut Romæ quidem hospitans Sabbato jejunaret; sed non Mediolani degens, ubi nihil tale præceptum, aut moribus receptum erat. Huc pertinet alterius Augustini interrogatio, & ad ipsum Gregorii Magni Papæ responsio, eidem suadens, ut ex diversis usibus ac ritibus, quos sive Romæ, sive in Gallicanis Ecclesiis viderit servari, eos in novis Angliæ Ecclesiis instituat, quos magis ad populorum pietatem, & ad majorem Dei cultum conducere judicabit.

In summa, Jure duplici constat universa hæc Jurisprudentia, scripto scilicet, & non scripto, seu consuetudine. Scriptum Jus sacra utriusque Testamenti volumina comprehendit, prætereaque scriptis exaratos Conciliorum Ecclesiæ Canones, Pontificum etiam Romanorum Constitutiones, itemque pro diversis locis inferiorum Episcoporum Sanctiones, sanctorum insuper Doctorum sententias. Divinarum porrò Scripturarum completus catalogus recensetur in Concilio Carthaginensi tertio, can. 47. & in altero Romano septuaginta Episcoporum, cui præsedit Gelasius Pontifex: prætereaque in Tridentino sess. 4. Refertur simul & ab Innocentio Papa I. in epistola ad Exuperium Tolosanum Antistitem, & ab Augustino lib. 2. de doctrina Christian

Christiana, cap. 8. Item ab Isidoro libro 1. Etymologiarum, cap. 1. & à Cassiodoro lib. 1. divinarum lectionum. Sanè vetustioribus quæ præcesserant temporibus, hac de re non erat pari evidentiâ definitum. De quibusdam quidem unus erat universorum Catholicorum consensus: At de quibusdam aliis inter ipsos decertabatur, an sacris accensendi essent, an ad apocryphorum classem relegandi. Quæ causa est cur nonnulli silentio prætereantur libri in priscis quibusdam catalogis, qualis est Laodicenæ Synodi can. ult. Epiphanii libro de ponderibus & mensuris, Gregorii Nazianzeni in carmine de Sacris Scripturis, & Hieronymi in Prologo Galeato.

Conciliorum Ecclesiæ quadruplex numeratur discrimen, inter quæ primum authoritatis gradum obtinent œcumenica, seu generalia Concilia, in quæ universa diversis ex nationibus confluxit Ecclesia. Horum convocatio ad Romanum Episcopum Petri successorem pertinet, cujus solicitudini & potestati Christus Dominus universum ovile commisit. Secundum dignitatis gradum nationalia Concilia sibi vendicant, ad quæ diversarum provinciarum Episcopi conveniunt. Tertium gradum tenent provincialia, ad quæ convocantur circumvicini sub uno Metropolitano Episcopi. Quartum diœcesanæ Synodi sub uno tantùm Episcopo. Attamen diœcesanæ Synodi antiquitus dicebantur illæ, in quas diversi confluebant cum suffraganeis Episcopis Metropolitani diversis ex provinciis profecti. Olim enim multò latiùs patebat Diœcesis nomen, complectebatur quippæ plures provincias uni alicui Patriarchæ, aut Primati, aut Exarchæ subditas. De Exarchis vide Concilium Chalcedonense can. 9. & 17.

Contigit aliquando ut Concilium nationale plures numeraret Episcopos, quàm universalia, seu œcumenica nonnulla: nec tamen ex ampliore numero parem cum istis nanciscì poterat authoritatem. Semperque tenenda ista est Augustini regula libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. *Ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt.* Tenenda similiter ejusdem Sancti Doctoris ibidem relata regula est: *Ipsa pleniora Concilia sæpe priora posterioribus emendantur, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.*

De indicta ab uno Episcopo intra proprios fines Synodo parum consultè scripsit Gratianus initio distinctionis 18. esse invalidam ad definiendum & constituendum, & solummodò valere ad corrigendum & arguendum; eique meritò Glossa contradicit his verbis: *Istud non est verum, quia Episcopi benè condere Canones possunt Episcopales, & Archiepiscopus Provinciales: quia quilibet Episcopus, & qualibet Ecclesia sibi potest statuere aliquod jus.* Idque multis Canonibus confirmat.

CAPUT II.

De diversis Sacrorum Canonum Collectionibus.

I. NEC inutilis, nec injucunda erit ista tractatio, cujus exemplum & specimen dedêre tum Pomponius Jurisconsultus, tum illi, qui jubente Imperatore Justiniano Digestum Juris concinnantes tractatum præmiserunt de origine Juris. Quod scribit Theodoritus comment. 1. Timoht. 5. ἀπὸ τῆς πείρας ἡ νομοθεσία γεγένηται, *ab experientia leges ortum habent*; id usuvenit in Ecclesiæ politia & regimine. Ejus enim primordiis, consuetudine ab Apostolis introducta, & ab Apostolorum successoribus Episcopis solicitè conservata, Christianorum societas regebatur, quæ consuetudo nomine Traditionis significatur ab Apostolo Paulo dicente 2. Thessalonic. 2. *State & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Has deinde Apostolicas traditiones curaverunt aliqui Ecclesiarum Antistites, ne progressu temporum, aut incuriâ hominum deperirent, in scripturam redigi, sub nomine Apostolicarum Constitutionum, quales primus compilavit Clemens Papa & Martyr: aut Canonum Apostolorum, quales supersunt numero quatuor & octoginta. His accessere Synodorum Decreta scriptis edita, & Summorum Pontificum Constitutiones & rescripta, Sanctorumque Ecclesiæ Doctorum collectæ sententiæ: ex quibus omnibus conflatum est Jus Canonicum, cujus compilationi plerique diversis temporibus suum laborem & industriam contulere, additis etiam alicubi quibusdam Imperialibus Legibus ac Edictis.

II. Prima Canonum occurrit illa collectio, cujus in sua præfatione meminit Dionysius Abbas, quam refert continuisse Canones numero centum sexagintaquinque, desumptos ex Nicæna, cæterisque Græcorum Synodis: cujus etiam collectionis multiplex mentio fit in Synodo Chalcedonensi, actione 4. 11. & 13. atque alibi passim. Prima ipsa collectio à Græcis procusa fuit: deinde conversis in Latinum Canonibus Græcis, ad Occidentis Ecclesias pervasit; quæ tamen Latina versio haud satis accurata Dionysio visa est. Eaque illum causa impulit ad suam contexendam ex Græco fideliorem translationem, ut idem in suæ collectionis præfatione fidem facit. Siquidem paulò ante Dionysinianam collectionem præcesserat Ferrandi Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi Canonum ex Græco in Latinum sermonem conversio: Ferrandus verò & Dionysius iisdem vixerunt & floruerunt temporibus, sub imperiis Justini I.

&

& Justiniani. Abbatis quidem Dionysii editio defæcatior est, & translatio accuratior quàm illa cujus Ferrandus est Author, in cujus lectione non pauci occurrunt nævi. Prætereà Dionysius Canones inscriptos Apostolorum, numero quinquaginta, Latinos à se factos suæ attexuit collectioni, quorum nullatenus meminit Ferrandus in sua, ut vocat, Canonum breviatione, neque aliæ ullæ quæ præcesserant collectiones. His adde, Ferrandum nullos ex celeberrimis œcumenicis Conciliis Ephesino & Chalcedonensi proferre Canones, quia Græca ipsa, quam sequitur, collectio nihil horum continebat. At verò suæ attexuit Dionysius lucubrationi Latinitate à se donatos Canones Chalcedonenses, quam etiam epistolis auxit Summorum Pontificum, à Siricio exorsus usque ad Gelasium. Quis autem existimet, Ferrandum prudentiâ & pietate, omnique moderatione commendabilem virum, post accuratam Dionysii collectionem, præsumpsisse circa idem subjectum operam suam impendere voluisse cum tantis defectibus, quos potuerat visâ Dionysii editione facillimè emendare, quasi post inventas fruges & munera Cereris, voluisset homines ad glandes revocare. Præcessit ergo Ferrandi, successitque Dionysii editio, quam mox subsequuta fuit Martini Bracharensis Episcopi collectio: quem Authorem Gratianus per inscitiam sub nomine Martini Romani Pontificis allegare solet. Istis quarto loco successit Canonum compilator Cresconius Episcopus Africanus.

III. Romana verò Ecclesia suum habere cœpit Canonum codicem jam inde à Julii Romani Pontificis regimine, qui subinde temporum insequentium decursu aliorum Canonum accessione succrevit ad Pontificatum usque Gelasii Papæ, cujus inibi aliquot decreta inseruntur. Codicem istum, qui multis sæculis delituerat, nuperrimè in lucem restituit Paschasius Quesnelius, Parisinus Oratorii Domini Jesu Presbyter, ad trium vetustissimorum exemplarium, Oxonienſis, Thuanei, & Atrebatensis fidem. Codex autem, quem Justellus sub titulo Ecclesiæ Romanæ Canonum, de tenebris vindicaverat, non potuit esse quàm privati alicujus vetus lucubratio, sed istâ Quesnelianâ tamen editione recentior. Quisquis tamen utramque collectionem penitus inspexerit, permultos in utraque tum ordinis temporum, tum ex Græco traductionum errores & hallucinationes deprehendet.

IV. Succedentibus subinde novis Pontificum, aut Conciliorum Constitutionibus, augebatur apud Romanum Tribunal Canonica Jurisprudentia, seu disciplina, ut admonet Leo Papa IV. can. *De libellis*, distinct. 20. his verbis: *Quibus autem utimur in omnibus Ecclesiasticis judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsareensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium, & cum illis regulæ Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Celestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii,*

& Gregorii junioris. Isti omninò sunt per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici.

V. Successit istis Isidori Hispalensis collectio, sive sit ille Hispalensis Episcopus scriptis & sanctitate celeberrimus, ut existimat Hincmarus Rhemensis libro de Synodis, & Trithemius, aliique; sive sit alius quispiam ejusdem nominis & civitatis, cognomento Mercator, ut censet Baronius. Hic ergo, qualiscumque sit, suam edidit Canonum collectionem, tum Apostolicorum, tum Synodicorum, tum Summorum Pontificum, eorum etiam qui Sylvestrum & Siricium præcesserunt: quanvis horum veritati diffidat Hincmarus Rhemensis scribens contra nepotem suum Hincmarum Episcopum Laudunensem, & autumet falsas & suppositicias, quæ circumferuntur Constitutiones Romanorum Pontificum Siricio anteriorum. Sed ipse tamen refelli potest Nicolai I. testimonio jubentis in canone *Si Romanorum*, distinct. 19. à cunctis recipi & obtemperari Decretalibus illis antiquitate venerandis Romanorum Antistitum illorum, qui crebrescentibus Paganorum persequutionibus Ecclesiam rexerunt. Etsi enim negari non possit, aliquas sub illorum Pontificum nomine editas Decretales fuisse confictas; id quoque palam est, contigisse in aliis quibusdam, quæ posteriorum Pontificum nomine circumferuntur: neque conveniens est ob suppositionem quarumdam, omnibus in universum derogari fidem, quæ magnam sapientiam præferunt, & rebus, ac temporibus illis apprimè quadrant. Eademque ratione omnes quoque Synodicæ Constitutiones explo-derentur, quia harum aliquas constat esse falsò obtrusas. Ista porrò Isidori collectio desinit in secundum Hispalense Concilium, cui præsedisse compertum est Sanctum Isidorum Hispalensem Archiepiscopum. Isidori collectionem excepit altera Reginonis Abbatis Prumiensis, in duos distincta libros, quam penè deperditam eduxit in lucem vir eximiâ eruditione & diligentiæ laude præclarè de literis & literatis viris meritus Stephanus Baluzius. Hujusce collectionis à Reginone cusæ meminerat dudum Bellarminus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Floruit Regino sub finem sæculi noni: scripsitque præterea Chronicum satis pervulgatum.

VI. Hoc idem Canones colligendi studium capessivit, felicique successu obivit inter Germanos Burcardus Vvormaciensis Episcopus, Ottonis III. & Henrici II. Bavari Imperatorum ætate. Hic primus non ordinem temporum, ut Dionysius & Isidorus; sed rerum & causarum seriem quasi in communes digessit locos. Nec minorem in Francia laudem adeptus est Ivo Carnotensis Episcopus, à quo editum est egregium Decretum. Floruit Ivo desinente undecimo à natali Christi sæculo. Hujusce verò Decreti quandam sub nomine Pannormiæ, seu potiùs Pannomiæ edidit Epitomen incertus Author.

VII. In hac eadem Palæstra desudarunt Cresconius, Anselmus, Deus-

dedit

dedit Cardinalis, Gregorius Presbyter, qui volumen suum titulo *Polycarpi* inscripsit.

VIII. Istis demùm omnibus successit Gratianus monachus Benedictinus in Monasterio Sancti Felicis, quod est in civitate Bononiensi, qui sæculo duodecimo Decreti sui opus exegit tempore Eugenii Papæ III.

IX. Consultò silui collectionem Martini Bracarensis Episcopi, quem Sanctus laudat Isidorus Hispalensis Episcopus in libro de Viris Illustribus, cap. 35. & in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 22. Hic floruit circa annum Domini quingentesimum septimum. Sed etsi Latinus fuerit, solos tamen collegit Græcarum Synodorum Canones, quos Isidorus Mercator in suam derivavit collectionem.

X. Græcorum diversæ quoque viguere diversis temporibus collectiones, quarum postrema, quâ etiam nunc in Oriente utuntur, his partibus constat, Canonibus scilicet qui nomine *Apostolorum* inscribuntur, quinque & octoginta. Hos sequuntur Græcæ octo Oecumenicæ Synodi, suppressâ ultimâ legitimâ, quæ Photio Constantinopolitanæ Sedis invasore deturbato, Sanctum Ignatium restituit; ejusque Synodi loco suppositâ schismaticâ Synodo, cui Photius ipse denuò intrusus post Ignatii obitum præsedit. His adjunxere Græci solos ex omnibus Latinis Synodis Africanos in Græcum sermonem conversos canones, pariterque Sardicenses, & istis antiquiores provinciales Synodos in Oriente olim celebratas & orthodoxas; simulque Canones Antiochenos ab Arianis editos, necnon schismaticum Concilium Quinisextum in Trullo congregatum sub nomine Synodi Oecumenicæ. His accedunt pœnitentiarum canones Authoribus editi Sanctis Patribus, Gregorio Neocæsareensi, Dionysio Alexandrino, & Basilio Magno. In istam collectionem commentaria brevia scripsere Zonaras & Theodorus Balsamon pseudo-Episcopus Antiochenus, ambo schismatici.

XI. Franci sub prima suorum Regum progenie suam quoque habuere Canonum collectionem, quæ initio Canones Apostolorum nullos, sed tantùm veterum Conciliorum Orientalium continebat, nescio an pariter Occidentalium, ut sunt Africana. Id admodum verisimile est, cùm ipsi Græci eos quoque suis collectionibus inseruerint. Sanè Pontifex Hormisdas ipsiusmet Clodovei primi inter nostræ gentis Reges Christiani coætaneus meminit collectionis Canonum Ecclesiæ Gallicanæ, in can. *Si quis Diaconus*, dist. 50. aitque ibidem videri sententias Patrum trecentorum decem & octo contentas esse. Neque verò ambigendum videtur, fuisse quoque ibidem insertos veterum Gallicanorum Conciliorum Canones, quales plerique constituti fuere tum ante, tum post Clodovei Baptismum. Seriùs autem ad Gallicanam collectionem accesserunt Canones Apostolici, urgente hanc additionem Rege Chilperico, dum Prætextatum Rhotomagensem Episcopum persequitur reum apud ipsum Rhotomagense Concilium. Suam enim Rex accusationem fundabat in transgressione Canonis Apostolorum vigesimi-

quarti, cujus authoritate inſtabat, Prætextatum eſſe Epiſcopatu abdicandum. Iſtam ſcribens hiſtoriam oculatus ipſe teſtis Gregorius Turonenſis ita de Chilperico Rege loquitur lib.5.hiſt.Franc.cap.18. *Ipſe verò ad Metatum diſceſſit, tranſmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus habens Canones quaſi Apoſtolicos, continentes hæc: Epiſcopus in homicidio, adulterio, aut perjurio deprehenſus, à Sacerdotio divellatur.*

XII. Regnante poſtmodùm ſecunda progenie, Adrianus I. ad Carolum Magnum Francorum Regem librum Canonum tranſmiſit, quibus Romana Eccleſia utebatur, cujus viſitur eximium exemplar in Abbatia Sancti Germani Pariſienſi, conſcriptum, ut ibidem notatur, anno regni Caroli Magni trigeſimoſeptimo. Eaque collectio eadem prorſus eſt ac illa, cujus meminit Leo IV. in can. *De libellis*, diſt. 20. iiſdem namque partibus conſtat, ſcilicet Apoſtolorum Canonibus quinquaginta, & Canonibus Synodorum Orientis, & Africanarum, & Sardicenſis: prætereaque Decretis Siricii, & ſequentium Romæ Epiſcoporum uſque ad Gregorium II. Huic exemplari præfigitur Adriani ad Carolum epiſtola, cujus linearum primæ literæ iſtud componunt Acroſtichum, Domino excell. Filio Carulo Regi Adrianus Papa.

CAPUT III.

Juris diviſio.

I. NOn poteſt cum præſcriptis in Logica regulis perfectæ diviſionis convenire illa Juris diuiſio, cujus eſt author Ulpianus in l.1.D.de juſt.& jur.quâ ſcilicet Jus diſtinguit in publicum & privatum: & publicum quidem dicit eſſe, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat, atque in Sacris, in Sacerdotibus & in Magiſtratibus conſiſtit. Privatum deinde tripartitò dividit, in Naturale, Gentium, & Civile. Cùm enim ratio doceat deducendam eſſe diviſionem ab univerſalibus ad particularia, & à genere ad ſpecies ei ſubjectas; Ulpianus tamen ipſum univerſaliſſimum genus ſub inferiori ſpecie commiſcet. Cùm enim nihil latiùs pateat ipſo Jure naturali, præſertim ſi ſpectetur ut commune brutis ſimul & hominibus, quâ ratione illud hîc ſpectat & definit; iſtud tamen collocat, ſimulque Jus gentium & civile in infima diſtributione. Prætereà idem Juriſconſultus Jus Romanorum publicum, quaſi primam ſpeciem collocat immediatè ſub ſummo genere; cùm tamen nihil aliud ſit quàm una ex individuis partibus Juris civilis, quod idem Ulpianus collocat in ſuæ diviſionis ſpecie infima. Cæterùm quàm eſt alienum à recta ratione

tione quod ibidem his verbis affirmat ! *Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit : nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium quæ in terra, & quæ in mari nascuntur, avium quoque commune est. Hinc descendit maris & fœminæ conjunctio, quam Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim cætera quoque animalia, feras etiam, istius juris peritiâ censeri. Jus gentium est, quo gentes humanæ utuntur, quod à naturali recedere facile intelligere licet, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est.* Hactenus Ulpianus. Verumtamen cùm solus homo rationis compos sit, solus etiam ex animalibus Juris capax esse potest: ratio enim ipsa Legis anima est atque Juris, l. *Cùm pater filios* 77. §. *Dulcissimis*, D. de legat. 2. Quinimò hic idem Ulpianus l. 1. D. si quadrup. pauper. fec. dicat. disertè loquitur: *Pauperies est damnum sine injuria facientis datum : nec enim potest animal injuriam fecisse, quod sensu caret.* Ergo dicendum est contra Ulpianum, neque posse quidquam jure facere quod sensu caret, atque ita bruta esse in seipsis incapacia juris.

II. Sic igitur Jus dividendum esse reor, in Naturæe scilicet, & Civile. Deinde naturale Jus aliud est primævum, quod præcessit humani generis propagationem; & ad Jus istud pertinent connubia, bonorum communio, mutua dilectio, & mutuum auxilium, & alia similia : aliud verò naturæ Jus dicendum est posterius, quod est subsequutum humanæ multiplicationem naturæ, quod est propriè Jus gentium, omnibusque gentibus commune, cujusmodi sunt divisiones terrarum atque bonorum, Rerumpublicarum constitutiones, jura civitatum, legationes, proprietates, dominiorum translationes, contractus, aliáque non modò quæ in statu primævæ innocentiæ (si hæc illibata diu perdurasset) extitissent, sed etiam post inductum in orbem terræ peccatum, ut sunt jura belli, servitutes hominum, & criminum pœnæ : hæc enim jura cunctis gentibus promiscua sunt & communia. Jus autem Civile illud dicendum, quod quælibet Respublicæ seorsim sibi constituerunt, sive scriptum fuerit, sive non scriptum, qualis est consuetudo : sive etiam sacrum sit, quale est Jus Pontificium & Canonicum; sive commune, ut Principum Leges, Magistratuum Edicta.

III. De statu primævæ innocentiæ, si perstitisset post hominum multiplicationem, duo quæri possunt. Primò utrum ea perdurante fuisset introducta bonorum terræ divisio, proprietates ac dominia ? Secundò utrum fuissent in hominibus Regna ac Imperia ? Quoad primum, poterat etiam post propagatum humanum genus constitui civitatum divisio, & in singulis civitatibus rerum communitas, prudenti aliqua adhibita politiâ communium agrorum cultum, & fructuum ex agris nascentium in singulas sive familias, sive personas distributionem dispensante : poterat similiter induci agrorum distributio ; nihil enim habet quidquam horum quod cum statu communis innocentiæ repugnet. At verò de Regibus & Potestatibus hoc

censendum est post hominum propagationem, stante adhuc originali innocentia debuisse principatus & potestates quorundam hominum in alios homines stabiliri. Aut enim introductæ fuissent prædiorum divisiones, aut non fuissent: si primum, tunc necessaria potestas aliqua inter homines superior fuisset, quæ distributioni præesset agrorum, quæque innumeras ambiguitates absque etiam humanis cupiditatibus injustis subnascentes circa rerum in multis casibus dominia, proprietates, usufructus, usus, servitutes prædiorum, alienationes, permutationes, sua posset authoritate judicioque dirimere. Si verò supponas ejus quæ ab initio extiterat communionis rerum stabilitatem, adhuc necesse fuisset Principes aliquos existere, qui dum singuli propriis, aut suarum familiarum commodis invigilant, communem interea utilitatem procurarent, eamque suis jussionibus & legibus constabilirent, ac singulis suas partes suaque officia cum illo ad commune bonum respectu distribuerent: atque ita sub se Magistratus & Officiales constituerent, aut communibus suffragiis eligi curarent. Sanctus Thomas in lib. 1. de regimine Principum, cap. 1. sic ait: *Naturale homini est ut in societate vivat multorum, & necesse est esse in hominibus per quem multitudo regatur. Nam cùm unusquisque id quod sibi congruum est provideat, multitudo in diversa dispergitur, nisi sit qui boni communis curam gerat. Unde Salomon ait: Ubi non est gubernator, dissipabitur populus. Oportet ergo ut præter id quod movet ad proprium bonum uniuscujusque, sit etiam aliud quod moveat ad bonum commune multorum: propter quod & in omnibus quæ in unum ordinantur, invenitur aliquid quod alia regat.* Hactenus Doctor Angelicus. Præterea docet Aristoteles lib. 3. Politic. cap. 4. hominem esse naturâ sociale animal. Sanctus etiam Chrysostomus in Isaiæ caput 3. sic ait: *Nihil est intractabilius Republicâ quæ caret principatu, quemadmodum neque periculosius quid, quàm est navis suo gubernatore destituta.*

CAPUT IV.

Quatenus lex humana liget secundùm conscientiam.

I. SAPIENTISSIME differit Apostolus Paulus, leges & decreta hominum in legitima potestate constitutorum, non tantùm astringere subditos ad obtemperandum, vinculo humano ac politico subdente humanis pœnis infractores; sed etiam divinâ lege, quæ ipsas animas & conscientias liget, subjiciatque supliciis post hanc vitam ab ipso Deo decretis. Cujus rei istam rationem profert,

profert, quia istiusmodi Potestates Deus approbat, eisque ut Dei vicem gerentibus subesse ac parêre jubet: adeò ut his inobedientes, divinis jussionibus refragentur. *Omnis anima* (inquit) *potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et mox: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Roman.13. Quæ cùm valeant in Principibus & Magistratibus politicis, multò magis urgent in Præfectis Ecclesiasticis, de quibus idem Apostolus ita præcipit Hebr.13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

II. Duas hîc prosequor proprietates seu conditiones, quæ hujusmodi sunt, ut vel alterius harum defectu lex ipsa nullatenus liget. Prima est ut lex sit rationalis & justa. Lex enim dicitur inventum Dei ac munus ad coërcenda delicta, vitamque honestè instituendam, l. 2. D. de legib. Præfectis enim tum Ecclesiasticis, tum Sæcularibus potestatem Deus contulit, non in destructionem, sed in ædificationem, 2.Cor.10. Et cùm sacri Canones nullam & irritam ac inanem decernant esse excommunicationem quâ innocens astringitur, can. *Si quis non rectò*, & can. *Cùm aliquis*, 24. quæst.3. idem asserendum pari ratione de legibus evidenter injustis, subditos his nullatenus astringi. *Deo enim obedire oportet magis quàm hominibus*, ut responderunt Petrus & Joannes Apostoli legalibus Sacerdotibus & Scribis, à quibus prohibiti fuerant Christum prædicare. Actuum 5. Neque enim licitum est obedire subalternæ potestati in his in quibus opponitur superiori potestati. Et sapienter ait Sanctus Thomas 2.2.quæst.69. art.3. ad 1. *Potestati inferiori intantum aliquis subjici debet, inquantum Superioris ordinem servat, à quo si exorbitaverit, ei subjici non oportet.* Quod idem repetit 2.2. quæst.104. art.5. in corp.

III. Itaque nulla usque adeò sublimis & universalis est authoritas, sive in Civili, sive in Ecclesiastica Republica, cui liceat obtemperare, si quid jubeat contra bonos mores. * Quod idem sentiendum de pravis receptis consuetudinibus, dicente sancto Cypriano epist. ad Pompeianum: *Consuetudo quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet quominus veritas prævaleat; nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem.* Et habetur dist.8.cap. *Consuetudo.* Vide cap.ult. de præscript.]

IV. Secunda legis tam Ecclesiasticæ quàm Civilis conditio est, ut promulgetur, alioqui non obligatura, utpote non sufficienter populis notificata, l. *Leges sacratissimæ*, Cod. de legib. item Authent. ut novæ factæ constitutiones, &c. Insuper canon *In istis*, §. *Leges*, dist. 4. *Leges* (inquit) *instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem cùm moribus utentium comprobantur.* His suffragatur sanctus Thomas 1.2.quæst.90.art.4. Ambigitur verò

ubinam promulgandæ sint novæ leges, sufficiátne in civitate primaria amplissimæ alicujus ditionis, an verò publicari quoque necesse sit in singulis provinciis? In omnibus quidem sæcularibus Regnis receptum videmus, ut in remotis provinciis leges neminem astringant, nisi ex quo in eisdem publicatæ fuerint. Multò magis idem requiri videtur circa sacra Decreta universo Christiano orbi præcepta, ut remotas provincias non ligent hac sola ratione, quia Romæ palàm fuêre proposita: Etenim talis promulgatio poterit fortasse sufficere ad notificandum populis Italiæ, sed non Galliæ, non Hispaniæ, non Germaniæ, non Poloniæ, non aliis remotioribus regionibus; cùm ne in singulis quidem his Regnis sufficiat promulgatio Edicti Regii intra regiam solam civitatem facta. Cùm enim ideò lex feratur, ut populi universitatem obliget, necesse est eam ita publicari, ut universo populo innotescat: nec satis est si uni, aut alteri nota sit. Quæ ratio allegatur in lege *Leges sacratissimæ*, Cod. de legib. *Quo* (inquit) *ab universis, quos constringunt, leges intelligantur.* Hæc est sententia Angeli verb. *Lex*, q.12. Medinæ ad 1.2. q.90. art.4. Lessii lib.2. cap.22. dub.13. in princ. ubi consequenter affirmat diploma Pii V. de censibus, nullatenus obligare in Belgio, Gallia, & Germania, quia non fuit in his regionibus publicatum. Non me latet plerosque graves Scriptores, præsertim Italos, favere unicæ, quæ fit Romæ, promulgationi, eo quòd aliqua Pontificia diplomata id præ sè ferant.

V. Nec verò sufficit competens promulgatio, si non sequitur legis apud populum receptio, ut habetur apud Gratianum can. *In istis*, §. *Leges*, dist.4. *Leges instituuntur quum promulgantur, firmantur autem quum moribus utentium comprobantur.* Quinimò, ut ait lex *De quibus*, D. de legib. *Leges nullâ aliâ de causâ nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ sunt.* Etsi verò Summorum Pontificum spiritualis potestas non ab hominibus, sed ab ipso Deo ortum ducat, ideóque non possit per homines limitari; quia tamen non præsumuntur hoc absolutè velle, ut suæ constitutiones quamprimùm subditorum conscientias astringant, ne contingat ut potestas illis divinitus in animarum salutem collata vertatur in earumdem perniciem, & vice debitæ ædificationis pariat destructionem, contra Pauli monitum 2.Corinth.13. ideò Bonacina de matrim. quæst. 2. punct. 7. cum Sanchez & aliis docet, hominem Italum & Catholicum licitè & validè contrahere matrimonium in partibus Græciæ sine Parochi assistentia. Etsi namque schismatici & hæretici subjiciantur potestati Summi Pontificis & Concilii generalis; quia tamen Tridentinum Concilium requirens ad matrimonii validitatem proprii Parochi præsentiam, non fuit in hujusmodi locis receptum, non ea est Ecclesiæ mens, ut is defectus nullitatem inducat in iis locis, ne ista occasione pro matrimoniis contrahantur fornicationes & stupra.

VI. At verò prorsùs aliter judicandum est circa Decreta Fidei, quibus

ligantur

ligantur quicumque privatim illorum habent sufficientem notitiam, quanvis neque in Provinciis promulgata, neque publicè recepta fuerint. Ratio est, quia reliqua decreta sunt humani, vel Ecclesiastici juris, neque ad jus divinum pertinent nisi mediatè & remotè, ideóque non obligant nisi juxta modum civilem & humanum: nimirum primariò quidem populum, secundariò autem singulos particulares, quatenus sub obligatione publica comprehenduntur. At verò divinæ leges seorsim singulos astringunt quibus plenè innotuerint, tametsi modo civili non fuerint promulgatæ vel receptæ; quippe quæ suum omnem vigorem immediatè à Deo ipso habent, & non ab hominibus. Sic infidelis astringitur obligatione fidei, si ei sufficienter, quanvis per privata colloquia, proponatur, ut contigit in eunucho Reginæ Candacis cum Philippo Diacono, Actuum 8. Et qui in Provincia dissita certò sciret unum aliquod Fidei decretum fuisse Romæ ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur.

CAPUT V.

Juris Canonici, & Civilis differentia, istiusque Operis divisio.

I. CONVENIT cum Jure civili Jus canonicum, quatenus ambo intendunt hominum societatis directionem ad commune bonum. Hac enim in re versatur scopus & finis juris & legum, can. 1. dist. 4. Sapienter docet Aristoteles lib. 4. politic. cap. 1. Potestatem publicam ad commune bonum institutam esse. Cicero quoque lib. 1. de legibus: *Salus* (ait) *populi suprema lex esto.* Differunt verò duo Jura ista secundùm modum finemque particularem. Jus quippe civile intendit commune bonum, ut est conveniens humanæ in terris societati, seu statui politico. At canonicum respicit commune bonum ut ad vitam refertur æternam finemque supernaturalem.

II. Itaque Jure canonico Jus quoque divinum comprehenditur, Sacrâ Scripturâ diviniſque Traditionibus constans: Sanctiones pariter Ecclesiasticæ à Pontificibus & Sacris Synodis profectæ: præterea consuetudines in Ecclesia receptæ. His adde civiles leges, quas Ecclesiæ beneplacitum probavit & admisit, cujusmodi pleraſque legimus in Gratiani Decreto insertas. Civiles namque constitutiones non aliter vim in Ecclesia obtinent quàm per ejusdem Ecclesiæ approbationem, cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ,* de constitutionib.

III. Istam Canonici Juris tractationem in sex libros distribuimus: quorum

rum primus aget de personis, in quo de Summi Pontificis rescriptis, de Episcopis, aliisque Prælatis, de Beneficiariis, de Clericis, de Regularibus pertractabitur. Secundus res Ecclesiasticas prosequetur, Præbendas, sacra loca, Decimas. Tertius Sacramentorum doctrinam tradet, præsertim Pœnitentiæ & Matrimonii. Quartus versabitur liber circa judicia & lites rerum Ecclesiasticarum. Quintus prosequetur delicta eorumque canonicas pœnas, & censurarum sylvam, & casuum reservatorum difficultates elucidabit. Sextus denique ad pleniorem Confessariorum & pœnitentium institutionem difficultates discutiet, quæ circa contractus & restitutiones versantur.

CAPUT VI.

De Summorum Pontificum Rescriptis generatim.

I. PETRUS Rebuffus in praxi benef. tit. different. inter privil. rescr. & mand. scriptas dispositiones quæ ab Apostolica Sede proficiscuntur, distinguit in privilegia, mandata, & rescripta: ipsa deinde rescripta distinguit in rescripta gratiæ, & rescripta justitiæ; quæ utraque pro formarum, in quibus expediri solent, diversitate dicuntur nunc Signaturæ, nunc Brevia, nunc Bullæ. Horum singula Breviter & dilucidè hîc exponam.

II. In primis verò istud est præmonendum, scriptis concessa à Principe sive Ecclesiastico, sive sæculari privilegia strictè esse interpretanda, *l. Si quando*, Cod. de inoffic. testam. & cap. 1. & 2. de privil. in 6. ubi Gloss. in d. cap. 1. hanc adducit rationem, quia omnis recessus à jure communi est odiosus. At verò privilegium est recessus à jure communi in favorem singularis personæ, *l. Jus singulare*, D. de legib. & can. fin. 25. q. 1.

III. Mandatum Apostolicum in Jure frequens illud est, quo Papa significat Ordinario ut certæ alicui personæ provideat de Beneficio, cap. *Mandatum*, cum duobus capp. sequent. de rescript. item cap. *Accepimus*, de ætate & qualit. ordinand. & cap. *Dilecto*, de præbend. & cap. *Si Capitulo*, de concess. præbend. in 6. Mandata ista pro odiosis habentur, quia opponuntur juri communi, & quia potestatem Ordinariorum canonicam restringunt. Istiusmodi mandata & vacaturarum Præbendarum expectativas damnat Bonifacius VIII. cap. *Detestanda*, de concess. præb. in 6. Concilium olim Lateranense sub Alexandro III. in cap. *Nulla*, de concess. præbend. prohibuerat omnem Beneficii promissionem & provisionem, antequam vacet, utpote inducentem votum captandæ alterius mortis. Concilium Basileense, & in Regno Galliæ Pragmatica Sanctio, mandata omnia de providendo

dendo & beneficiorum expectativas, quas Galli dicunt *Survivances*, omninò sustulerant. Concordatum verò Bononiæ initum inter Franciscum Regem & Leonem Papam, atque in Lateranensi Concilio approbatum, ita disponit & moderatur, ut quilibet Summus Pontifex semel in vita sua Ordinarium in hoc regno habentem collationem decem præbendarum gravare possit in una: & eum qui habet collationem quinquaginta, vel plurium, in duabus. Concord. in tit. de collat. in princ. & tit. de mandatis Apostol. Denique Tridentinum Concilium sess. 14. de reform. cap. 19. omnes expectativas, omniaque mandata de providendo prorsùs revocat.

IV. Signaturæ Apostolicæ versantur circa diversa, sive circa beneficii per supplicationem petiti concessionem, sive circa absolutionem, aut dispensationem, aut rehabilitationem in favorem supplicantis. Scribuntur Signaturæ in papyro, neque sigillo muniuntur, & utplurimùm his verbis expediuntur: *Fiat ut petitur.*

V. Breve Apostolicum est, ut describit Rebuffus, scriptura modica in parvis concessa negotiis, quæ indifferenter in papyro, vel in membrana scribi solet, cera rubea aut viridi, Annuloque Piscatoris sigillata, & signo Secretarii subscripta. Fit autem in Brevibus mentio Annuli Piscatoris, non verò in aliis rescriptorum speciebus.

VI. Bullæ sunt concessiones aut ordinationes in rebus gravioribus, nec nisi in membranis describuntur, & sunt aliquantò prolixiores quàm Brevia, utpote continentes præfationem & clausulas quæ in Brevibus Apostolicis supprimi solent. Sigilla Bullarum plumbea sunt, continentia Petri & Pauli Apostolorum effigiem. Et quoties Bulla expeditur in materia gratiæ, sigillum appenditur è filis sericis: si verò sit Bulla in materia justitiæ, aut si sit executoria, appenditur plumbum filis cannabis. Ideoque in Bullis Consistorialium provisionum, quæ Romæ pro Gallici Regni Prælaturis expediuntur, cannabinus laqueus inseritur, quia post Concordatum suprà memoratum, illæ ad Regis nominationem quæ fiunt collationes, justitiæ sunt & necessitatis.

VII. Rescripta itaque, seu literæ justitiæ sunt quæ debitum petentibus auxilium impertiunt, itaque utplurimùm ad litis ac justitiæ administrationem tendunt: cujusmodi sunt judiciorum evocationes, Judicum delegationes, & quæcumque literæ pro litibus vel instituendis vel restituendis impetrantur. Gratiæ verò rescripta ex mera liberalitate & clementia procedunt, ut dispensationes, indulgentiæ, remissiones, absolutiones, rehabilitationes, provisiones de dignitatibus aut beneficiis, tam in forma gratiæ, vel pauperum, quàm in forma *Dignum*. Denique rescripta justitiæ nihil juris attribuunt de novo, sed jus antea quæsitum vel confirmant, vel de illo cognosci jubent. Gratiæ autem jus novum attribuunt impetranti: neque exigunt causæ cognitionem, cùm sint meræ voluntatis, nisi falsitatis aut obreptionis arguantur, aut nisi nominatim aliquam conditionis

clauſulam inſertam habeant, qualis hæc eſt, *Si dignus erit*, in commiſſoriis beneficiorum collationibus, ut in cap. *Cùm adeò*, de reſcript. aut iſta communis, *Si ita eſt.* Hoc demùm diſcrimen literarum juſtitiæ & gratiæ vel ex ipſo earum aſpectu dignoſcitur: Juſtitiæ quippe literæ ſignari ſolent per *Placet*: gratiæ autem per *Fiat.* Et in literis gratiæ nomen Papæ, quod primam literam inchoat, per capitales ſeu majuſculas literas ſcribitur integrum: at in literis juſtitiæ ſola nominis Papæ litera prima eſt majuſcula, reliquæ ejuſdem nominis literæ minuſculæ ſunt. In Bullis quoque ſpeciale adhuc diſcrimen viſitur, quod jam dictum eſt, laquei ſerici, & laquei cannabini, quo plumbum appendi ſolet.

VIII. Literæ inſuper gratioſæ impetrari poſſunt per aliquem Tertium ſine ſpeciali mandato, quanvis impetrans laïcus ſit: ſic enim pro alio etiam inſcio impetrari Eccleſiaſtica beneficia poſſunt per laïcum, aliæque gratiæ, *cap. Nonnulli, §. ſunt & alii*, de reſcript. Ad literas autem juſtitiæ requiritur mandatum. Verumtamen Rebuffus in praxi benef.tit.different. int.reſcript.num.18. affirmat in Regni Franciæ Curiis admitti indiſcriminatim literas juſtitiæ, ſicut & gratiæ, per tertiam perſonam abſque mandato obtentas.

IX. Prætereà literæ juſtitiæ, ſi non ſint exequutioni mandatæ, exſpirant ſtatim poſt annum, cap. *Si autem*, & cap. *Plerumque*, de reſcr. At literæ gratioſæ perpetuam vim habent, *l. falſo*, Cod. de diverſis reſcr. Gratiam quippe Principis decet eſſe manſuram, cap. *Si cui*, de præb. in 6. & cap. *Decet*, de regul.jur.in 6. Niſi quis ultra modum negligens fuerit, *cap. Si clericus*, & ibi Gloſſa & Doctores, de præb.in 6.

X. Poſterius in eodem negotio reſcriptum ab altera parte impetratum invalidum eſt, ſi de priore mentionem non facit; & prius reſcriptum in ſuo robore permanet. Sed ſi poſterius reſcriptum mentionem faciat anterioris, illud abrogat in eo in quo eſt incompatibile cum poſteriori, cap. *Cæterùm*, de reſcr. Simile jus exiſtit in collatione beneficii per Papam, ut ſi contra ſuam proviſionem anteriorem, neque illius factâ mentione, confert alteri idem beneficium, iſta poſterior collatio habeatur pro ſubreptitia, atque ideò ſit invalida, cap. *Cùm olim*, de ſent.& re judic.

XI. Expreſſio falſi, quæ obreptio dicitur; itemque ſuppreſſio veri, quæ ſubreptio dici ſolet, ſi ſit malitioſa, reſcriptum reddit invalidum, cap. *Decemi*, 25.quæſt.2. Sed ſi ex ignorantia ſola vel ſimplicitate proceſſerit, ſic eſt diſtinguendum: vel enim impetrans, ſe etiam integrè & verè expreſsâ, obtinuiſſet judicio prudentis viri rem petitam, ſaltem in forma communi; eoque caſu judex per id reſcriptum delegatus procedere debet ſervato Juris ordine, non verò ſecundùm ſpecialem & extraordinariam reſcripti formam. Sed ſi delegatus judicet apud ſe, quod rei veritate planè manifeſtata, & abſque interventu obreptionis aut ſubreptionis, Papa non fuiſſet reſcriptum conceſſurus, eo caſu delegatus abſtinere prorſus debet perinde

perinde ac si literæ nullæ impetratæ fuissent, cap. *Super literis*, de rescript. Huic conformis existit dispositio legis 2. §. fin. ff. de donat. ut conditio donationi apposita, si talis sit ut ejus causâ & impulsu facta fuerit donatio, ex talis conditionis defectu donatio nulla judicanda sit: si verò mens donatoris præsumatur talis, ut etiamsi conditio apposita non existeret, effectum nihilominùs donatio sortiretur, adjudicetur res donatario sine cujus culpa conditio defecerit.

XII. Per rescriptum quo Papa mandat Ordinario ut corrigat suæ diœcesis Clericos, non datur eidem in exemptos jurisdictio, cap. *Grave*, de offic. Ordin. Quod Capitulum (inquit ibi Fagnanus) facit contra Episcopos studiosè procurantes sibi mandari per literas Sacræ Congregationis Episcoporum, ut procedant in aliqua causa, sive sit civilis, sive criminalis, aliàs spectante ad ipsorum jurisdictionem ordinariam, hoc solo fine ut excludant appellationem ad Metropolitanum. Patet enim per hanc Decretalem, eos hujusmodi literis non constitui delegatos, ut necesse sit ad delegantem appellare, ut docet Glossa finalis in cap. *Dilecti*, il 3. de appellat. Unde poterit ad Archiepiscopum nihilominùs appellari, perinde ac si mandatum istud non extitisset, ut est casus apertus in cap. *Licet*, de offic. Ordin. Attamen si esset in literis istis apposita clausula, *Nostra authoritate*, eo casu haberetur delegatus, & appellatio immediatè devolveretur ad Apostolicam Sedem.

XIII. Quum quis ad gratiam per rescriptum restituitur, hoc semper intelligendum, salvo jure alteri ante hanc restitutionem quæsito, nisi contrarium disertè exprimatur, cap. *Quanvis* 8. de rescript. in 6. Quo loco addit Glossa, quod si ob perduellionis (quam feloniam vocant) crimen, bona alicujus fuerint fisco Principis applicata, ejusque feuda Princeps alteri contulerit, si posteà contingat reum à Principe restitui pristinis bonis, non tamen per hoc tolletur jus feudi alteri quæsitum, nisi hoc ipsum Princeps expresserit.

XIV. Statuit Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi, & habetur in cap. *Nonnulli*, de rescript. ne per literas Apostolicas quisquam trahatur ultra duas diætas extra suam diœcesim, nisi vel constet has literas de partium consensu impetratas fuisse, vel huic constitutioni expresse in his literis derogetur. Quin etiam posterior Bonifacii VIII. constitutio providet, ne causæ committantur ultra diætam unam à finibus diœcesis compætandam: ubi verò actor & reus erunt diversarum diœcesum, diæta ista computetur à finibus diœcesis ipsius Rei, cap. *Statutum*, §. *Cùm verò*, & §. *Cùm autem*, de rescript. in 6.

XV. Ubi quis contra adversarios suos rescriptum impetraverit, nec illud sive ex malitia, sive ex negligentia intra annum, ex quo judicum copiam habuit, produxerit, sed posteà illud idem proferre voluerit ad eludendum posterius ab adversa parte impetratum rescriptum, quasi invalidum

hac ratione, quia mentionem non facit oppositi anterioris rescripti, statuitur in cap. *Plerumque*, de rescript. posterius valere, & nullatenus primum. Nemini enim sua fraus patrocinari debet.

XVI. Quoties Papa rescripto suo demandat aliquem externæ jurisdictionis actum, non committit aliquem Clericum, nisi in Ecclesiastica dignitate constitutum, vel habentem Personatum, aut ad minus Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, frequentiùs verò Vicarium aut Officialem generalem, nunquam tamen Officialem foraneum, eo quòd ejus potestas sit tantùm particularis. Hæc habentur in cap. *Statutum*, de rescript. in 6. & in Clement. *Etsi*, eod. tit. & in Concilio Trident. sess.2. cap.10. de reform.

XVII. Notatu maximè dignum est caput *Significavit*, de offic. jud. ordin. ubi cùm aliqui nuptias in gradu prohibito contraxissent, & querela hujusce scandalosæ & incestæ conjunctionis ad Papam delata fuisset, delegatus ab eo fuit Judex Ecclesiasticus in eadem diœcesi, ad inquirendum & definitivè judicandum in ea causa. Verùm delegatus exequi mandatum neglexit, partesque in pristino scandalo persistere permisit. Admonitus demùm Papa rescripsit, Episcopum non in hac solùm, sed generaliter in omnibus causis similibus posse negligentiam vel malitiam Apostolici Delegati supplere, & causas istiusmodi ex officio cognoscere, partesque ligare, aut solvere, prout judicaverit expedire.

XVIII. Rescripta & literæ, tam Papæ quàm Legati, quæ communi Ecclesiæ disciplinæ derogant, aut Ordinariorum minuunt authoritatem ac jurisdictionem, quales sunt, exempli causa, dispensationes circa Monialium clausuram, aut ea rescripta quæ publicam habent exequutionem, debent ante omnia Ordinariis exhiberi, quorum officii est examinare utrùm suppressione veri, aut suppositione falsi, alióve gravi defectu literæ Apostolicæ vitientur: adeoque suum, ut vocant, *Visa*, & approbationem scripto apponere, vel denegare ac recusare, exequutionem permittere, aut prohibere, aut suspendere, cap. *Quod super his*, de fide instrum. & cap. *Porrò*, de privileg. Porrò Concilium Tridentinum in ejusmodi literarum Apostolicarum examine decernit, Episcopos esse Apostolicos Delegatos, sess.13. cap.5. & sess.22.cap.5. & sess.24.cap.11.

XIX. Circa Apostolicas literas dignissimum observatu est caput finale de offic. jud. deleg. decernens, si Delegati à Papa electa sit industria, non posse hunc Delegatum subdelegare. Electa verò censetur particularis personæ industria, quando ea persona proprio exprimitur nomine, & non tantùm officii aut dignitatis designatione in literis delegationis. Præterea si nudum sine jurisdictione ministerium alicui etiam proprio nomine non designato Papa injunxit, hic non poterit subdelegare: ut si mandaverit Crucem prædicare, certam aliquam personam sui officii admonere, clam de aliquo facto inquirere, & similia. In his enim censetur electa personæ industria

dustria particularis. Denique absolutionis beneficium etiam circa casus Papæ reservatos, potest ab Apostolico Delegato, si ejus electa fuerit dignitas vel officium, alteri subdelegari ab eodem: sed non poterit, si proprio fuerit nomine appellatus, etiam cum dignitatis vel officii expressione, cap.fin. de offic. jud. ordin. Et statuit pariter Concilium Trident. sess.14. c. 4. de casibus reservatis: & sess.24. cap.6.de reform. hæc ferè eadem.

XX. In Regno Galliæ producenti Signaturas, aliasve Romanæ Curiæ expeditiones nulla fides habetur, si non sint certificatæ à duobus trapezitis aut expeditionariis in ipso originali attestantibus & subscriptis, ut statuitur edicto Ludovici XIV. tit.15.art.8.

CAPUT VII.

De electione primùm in genere: deinde de Episcoporum Electione, Postulatione, Consecratione, Charactere: & de Archiepiscopis.

I. IN hoc Galliarum regno locum non habet prisca & canonica Episcopos eligendi forma, ex quo per Leonis Papæ X. & Regis Francisci I. actum Bononiæ Concordatum, in usu esse desiit Pragmatica Sanctio, & attributum est Francorum Regibus jus nominandi ad vacantes Episcopatus, aliáque beneficia consistorialia, retento sibi à Summis Pontificibus jure institutionis & annatæ. Quia verò electio Episcoporum est antiquissimi juris, adhuc ea locum quibusdam in populis obtinet, maximè in Germania: & quia generalissimè per universam Ecclesiam regulares Prælati ac Superiores, necnon plerique ex Clero, ad Præbendas & Beneficia nonnulla solent per Capitula eligi, opportunum est ut hoc loco ea quæ ad canonicam electionem requiruntur exponam.

II. Ad canonicam electionem cunctos qui jus habent suffragii, necesse est admoneri & vocari, adeò ut si vel unius citatio neglecta fuerit, ad hujus solius querelam tota insequuta electio nulla & irrita declaranda sit per judicis sententiam. Stabit tamen & valebit, si is qui vocatus non fuerit, suo saltem silentio videatur agnoscere, cap. *Quod sicut*, 28. de elect.

III. Legitimè absens, nec interesse valens, potest per procuratorem uni de Capitulo demandare votum ac suffragium suum per scrutinium, cap. *Quia propter*, eod.tit. Verumtamen ut satisfiat juri novo decernenti ut suffragia adeò sint secreta, ut nemini de Capitulo innotescant, debet isto

casu suffragium mitti scriptum in charta complicata, & alterius chartæ sigillato involucro inclusum, non antè aperiendo quàm intra Capitulum confusa in unum scripta scrutinia aperiantur. Cæterùm in electione Papæ nihil horum servatur. Admonentur quidem absentes Cardinales, sed non expectantur, neque ulla recipiuntur absentium vota.

IV. Tribus modis ad electionem procedi potest. Primò per inspirationem, quâ eligentes derepentè quasi divinâ quadam motione in aliquem consentiunt. Secundò per scrutinium, eo quo paulò antè dictum est modo. Tertiò per compromissum, quo nimirum eligendi potestas in unum vel plures communi omnium consensu confertur, d. cap. *Quia propter.* Olim quidem forma scrutinii hæc erat, ut tres assumerentur de toto Collegio fide digni, qui singulorum vota recipiebant, & in scripturam redacta mox universo Capitulo referebant, ex Lateranensis Concilii Constitutione d. cap. *Quia propter.* Verumtamen exactiùs providens secreto & libertati electionum Concilium Trident. sess. 25. cap. 6. de Regularib. abrogatâ & antiquatâ formâ illâ trium suffragia colligentium, statuit fieri deinceps electiones per vota secreta, ita ut nulla ratione cuiquam innotescant, alioqui nulla sit & invalida electio. Quod quidem jus in Gallia & ubique terrarum usu recipitur.

V. Postulatio est ejus qui non potest legitimè in Prælatum eligi, facta à Capitulo petitio. Hæc ergo gratiam ac dispensationem Superioris implorat, cùm tamen electio Juri innitatur. Itaque is qui ob aliquem defectum eligi canonicè non posset, ut est illigitimè natus, aut bigamus, postulari tamen potest. Sic decernitur c. *Cùm in cunctis*, de election. non posse in Episcopum eligi eum qui sit minor annis triginta, sed eundem posse à Papa postulari. Idemque de illegitimè nato decernit dictum caput *Cùm in cunctis*, §. 1. Præterea Episcopus non potest per electionem in alium transferri Episcopatum, cap. *Inter corporalia*, de translat. Episc. sed potest ritè à Summo Pontifice postulari.

* VI. Jam quæritur intra quod tempus electio peragenda sit? Respondeo, in Ecclesiis Cathedralibus, vel Regularibus peragendam esse intra trimestre, nisi Electores justo fuerint impedimento detenti, cap. *Ne pro defectu*, de elect. Debent postmodùm Electores electo suam electionem notificare intra semestre, cap. *De multa*, de præb. & cap. *Nulla*, de concess. præb. ad consentiendum, vel dissentiendum electioni de se factæ. Ipsi autem electo indulgetur mensis computandus à die notificatæ electionis, cap. *Quàm sit*, de elect. in 6. Ubi verò Religiosus fuerit electus, tum vel ipse, vel Electores debent, cùm primùm poterunt, Superioris assensum vel confirmationem postulare. Gloss. ibid. Sed si intra trimestre non fuerit petita Superioris confirmatio, tum demùm electio, & quæ inde sequuta sunt, irrita, & inania erunt. Hæc omnia sancivit Generale Concilium Lugdunense II. sub Gregorio Papa X.]

VII. Electus

VII. Electus in Episcopum, aut à Rege nominatus, non potest spiritualia administrare antequam fuerit à suprema Sede confirmatus, cap. *Nosti*, 9. cap. *Qualiter*, 17. de elect. At verò postquam fuerit à Papa institutus & confirmatus, quamvis nondum consecratus, potest ea quæ sunt Jurisdictionis quidem, sed non ea quæ sunt Ordinis Episcopalis exequi. Potest igitur in sua diœcesi corrigere, excommunicare, suspendere, interdicere, pro tribunali externo judicare, visitare, jurisdictionem delegare, non solùm in externo seu contentioso foro, sed etiam in interno, quod est Pœnitentiæ sacramentalis: sed per se nequit illam exercere, nisi ipse sit Presbyter. Potest etiam Beneficia conferre, imò etiam Indulgentiam Episcopalem concedere, juxta Abbatem in cap. *Suffraganeis*, de elect. Sed non potest ea quæ sunt Ordinis Episcopalis exercere, ut Sacrum chrisma conficere, Ordinum aut Confirmationis Sacramenta conferre, Virgines benedicere, Altaria vel Ecclesias consecrare. Hæc enim requirunt Ordinis Episcopalis potestatem, quâ ille caret, cap. *Transmissam*, 15. de election.

VIII. Episcopi consecratio à tribus Episcopis facienda est, can. Apost. 1. & Nicæni Concilii can. 4. & can. fin. dist. 66. ubi Anacletus Papa exemplum adducit Jacobi Apostoli fratris Domini, quem ait Jerosolymæ Ordinatum Episcopum à tribus Apostolis, Petro, Joanne, & Jacobo Minore. Neque obstat quod Apostolatui, quem solus Christus contulerat, esset Episcopatus annexus: optimè namque respondet ibi Glossa, quod non propriè fuit Jacobus ordinatus, seu consecratus ab illis tribus, sed solùm eidem Ecclesiæ deputatus ob commissam ipsi Judæorum conversionem & salutem. Qua tamen in re visum est Apostolis formam Episcopalis ordinationis deinceps in universa Ecclesia servandam proponere. Hæc magis placet responsio Glossæ, quàm quæ ex Cardinali Joanne de Turrecremata desumpta refertur, & approbatur à Cardinali Bellarmino lib. 1. de Summo Pontifice, cap. 23. scilicet Petrum à solo Christo Ordinem Episcopalem suscepisse, reliquos verò Apostolos non immediatè à Christo, sed per ministerium Petri. Hæc enim novitas frustrà & contra veterum Ecclesiæ Patrum mentem asseritur: & Paulus Galat. 1. profitetur apertè se Apostolum esse, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.

IX. Circa Unctionem in Episcopi Consecratione adhibendam, legendum caput unicum de Sacra Unctione, in quo tractatur pariter de Unctione minorum Sacerdotum, atque Regum, & cæterorum fidelium in Baptismo, & de mysteriis in Sacra Unctione comprehensis.

X. Ex præscripto canonis *Quoniam*, dist. 75. & canonis 1. dist. 100. & Concilii Trident. sess. 23. cap. 2. Episcopi electi, etiamsi Cardinales sint, si Consecrationem suam distulerint ultra tres menses postquam à Summo Pontifice confirmati fuerunt, tenentur perceptos fructus restituere: sed

sed si post alterum trimestre consecrari adhuc neglexerint, privati existunt ipso jure suis Ecclesiis.

XI. Existimant plerique Theologi, non imprimi in Episcopali Ordinatione distinctum à Sacerdotio characterem, sed solùm advenire aliquam characteris Sacerdotalis extensionem. Ex adverso Canonistæ communiter ad can. *Cleros*, dist. 21. & ad can. *Perlectis*, dist. 25. asseverant novum Episcopis adjungi characterem. Et hos sequimur unà cum Bellarmino lib. 1. de Sacris Ordin. cap. 5. ubi luculenter probat Episcopatum esse unum, non specie, sed genere Sacramentum cum Sacerdotio. Ordinum enim distinctio sumitur ex eorundem ad Sacram Eucharistiam habitudine. Et quia summa circa Eucharistiam potestas in consecratione versatur, ideò primus Ordinum est Sacerdotium, nec alius isto superior aut major est Ordo. Quia tamen hanc summam potestatem diversimodè participant Episcopi, & inferiores Sacerdotes, binæ hinc surgunt Sacerdotum spècies. Inferiores enim Presbyteri dependent ab Episcopis in susceptione & usu istius potestatis, utpote ab illis consecrati, & à quibus quoad talis potestatis exercitium suspendi, interdici, aut solvi possunt. Itaque Episcopatus ex duabus coalescit distinctis Ordinationibus, unâ quidem cum cæteris Sacerdotibus communi, alterâ solis propriâ Episcopis, atque adeò specie à priori distinctâ. Quo fit ut character Episcopalis non sit una simplex qualitas, sed quoddam ex duplici charactere compositum. Et proinde duo etiam exiguntur specie distincta Sacramenta ad unum constituendum Episcopum sub eodem Ordinis genere. Ordo verò respectu inferiorum, de quibus inter se differentibus prædicatur *in quid*, rationem habet generis, non supremi, sed subalterni, prout subalternatur Sacramento, quod est altius genus.

XII. Quæritur quisnam ex duobus his characteribus sit major ac dignior? Respondendum, Sacerdotium præcisè sumptum esse majus & dignius, quia major & divinior potestas est conficere & sacrificare Christi corpus. Si tamen Episcopatum conjunctim & non divisim à Sacerdotio spectemus, sine dubio Episcopatus major est extensivè, quia ad plura extenditur quàm simplex Presbyteratus, quanvis seorsùm & præcisè nihil contineat quod tanti Sacrificii dignitati par esse possit.

XIII. Quod attinet ad Metropolitanos, hi non solùm cæteris Episcopis antestant ac præeminent, sed etiam jurisdictione pollent in Suffraganeos, tum in appellationum causis, tum in jure diœceses ipsorum visitandi, tum in jure citandi eos ad Synodos Provinciales, quarum convocandarum potestatem habent. Possunt insuper in tota Provincia uti Pallio, & facere coram se Crucem elevatam gestari intra Suffraganeorum diœceses, Clement. *Archiepiscopo*, de privileg. & cap. 1. de authorit. & usu Pallii.

XIV. Verumtamen jus illud antiquissimum universam visitandi Provinciam valdè nunc imminutum videmus, nec est illius usus citra graves causas

causas rarò evenientes. In primis Concilium VIII. Oecumenicum editionis Anastasii Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, qui eidem interfuit, can. 19. adimit Metropolitanis jus visitandi suffraganeas diœceses : sed ille Canon minimè receptus est in Ecclesiis Occidentis. Enimverò Archiepiscopus Ravennæ visitabat Bononiensem diœcesim tunc temporis suffraganeam, sed posteriùs erectam in Metropolim, ut constat ex cap. *Sopitæ*, de censib. Idem jus Metropolitano Provinciam totam visitandi astruit Innocentius IV. in cap. 1. de censib. & ante hunc Innocentius III. in epist. 85. Regesti 15. Idemque caput *Cùm ex officii*, de præscription. Abbatem Sancti Maglorii condemnat ad solutionem jurium procurationis erga Senonensem Archiepiscopum, visitantem Abbatiam illam diœcesis Parisiensis, quæ erat Senonensis Metropolis suffraganea : nostris verò diebus ex concessione Urbani VIII. facta est Metropolis. Quia tamen singulis Episcopis onus incumbit propriam diœcesim invisendi, & quia ex diversis visitationibus diversorum Prælatorum circa easdem Ecclesias, & ex diversis aut oppositis circa rem eandem Decretis facilè nasci possunt dissensiones, & nimiis impensarum ac procurationum oneribus Ecclesiæ prægravari, his providens Tridentinum Concilium sanxit sess. 24. cap. 3. ne Archiepiscopi suorum suffraganeorum Ecclesias visitent, nisi ex causis in Provinciali Synodo approbatis.

XV. Quoad verò jus Provinciales Synodos indicendi, olim quidem illas convocare tenebantur Metropolitæ bis singulis annis, ut liquet ex Apostolorum canone 37. & Nicæni Concilii canone 5. & Chalcedonensis can. 14. & ex Sardicensibus Decretis, aliisque veteribus Synodis. Cùm verò multis seculis istud Officium ex Prælatorum incuria fuisset intermissum, edixit tandem Concilium Tridentinum, ut singulis trienniis per Provincias ad Synodum Episcopi convenirent, sess. 24. cap. 2. Hoc idem providetur in Galliæ Regno per Henrici III. Edictum anni 1580. art. 1. & Comitiorum Blesensium art. 10. & 24. Nihil utique sanctius ac verius isto Constantiensis Concilii oraculo sess. 39. *Frequens Conciliorum celebratio agri Domini cultura præcipua est, quæ vepres, tribulos & spinas hæresum, & errorum, & schismatum exstirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit : illorum verò neglectus prædicta disseminat atque fovet.*

XVI. Archiepiscoporum quoque privilegium in Pallii usu versatur. Extraordinario aliquando privilegio & speciali favore quibusdam suffraganeis Episcopis Pallium à Papa concessum legimus ; sic enim Siagrio Augustodunensi Episcopo Pallium transmisit Sanctus Gregorius Papa lib. 7. epist. 3. & 112. Episcopo etiam Quinqueccliensi ob singularia virtutum merita concessum fuisse ab Episcopo Romano Pallii usum, testatur caput penult. de præsumpt. Quia tamen privilegia ejusmodi gradus dignitatum confundunt, & æmulationes pariunt, ordinemque ac disciplinam Ecclesiæ

labefactant, à talibus gratificationibus omninò cessatum videmus à pluribus sæculis. Archiepiscopis autem non satis est fuisse consecratis, sed Pallio quoque ipsis à Romana Sede transmisso opus est, quia nec nomen, nec authoritatem habent, nec eis licet Pontificalia exercere, antequam præstito Sedi Apostolicæ juramento fidei & obedientiæ, Pallium ab eadem obtinuerint, cap. *Nisi specialis*, de author. & usu Pall. & cap. *Bonæ memoriæ* 2. in fine, de postul. Prælat. Et quia viduatis Ecclesiis periculum imminet ex dilatione, cautum est ut intra tertium à die consecrationis suæ mensem Pallium petant Metropolitani, ipsa verò consecratio non differatur ultra tres à provisione, seu confirmatione electionis de se factæ menses, can. *Quoniam*, dist. 100. Pallium deferre non licet eis nisi in Missarum solenniis, can. *Quoniam*, can. *Contra morem*, §. *Illud*, dist. 100. Nec verò in omnibus Missis, sed tantùm solennium festivitatum, cap. *Ad honorem*, & cap. *Cùm sis*, & cap. fin. de author. & usu Pall. Nec tantùm in diœcesi sua Metropolitana, sed etiam intra quamcunque subjectæ sibi provinciæ Ecclesiam, cap. *Ex tuarum*, & cap. *Cùm sis*, eod. tit. Solusque Papa potest semper & ubique Pallium gerere, quoniam assumptus est in plenitudinem universalis supra omnes Ecclesias potestatis, d. cap. *Ad honorem*. Lateranense Concilium generale sub Innocentio III. concessit quatuor Patriarchis, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolymitano, ut postquam ipsi Pallium à Romano Pontifice acceperint, liceat eis deinceps Pallia suis suffraganeis largiri: at his quatuor exceptis, soli Romano Papæ Pallii dandi jus est, cap. *Antiqua*, de privileg. Denique Archiepiscopus alteri Archiepiscopo Pallium suum commodare non potest, neque quisquam uti Pallio sui prædecessoris: Pallium enim personæ cohæret, cumque illa debet sepeliri, cap. *Ad hoc*, de author. & usu Pallii.

XVII. Quod attinet ad jus præferendi vexillum sanctæ Crucis, Concilium Viennense hoc privilegium Archiepiscoporum sic exponit: *Archiepiscopo per quævis loca exempta suæ Provinciæ facienti transitum, aut ad eam forsitan declinanti, ut Crucem ante se liberè portari faciat, benedicat populo, Divina Officia privatim vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari, quovis privilegio contrario non obstante, sacro approbante Concilio, præsentis Constitutionis serie duximus concedendum.* Habetur in Clementina fin. de privileg. Hujusce privilegii Archiepiscopalis, faciendi Crucem erectam ante se deferri extra propriæ diœcesis fines, meminit Alexander Papa III. cap. 1. ut lite pendente nihil innovetur: & Innocentius III. cap. *Antiqua*, de privileg. statuit, ut quatuor Orientis Patriarchæ possint hoc privilegio Crucis ante se deferendæ uti, non modò quácunque eorum Patriarchiæ distenduntur, sed etiam *ubique, solâ exceptâ Urbe Romanâ, & ubicunque Summus Pontifex præsens exiterit, aut ejus Legatus utens insignibus Apostolicæ dignitatis.* Si igitur id Patriarchis indulgetur in locis in quibus nihil potestatis aut jurisdictionis

dictionis habent, gravior urget ratio in Metropolitis intra fines Provinciæ, in qua judiciariâ potestate pollent in appellationum causis, aliisque fruuntur prærogativis. Atque ita judicatum vidimus in favorem D. Ludovici Bretelli Aquisextiensis Archiepiscopi, contra suffraganeum Aptensem Episcopum.

CAPUT VIII.

De officio & potestate Episcoporum, & eorum jure dispensandi circa vota.

I. QUÆDAM de Episcoporum potestate accumulantur in cap. *Congruente*, de offic. jud. ordinar. & in cap. *Accedentibus*, de excess. Prælat. Istud in primis tenendum, aliam esse jurisdictionem contentiosam, quæ nimirum exigit processum judiciarium & forensem strepitum: aliam autem voluntariam, quæ non exercetur pro tribunali, neque cum ullo juridico seu contentioso processu. Porrò non valet Episcopus extra territorium seu fines Diœcesis suæ contentiosam exercere jurisdictionem, nec in suos quidem subditos, can. *Episcopum*, 9. quæst. 2. At verò potest voluntaria jurisdictione uti extra Diœcesim, modò illam exerceat erga subditas sibi res aut personas, non solùm per gratiarum concessionem, verùm etiam per sententias pœnales; potest enim in externo ipso foro extra suum territorium edicere, expedire citationem, modò trahat partes ad suum territorium, causas delegare, conferre Beneficia, absolvere à Censuris, dispensare: Geminianus in cap. fin. de election. in 6. Zerola prax. Episc. 1. p. verb. *Jurisdictio*. Et multò fortiori ratione potest subditos suos in alieno territorio à peccatis & censuris in Pœnitentiæ Sacramento absolvere.

II. Episcopus privatim potest in alieno territorio uni ac alteri sibi subdito conferre Tonsuram, sed non aliquem Ordinem, ut post Albericum docet Rebuffus tract. de nominationibus, quæst. 14. num. 49.

III. Similiter Episcopus, quin etiam ipsius quoque Vicarius Generalis potest extra diœcesis fines existens conferre subjecta sibi Beneficia: Gloss. & DD. in cap. *Novit*, de offic. Legat. de Selva de benef. 3. part. quæst. 40. & 63. Rebuffus d. tractat. de nominat. quæst. 14. num. 49.

IV. Contentiosam verò jurisdictionem non potest Ordinarius exercere in alieno territorio, nisi quando impeditur illam exercere in proprio; quo casu poterit jus dicere in alieno territorio convicino, petitâ priùs tamen

veniâ ab Episcopo loci, quanvis non obtentâ: Clement. 1. de foro compet. Quæ venia non est necessariò petenda circa exercendos actus jurisdictionis voluntariæ in aliena diœcesi.

V. Episcopus loci in quo admissum est crimen, potest ibidem alienum Clericum illius criminis reum judicare, cap. *Postulasti*, de foro compet. conformiter ad ipsum Jus Civile, leg. *Delegatorum*, §. *Interdicere*, D. de interdictis & relegat. Similiter Episcopus, in cujus Diœcesi situs est fundus, aut Ecclesia litigiosa, est competens Judex litis motæ inter partes alienæ Diœcesis, cap. *Sanè si Episcopi*, de foro compet.

VI. Omnia possunt in suis Diœcesibus Episcopi, quæ neque divino juri opponuntur, neque Papa sibi reservavit: Panormitanus in cap. *Quibusdam*, de pœnis, Joan. Andr. in cap. *Licèt Canon*, de election. in 6. in verf. *Carere*: & colligitur ex cap. *Nuper*, de sent. excomm. ubi dicitur: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem specialiter non retinuit sibi, eo ipso videtur concessisse aliis facultatem relaxandi.*

VII. Episcopalis tum officii, tum potestatis pars præcipua in visitatione Diœcesis posita est, ad explorandos & reparandos occurrentes in rebus & in personis defectus, ad continendos in Officio Clericos, ad exstirpanda scandala, atque ad ordinanda quæcunque ad Ecclesiæ cultum & Fidelium ædificationem pertinent. Hæc verò constituit Carolus IX. in Comitiis Aurelianensibus, cap. 11. *Omnes* (inquit) *Canonici & Capitula Ecclesiarum, sive Cathedralium, sive Collegiatarum, indifferenter subjecta erunt Episcopo Diœcesis, adeò ut nullius privilegii prætextu possint se eximere visitationi, aut correctioni, ac pœnis criminum ab Episcopo infligendis.* Id confirmatur Decreto Tridentinæ Synodi sess. 6. cap. 4. de reform. *Capitula* (inquit) *Cathedralium & aliarum Ecclesiarum, illarumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent authores, non etiam successores, tueri se possint, quominus à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videtur adjunctis, & juxta canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi & emendari etiam authoritate Apostolica possint & valeant.* Sacris Canonibus Episcopi astringuntur ad visitandam quotannis, si providè fieri possit, universam diœcesim; aut si majoris sit amplitudinis, singulis saltem biennii. Et si nequeat Episcopus hoc totum per se exequi, tenebitur saltem hoc officium idoneis & probatissimis Clericis committere. Can. *Decernimus*, can. *Episcopum*, can. *Placuit*, 10. quæst. 1. & Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de reform. His conformatur Blesensium Comitiorum articulus 2. Quid verò possit, vel non possit Episcopus in Visitatione circa exemptorum Ecclesias, exponemus infrà cap. 11. hujusce libri.

VIII. Beneficiorum collatio ita Episcoporum propria est, ut nec ad eam jus habeat Vicarius Generalis sine speciali ab Episcopo commissione, cap. fin. de offic. Vicar. in 6. Nemini verò potest ulla Præbenda seu Beneficium

cium conferri nondum Clerico, cap. 2. de institut. Sicut nec stipendium, nec militares Præfecturas illis attribui Leges permittunt, qui militiæ non sunt ascripti, l. *Fortissimi*, Cod. de erogat. milit. annon. lib. 12.

IX. Sine proprii Episcopi Dimissoriis nemo potest Ecclesiasticis Ordinibus, imò neque Tonsurâ Clericali initiari, secundùm vulgatissimos Canones. Quisquis verò à Papa Privilegium obtinuit recipiendi Ordines à quocunque Episcopo, hic non est ordinandus, nisi loco Dimissoriarum Literarum producat proprii Episcopi Literas de vita & moribus testimoniales.

X. Synodum Diœcesanam quotannis convocare, Episcoporum potestatis simul & officii est, ex præscripto Concilii Tarraconensis can. 8. & Tridentini sess. 24. cap. 2. de reform. In hujusmodi autem Synodis possunt Episcopi ex justa & urgente causa Missarum celebrandarum onera, etiam ex defunctorum fundatione constituta, moderari & reducere. Quemadmodum possunt pariter Regularium Ordinum Generales in suis Capitulis generalibus Missas, quibus eorum Monasteria fundationis lege astricta sunt, ex rationabili causa reducere permissu Concilii Tridentini sess. 25. cap. 4. Verùm edidit Sacra Congregatio posterius Decretum anni 1625. ab Urbano VIII. confirmatum, prohibens Episcopis & Ordinum Generalibus reductiones Missarum.

XI. Item dispensandi jus & potestas spectat ad Episcopos circa quascumque censuras & irregularitates ex occulto delicto provenientes, solis exceptis illis, quæ ex homicidio voluntario procedunt, aut ex delictis ad forum contentiosum deductis. De hac potestate fusiùs differemus infrà, ubi materiam Irregularitatum ex professo tractabimus.

XII. Possunt pariter Episcopi circa Matrimoniorum impedimenta non dirimentia dispensare, excepto simplici Religionis aut perpetuæ Castitatis voto. Ita Sanctus Antoninus, Paludanus, Navarra, aliique communiter. Quin etiam potest quandoque Episcopus relaxare aliqua dirimentia impedimenta, cum his tamen restrictionibus & moderamine: Primùm, ut valeat ista dispensatio circa solum interius seu conscientiæ forum. Secundò, ut bonâ fide & ex ignorantia impedimenti contractum fuerit Matrimonium. Tertiò, ut impedimentum sit occultum, nuptiæ verò palam contractæ. Quartò, ut Papa sive Legatus adiri non possit ob conjugum paupertatem, rusticitatem, aut infirmitatem; aut etiam quia absque evidenti mortalis peccati periculo differri vel expectari nequeat Romanæ Sedis dispensatio. Ita Sanchez, Azorius, Coninch, Bonacina, aliique communiter Summistæ. Potest quoque Episcopus hanc aliis potestatem delegare, ex eorundem Authorum mente.

XIII. Dispensandi insuper in votis potestatem habent Episcopi, sive omninò ea relaxando, sive in alia quædam bona opera commutando, etiam vota ipsa, vel juramenta promissoria, dummodo justa causa subsit,

solis exceptis solennibus, sive in Sacra Ordinatione, sive in Regulari Professione emissis, & quinque simplicibus votis, scilicet continentiæ perpetuæ, professionis religiosæ promissæ, & trium peregrinationum, Jerosolymitanæ, Romanæ ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & Compostellanæ ad Sanctum Jacobum, quæ sibi Papa reservat.

XIV. Imò etiam hoc receptum est & in confesso apud Doctores, ut quando castitatis votum non est absolutum, sed ad aliquam circumstantiam restrictum, possit in eo quoque ex rationabili & justa causa Episcopus dispensare, ut si votum sit ad tempus, & non perpetuum, aut si non sit præcipuè intentum, sed in alia re præcipuè intenta inclusum, cujusmodi est si quis vovit Sacrum Ordinem suscipere, cui utique annectitur perpetuæ continentiæ votum; si quis promisit non inire Matrimonium, quo voto castitas omnimoda non continetur, potest in his per Episcopum dispensari. Is quoque qui vovit arctiorem ingredi, verbi causâ, Cartusianorum Religionem, potest ab Episcopo dispensari ad mitiorem Religionem, cùm in eo subsistat adhuc ad Religionem obligatio, nec versetur illa Episcopalis dispensatio nisi circa unam aliquam Religionis circumstantiam. Hoc docent Sylvester verb. *Votum* 4. num. 3. §. *Sextum*, Sanchez in Opere Morali, lib. 4. cap. 40. num. 74. Lessius lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 18. quæst. 8. Azorius 1. part. lib. 11. cap. 18. quæst. 8. Bonacina in 2. Decalogi præcept. disput. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 4. num. 21. & Navarra cap. 12. num. 76. Præterea quisquis sub aliqua conditione voto se astrinxit in materia Papali dispensationi reservata, potest Episcopi dispensatione relaxari, modò nondum sit impleta conditio: ut si filius aut filia perpetuam voverit continentiam, si pater ex bello vel captivitate redeat incolumis: aut si quis voverit Jerosolymam proficisci, si rem amissam recuperaverit. Ratioque Summistarum communis est, quia absoluta, & diserte concepta vota esse convenit, ut Papæ reservata censeantur; & quia ita necesse esse compertum est ob gravia animarum pericula, quibus se quamplurimos implicare videmus ex nimia facilitate & præcipiti fervore se votis astringendi. At verò si voti conditio jam sit adimpleta, non alia supereſt liberationis via præter recursum ad Papam in aliquo ex quinque præfatis votis. Insuper si votum circa reservatam materiam non sit principale, sed accessorium, consentiunt unanimes Doctores subesse quoque dispensationi Episcopali: ut si quis voverit nunquam aleâ ludere sub pœna & obligatione ingrediendi Religionem; ibi enim non erit ei necessarius ad Papam recursus, poteritque per Episcopum relaxari à Religionis ingressu, & ab illo nexu non ludendi aleâ, qui voto productus fuit, tametsi alia obligatione adhuc subsistente ei foret alea prohibita: potest enim ex duobus vinculis unum solvi, altero remanente, adeò ut sequens transgressio non producat duplex, sed unum dumtaxat peccatum. Illa quoque valde notabilis est decisio S. Antonini p. 3. tit. 11. cap. 2. §. 9. his ipsis verbis:

Hoc

Hoc autem videtur, quod si quis in laxiori voverat arctiorem Religionem, quod Episcopus possit dispensare; quia non est votum perpetuæ continentiæ, nec votum Religionis simpliciter, cum jam sit obligatus ad utrumque, sed solùm est subrogatio voti: unde videtur, quod Episcopus possit dispensare. Et similiter in voto simplici arctioris Religionis liceret in laxiorem transire (scilicet per Episcopi dispensationem) *non autem liceret in seculo remanere.* Hæc Sanctus Antoninus Episcopus simul & Regularis.

XV. Item potest Episcopus dispensare ubi dubitatur utrùm votum reservationis Papalis fuerit obligatorium, ut si res in ambiguo sit, utrùm sufficiens intervenerit deliberatio circa votum quod quis se emisisse certus est. In dubiis quippe benigniori parti favendum: & ipsa quæ Summo Pontifici reservantur vota, debent esse indubitata. Sanè si quis dubitaret an votum emiserit, non opus habet ulla dispensatione. In his enim dubiis quæ respiciunt substantiam voti, & non circumstantiam, ut est, an sufficiens deliberatio extiterit, seu an votum ipsum quoad substantiam emissum fuerit, non adimitur, sed servatur incolumis pristina libertas. In præfatis omnes ferè Doctores conveniunt, agnoscentes quantum expediat animarum saluti easdem laqueis extricare, quibus se facilè & plerumque ipso diabolo sub specie boni solicitante implicant, eaque occasione superadditis reservationum difficultatibus novis se contraventionum sacrilegarum laqueis involvunt, à quibus ex fragilitate humana vix possunt expediri.

XVI. Notandum porrò est, siquando dispensaverit Episcopus circa votum Pontifici Summo reservatum, non quidem ob conditiones voti non absoluti, aut indirectè concepti, aut conditionati, aut ambigui, aliisve similibus circumstantiis affecti (quibus casibus absoluta, & perpetuæ validitatis indulgetur ab Episcopis dispensatio) sed tantùm in aliis casibus ob solam rationem gravis & imminentis periculi offensæ Dei, aut scandali quod sequuturum timetur ex dispensationis Papalis dilatione; hoc solo casu notandum est dispensationem, quam interea indulget Episcopus, non perimere, sed solùm suspendere voti obligationem. Idcircò ille qui absolutum perpetuæ castitatis votum transgressus fuit, dum se matrimonio alligavit, poterit subinde ab Episcopo dispensari circa debitum conjugale: sed tamen soluto per conjugis mortem matrimonio, tenebitur pristino voto, quandiu Papa cum illo non dispensaverit.

XVII. Quæritur, an possit Episcopus dispensare super voto in alicujus Tertii gratiam emisso, ut si quis voverit eleemosynam dare tali pauperi, vel Ecclesiæ, vel piæ domui? Distingui à Doctoribus solet inter votum acceptatum, & non acceptatum. Si acceptatum sit, non licebit dispensare hac ratione, quia Tertius aliquis privaretur jure suo quod habet in re per acceptationem ac legitimam stipulationem; sic enim ei fieret injuria. Sed si promissio illa votiva non fuit acceptata, sive ab eo cujus interest,

teresſt, ſive ab alia perſona ejus vice ac nomine, tunc ſi rationabilis cauſa interveniat, poterit peti, & concedi ab Epiſcopo diſpenſatio.

XVIII. Ulteriùs quæritur, an ſi ejuſmodi votum in alterius gratiam emiſſum Confeſſarius exceperit, cenſeatur acceptaſſe nomine perſonæ vel loci per votum deſignati? Probabilis eſt iſta Bonacinæ reſponſio, cenſeri Confeſſarium acceptaſſe nomine Dei, cujus in confeſſionibus vicem gerit; non autem privato nomine loci vel perſonæ, quibus præcisè conſulere ac providere non aſtringitur ex ſuo officio; ac proinde illius acceptatio non parit novum jus in favorem Tertii. Bonacina tom. 2. diſput. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 4. num. 25.

XIX. Præterea quæritur, an requiratur diſpenſatio, ut quis ſolvatur voto quod ſe dubitat emiſiſſe? Reſpondendum non requiri, quia nulla ſubeſt obligatio. In dubiis enim juxta regulam juris, melior eſt conditio poſſidentis: & nemo in re dubia privandus eſt ſibi connaturali & ingenita libertate, etiamſi (ut Leſſius docet lib. 2. de juſtitia, cap. 40. dub. 17. num. 113.) tale ſit dubium, ut quanvis homo probabiliter opinetur non extare talem obligationis cauſam, magis tamen inclinetur ad opinandum extare cauſam obligationis; quia ad tollendam libertatem nulla ſufficit probabilitas, ſed requiritur abſoluta certitudo.

XX. In ſumma, competit ſolis Eccleſiæ Prælatis juriſdictionem externi fori habentibus, illa ſive relaxandi, ſive commutandi voti poteſtas. Et cùm ſit iſta diſpenſatio actus juriſdictionis, competit Epiſcopis ſtatim atque confirmati à Sede Apoſtolica fuerint, quanvis necdum fuerint ordinati, quemadmodum & reliquæ juriſdictionum ſpecies; ſolaque poteſtas Ordinis prærequirit conſecrationem. Quin etiam juriſdictionis poteſtatem poteſt confirmatus, & nondum ordinatus Epiſcopus aliis delegare, ut ſæpenumerò fieri videmus.

XXI. Differt autem à diſpenſatione irritatio votorum: & hæc aliis competit perſonis quàm Epiſcopis. Primò enim poteſt regularis Superior ſuorum Religioſorum vota quævis irritare, excepto voto arctioris Religionis ſubeundæ. Et diſertè dicit S. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 8. ad 3. nullum Religioſi votum eſſe firmum, niſi de conſenſu ſui Superioris. Vota quoque impuberum poſſunt à patre vel tutore fieri irrita, ut colligunt Doctores ex can. *Mulier*, 31. quæſt. 2. & ex cap. 1. de Regular. in 6. Puberum tamen vota ut in irritum revocentur, etiam ab ipſorum patre, neceſſe eſt, ut ordini familiæ, vel patriæ poteſtati obſiſtant, ut ſunt jejuniorum, aut peregrinationum, aut ſimilia vota. Conjuges etiam poſſunt alter alterius vota irrita facere, quæ juri alterius incommodant, aut ſtatui vel adminiſtrationi familiæ; quanvis plus juris marito in uxoris vota tribuere videatur S. Thomas loco cit. dum ait, nullum uxoris votum eſſe firmum, niſi ſit de conſenſu viri. Et fundari videtur jus illud majus in eo, quod juxta Apoſtolum Epheſ. 5. vir caput eſt mulieris, & non mulier viri. Verumtamen

rumtamen non omnis subjectio secum infert illimitatam omnia vota invalida faciendi potestatem. Si verò opponas Numerorum caput 30. quo patri & marito tribuitur potestas quæcumque vota filiæ & uxoris irrita per suam contradictionem faciendi: Responsio in promptu est, legem illam esse ceremonialem, & ad solam pertinere Synagogam. Et verò compertum est, non competere patri adeò illimitatam in Ecclesia Christi potestatem circa vota filiæ, qualis illo capite sancitur. Stet igitur eadem in perimendis filiorum & conjugum votis posita superiùs limitatio, nimirum si ordinem familiæ, aut patriæ, vel tutoriæ, vel conjugalis juris, aut potestatis perturbent. Ad postremum Abbatissæ possunt quidem Monialium suarum vota in irritum adducere, si quomodocunque regimini monastico, aut communi familiæ ordini, aut Monialis valetudini, aut debitæ sibi subjectioni officiunt: sed non possunt dispensatione relaxare, quia jurisdictione carent.

CAPUT IX.

Prosequutio potestatis Episcoporum.

I. POTEST Episcopus familiarem suum, quanvis non subditum, si secum triennio commoratus fuerit, ordinare, dummodò statim Beneficium illi conferat. Concilium Trident. sess. 23. cap. 9. de reform. * Nisi sic ordinatus patrimonium sufficiens habeat; tunc enim cessante ratione legis, cessat illa Episcopi obligatio.]

II. Potest præterea diebus Dominicis, aut festis per annum minores suis subditis, aut habentibus dimissorias, Ordines conferre, necnon Tonsuram uni, vel duobus extra tempora jejuniorum, can. *De eo autem*, de tempor. ordinat. Quinimmò primâ Tonsurâ initiare potest quocumque anni die illum qui mox suscepturus est Ecclesiasticum Beneficium, ut docent Ostiensis, Graffius, Bonacina, aliique asserentes id passim esse consuetudine indubitata receptum.

III. Episcopus concedere potest unius anni Indulgentiam in die Dedicationis Ecclesiæ. At in anniversario Dedicationis, & aliis quibuscumque occasionibus potest Indulgentiam concedere dierum quadraginta, can. *Cùm ex eo*, de pœnit. & remiss. ex Concilio Lateranensi generali sub Innocentio III. Exinde constat, Indulgentiarum concessionem non esse actum ordinis, sed tantùm jurisdictionis; eo quòd potestas ordinis, cùm immediatè ab ipso Deo conferatur, non possit ab Ecclesia, vel à Pontifice

limitari, atque ita Concilium non potuisset terminum Indulgentiis Episcopalibus præfigere. Exinde sequitur, posse Episcopum electum & confirmatum Indulgentias concedere, licèt nondum sit consecratus; quia jam est assequutus potestatem jurisdictionis, sed nondum ordinis, ut docet S. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 3. Simili ratione Papa statim post sui canonicam electionem, quanvis nondum consecratus, immò necdum Episcopus, si ita contingeret eligi, potest Indulgentias per universum orbem concedere, ut ait Azorius p. 2. lib. 3. cap. 55.

IV. Potestatem habet Episcopus jura pecuniaria Canonibus Sacris constituta à subditis sibi Ecclesiis exigendi, exceptis Monasteriis quæ non habent Parochiales Ecclesias, secus verò si habent, ut sequenti capite videbimus. Hæc jura sic referuntur in cap. *Conquerente*, de offic. jud. ordin. *Episcopus in Ecclesiis suæ diœcesis habet jus Synodi, & synodatici, seu cathedratici nomine duos solidos: quartam decimarum, & mortuariorum: visitationem quoque annuam, & moderatum charitatis auxilium, juxta Lateranense Concilium.* Hoc autem Lateranense decretum habetur in cap. *Cùm Apostolus*, de censib. Huc spectant etiam Bracarensis Concilii secundi canon 2. & Toletani septimi canon 4. & Cabilonensis secundi sub Carolo Magno canon 17. De cathedratici jure, seu de Episcoporum portione canonica; de quarta etiam decimarum, & de charitativo subsidio fusiùs tractant Azorius p. 2. lib. 9. cap. 12. & 14. & Barbosa de officio & potestate Episc. p. 3. alleg. 86. & 87.

V. Communi & ordinario Episcoporum juri superadditus est titulus Legatorum Apostolicorum, non tam ad extendendam eorum potestatem, quàm ad intendendam seu roborandam: pleraque enim jure ordinario poterant, quibus superadditus est titulus Apostolicæ delegationis; qui titulus non officit eorum juri ordinario, sed operatur ut faciliùs, & cum debita veneratione illis obtemperetur; præsertim ex eorum parte qui prætenderent ipsorum ordinariam potestatem minuere, aut in controversiam revocare, aut ab ea se subtrahere. Unde istud quoque accuratè observandum est, quod licèt à judicis delegati sententia vel processu appelletur, non ad Metropolitam, sed ad Papam delegantem, ejusve Legatum, cap. *Super quæstionum*, §. *Porrò*, de offic. jud. deleg. & cap. *Si delegatus*, & cap. *Is cui*, & cap. *Si à delegato*, eod. tit. in 6. & secundùm Jus quoque Civile l. 1. in princ. & l. 3. D. quis & à quo appell. Tamen quia ea quæ Episcopi faciunt quasi Legati Apostolici ex jure communi, quod eis attribuit hanc qualitatem & titulum, non verò ex speciali aliqua per Papam delegatione, id faciunt jure communi & ordinario; ideò interjecta ab eis appellatio devolvitur non ad Papam immediatè, sed ad Metropolitanum, ut docet Ostiensis in Summa, tit. de offic. Ordin. §. *Sunt autem quædam.* Ubi & hoc dicit, quod quando alicui committitur Episcopo id quod pertinebat ad ipsum jure ordinario, id fit ut magis timeatur. Et Zerola his suffraga-

tur

tur 2. part. Praxis Episcop. verb. *Visitatio*: idque confirmat declaratione, quam refert, Sacræ Congregationis, ut ab ejusmodi, quæ Episcopi ordinant ex jure communi, tanquam Apostolici Delegati, devolvatur appellatio ad Archiepiscopum.

VI. Hac ergo suppositâ protestatione, ne præjudicetur ordinariæ protestati, possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati ordinarii & perpetui prædicationem interdicere, etiam exemptis Clericis aut Regularibus errores prædicantibus, vel turbas, aut scandala in populo excitantibus, ut nec in suorum Monasteriorum Ecclesiis, nec alibi ulteriùs prædicent. Immò si hæreses prædicent, possunt contra eos Episcopi secundùm severitatem Juris procedere. Concilium Trident. sess. 4. cap. 2. de reform. & sess. 6. cap. 3. & sess. 14. cap. 4.

VII. Ubi Beneficia Curata olim, conversa fuerunt in Simplicia per assignationem novi & perpetui Vicarii, etiam à tempore immemorabili, si Vicario non suppetit congrua ad victum decentem portio, nec illa aliter suppleri commodè potest, Ordinarius poterit, cùm primùm per cessum, vel decessum, sive Rectoris ac Prioris, sive Vicarii, altera ex his duabus præbendis vacaverit, totum Beneficium ad Curam transferre animarum, & in antiquum statum restituere, suppressa Vicaria. Concilium Trident. sess. 25. cap. 16.

VIII. Uniones perpetuæ ab annis quadraginta, etiam Apostolica authoritate factæ, possunt ab Episcopis tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis examinari, & quæ per subreptionem obtentæ fuerint, irritæ fieri ac declarari. Concil. Trident. sess. 7. cap. 6. & sess. 25. cap. 9. de reform.

IX. Insuper Episcopi ut Apostolicæ Sedis Delegati possunt, sine præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque Parochialium Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum, sive Curatorum, sive Simplicium cum Curatis Beneficiis, ob Ecclesiarum paupertatem, aliasve justas causas, licèt dictæ Ecclesiæ vel Beneficia essent generaliter, aut specialiter reservata, cap. *Sicut unire*, de excess. Prælat. & Concil. Trident. sessione 21. cap. 5. Idem confirmant Gallicanæ Constitutiones Comitiorum Aurelianensium artic. 16. & Blesensium artic. 22. & Edictum Melodunense anni 1580. art. 27. & Edictum Henrici IV. anni 1606. artic. 18. Justæ causæ in supradictis unionibus debent esse probatæ per juridicam inquisitionem, citatis & auditis partibus, aliisque quorum interest. Rebuffus in praxi, 1. part. tractat. de unionib. benefic. num. 42. & 43. Præbendas unire possunt Episcopi in favorem Cathedralium Ecclesiarum, aut insignium Collegiatarum, quarum redditus sustinendo decenti Canonicorum gradui, Divinisque Officiis & cultui minimè sufficiunt. Concil. Trident. sess. 24. cap. 13. & 15. dum tamen serventur illic expressæ conditiones. Id confirmatur Blesensium Comitiorum art. 23. Patronorum tamen laïcorum consensus requiritur circa unienda Beneficia nominationi eorum

subjecta, juxta d.Trident. sess.24. cap.15. & d.art. Blesensem 23. Quibus iisdem locis permittitur quoque Episcopo reducere Præbendas Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatæ ad minorem numerum, ut hac reductione suppleatur modicitati ac insufficientiæ proventuum aut distributionum congruarum : dummodò facta reductione numerus Canonicorum supersit Divino Officio celebrando, atque illius Ecclesiæ dignitati sufficiens.

X. Jus habent Episcopi ut Sedis Apostolicæ Delegati, in omnibus Baptismalibus & Parochialibus Ecclesiis, ubi unus Rector sufficere nequit Sacramentis ministrandis & Divinis Officiis, Rectores cogendi, aliosve ad quos pertinet, ut tot adjungant Clericos administros aut Sacerdotes, quot sufficiant his obeundis. Ubi verò parochiani propter nimiam distantiam citra gravia incommoda ad Ecclesiam accedere non possunt, Parochias novas, etiam Rectoribus invitis, erigere possunt Episcopi, novisque Clericis congruam assignare portionem ex fructibus ad matricem Ecclesiam pertinentibus. Possunt insuper (si necesse sit) populum compellere ad sufficienter subministrandum unde Clerici vitam sustentent. Concilium Trident. sess.21. cap.4. & in Decretalibus cap. *Ad audientiam*, & cap. fin. de Eccles.ædific. Sanè ubi non subest rationabilis causa, Canonibus vetantur Beneficiorum divisiones, cap. *Majoribus*, cap. *Vacante*, & cap. *Cùm causam*, de præbend.

XI. Pari potestate pollent Episcopi ut Apostolici Delegati, illiteratis & imperitis Ecclesiarum Rectoribus deputandi pro tempore Vicarios & Coadjutores, partemque fructuum eis assignandi, aliterve providendi ad sufficientem victum, remota omni appellatione vel exemptione. Concilium Trident. sess.21.cap.6. & sess.25.cap.14. & in Decreto can.*Quicunque*, 26. quæst.5. & can. *Inventam*, 16. quæst.7. & Clem. *Multorum*, de pœnis. Idque pro Galliæ Regno sancitur per Concordatum Bononiense approbatum in ultima Lateranensi Synodo.

XII. Episcopis ut Sedis Apostolicæ Delegatis, Beneficia simplicia transferre licitum est, etiamsi juris patronatus existant, ex collapsis vetustate Ecclesiis, si ob earum inopiam nequeant instaurari (illis tamen quorum interest vocatis) in Matrices, aut in alias convicinas Ecclesias. Quin & ipsas Parochiales Ecclesias, si collapsæ nulla contributione, vel alia ratione instaurari possint, ad Matrices, aut viciniores Ecclesias transferre possunt, erectâ in loco ubi collapsæ sunt, Capellâ vel Altari sub invocationibus iisdem. Concil.Trident. sess.21. cap.7.

XIII. Eò quoque extenditur potestas Episcopi tanquam Apostolici Delegati, ut certam fructuum portionem ex Beneficiis omnibus Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ deducere queat in quotidianas chori distributiones, ubi nullæ sunt, aut adeò tenues, ut pariter cum Divino Officio negligantur. Concil.Trident. sess.21.cap.3. & sess.22. cap.3.

XIV. Hoc eodem Apostolici Delegati titulo potest quilibet Episcopus

exe-

exequutionem curare & jubere piarum omnium disposítionum, tam in ultimis voluntatibus, quàm inter vivos: & jus habet visitandi Hospitalia, Collegia, Confraternitates, & Scholas (non eas tamen quæ sub immediata Regum protectione sunt, nisi de eorum consensu;) Montes quoque pietatis, piaque alia loca, quanvis horum cura ad laicos pertineret, aut exemptionis privilegio munita essent. Atque in istis omnibus possunt Episcopi ordinare, cognoscere, & exequi juxta Canonum præscripta, nihil obstante contraria Consuetudine, Statutis, & Privilegiis. Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. & Clementina *Quia contingit*, de religios. domib. His consonat Jus civile leg. 45. de Episcop. & Cleric. & Orphanotr. & Xenodoch. His suffragantur Franciæ Regum Edicta, quæ requirito inferiùs lib. 4. cap. 9. art. 7.

XV. Quod superiùs dixi de potestate Episcopali providendi Coadjutorem, cum assignatione portionis ad victum, ubi Rector Ecclesiæ per imperitiam non potest munus officiumque suum obire, idem extendendum generaliter ad omnem, tam corporis, quàm animi defectum ac infirmitatem, ob quam Beneficiarius quivis, cui animarum cura incumbit, non potest suo munere defungi. Concilium Trident. sess. 21. cap. 6. & toto tit. de Cler. ægrot. vel debil. Etiamsi contingeret talis Beneficii collationem ad Episcopum non nisi conjunctim cum Capitulo pertinere. Cujus ratio est, quia cùm provisio Coadjutoris diminuat liberam præbendati administrationem, necnon fructuum antea illi debitorum perceptionem, necesse est ab eo solo ordinari diminutionem istam jurium, cui causæ cognitio & jurisdictio competit: at Capitulo non competit jurisdictio, vivente Episcopo.

XVI. Sanè nullatenus potest Episcopus Coadjutorem constituere cum spe aut jure futuræ successionis, sed solus Papa: quandoquidem jure communi damnantur pollicitationes & provisiones, quæ votum inducunt alienæ captandæ mortis, can. *Petiisti*, 7. quæst. 1. & ex Concilio Lateranensi cap. *Nullæ*, de concess. præbend. Hoc itaque reservatur Papæ, qui potest adversus jus commune dispensare. Quinimmò in Regno Franciæ circa Prælaturas & Dignitates, quæ sunt Regiæ Nominationis, non providet Papa de Coadjutore cum certitudine futuræ succcessionis, nisi cum Regis assensu. Hac enim in re Summus Pontifex pactionibus se astrinxit, quas violari jus gentium non permittit.

CAPUT X.

De potestate Episcopi erga personas exemptas, aut loca.

I. ISTA observanda distinctio est inter loca exempta, & loca nullius Diœcesis: multò enim magis subtrahuntur Ordinariorum potestati nullius Diœcesis loca, quàm exempta loca: & amborum discrimen in hoc versatur, quod exempta loca in Diœcesi censentur; at loca nullius Diœcesis, quantumvis reipsa intra limites Diœcesis sita sint, Juris tamen existimatione censentur prorsùs à Diœcesis finibus dissita & remota. Jus itaque dum meminit exemptarum Ecclesiarum, eas tamen perhibet sitas intra diœcesim: sic enim dicit caput *Grave*, de offic. Ordinar. *In tua diœcesi existentes*, loquendo de exemptis: & cap. *Cùm Episcopus*, eod. tit. in 6. ait: *In qualibet parte suæ Diœcesis, dummodo in loco non exempto.* Hoc igitur tenendum est, constitui locum nullius Diœcesis non per simplicem exemptionem à jurisdictione Diœcesani, sed etiam per divulsionem ac separationem territorii, quæ vulgari sermone dicitur *Démembrement*. Paulò post annum Christi quadringentesimum quinquagesimum, Concilium Arelatense tertium sub Ravennio Præside, subortum inter Theodorum Episcopum & Faustum Abbatem Lerinensem dissidium his conditionibus composuit: Ut Monachi Clerici à nullo nisi à Theodoro Episcopo, vel ejus successore, vel cui Theodorus vel ejus successor injunxerit, ordinentur: Ut chrisma non nisi ab eodem Episcopo speretur: Ut neophyti non nisi ab eodem confirmentur: Ut peregrini Clerici absque ipsius præcepto in communionem, vel ad ministerium non admittantur: Laïca verò omnis multitudo Monasterii ad solam & liberam Abbatis proprii, quem sibi elegerit, dispositionem pertineat, Regulâ, quæ à Fundatore ipsius Monasterii dudum constituta est, in omnibus custoditâ. Quod autem ad Abbatissam & Moniales attinet, Sanctus Gregorius Magnus intendens privilegium, ut ipse ait, indulgere Sanctimonialium Monasterio Massilienſi, quod dicit in honorem Sancti Cassiani consecratum, libro 6. epist. 12. ad Respectam Abbatissam, statuit ut statim post obitum Abbatissæ nova eligatur à Monialibus Abbatissa, quæ mox, si Episcopus dignam judicet, ordinanda erit ab Episcopo: qui tamen jus non habebit disponendi de Monasterio, sed ipsa Abbatissa. Neque habebit jus celebrandi solenniter Missam apud Moniales, nisi die Natalis vel Dedicationis Monasterii. Cæteris verò diebus Missarum officia per

Presbyterum

Presbyterum, qui fuerit ab Episcopo deputatus, peragantur. Ipse verò Episcopus solicitudinem geret circa vitam & mores, tum Abbatissæ, tum Monialium: earumque culpas pœnis canonicis coërcebit. Hactenus sanctiss. Papa. At verò cur non nisi semel in anno, die scilicet anniversario Dedicationis Monasterii, permitteretur Episcopo Missæ solennis apud Moniales celebratio, causa esse videtur, quia Monialium secessui, silentio & quieti plurimùm incommodabat accessus ille, tum Clericorum solenni Missæ ministrantium, tum etiam famulorum, qui erant in Episcopi comitatu. Illis quippe temporibus Capellæ Monialium, in quibus istæ sacrum audiebant, erant intra Monasteriorum penetralia; nec ad Capellam erat aditus nisi Monastriis, & Sacerdoti cum Clerico submINistrante, cæteris exclusis, ut constat ex Concilio Turonensi tertio, can.29. & ex Cabilonensi secundo, can.16. & ex Arelatensi sexto, can.7. & demùm ex Aquisgranensi sub regno Ludovici Pii, part.2. can.27.

II. Porrò Ecclesiæ simpliciter exemptæ, vel Sæculares sunt, vel Regulares: si Sæculares sunt, potest illas Episcopus visitare tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex Concilio Trident. sess. 7. cap. 8. sive illis incumbat cura animarum, sive non, sess.21. cap.8. Sed si Ecclesiæ exemptæ sint Regulares, videndum est utrùm Curam habeant animarum, an non habeant: si Curam habent, subjiciuntur Ordinariorum visitationi, ut patet ex Trident. sess.7. cap.7. & 8. de reform.

III. Verumtamen si illæ Regulares simul & exemptæ Ecclesiæ, neque animarum Curam habentes, sub Commenda sint, potest Ordinarius illas visitare tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex Trident. sess. 21. cap. 8. eo solo casu, quo non vigeat in eis observantia Regularis, ut ibidem exprimitur. Ejusque ratio est, quia solus Episcopus potest eis circa observantiam Regulæ providere, ac bonos mores: quandoquidem Commendatarii Superiores neque residenti, neque ulla pollent jurisdictione. Regulares autem Ecclesias exemptas, quibus annexa est animarum Cura, potest Episcopus visitare, quoad omnia & sola quæ animarum Curam & Sacramentorum administrationem concernunt, ex Trident. sess.25.cap.11. de Regul. *Subsint* (inquit) *immediatè, in iis quæ ad dictam Curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo.* His etiam conformatur Tridentina sessio 7. cap.7.

IV. At verò si nullius Diœcesis Ecclesia sit, ea vel Regularis est, vel Sæcularis. Si sit Regularis, quanvis annexa sit ei animarum Cura, nullatenus eam potest Episcopus visitare: etenim dictum caput 11. sess. 25. de Regul. locum non habet nisi in locis simpliciter exemptis, ut ex ejus verbis liquet, *Episcopi in cujus Diœcesi sita sunt*: & sacra Congregatio secus judicare solet de nullius Diœcesis Ecclesiis, ut attestatur Prosper

Fagnanus

Fagnanus. Sed si Ecclesiæ nullius Diœcesis Sæculares sint, tunc dispiciendum an sint planè reipsa extra fines cujuscunque Diœcesis, eoque casu Episcopus ille, cujus Cathedralis Ecclesia proximior est præfatæ Ecclesiæ, potest hanc visitare, non ut Ordinarius, sed ut Sedis Apostolicæ Legatus, ex Trident. sess. 24. cap. 9. At verò si nullius Diœcesis Ecclesia includatur intra limites alicujus Diœcesis, & sit Sæcularis, poterit eam Episcopus ille visitare, intra cujus Diœcesim sita est; soluspue poterit ejus Ecclesiæ subditos ordinare, & Dimissorias ad Ordines literas eis concedere, juxta Trident. sess. 23. cap. 10. ut sæpissimè interpretata est Sacra Congregatio, eodem Fagnano teste.

V. Nullus itaque Episcopus potestatem habet Regulares nullius Diœcesis Ecclesias, quantumvis Curatas visitandi, ullamve in eas jurisdictionem exercendi. Constitutio autem Gregorii XV. declarans exemptorum privilegia, eorúmque limitationes aut abrogationes, neque loca, neque personas comprehendit nullius Diœcesis, ut Sacra declaravit Congregatio: quod idem dicendum de Bulla Clementis X. quæ incipit: *Supernâ magni Patrisfamilias præordinatione.* Cæterùm Regulares locorum nullius Diœcesis agnoscere tenentur authoritatem Episcopi, quoad Ordines suscipiendos: nec enim ad alium recurrere possunt Episcopum, sine ejus qui vicinior est venia, juxta Concilium Lateranense sub Leone X. & Tridentinum sess. 23. cap. 10. & Bullam Clementis VIII. anni 1596. apud Quarantam verb. *Ordo.* Enimverò Superiores Regulares locorum nullius Diœcesis subditis sibi Regularibus Dimissorias concedentes, tenentur ex sententia Sacræ Congregationis illas ad proximiorem Episcopum dirigere, aut ad eum intra cujus Diœcesis fines existunt. Hæc omnia tractat & docet Prosper Fagnanus Apostolicæ Curiæ Referendarius in Commentariis ad cap. *Grave*, de offic. Ordinar. Ergo multò fortiori ratione Regulares non habentes privilegium istud nullius Diœcesis, non debent per remotum Episcopum ordinari, si non habent Dimissorias proprii Diœcesani Episcopi.

VI. Regulares exempti in spectantibus clausuram sibi subditarum Monialium subjiciuntur Episcoporum authoritati, tam ex dispositione veteris Juris communis, cap. *Periculoso*, de statu Regul. in 6. quàm ex præscripto Concilii Tridentini sess. 25. de Regul. cap. 5. Quibus Bulla Gregorii XV. incipiens *Inscrutabili*, adjungit exemptos, tam sæculares quàm regulares, si deliquerint circa clausuram, aut circa personas intra septa degentes, vel circa bonorum Monasterii administrationem, ab Episcopo loci tanquam Apostolicæ Sedis Delegato puniri posse. Edictum etiam Caroli IX. Januarii mensis anni 1564. submittit Episcopis Monialium clausuram, ut ejus observationi provideant per censuras Ecclesiasticas, invocatâ, ubi opus erit, Brachii sæcularis auxilio, non obstante quacunque appellatione. Edicitque ne ulla Monialis professa egrediatur Claustro,

néve

néve ulla persona externa ingrediatur Claustrum, nisi de licentia & approbatione Episcopi.

VII. Istam Gregorii Bullam, quia multa edicit circa potestatem Ordinariorum erga Regulares, & ubique recepta fuit, summatim exequar, quam refert integram Fagnanus in cap. *Cùm capella*, num. 30. de privileg. Bulla *Inscrutabili*, simulque Bulla *Supernâ*, confirmant ea quæ Concilium Tridentinum anteà statuerat de subjectione Regularium, etiam exemptorum, respectu Ordinariorum, circa Parochiales Ecclesias & functiones, & circa Confessionum personarum sæcularium auditionem, etiam Sacerdotum: item circa Monasteriorum Monialium Regularibus exemptis subjectarum clausuram, circa prædicationem verbi Dei in ipsis etiam Regularium Ecclesiis, aliaque ejusmodi. Statuit ergo Gregorius XV. ut deinceps tam Regulares, quàm Sæculares quomodolibet exempti, in omnibus prædictis jurisdictioni, visitationi, permissioni, examini, correctioni Ordinariorum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatorum, subjiciantur. Et siquando deliquerint circa personas intra septa Monasterii degentes, aut circa clausuram, aut circa Monialium ipsis exemptis subjectarum bonorum administrationem, possint à locorum Episcopis, quoties opus fuerit, puniri & corrigi. Et ut non possint deputari Monialium Confessores, sive Regulares, sive Seculares, nisi postquam ab Episcopo idonei judicati & approbati fuerint. Item ut bonorum Monialium Exemptis subditarum rationes, ab eorum administratoribus & œconomis, sive Seculares sint, sive Regulares, reddantur coram Episcopis, adjunctis, unáque assistentibus Superioribus Regularibus: & ut ad ista remediis Juris compelli possint Regulares. Utque si quum visum Episcopo fuerit, Regulares Superiores admoniti, ut prædictos Confessarios aut Administratores removeant, non paruerint, possit Episcopus illos removere quoties expedire judicaverit. Item ut Episcopus unà cum Superioribus Regularibus possit Abbatissarum aut Superiorissarum eorundem Monasteriorum electionibus per se, aut per Commissarium à se deputatum interesse & præsidere. Atque ut Episcopus authoritatem habeat coërcendi ac puniendi quoscunque Exemptos, sive Sæculares, sive Regulares, qui in alienis Ecclesiis absque ipsius Episcopi approbatione & licentia, aut in propriis suorum Ordinum Ecclesiis, non petita ipsius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint, adeò ut in casibus suprà expressis, adversus præfatas personas, Episcopis quoties opus erit, per censuras Ecclesiasticas, aliásve pœnas procedere liceat ut Sedis Apostolicæ Delegatis: nihil obstantibus Constitutionibus Apostolicis, aut Consuetudinibus contrariis, aut Privilegiis, &c.

VIII. Gregorii XV. successores Pontifices eadem iteratò sanxerunt. Atque huc pertinet Innocentii Papæ X. Breve Apostolicum, in causa Palafoxii Episcopi Angelopolitani, & Regularium Jesuitarum Provinciæ

Mexicanæ. *Innocentius Papa X. ad futuram rei memoriam. Alias à nobis emanarunt literæ, &c. Nos totum negotium Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium examinandum commiſimus, qui auditis, &c. reſponderunt prout ſequitur. Sacra Congregatio à S.D.N. deputata ſuper controverſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religioſos Societatis* Jesu, *ſæpiùs auditis procuratoribus Epiſcopi, necnon ipſius Societatis, cenſuit prædictos Religioſos nequaquam poſſe in civitate Angelopolitana Confeſſiones Secularium audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani: nec verbum Dei prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis, non petitâ ipſius benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ejus licentia, nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis, ipſo contradicente: & contravenientes ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coërceri & puniri poſſe etiam cenſuris Eccleſiaſticis, in vim Conſtitutionis ſanctæ memoriæ Gregorii XV. quæ Incipit, Inſcrutabili Dei providentiâ, &c. Proinde memoratis Religioſis, qui ejuſmodi licentiam ac approbationem ſe obtinuiſſe non docuerint, potuiſſe Epiſcopum ſeu Vicarium ejus generalem præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut à Confeſſionibus audiendis & prædicatione verbi Dei abſtinerent: nec eam ob cauſam licuiſſe dictis Religioſis quaſi à manifeſtis injuriis & violentiis eligere Conſervatores, &c. Ad quæſitum verò, utrum Regulares quicunque, etiam Societatis* Jesu, *poſſint adminiſtrare Secularibus Sacramentum Pœnitentiæ abſque licentia Epiſcopi Diœceſani, etiamſi ipſi Regulares in aliena Diœceſi approbati ſint? Reſpondit Sacra Congregatio, Regulares etiam Societatis* Jesu *in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones Secularium audiendas, nequaquam poſſe in alia Diœceſi ejuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani.* Iſtud deinde Sacræ Congregationis judicium Summus Pontifex confirmavit Apoſtolico Brevi, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 14. Maii, anno 1648. Pontificatus anno 4. Quod idem Breve ſuum idem Innocentius, ad compeſcendam ſubortam tergiverſationem, confirmavit altero Brevi, die 27. Maii, ann. 1653. Præterea Innocentii prædeceſſor Urbanus VIII. ita decernit in ſuo Brevi, die 30. Auguſti 1629. *Regulares à prædeceſſoribus Epiſcopis examinati & approbati ad Confeſſiones Secularium audiendas, à præſente Epiſcopo ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete poſſunt iterum examinari, & ſi minùs idonei reperti fuerint, reprobari, ad præſcriptum Conſtitutionis ſanctæ mem riæ Pii V. hac de re ediæ.* Illa verò Pii V. conſtitutio anni 1571. menſe Auguſti, incipit *Romani Pontificis,* & qua vide infrà cap. ſequenti, num. 3.

IX. Similiter Alexander Papa VII. aliud Breve direxit ad Epiſcopum Andegavenſem, circa propoſitionem iſtam quorundam ejus Diœceſis Regularium: Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, nec nova Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi

etiamsi ab Episcopo ipso authoritas illa ipsis indulta non fuerit. Hac examinata propositione Breve Apostolicum ita respondit: *Propositio quoad primam partem est falsa, & saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, authoritati Episcoporum & Sedi Apostolicæ injuriosa. Hanc qualificationem & declarationem à cunctis tenendam, sequendam, & in praxi observandam Sanctitas sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos impositis, contrariis quibuscunque non obstantibus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Februarii 1659. Pontificatus nostri anno 4. Signatum F. Florentinus. Joan. Lupus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius. Loco † sigilli.*

X. His tam perspicuis & sæpiùs iteratis Supremæ Sedis declarationibus nulla potest bona fides tergiversari, ut mirum sit fuisse illas dissimulatas à Joan. Bapt. Goneto Ordinis Dominicani Theologo Gallicano, qui in Tractatu de Pœnitentia, disp. 9. circa finem, facta solius Concilii mentione Tridentini, dicit probabilius esse, ad audiendas Secularium Confessiones non sufficere Regularibus approbationem petitam ab Episcopo, & ab illo injustè negatam: sed tamen oppositam sententiam, minùs quidem probabilem, non carere probabilitate. Cæterùm cùm idem ipse Clypei sui Theologici tom. 3. dissertatione de opinionum probabilitate, art. 2. §. 2. ex verissima Sancti Thomæ doctrina probet & asserat, non esse licitum sequi minùs probabilem opinionem relicta probabiliore, intendit necessariò teneri Regulares hanc sequi sententiam, quam dicit probabiliorem. Opposita verò opinio, ut probamus, nulla omninò probabilitate fulcitur.

XI. His omnibus successit Bulla Clementis X. anni 1670. sic incipiens, *Supernâ magni Patrisfamilias præordinatione*, perspicuè declarans & decernens, primò quoad verbi Dei prædicationem: *Regulares qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare: eosque contravenientes, ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis, in vim Constitutionis fel. record. Gregorii XV. prædecessoris nostri, incipientis Inscrutabili Dei providentiâ, coërceri & puniri posse, &c.* Et postmodùm: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Secularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo illi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Secularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, &c.* Et paulò pòst: *Cæterùm in*

Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum aut Collegiorum audire Confessiones Secularium illorum, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum qui tantùm ipsis deserviunt. Et aliquantò pòst: *Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse, hac Constitutione decernimus ac declaramus.* Hæc eadem Bulla expressè declarat quæcunque his contraria concessa ab Apostolica Sede privilegia, quæcunque illa sint, Regularibus cujuscunque sint Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, revocari & extingui. Ista quæ ex ea Bulla hoc loco inserui, conformia sunt non modò aliis superiùs relatis Constitutionibus Pontificiis, sed etiam constanti hujusce Regni usui & praxi. Aliæ verò quædam sunt hujusce Bullæ partes, quæ potestatem Episcoporum coarctabant circa limitationes facultatum Confessionum audiendarum, aut verbum Dei prædicandi respectu Regularium, ita ut occurrentibus aliquando gravibus scandalis Episcopi succurrere non valerent, ob evocationes crebras ad supremam Sedem, qua occasione Episcopi inaniter fatigarentur, & offensiones Dei & fidelis Populi licentiosiùs prorogarentur: his ex causis visum est in Gallia istam Constitutionem, quæ quidem ibidem publicata non fuit, quoad illas saltem partes jura Episcoporum restringentes, non recipere. Qua de re Suprema Parisiensis Curia decretum edidit die Septembris 11. anno 1670. ad requisitionem Regii Procuratoris.

XII. Quum in Francia Ludovico XIII. regnante graves emersissent contentiones inter Episcopos & Regulares, tandem amicè compositæ sunt Armandi Richelei Cardinalis interventu, Parisiis die 19. Februarii, anno 1633. Omnes namque ferè Religiosorum Ordines per Gallias dispersi, interventu suorum Regularium præcipuorum Prælatorum, qui Parisiis convenerant, sequentem declarationem ediderunt & subscripserunt, quæ in publica Tabularia Gallicani Cleri redacta fuit. *Agnoscimus & profitemur, nos minimè posse aut debere intra ullam Diœcesim verbum Dei prædicare sine Dominorum Ordinariorum licentia & approbatione, quos fatemur posse nos examinare, & licentiam quam nobis concesserint, revocare quum ipsis visum fuerit. Profitemur etiam, nos nec posse, nec debere intra Diœceses audire Secularium Confessiones, citra eorundem approbationem, quam possunt ipsi revocare quum id expedire judicaverint, sive propter notoriam incapacitatem, sive ratione publici scandali. Ipsis tamen supplicamus ut judicium suum suspendant, donec Superiores Regulares admonuerint de causis ob quas sit istiusmodi revo-*

catio

catio facienda: ut post debitam inquisitionem ipsi Superiores Regulares provideant pro suo officio, sicut provisuros speramus: & si providere neglexerint, tum demùm Domini Ordinarii pro sua authoritate providebunt. Huic subscripsere declarationi præcipui Superiores & Provinciales Societatis JESU, & Carmelitarum, tum Conventualium, tum Discalceatorum; Dominicanorum pariter, tum ex vico Jacobeo, tum ex suburbio Sancti Honorati; & Franciscanorum, tum Conventualium, tum Recollectorum; Fulienſium pariter, & Minimorum, & aliorum Ordinum; simulque Generalis Minister totius Ordinis Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. Igitur quamlongissimè à vero aberrant illi Regulares, qui ut se subducant ab Ordinariorum authoritate, negant receptum esse in hoc Regno Concilium Tridentinum, & Pontificum circa hanc rem Constitutiones: contrarium enim liquidò constat, tum ex communi usu, tum ex præcedenti Regularium Regni Declaratione. Præterea Bauni Religiosus Gallicanus Societatis JESU in sua illa Canonica Praxi, quam se ad consuetudines hujus Regni procudisse profitetur, hæc eadem sigillatim astruit & docet. Hoc astruunt Curiarum Regni Senatusconsulta, ex quibus unum Parisiense paulò superiùs retuli. Præterea generale Concilium Viennense in Regno isto habitum, & constans majori ex parte Gallicanis Prælatis & Regularibus, eadem sanxit quæ hìc attigimus circa Regularium erga Episcopos in casibus præfatis subjectionem, præsertim circa Confessionum auditionem, & Divini verbi Prædicationem.

XIII. Potestatem habet Episcopus Regularibus exemptis, quemadmodum secularibus Sacerdotibus facultatem dare ad certum tempus limitatam audiendi Secularium Confessiones, quo finito non possint illas ulteriùs audire. Potestque idem ipsam facultatem à se indefinitè & sine temporis limitatione concessam, quum ei visa rationabilis causa fuerit, revocare: neque tenetur rationem reddere revocationis, quæ quandoque etiam prorsùs silèri debet ad evitanda pertinacium contentionum aut aliorum graviorum peccatorum, quæ revocationi causam dederint, gravia scandala, & diffamationes. In causa Andegavensis Episcopi & Regularium tum Societatis JESU, tum aliorum Ordinum, quæ tandem Romæ judicio Alexandri Papæ VII. & Cardinalium dirempta est, examinata fuit ista Regularium prædictorum propositio: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Hanc propositionem idem Pontifex cum cœtu Cardinalium, declarat 30. Januarii, anno 1659. *falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam.* Et anteà Urbanus VIII. Pontifex facultates audiendarum Confessionum restrictas ac limitatas posse Regularibus ab Ordinariis concedi, declaraverat suo Brevi, anno 1639. in causa moti litigii inter Cardinalem Sandovalem, & Regulares illius Diœcesanos: & expressè statuerat, finito hujusmodi limitatæ concessionis tempore, non

posse à Regularibus Confessiones Sæcularium audiri citra novam Ordinarii approbationem. Et paulò antè memoratum Concordatum Parisiense inter Episcopos & Regulares Regni, expressam continet Regularium declarationem, posse ab Episcopis revocari licentias audiendi Confessiones sibi Regularibus datas, quando ipsis Episcopis visum fuerit. Hoc idem declaraverat Nationalis Gallicani Cleri Conventus anno 1625. Sanctus insuper Carolus, Pontificum decus eximium, atque Ecclesiasticæ disciplinæ norma & columen, his verbis decernit in Mediolanensi sexta Synodo: *Episcopus amoveat Confessarios, etiam Regulares jam approbatos, quos pro suæ timoratæ conscientiæ religione viderit non in eo munere ita sincerè, integréque, & cum ædificatione se gerere.* Eandem Religiosis circa audiendas Confessiones potestatem concessam revocari posse ab eodem qui concesserat Ordinario, tradunt qui post Concilium Tridentinum scripsere, Miranda ex Ordine Sancti Francisci, Cardinalis de Lugo ex Societate Jesu: item Barbosa, Prosper Fagnanus, allegans etiam Sacræ Cardinalium Congregationis declarationem, his verbis: *Quæstio proponebatur, an Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas Confessiones, prævio examine, ad tempus, exacto tempore, tanquam semel approbati possint invito Ordinario deinde audire Confessiones? Congregatio censuit, non posse.* Ipseque de Lugo tract. de Sacramento Pœnitentiæ, disput. 21. sect. 3. §. 1. ait posse Episcopos justa de causa revocare facultates quas ipsimet concesserunt Regularibus circa Confessionum auditionem, & posse contingere ut revocare teneantur ad animarum eis incumbentium salutem: & his casibus præsumendum esse in favorem Episcopi, qui rationem facti sui Religioso reddere non tenetur, neque ejus Superiori. Et plerumque causæ sunt occultæ, quas propalare non expedit: & quanvis certæ sint apud Episcopum, non tamen juridicè probari possunt vel debent, non solùm ob litigia, jurgia, & scandala quæ inde nasci possent, sed etiam quia pœnitentes, & qui à pœnitentibus audierunt diversi Confessores, in rebus occultissimis, & quæ plerumque sigillo Pœnitentiæ coarctantur, atque ipsis pœnitentibus damna, vel etiam infamiam inferre possent, non debent ista in apertiorem notitiam proferri. Præterea facilè hoc contingeret, ut Confessarius de sua in perpetuum approbatione securus negligat deinceps debitis studiis incumbere, ut qui antea capax fuerat, deinde per neglectum & oblivionem fiat incapax. Hæ rationes majoris ponderis sunt, quàm ut dignè possint æstimari.

XIV. Denique Rex Christianissimus pro suo officio providendi Sacrarum Ecclesiæ Constitutionum observationi, in suo sacratiore Status Regni Consilio, die 4. Martii, anno 1669. statuit, ut Ordinariorum mandata & concessiones limitatæ ac reservatæ Regularibus factæ, serventur secundùm limitationes ab iisdem præfinitas: neque ausint Regulares in Ecclesiis etiam propriis concionari, aut Secularium Confessiones audire ultra terminos in Ordinariorum concessionibus præfixos: posseque ab Ordinariis solis

præfixos

præfixos limites amoveri, & ab iisdem posse eosdem Regulares iterum examini subjici; quin etiam si visum eis fuerit, tempus jam concessum restringi, aut prorsùs revocari, cujus rei rationem nemini reddere teneantur: item posse Regulares contumaces canonicis pœnis & censuris coërceri ab Ordinariis. In casibus autem simplicis per Regulares appellationis non licere eis ad aliud Tribunal provocare, præterquam ad Metropolitanum, conformiter ad Concordata Leonis Papæ X. cum Francorum Rege, aliasque Regni Leges. Et quoniam causa tunc vertebatur inter Episcopum Agennensem, & Regulares Societatis Jesu, & alios Mendicantes, his omnibus prohibet, quos jam anteà censuris suis perculerat contumaces idem Episcopus, Sacramentum Pœnitentiæ, aut prædicandi munus in quibuscunque Regni diœcesibus exercere, nisi postquam à præfatis censuris fuerint per Agennensem Episcopum absoluti & relaxati, aut intermedia appellatione per Metropolitanum. Prohibet denique, quod ab iisdem Regularibus factitatum fuerat, ne deinceps per Syndicos aut Conservatores in similibus causis agere audeant: sed solùm, ut eorum quilibet suo privato nomine, si quod jus habet, illud prosequatur. Edicit demùm Regia ista Constitutio, ut in universis Regni diœcesibus præfata omnia promulgentur, & inviolabiliter serventur.

* XV. Post secundam istius Operis editionem aliæ similes causæ in regno isto Gallicano emerserunt. Biterrensis namque Episcopus pro jure suo aggressus est, dum ex officio suam lustrat diœcesim, visitare in oppido Giniaco ipsam Minoritarum Conventualium Ecclesiam & contiguum cœmeterium. Huic se tumultuosè opponunt Franciscani, commotaque plebe, vim adversus Episcopum commovere moliuntur. Eam ob causam Episcopus omnes concessas hisce Regularibus confessionum sæcularium personarum audiendarum, verbique Dei prædicandi facultates revocat. Illi nihilo secius pergunt in confessionibus audiendis, omnemque plebem adversus Antistitem concitant, qui ad istam coërcendam proterviam monitiones edicit tum excommunicationis in rebelles, tum localis interdicti. Ab his Conventuales cum rebelli plebe appellationem, tanquam ab abusu, non ad Metropoliten, sed ad Senatum Tolosanum interjiciunt. Sed causa penitus discussa, prodiit tandem Senatusconsultum cuncta ab Episcopo gesta justificans, & appellantes gravi mulctæ pecuniariæ subjicit, gravioribusque interminationibus ad parendum Episcopo adigit.

XVI. Non absimilis haud multò post inter præpotentes alterius Ordinis Regulares, & Illustrissimum Stephanum Camusium Gratianopolis Episcopum, simultas exorta est. Hic cùm resciviset de quodam ejusdem Ordinis, quod intra diœcesim inordinatè se gereret, prudenter apud Superiores, scilicet Præpositum Domus Regularis & Provincialem egit privatim, ut in alterius Diœcesis familiam hominem transferrent. At illi frem, ut putabant, potentium amicorum præsidiis, & aliunde malè in Episcopum affecti,

affecti, ejus monita & preces neglexerunt. Spe ſua eluſus Epiſcopus, Religioſum de quo agebatur, admonet à ſe revocari quaſcumque licentias ipſi conceſſas confeſſiones audiendi, Deique verbum prædicandi: eam ille prohibitionem nihil penſi habet, perſiſtitque in utroque ſolito, quanvis vetito ſibi exercitio. Qua rebellione motus Prælatus, qui hactenus privatis duntaxat monitionibus & prohibitionibus egerat, adigitur ad juridicas formas. Adhibito itaque Notario & teſtibus & ſcripto publico, ſuam tribus vicibus iterat prohibitionem, & cenſuras palam comminatur. Sed Regularis præfractè, tanquam ab abuſu provocat ad Senatum. Commodùm tamen acciderat, ut Antiſtitis cauſæ Regio diplomate ad Regii Conſilii judicium fuiſſent dudum evocatæ. Tres tamen admoniti Regulares confiſi ſe in ſanctiore quoque Conſiſtorio potentibus amicitiis fulciri, ad illud idem ſuam proſequuntur appellationem. Conſultò autem Romanæ cognitionis judicium declinabant, ſub quo ſe causâ caſuros nôn ignorabant, idque ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & Romæ judiciis, in quibus ſæpe ſuccubuerant, augurabantur. Verumtamen Ampliſſimus Regii Conſilii Ordo ſapientiâ ſuâ indignum judicans, ſi aliqui Regulares, quorum præcipua laus in humilitatis profeſſione, & erga venerandos Eccleſiæ Prælatos obſervantia conſiſtere debet, adverſus eximiæ pietatis Antiſtitem inſoleſcere pergerent; & ſi dum iſte ſacro ſuo fungitur officio, rebellium ſubditorum aulicis artibus cum ignominia Domini Jesu ſuccumbere cogeretur, adegit appellantes, ut ad pedes Epiſcopi provoluti veniam præteritæ rebellionis expoſcerent, ſeque morem juſſionibus illius geſturos pollicerentur: idque reipſa præſente ſcriba & teſtibus præſtitere.

XVII. Neque verò Sacerdotibus etiam exemptis, aut Regularibus, quibus aliquando conceſſam confeſſiones audiendi, vel concionandi facultatem Ordinarius adimit, quidquam ſuppeditare præſidii poteſt Lugdunenſis Concilii decretum ſub Innocentio IV. Papa, vetans quibuſcumque Judicibus Eccleſiaſticis excommunicare, ſuſpendere vel interdicere quemquam, niſi cum expreſſione ter iterata, atque per ſcripturam cauſæ propter quam indicitur cenſura: quod habetur decretum cap. 1. de ſent. excom. in 6. Sed longè diſpar eſt ratio in inflictione cenſuræ Eccleſiaſticæ, atque in revocatione ſpontanei mandati, aut liberæ delegationis, vel cujuſcumque demandatæ per Superiorem poteſtatis vel commiſſionis. Mandata enim, re adhuc integra, ſimplici revocatione notificata, certum eſt exſpirare, cap. *Mandatum*, de procurat. & cap. *Quanvis*, eod. tit. in 6. & cap. *Ex parte*, il 3. de reſcript. Idemque ſtatuitur circa delegatam poteſtatem, cap. *Quanvis*, de offic. jud. deleg. in 6.]

CAPUT

CAPUT XI.

Prosequutio potestatis Ordinariorum erga Exemptos Regulares.

I. INTEGRIS duodecim seculis Episcoporum erga Monachos potestas nullis ferè limitibus circumscripta permansit, ut compertum fit ex Dionysii Areopagitæ libro de Ecclesiastica Hierarchia, & insequentium ætatum monumentis, tum apud Concilia, tum apud Ecclesiasticos Scriptores. Oecumenicum Chalcedonense Concilium canone quarto, quosvis Monachos jubet Episcopis esse subditos & morigeros sub excommunicationis interminatione. Sanctissimus verò Abbas ac Monachorum pater & institutor Bernardus in epist. 42. hæc ita protestatur: *Certus sum ego Monachus & Monachorum qualiscunque Abbas, si mei quandoque Pontificis excutere à propriis cervicibus jugum tentavero, quod satanæ mox tyrannidi meipsum subjicio.* Hæc ille scribit ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. Aurelianense quoque Concilium I. anno quingentesimo undecimo, regnante Clodoveo I. celebratum, Abbates Monasteriorum jubet Episcoporum potestati, correctioni & mandatis esse subjectos & morigeros, can. 9.

II. Novissimis porrò seculis Clerus Regularis pleraque exemptiones à Summis Pontificibus impetraverunt, quas deinde alii Summi Pontifices, & quædam Concilia moderandas ob salubrius Ecclesiæ regimen, atque ex parte revocandas judicarunt. Bonifacius Papa VIII. in cap. *Super Cathedram*, in Extrav. com. de sepulturis, Mendicantium Regularium exemptiones, quas prætendebant, certis limitibus coërcuit. Ejus successor ex Ordine Prædicatorum assumptus Benedictus XI. illos ipsos limites sustulit, cap. *Inter cunctas*, in Extrav. com. de privileg. Sed Benedicto qui successit Clemens V. in generali Concilio Viennensi abrogavit illam Benedicti Constitutionem, & Bonifacii dudum abolitam Sanctionem restituit, cap. *Dudum*, in Clement. de sepulturis. Postremò generale Tridentinum Concilium sess. 23. cap. 15. de Reform. decernit, ut non obstantibus quibuscunque privilegiis & exemptionibus, nullus Regularis possit sæcularium etiam Sacerdotum Confessiones audire sine approbatione Ordinarii, qui possit illum, si velit, examinare. Et sess. 25. cap. 4. de Reform. statuit, ut nullus Regularis, etiam in Ecclesia sui Ordinis contradicente Episcopo prædicare præsumat. Tridentinæ quoque sessionis 6. caput 3. renovat Concilii generalis Lugdunensis sub Innocentio IV. Decretum

cretum citatum in cap. *Volentes*, de privileg. in 6. quo Regulares ratione delictorum extra clauſtra commiſſorum, juriſdictioni ſubjiciuntur Ordinariorum. Idemque Concilium circa Monialium clauſuram, admiſſionem, & liberam profeſſionem, & extraordinarias Confeſſiones, & quorumcunque Regularium reclamationes ob profeſſionis invaliditatem, & circa alia nonnulla Religioſos ſubmittit Ordinariorum juriſdictioni, correctioni & poteſtati.

III. Poſtmodùm Pius Papa V. ex Dominicanorum Ordine, anno 1571. menſe Auguſto, in ea Conſtitutione quæ incipit, *Romani Pontificis*, expreſsè decernit Religioſos Mendicantes ab Epiſcopo ſemel approbatos non poſſe poſtmodùm ab eodem examinari, ſed tamen poſſe à ſucceſſore examinari. Hujus meminit Ægidius Coninch de Sacramento Pœnitentiæ, diſp. 8. dub. 7. num. 57. & ſeqq. atque indidem duas infert concluſiones. Primò, idem juris eſſe in diverſis Diœceſibus, ut ſcilicet Mendicans Regularis in una diœceſi approbatus, neceſſe habeat ad audiendas in alia diœceſi Confeſſiones, necnon ad prædicandum Dei verbum, alteram ſumere ſpecialem approbationem ab ejus loci Ordinario, qui poterit ipſum examinare. Secundò, poſſe per ſucceſſorem Epiſcopi qui approbaverat, ab auditione Confeſſionum, aut à prædicatione excludi; quia fruſtrà jus haberet examinandi, ſi non poſſet prædeceſſoris ſui conceſſionem revocare. Docet hoc idem ejuſdem cum Ægidio Coninch Societatis, Suarez de Pœnit. diſput. 28. ſect. 5. num. 11. & Layman de Sacramento Pœnit. cap. 5. num. 5. Hæc verò Societas recenſetur per Pontificum Decreta inter Mendicantes Ordines, & horum gaudet privilegiis. Cùm autem iſta Pii V. Conſtitutio anni 1571. ſit poſterior illâ quam idem Papa ediderat anno 1567. in ampliſſimum favorem Mendicantium, & contrariam Tridentinis Decretis, derogat ſine dubio præcedenti Conſtitutioni, quemadmodum poſteriores leges prioribus, quibus opponuntur, derogare ſolent, eaſque antiquare. Sed quia pleraque adhuc ſupererant in priore Pii Bulla, quæ poſterior non abrogaverat, providit immediatus Pii ſucceſſor Gregorius XIII. totius illius prioris Bullæ abrogationi, & novam edidit Conſtitutionem anno 1573. quâ diſertis verbis primam Pii conſtitutionem prorſus obliterat, & teſtificatur Pium ipſum experientiâ incommodorum, quibus occaſionem prior illa ſua Bulla præbuerat edoctum, ſtatuiſſe illam integrè abolere, cujus exequutionem voluntatis ſuperveniens ejus mors prævenit: ſed tamen in vita ſua ex parte abrogaſſe, nimirum per illam poſteriorem anni 1571. cujus paulò antè memini. Deinde Urbanus Papa VIII. Conſtitutione ſua 30. Auguſti, anno 1629. ſic ordinavit: *Regulares à Prædeceſſoribus Epiſcopis examinati & approbati ad Confeſſiones Secularium audiendas, à præſente Epiſcopo ſucceſſore, pro majori conſcientiæ ſuæ quiete poſſunt iterum examinari; & ſi minùs idonei reperti fuerint, reprobari, ad præſcriptum Conſtitutionis ſanctæ memoriæ Pii V. hac de re editæ.* Quia verò Regulares Societatis

tatis JESU, ob sibi concessa specialiter privilegia, quibus speciatim ac nominatim derogatum non fuerat, prætendebant se illis Pii & Urbani Decretis non comprehendi, sequuta est Innocentii X. Papæ Constitutio quæ incipit, *Cùm sicut accepimus*, quæ sic decernit art. 9. *Regulares etiam Societatis* JESU, *in una Diœcesi ab Episcopo approbati ad Confessiones sæcularium audiendas, nequaquam possunt in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani.* Huc etiam spectant, & huc referto quæ superiori capite, num. 13. & 14. adduxi de Sanctione Innocentii X. in causa Angelopolitani Episcopi, & Regularium Societatis JESU: & de altera Sanctione Alexandri Papæ VII. in causa Episcopi Andegavensis, & Regularium prædictæ Societatis, aliorumque in Diœcesi Andegavensi commorantium. Et demùm de Concordato Lutetiæ Parisiorum inter Episcopos & Regulares Gallicanos celebrato, cui Patres Societatis JESU subscripsere. Quinetiam antequam prodiissent Constitutiones illæ celebres Gregorii XV. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis X. quæ omnem ambiguitatem excludunt, docuerat Bonacina de Pœnit. Sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. num. 16. posse ab Episcopo ex justa causa revocari simplicem & absolutam approbationem, quam Religioso indulserit ad audiendas Confessiones: ut enim fileam ex necessitate desumptas, & ex occasione abusuum & scandalorum supervenientium, nec antè prævisorum, urget illa communis regula; Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur: cap. 1. de regul. jur. ut eadem potestas quæ facultatem indulsit, possit eandem retractare. Idemque astruitur citato superiùs Concilii Mediolanensis Decreto, cui Sanctus Carolus præsidebat; & allegatâ doctrinâ eruditissimi Cardinalis de Lugo, præfatæ Societatis Theologi consummatissimi.

IV. At verò non licere cujuscunque Ordinis Regularibus, quantumvis per Superiores proprios approbatis, verbum Dei prædicare, ne in propriis quidem Ecclesiis, inconsulto aut invito Episcopo seu Ordinario, non modò statutum fuit à Tridentinis Patribus sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. de reform. atque ab insequentibus Summis Pontificibus, verùm etiam hoc idem Francica Jura præscribunt, ut videre est in Edicto Melodunensi anni 1579. art. 6. ubi hoc statuitur; & præterea Regiis Magistratibus prohibetur ne committant vel introducant ullos in Ecclesias Concionatores, sed hoc totum relinquant Episcoporum arbitrio, quibus solis eorumque Vicariis id solicitudinis incumbit.

V. De casibus verò ab Episcopis reservatis, Gregorius XIII. in Bulla incipiente, *Cùm à sacra*, quam refert Quaranta lib. 4. cujus meminit Graffius monachus Benedictinus, & alii plerique, declarat Regularem habentem privilegium à Papa absolvendi à quibuscunque casibus ipsi Papæ reservatis, non adipisci hoc ipso potestatem absolvendi à casibus, aut censuris per Ordinarios locorum reservatis: adeò ut si Ordinarius reservaverit

casum aliquem ex iis qui recensentur inter reservatos à Papa, hoc ipso restringi facultatem à Papa concessam circa talem casum, ut necessarius sit recursus ad Ordinarium pro ista impertienda absolutione, sive habeat ipse Ordinarius facultatem à Papa sibi concessam circa eum casum, sive non habeat: cùm possit semper Episcopus suas reservationes, ut libuerit, tollere aut suspendere. Porrò Graffii verba hæc ipsa sunt, Decis. Aur. p.1. lib.1. cap.13. de potestate Confessar. n.56. *Item quæri potest utrùm Religiosus, qui facultatem habet à Sede Apostolica absolvendi à quibusvis casibus & censuris, si Episcopus alicujus civitatis particulari Constitutione reservaverit sibi unum vel plures casus Papales, imponitque censuram absolventi, an poterit Religiosus prædictus ab illo vel illis casibus absolvere. Respondeo quod non, ut est declaratum per Gregorium XIII. quemadmodum refertur per Car. Neapolit. lib.4. incip. Cùm à sacra.* Hactenus Graffius. Id verò ita rationi congruum visum est, ut ante istam Gregorii XIII. Declarationem hoc idem asseruerit insignis ex Ordine Prædicatorum Theologus Dominicus Soto in 4. Sent. dist.18. quæst.4. art.3. §. *Quo ergo.* His successit Sacræ Congregationis Decretum Clementis Papæ VIII. approbatione munitum, quo statuitur neque Societatis Jesu Religiosos, neque alios quoscumque Regulares, aut quomodolibet exemptos, etsi facultatem obtinuissent à quibuscumque casibus & censuris absolvendi, etiam Papæ reservatis, posse ullatenus hoc prætextu absolvere à reservatis per locorum Ordinarios. Illud refertur à Quaranta in Bullario, sub tit. *Casus reservati.* Sanè hoc Decretum se quodammodò restringit his verbis, *Per universam Italiam:* attamen non solùm in suo robore perdurant præcedentes universaliter loquentes Constitutiones, sed etiam subsequentes, quæ hoc illimitatè ac generaliter decernunt. Decretum enim Pauli V. confirmans Sacræ Congregationis judicium, omnibus Regularibus, aliisque quantumlibet exemptis seu privilegiatis prohibet absolutionem impendere à casibus & censuris, quascunque locorum Ordinarii reservaverint, nisi ex ipsorum licentia. Cujus Decreti mentio est apud Filliucium Societatis Jesu Scriptorem Tract. de Censuris in particulari, cap.10. circa finem. Qui ibidem disertè asseverat, virtute præfatorum Decretorum teneri indubitanter & astringi omnes Regulares, ac Exemptos. Successit deinde Bulla Gregorii XV. Papæ, deinde Breve Alexandri VII. in quo damnatur ista propositio: Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo authoritas ipsa ipsis indulta non fuerit: & declaratur ista propositio *falsa, authoritati Episcoporum & Sedis Apostolicæ injuriosa.* Hoc Breve direxit Summus Pontifex ad Episcopum Andegavensem, die 26. Februarii 1659. Hæc eadem docuerat olim Graffius Regularis Benedictinus Decis. Aurearum p.1. lib.1. cap. 13. num.6. quanvis major pars harum Pontificiarum Constitutionum nondum in lucem, dum ille scribebat, emanasset. His demùm adjunge Bullam Clementis Papæ X. anni 1670.

quæ

quæ incipit, *Supernâ magni Patrisfamilias*; & ita decernit: *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere, hac constitutione decernimus ac declaramus.*

VI. In causa pariter Fidei Regulares quantumvis exempti subjiciuntur Ordinariorum jurisdictioni, cap. *Ad abolendam*, de hæret. & Concilio Trident. sess. 5. cap. 2. §. *Si verò*. Prætereà generaliter, quoties agitatur contra Regularem causa criminalis, constituit Generale Lugdunense Concilium sub Innocentio IV. ut cognitio & judicium spectet ad Episcopum: & habetur in cap. *Volentes*, de privileg. in 6. his verbis: *Definimus quod quantumcunque Exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, vel contractus, vel rei de qua agitur contra ipsos, rectè possunt coram locorum Ordinariis conveniri.* Hoc ipsum jus instauravit Concilium pariter Trident. sess. 7. cap. 14. de reform. Quinetiam ipso Francico jure hoc idem à Carolo IX. astruitur in Aurelianensibus Comitiis art. 11. in quo de appellationibus providetur in his causis: & declaratur pariter appellationes Regularium à sententia Episcopi in causa criminis, non suspendere sententiam, sed devolvere: *Omnes* (inquit) *Abbates & Abbatissæ, Priores & Prioriss̄æ non existentes Capita Ordinum, indifferenter subjecti erunt Archiepiscopo vel Episcopo diœcesano, nec poterunt ullis uti privilegiis ac exemptionibus circa visitationem aut punitionem criminum, non obstantibus quibuslibet appellationibus, aut oppositionibus, quarum nobis cognitionem reservamus.* Atque ita tales appellationes evocantur in hoc Regno ad privatum Regium Consilium, aliis exclusis Tribunalibus.

VII. Item quum Regularium exemptorum Præfecti suo circa subditorum correctionem officio desunt, si admoniti intra sex menses non correxerint, aut disciplinæ clausstralis instaurationi non providerint, possunt Episcopi ut Sedis Apostolicæ Delegati, visitare, ordinare, & corrigere, perinde ac possent Regulares Prælati juxta Ordinis instituta, quibusvis exceptionibus & appellationibus remotis. Concilium Trident. sess. 21. cap. 8. Simile quid statuitur in cap. *Quanto*, de officio Judic. ordin. ut scilicet Ordinarius per se suppleat Abbatis negligentiam circa vagos & errones Monachos. Quod idem pariter in Gallia providetur memorato artic. 11. Aurelianensi.

VIII. Curatæ item Ecclesiæ Monasteriis & Religionibus adnexæ, visitationi, jurisdictioni, & authoritati subduntur Ordinariorum, toto tit. de Capel. monach. & cap. *Ex ore*, de privileg. & habent Ordinarii jurisdictionem supra Monachos seu Religiosos, qui eis deserviunt: adeò ut possint ab Ordinariis ex causa suspendi, interdici, excommunicari, ut statuit Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunensi, cap. 1. §. *In eos*, de privileg. in 6. Eademque Jura confirmantur Concilii Trident. sess. 25. cap. 11. his verbis: *In Monasteriis, seu domibus Virorum ac Mulierum,*

quibus imminet cura animarum personarum secularium, præter eas quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia, personæ tam sæculares, quàm regulares hujusmodi curam exercentes subsint immediatè in his quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cujus Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejus consensu, ac prævio examine per Episcopum aut ejus Vicarium faciendo. Hoc ipsum jus viget & observatur in Gallia, ut multis Senatusconsultis judicatum est, & nuper Suprema Curia Lutetiæ Parisiorum judicavit, anno 1668. pro Aquisextiensi Episcopo adversus Sammaximitanos Regulares Ordinis Prædicatorum, circa visitationem, correctionem & ordinationem Ecclesiæ Parochialis Ordini Dominicanorum unitæ, & Regulares ejusdem Instituti, per quos illa solet administrari: atque ut Monasterium procurationes visitationis exsolvat, & Parochus regularis Synodo annuæ intersit, ab Archiepiscopo in omnibus functionibus curialibus dependeat, & Cathedræ quadragesimali non alius provideatur, quàm quem Archiepiscopus, sive Secularem, sive Regularem elegerit. Quæ omnia Sacris Canonibus conformia sunt. Parochiales quippe Monachorum Capellæ debent à Parocho administrari, qui approbationem habeat ab Episcopo, ejusque authoritati & jurisdictioni subjiciatur, can. *Sanè*, 16. quæst. 2. & cap. 1. de Capellis Monach. & cap. *De Monachis*, de præbend. ubi & hoc statuitur, de Capellis illis Monachorum Parochialibus persolvenda esse jura Episcopalia. Quod idem habetur in cap. *Ex ore*, §. *In privilegio*, de privileg. In quo etiam d. cap. *Ex ore*, §. *Porrò*, decernitur debere eum qui præest Capellæ Monachorum Parochiali, quanvis sit Regularis, aut etiam Abbas, ac teneri interesse Synodo Diœcesanæ.

IX. Jus quoque visitandi Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas non modò competit Episcopis, sed etiam ut singulis annis eas visitent, & opportunis remediis provideant earum reparationi, cultui, & ministerio, districtè eis præcipitur à Concilio Trident. sess. 7. cap. 8. appellationibus, privilegiis, inhibitionibus, & contrariæ consuetudinis, etiam immemorialis oppositionibus omnibus exclusis. Hoc idem repetitur sess. 24. cap. 9. de reform. & extenditur non modò ad quascunque exemptas Ecclesias, sed etiam ad eas, quæ nullius Diœcesis ex privilegio dicuntur esse, si sint seculares. Immò etiam si sint Regulares nullius Diœcesis, simulque Parochiales, & Abbates aliive regulares Prælati circa illas Ecclesias negligenter se gerant, poterit non quidem Suffraganeus Episcopus, sed Metropolitanus visitare & providere, omni remota appellatione aut reclamatione, sess. 5. cap. 2. §. *Si quæ verò Parochiales.*

X. Si contingat Regularem exemptum in excommunicationem labi, sive à Jure prolatam, sive à Judice, eaque sit evidens, potest Episcopus illum hoc fine denunciare, ne proprii subditi communicent eidem. Clem. 1. §. 1. de privileg.

XI. Item

XI. Item circa Processiones ita edicit Concilium Trid. sess. 25. cap. 13. *Controversias omnes de præcedentia, quæ sæpè cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares quàm regulares, tam in solennibus Processionibus quàm in Exequiis, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat. Exempti autem omnes, tam sæculares, quàm regulares Clerici, quicunque etiam Monachi ad Processionem vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori Clausura perpetuò vivunt.*

XII. Quod attinet ad Ecclesias quibus animarum cura incumbit, Ordini Militum sancti Joannis subditas, & quid in eis possint Episcopi, declarat Rescriptum Pii V. incipiens: *Exposcit. Decernimus, declaramus, & statuimus, omnes & singulos locorum Episcopos, & alios Superiores, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatos, omnes & quascunque Parochiales Ecclesias, cæteraque Beneficia Ecclesiastica suarum civitatum & Diœcesum, quibus imminet animarum cura, ad dictam Religionem, ejusque Milites, Capellanos, Ministros, Rectores, Vicarios quomodolibet pertinen. etiam quando in eis Episcopalem & temporalem jurisdictionem Religio & Milites prædicti haberent, eorumque Ecclesias, Rectores, Vicarios, & Ministros quoscunque (in his tamen duntaxat quæ animarum curam, illiusque exercitium & Sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere posse ac debere: ac Rectores ac Ministros cæteros hujusmodi curam animarum exercentes, minùs idoneos repertos, si quidem ad nutum amovibiles sint, statim amovere; sin verò Titulares sint, illicò suspendere, ac Superiores regulares monere ut intra aliquem brevem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, priùs tamen pariter examinatos & approbatos per ipsos Episcopos, & alios Superiores. Titularibus verò suspensis deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, ut suprà, in Coadjutores sive Vicarios, juxta Decretum Concilii Trident. sess. 21. cap. 6. Interea verò dum hæc subrogatio seu deputatio fit, ipsi Episcopi & alii Superiores pro necessitate curæ animarum provideant arbitrio suo. Quod si Superiores dictorum Rectorum & Ministrorum intra tempus præfixum non subrogaverint, aut deputaverint, ut suprà, tunc dicto termino elapso ipsi Episcopi & alii Superiores, prævio examine alios, juxta supradicti Concilii formam, idoneos repertos in locum amotorum subrogent: Titularibus verò suspensis Coadjutores deputent, juxta dictum cap. 6. sess. 21. qui tamen in dictis Parochialibus perinde inserviant, ac si subrogati ac deputati ab ipsis Superioribus Religionis & Militum prædictorum fuissent. Volumus autem quod Episcopi & alii Superiores prædicti visitationem hujusmodi, & alia prædicta omnia solùm tanquam Delegati Apostolicæ Sedis gratis & absque ulla dictæ Religionis Rectorum impensa & onere faciant, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 22. Septembris 1571. Pontificatus nostri anno 6.*

XIII. Si lis adversus Regularem intenditur, & in figura judicii causa terminanda est, aut si alias extrà Regulam Regularis deliquit, Episcopus notionem

notionem ſuam interponere debet, juxta can. *De perſonæ*, 21. quæſt. 1. Ita Bengæus de diviſ. benef. §. 8. num. 11. Aufrerius ad quæſt. 408. Capellæ Toloſanæ, Renatus Chopinus lib. 1. de ſacra Politia, cap. 4. num. 28. Papo collect. Placitorum tit. de juriſd. Eccleſ. art. 14. & tit. de juriſd. temporali, art. 36. Cujacius ad cap. 9. de vita & honeſt. Cler. Scriptores Gallicani omnes, ipſumque Aurelianenſe Caroli IX. Edictum art. 11. Hoc ipſum aſſerit Panormitanus in cap. *Cùm contingat*, num. 24. de foro comper.

XIV. Nova ædificari Eccleſia non poteſt, ſive per Sæculares, ſive per Regulares injuſſu Ordinarii, can. *Nemo Eccleſias* 9. de conſecr. diſt. 1. ne Capella quidem vel Oratorium, cap. *Authoritate*, de privileg. in 6. Eadem edicit Juſtinianus Authent. de Eccleſ. titulis, §. *Si quis autem*: præcipuè verò de Monaſteriorum conſtructione, Authent. de Monachis, §. 1. & Authent. Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Epiſcopi, §. 1. Quod idem olim ſtatuerat Concilium œcumenicum Chalcedonenſe can. 4. & noviſſimè Tridentinum ſeſſ. 23. in fine.

XV. Regularis non poteſt ſolvi à ſua religioſa profeſſione, adversùs quam reclamat titulo nullitatis, niſi allegatis coram Ordinario cauſis, & per ejus definitivam ſententiam, ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. cap. 29. de Regul. Hac de re copioſiùs agam ſub titulo de Regularib. & Relig. profeſſ.

XVI. Ordinariis etiam jus competit viſitandi clauſuras Monialium ſubditarum Exemptis, tam ſæcularibus quàm Regularibus, & quæcunque ad eam pertinent, ordinandi & exequendi. Ita ſanxit Jus ipſum commune cap. *Periculoſo*, de ſtat. Regular. in 6. & Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regularib. His conformantur Leges Franciæ in Comitiis Aurelianenſibus ſub Carolo IX. artic. 11. ita decernente: *Omnes Abbates & Abbatiſſæ, Priores & Prioriſſæ non exiſtentes Capita Ordinum, indifferenter ſubjecti erunt Archiepiſcopo vel Epiſcopo Diœceſano, nec poterunt ullis privilegiis uti, ſeu exemptionibus circa viſitationem aut punitionem criminum, nihil obſtantibus quibuſcumque oppoſitionibus vel appellationibus, quarum nobis cognitionem reſervamus.* His ſucceſſit Bulla Gregorii XV. incipiens *Inſcrutabili*, eadem decernens.

XVII. Prohibet inſuper Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 17. de Regular. admitti puellam, ſive ad Religionis habitum, ſive ad Religioſam Profeſſionem, antequam per Monaſterii Præfectam Epiſcopus aut ejus Vicarius admonitus voluntatem puellæ admittendæ exploraverit, ſive per ſe, ſive per deputatum à ſe. Si verò Præfecta hoc neglexerit, ab Officio quandiu Ordinario videbitur ſuſpendetur. Hoc idem edixit in Francia Henricus III. in Bleſenſibus Comitiis, art. 28.

XVIII. Baſſæus ex Ordine Capucinorum Belga ita ſcribit: *Certum eſt Regulares non poſſe uti in foro conſcientiæ privilegiis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum, & per Gregorium XIII. in Bulla quæ incipit:*

In

In tanta negotiorum mole. Hæc Bâſſæus verb. *Privilegium* 4. num. 8. Idemque in verb. *Privilegium* 1. num. 8. *Omnia* (inquit) *& ſingula privilegia, gratias & conceſſiones vivæ vocis oraculo factas quibuſlibet Ordinibus, revocaverunt Gregorius XV. in Bulla, Romanus Pontifex in ſpecula, die Julii 2. anno 1622. & Urbanus VIII. in Bulla, Aliàs felicis, die 2. Decembris 1631. adeò ut Regularibus non liceat illis uti, niſi ſcripto firmata à Papa fuerint.* Ita Baſſæus. Adjunge his Gregorii XV. celebrem Bullam, quæ incipit *Inſcrutabili*, cujus tenorem, qui talis eſt ut ſequitur, viſum eſt huic loco intexere.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

„ INſcrutabili Dei providentiâ univerſalis Eccleſiæ regimini, meritis li-
„ cèt imparibus, præſidentes, paſtoralis noſtræ ſolicitudinis partes eſſe
„ dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & pro-
„ batis tantùm Sacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramen-
„ ta, atque ut virginum Deo ſacrarum Monaſteria diligentiſſimè cuſto-
„ diantur, & viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter
„ exequendum.

„ §. 1. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum eſt, nullum *Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de refor.*
„ Preſbyterum, etiam regularem, poſſe Confeſſiones ſecularium etiam Sa-
„ cerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale Be-
„ neficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe
„ neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis
„ detur, obtineat.

„ §. 2. Necnon ut in Monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 11. de Regular.*
„ quibus imminet animarum cura perſonarum ſecularium, præter eas,
„ quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam
„ Regulares quàm ſeculares ejuſmodi curam exercentes, ſubſint imme-
„ diatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem
„ pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regular.*
„ diœceſi ſunt ſita. Itemque ut Epiſcopi univerſi ſub obteſtatione divini
„ judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monaſteriis
„ ſibi ſubjectis Ordinariâ, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ authoritate clau-
„ ſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi
„ inviolata eſt, conſervari maximè procurent; inobedientes, atque contra-
„ dictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appel-
„ latione poſtpoſita, compeſcentes.

„ §. 3. Atque ut Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform.*
„ volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem
„ petere teneantur; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt,
„ nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia; contradicente

„ autem Episcopo nullibi, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare
„ præsumant.

„ §. 4. Verùm quia experientiâ compertum est, Ecclesiastici regiminis
„ rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur: matura deli-
„ beratione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis ple-
„ nitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus,
„ statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm Seculares,
„ quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium
„ Monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel
„ beneficiis, sive regularibus, sive secularibus incumbentem exerceant;
„ sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævià
„ Episcopi licentiâ & approbatione; sive quoquo modo in dictæ curæ
„ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis admi-
„ nistratione de facto, absque ulla authoritate se ingerant, in his, quæ
„ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ juris-
„ dictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis
„ Apostolicæ Delegati, plenè in omnibus subjiciantur. Ad hæc tam Re-
„ gulares, quàm Seculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus
„ tueri se possint quominus, si deliquerint circa personas intra septa de-
„ gentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Mo-
„ nasteriorum monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo
„ loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties,
„ & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

„ §. 5. Confessores verò, sive seculares, sive regulares quomodocunque
„ exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad Confessiones monialium,
„ etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant,
„ nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem,
„ quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad eadem
„ Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subje-
„ ctarum pertinentia, sive Regulares extiterint, sive seculares quomodo-
„ libet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus,
„ singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere
„ teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque
„ Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejus-
„ modi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superio-
„ ribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus fa-
„ cultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties,
„ & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum
„ Superioribus Regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum,
„ Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocumque
„ nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præ-
„ sidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

„ §. 6. Ac

„ §. 6. Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus „ authoritatem coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam Secu- „ lares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordi- „ num non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suo- „ rum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, „ prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in „ prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea „ quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam „ extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti „ ejusdem Sedis Delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere „ liberè, & licitè valeant.

„ §. 7. Decernentes sic per quoscumque Judices quavis authoritate fun- „ gentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ „ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & in- „ terpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere: Irritum „ quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scien- „ ter, vel ignoranter contigerit attentari.

„ §. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostо- „ licis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Men- „ dicantium, quàm non Mendicantium, Militarium, etiam Sancti Joannis „ Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius „ Instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, „ Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, „ tam secularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam „ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robora- „ tis Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; exemptio- „ nibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore Juris clausis, „ aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessi, „ etiam *Mari Magno*, seu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, Conser- „ vatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus „ Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscumque „ tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogato- „ riis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus „ decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ po- „ testatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communi- „ cationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & inno- „ vatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque to- „ tis tenoribus, & formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum, „ non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis „ alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, te- „ nores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & „ formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis

„ habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsenttibus adversantur, illis „ aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresè derogamus, „ cæterisque contrariis quibuscunque.

„ §. 9. Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque „ loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas „ Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque „ Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ publicari, & inibi „ affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis earum „ exempla eo in loco relinqui, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, „ anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii, Pontificatus „ nostri anno 2.

CAPUT XII.

De Translationibus & Renunciationibus Episcoporum.

I. MATRIMONIUM quoddam intervenit inter Episcopum propriamque Ecclesiam: initiatum quidem per electionem, aut præsentationem: ratum per Summi Pontificis confirmationem: consummatum per consecrationem. Idemque connubium quatuor dissolvitur modis, translatione, renunciatione, depositione, & morte.

II. Translationes Episcoporum ex una in alteram Ecclesiam fieri prohibentur Canonibus Apostolorum 15. & 16. & Nicæna Synodo can. 16. & Sardicensi can. 1. & Carthaginensi can. *Non licet*, de consecr. dist. 4. Verumtamen ubi justa causa urget, sed non aliter, permitti potest Episcopi in aliam Ecclesiam translatio, idque solius Papæ, non autem Legati à latere authoritate, cap. *Nisi spiritualis*, & cap. *Quod translationem*, de offic. Legat. At verò inferiorum Clericorum translationi sufficit proprii Episcopi authoritas. Simile jus viget circa Coadjutores, quos dare Episcopis solus Papa valet; at verò inferioribus Clericis etiam Episcopus, toto tit. de Cler. ægrot. vel debilit.

III. Renunciatio est propriæ Dignitatis vel Beneficii abdicatio. Et licèt quisque juri suo renunciare possit, l. penult. Cod. de pactis: quia tamen, ut dixi, Matrimonium quoddam initur inter Episcopum & propriam Ecclesiam, non potest Episcopus Ecclesiæ suæ renunciare, nisi ob aliquam ex causis sex relatis in cap. *Nisi*, de renunciatione. Sunt autem 1. Conscientia criminis, si tale sit ut post peractam pœnitentiam impediat

Officii

Officii Episcopalis exercitium. 2. Debilitas corporis similiter impediens, sive ex morbo sit, sive ex ætate decrepita. 3. Defectus scientiæ notabilis: nam mediocrem supplere potest (ut dicit d. cap. *Nisi*) perfecta Episcopi charitas. 4. Malitia Populi adversus Episcopum, si spem excludat ut possit Episcopus apud Populum proficere. 5. Grave scandalum futurum inevitabiliter. 6. Irregularitas Episcopi perpetua, ut dementia, epilepsia.

IV. Nulla valet renunciatio, nisi ejus authoritate fiat, ad quem spectat confirmatio. Eodem namque genere unumquodque dissolvitur, quo colligatum fuit, cap. 1. de regul. jur. & l. *Nihil tam naturale*, D. eod. Adeò ut nec Abbates qui Papæ immediatè subsunt, abdicare se possint, nisi de Papæ consensu, cap. ult. de renunciat. Inferiores autem Clerici renunciare possunt in manus Prælati, à quo & confirmari potuerunt. Simplex tamen Electus, necdum confirmatus, renunciare juri suo in manibus Electorum potest, ut docet Abbas in cap. *Cùm venissent*, de restitut. in integr.

CAPUT XIII.

De Vicario Episcopi, de Archidiacono, & de Coadjutoribus.

I. EPISCOPI suos possunt constituere Vicarios, tum generales, etiam plures, & à se invicem independentes; tum particulares, qui etiam vocantur Vicarii Foranei, jurisdictione fungentes in aliqua Diœcesis parte. Hi omnes Episcoporum vices gerunt in illis rebus quæ ad jurisdictionem, non quæ ad Ordinem spectant, nisi & ipsi quoque Vicarii ordinationem habuerint Episcopalem, atque ad hoc pariter à locorum Episcopis deputentur. Ut enim ait Glossa in cap. *Quantò*, de consuetud. verb. *Reservata*, Episcopi demandare illa suis inferioribus possunt, quæ sunt jurisdictionis, non quæ Ordinis, nisi solis illis qui jam Ordinem habent Episcopalem. Hac ratione cavit Concilium Ancyranum can. 13. ne Chorepiscopi, quos in partem suæ jurisdictionis Episcopus admiserit, audeant cuiquam Sacros Ordines conferre, etiamsi Ordinem suscepissent Episcopalem, nisi ex proprii Episcopi voluntate. Officia Vicarii generalis & Officialis in hoc distinguuntur, quatenus Vicario competit voluntaria jurisdictio, Officiali autem contentiosa. Atque ideò non potest Officialis jus dicere extra fines Diœcesis, immò ne quidem extra proprium Auditorium, cap. 1. de constitutionib. in 6. At voluntaria jurisdictio potest ubique terrarum per Vicarium exerceri, ut fit in literis testimonialibus, dispensationibus, & aliis concessionibus gratiosis,

tiosis, absolutionibus, Beneficiorum collationibus, si ad id habet facultatem specialem. Hæc verò communia habent Vicarius & Officialis, 1. quia uterque suam habet ab Episcopo aliove Superiore potestatem, eoque mortuo, vel excommunicato, vel destituto, horum desinit jurisdictio. 2. Uterque potest censuras infligere: nec ab his appellatur ad Episcopum, cum quo unum habent idemque tribunal, cap. 2. de consuetud. & cap. *Romana*, in princ. de appellation. in 6.

II. Porrò Vicarius & Officialis generalis censentur in materia jurisdictionis una eademque cum Episcopo persona, habentque cum eo unum idemque tribunal. Hinc fit, ut ab eorum sententia non appelletur ad Episcopum cujus vicem sustinent, sed ad Metropolitanum, cap. 2. de consuet. & cap. *Romana*, in princ. de appellat. in 6. & vice versa, certum est posse in causa appellationis Vicarium Metropolitani cognoscere & judicare de Suffraganeorum sententia.

III. Secus dicendum de Archidiaconorum judiciis. Ab istis enim ad Episcopum solet provocari, d.cap. *Romana*, §. 2. Similiter de Foraneis Vicariis censendum est; ab istis namque ad Diœcesis Episcopum, aut ejus Vicarium Generalem appellatur. Quia scilicet horum Foraneorum jurisdictio non est ordinaria, qualis est Vicarii, vel Officialis Generalis, sed solùm delegata. Zerola in praxi, p. 1. verb. *Vicarius*.

IV. Regulariter non potest Vicarius Generalis conferre Beneficia, nisi hoc ei specialiter ab Episcopo concessum fuerit, cap. final. de offic. Vicar. in 6.

V. Disceptatur, utrùm Vicarius Generalis, cui Episcopus facultatem conferendi Beneficia non indulsit, possit à Patronis præsentatos instituere? Affirmat Cosmas Guimier in gloss. ad Pragmat. Sanct. tit. de collation. §. *Item voluit*, verb. *Vicario*: & Joannes Desselva de Benef. p. 3. quæst. 14. Doctores ambo Gallicani, & insuper Abbas in cap. *Ex frequentibus*, de institution. Romanus singul. 501. aliique. Negat autem Rebuffus lib. 1. praxis, tit. *Forma Vicariatus*, num. 126. hac fretus ratione, quia institutio ad Patroni nominationem est vera collatio: supponitur verò Vicarium non habere collationis potestatem. Ista Rebuffi ratio in theoria probabilis est; cæterùm in praxi attenditur magis consuetudini, quæ est optima legum interpres, cap. *Cùm dilectus*, de consuet. & l. *Si de interpretatione*, D. de legib. Consuetudinem autem probat Doctorum Pragmaticorum consensus frequentior. Et Guimiero & Deselva pro affirmativa sententia plerique alii subscribunt, Boërius Præses Burdigalensis decis. 30. num. 4. Bellamera decis. 39. §. *Licèt Vicarius*, Rota decis. 1. §. *Nota quod Vicarius*, tit. de renunciatione, in antiquis: Zerola in praxi, 1. p. verb. *Vicarius*, num. 15. & alii. Qui omnes distinguunt inter collationem liberam, & necessariam: & Vicariis liberam denegant, sed eisdem attribuunt necessariam: & fundantur præterea super cap. *Ex frequentibus*, de institutionibus, ubi dicitur

institu

institutionem Beneficiorum spectare ad Episcopos & eorum Officiales. Sed lubricum est fundamentum, ibi namque Institutionis vocabulum aliam habet notionem ad jura Patronorum non pertinentem. Sed aliud multò solidius fundamentum stabiliri debet in cap. 1. de institution. in 6. statuente Capitulum Sede vacante non posse quidem intra annum Beneficia conferre, sed tamen posse instituere præsentatos: at eadem, imò validior ratio militat pro Episcopi Vicario.

VI. Vicarius Generalis, cui Episcopus Beneficiorum collationem specialiter non indulsit, non potest Beneficiorum resignationes, neque permutationes recipere. Ejusdem namque potestatis est exuere, cujus est investire: & aliunde permutatio requirit in Beneficiis duplicem collationem. Et Regula in utroque Jure continetur, Unamquamque rem per easdem causas dissolvi, per quas constituta fuit, cap. 1. de regul. jur. & l. *Nihil tam naturale*, D. de reg. jur. Ideóque non potest resignationem admittere, qui non potest conferre: Rebuffus in praxi, tit. *Forma Vicariatus*, num. 110. Ancharanus in capite unico, num. 2. de rerum permut. in 6. Zerola loco citato, numero 10.

VII. Præterea disceptatur, utrùm si absente & ignorante Episcopo præsentetur ejus Vicario mandatum Apostolicum de providendo, aut si eidem insinuetur, juxta Gallicanum usum, nominatio Indultarii, aut Graduati cum exhibitione Gradus ad obtinendum Beneficium, possit Vicarius hæc omnia acceptare & conferre? Et posse affirmat præcitatus Cosmas Guimierus in verb. *Vicario*, affirmans insuper, quod si inscius hujus facti Episcopus hoc idem beneficium alteri conferat, invalida sit Episcopi collatio, eaque Vicarii prævaleat, quia prima adversatur juri Mandatarii ac Indultarii aut Graduati: & quia cùm istæ collationes liberæ non sint, sed necessariæ, ad istas extendi debet Vicarii potestas.

VIII. Item quæritur, an Vicarius generalis, cui Episcopus potestatem dedit excipiendi resignationes in causa permutationis Beneficiorum, possit eadem conferre? Docet præfatus Guimierus posse conferre, quia certa præsumptio sit, Episcopum conferendo expresè illam potestatem admittendi resignationes in causa permutationis, velle hoc ipso id conferre quod est inseparabile, scilicet collationem compermutandorum Beneficiorum: eodem namque tempore & contextu fieri debent utriusque resignatio, & utriusque collatio. Urget quoque communis illa ratio, quia tunc illa collatio non libera, sed necessaria est. Atque istud probabilius esse dico quàm oppositum assertum à Rebuffo lib. 1. praxis, tit. *Forma Vicariatus*, num. 105.

IX. Si plures in eadem Diœcesi constituti sint Vicarii generales, sufficere potest si uni eorum præsentetur Mandatum, aut insinuetur Nominatio, neque alter Vicarius interveniat. Cùm enim singulis competat jurisdictio in solidum, potest unus sine altero procedere. Et quod paulò suprà dixi

dixi de Vicario, cujus valet processus sine Episcopo, multò magis obtinet in Vicario gerente sine Convicario : ambo quippe seorsim Episcopum repræsentant, à quo suam singuli potestatem acceperunt.

X. Quid si Episcopus & Vicarius, alter altero inscio idem Beneficium diversis contulerint ? Tenendum est prævalere Episcopi collationem ob personæ dignitatem, & quia ab ipso dependet Vicarii potestas, cap. *Dudum*, & cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. & quia censetur revocata Vicarii potestas quoad illam collationem : quemadmodum ille qui mandavit, si per se causam tractet, censetur quoad hoc limitare mandatum, & procuratoris sui potestatem, cap. *Si quem*, de procurat. in 6. Et per cognitionem quam adhibet Legatus, censetur subdelegatum suum revocare, cap. *Intimasti*, de appellation. Verùm si provisus à Vicario missus fuerit in possessionem ante provisum ab Episcopo, præferendus erit provisus à Vicario. Non enim præferendus est ab Episcopo provisus, nisi quando ambæ collationes æquo jure procederent, ut monet Rebuffus loco cit. num. 123.

XI. Vicarius ab Episcopo habens conferendi potestatem, potest etiam sicut Episcopus Beneficia conferre, etiam extra fines Diœcesis. Est enim uterque Ordinarius, & collatio Beneficiorum est actus voluntariæ jurisdictionis, quam constat exerceri posse extra territorium, l. 2. D. de offic. Proconsulis.

XII. Quæro an possit Vicarius Generalis sine speciali & expressa Episcopi concessione Literas ad Ordines dare Dimissorias ? Tenendum est non posse, ut docet Rebuffus loco cit. num. 47. & 48. sic enim sancivit cap. *Cùm nullus*, de temp. ordinat. in 6. Limitatur hoc tamen, si contingeret Episcopum in remotis agere, juxta idem cap. in fine, his verbis : *Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.*

XIII. Quoties Episcopus justè recusari ut suspectus potest, eo ipso suspectus & recusabilis est ejus Generalis Vicarius & Officialis, cap. *Insinuante*, de offic. jud. deleg. Recusato autem Vicario aut Officiali, non recusatur per hoc Episcopus ; quia Officiales censentur addictiores Episcopo à quo dependent : sed Episcopus non dependet ab illis in sua dignitate & juribus. Idcóque recusato hujus Officiali aut Vicario, discutienda causa est coram Episcopo, cap. *Si contra unum*, de offic. deleg. in 6. Potestque Episcopus alteri committere cognitionem & judicium loco suspecti : Abbas in cap. *Super quæstionum*, §. *Quem verò*, de offic. deleg. Felinus ibid. num. 15. Zerola in praxi, 1. p. verb. *Vicarius*, in fine. Excommunicato autem Episcopo, Vicarius & Officialis nullam possunt exercere jurisdictionem, quia fons exaruit unde dimanabat omnis eorum jurisdictio, cap. *Romana*, & ibi Glossa in verb. *Ipsi*, de offic. Vicar. in 6. Rebuffus loco cit. num. 217. & alii quos citat & sequitur Zerola jam citatus.

XIV. Disceptant

XIV. Disceptant Canonistæ, utrùm Episcopus novum Vicarium Generalem constituendo præsumatur tacitè priorem revocare ? Affirmant Geminianus, & Deselva de Beneficiis 2. part. quæst. 4. & inde probant, quia quum quis secundum procuratorem constituit, Jura decernunt eo ipso primum revocari, l. *Si quis*, §. 1. D. de procurat. & cap. *Non injustè*, eod. tit. Sed negant Vicarium Generalem revocari Panormitanus in cap. *Volentes*, de offic. Legat. Boërius in decisionib. Burdigalensib. quæst. 347. Rebuffus in d. tit. *Forma Vicariatus*, num. 205. Melchior Pastor de Benef. lib. 1. cap. 11. in fine : istaque sententia prævalet. Liquet enim Episcopum posse plures simul Vicarios Generales constituere ; & solent plures in eodem officio decerni, ut faciliùs Reipublicæ consuli possit, l. unica, D. de offic. Consulis. Est autem diversa ratio in diversis procuratoribus circa idem negotium constitutis, quia sæpius per concursum sese mutuò impediunt, & quod unus affirmat, alter negat, ut ait cap. penult. §. *Verùm si ambo*, de election. in 6. Ideóque ibi Pontifex approbat quidem plures constitui Procuratores insolidum circa negotium canonicæ electionis ; non tamen conjunctim, ut simul concurrant : sic enim difficile inter se convenient, & dissentiendo invicem omnia perturbabunt. At verò compertum est, plures Vicarios Generales solidam seorsim habere potestatem, nec simul in eodem negotio concurrere, sed singulos per præventionem seorsum agere à suo Collega & Convicario.

XV. Altera disceptatur quæstio, utrùm valida sint acta per Vicarium postquàm ab Episcopo revocata ejus potestas fuit ipso inscio ? Distinguunt aliqui cum Guimier : & valere acta negant, si facta sit revocatio ob ipsius crimen ; secus verò, esse valida asserunt. Et hanc partem ritè probant per l. *Si fortè*, D. de offic. Prætor. & per celebrem illam l. *Barbarius*, eod. tit. Huic tamen distinctioni refragantur Felinus in cap. *Cæterum*, num. 24. de rescript. & in cap. ult. in fine, de accusat. & Rebuffus loc. cit. quibus assentiri in hac re justius duco : quamdiu enim aliquis, quantumvis perversus, sustinetur in officio, valent ejus acta, ut communiter docent Juris Interpretes ad d. l. *Barbarius*.

XVI. Quæstio etiam agitatur, an possit Vicarius sine expresso Episcopi mandato resignationes recipere ? Negamus id posse. Ratio est, quia sine speciali mandato non potest Vicarius exercere actus voluntariæ jurisdictionis : ejusmodi autem est resignatio pura & simplex. Id asserit Philippus Probus alter à Guimiero Pragmaticæ Sanctionis Glossator & Scholiastes, ad d. verb. *Vicarius*. Quoniam ea quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, necesse est fieri coram proprio Judice, cap. *Per venerabilem*, qui filii sint legit. Qua eadem ratione Exempti non possunt resignare in manus Episcopi, cap. *Cum venerabilis*, de consuetud. Quia solus Papa est Exemptorum Judex. Revise quæ paulò antè dixi num. 6.

XVII. Postquam Episcopus per legitimam authoritatem legitimè

[illegible] declaratus

declaratus est suspensus, interdictus, aut excommunicatus, cessat statim omnis jurisdictio Vicarii & Officialis, ut antè dictum est, & in Capitulum transfertur eodem modo ac si Sedes vacaret per obitum, donec vel absolvatur Episcopus, vel alius ei detur successor. Prima hujus propositionis pars astruitur cap. 1. de offic. Vicar. in 6. Secunda verò pars liquet inde, quia excommunicatio & mors, quod attinet ad actus jurisdictionis, æquiparantur. Atqui mortuo Episcopo succedit Capitulum in jurisdictionem, cap. *Cùm olim*, de majorit. & obed. Itaque si Vicarius, qui olim legitima pollebat conferendi potestate, postmodùm incidente in notoriam excommunicationem Episcopo, conferret aliquod beneficium, illa Vicarii collatio nulla & irrita foret. Et plerumque is qui per se non potest, neque per Vicarium, aut à se substitutum potest. Clement. *Religiosus*, de procurat.

XVIII. Henrici III. Constitutio in Comitiis Blesensibus, art. 35. prohibet creari Vicarium aut Officialem Generalem qui non sit simul Sacerdos & Graduatus. Concilium autem Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 16. requirit, ut sit saltem in Jure Canonico Doctor, aut Licentiatus, vel aliàs quantum fieri potest idoneus. His addunt Edicta Henrici II. & III. ut sit Regnicola.

XIX. Vicarius Generalis primum tenet post Episcopum dignitatis gradum: præcedit Archidiaconum, à cujus etiam judicio provocatio devolvitur ad Vicarium & Officialem, cap. *Romana Ecclesia*, §. *Ab Archidiaconis*, de appellat. in 6. cùm tamen ab his provocetur immediatè ad Metropolitanum. Sed si Vicarius Canonicus sit, non alium sessionis ordinem habebit in Choro & in Capitulo, quàm simplicis Canonici, juxta Rebuffum, Navarrum, & alios, quos allegat & sequitur Zerola p. 2. verb. *Vicarius*.

XX. Archidiaconus vocatur Oculus Episcopi, ut pro eo inspiciat, & emendet quæ corrigenda sunt, can. *Diaconi*, dist. 39. Hujus officium est Clericorum per omnem Diœcesim moribus, honestati, & decentiæ in habitu & tonsura prospicere, Ecclesias ordinare, & ut reficiantur curare. Huic etiam multis locis incumbit onus Diœcesim visitandi universam, singulis saltem trienniis, cap. 1. de offic. Archidiac. Debet quoque Sacrum Officium ordinare, ejusque munia inter Clericos partiri, cap. 2. eodem tit. Non potest tamen animarum curam aliis committere; quod potest Vicarius Generalis, cap. *Cùm satis*, eod. tit. Archidiaconus vocatur à sancto Clemente Papa epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini, Oculus Episcopi, can. *Diaconus*, distinct. 91. Et est perpetuus Episcopi Vicarius, omnem habens solicitudinem & curam, tam in Clericis quàm in Ecclesiis, super quibus redditurus est rationem in districto Dei judicio, cap. *Ad hæc*, de offic. Archidiac. Et quanvis Nicæni I. Concilii can. 14. Diaconi Presbyteris declarentur inferiores, can. *Pervenit*, dist. 93. & Concilii Laodicen.

cano-

canon 20. Diaconis prohibeat sedere in præsentia Presbyteri, nisi hoc eis Presbyter ipse jubeat, can. *Non oportet*, dist. 93. de Archidiacono tamen declarat Innocentius Papa III. ipsum non modò habere solicitudinem Parochiarum, easque ordinare, & jurgia singulorum audire, sed etiam Archipresbyteros & Decanos sub sua jurisdictione continere, & quæ sunt in his omnibus corrigenda corrigere, & emendare: itemque Ordinibus Sacris initiandos examinare, & postmodùm illos præsentare Episcopis: præficiendos quoque Beneficiis examinare, & examinatos similiter Episcopo præsentare, d. cap. *Ad hæc*, & cap. *Ut nostrum*, eod. tit. Licèt autem Concilium Trident. sess. 24. cap. 18. de reform. sanciat ut deputentur ab Episcopo tres Examinatores, jus tamen habet Archidiaconus se his adjungendi. Zerola 2. p. verb. *Archidiaconus*. Licèt etiam statuerit Concilium Trident. sess. 24. cap. 16. ut mortuo Episcopo eligatur à Capitulo Vicarius Generalis intra dies octo; quia tamen d. cap. *Ad hæc*, attribuit Archidiacono, ut sit perpetuus in tota diœcesi Vicarius Episcopi, eique de jure incumbat tum Ecclesiarum, tum Clericorum solicitudo & ministerium, potest Archidiaconus authoritate fungi Generalis Vicarii toto illo octiduo, usque ad novi electionem Vicarii, juxta Zerolam 1. p. verb. *Archidiaconus*; quoniam non est à Jure veteri recedendum, nisi quatenus ei per novum Jus derogatur, & non ulteriùs, juxta legem *Præcipimus*, C. de appellation. Hoc tamen liquet, multis juribus & prærogativis privatos nunc esse Archidiaconos, quæ illis antiquitus competebant; ob contrariam consuetudinem, & ob novi Juris dispositiones oppositas. Sanè nec Jure quidem veteri ullam habebant excommunicandi potestatem, cap. *Archidiaconis*, de offic. Archidiac. neque committendi animarum curam alicui, cap. *Cùm satis*: neque concedendi Literas ad Ordines dimissorias, cap. *Significasti*: neque exercendi ullam in Monasteria jurisdictionem, cap. ult. eod. tit.

XXI. Archidiacono, vel alio quovis in Ecclesiastica dignitate constituto in amentiam, vel in morbum, quo fit inhabilis ad munia quæ sibi attinent obeunda, incidente, non vacat ejus Dignitas, vel Officium, vel Beneficium, neque illo privandus est: sed ei de Coadjutore providendum, deducta ex redditibus conveniente ad vitam Coadjutoris portione. Navar. consil. 1. de Cler. ægrot. Zerola 2. p. verb. *Archidiaconus*, Gomesius tract. de Expectativis, num. 60. Covarruvias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 7. n. 4. not. 11. juxta dispositionem cap. *Ex parte*, & cap. ult. de Cleric. ægrot. Et ubi inhabilis ex morbo habituali, vel ex superveniente corporis defectu, restat tamen compos rationis, potest resignando suam Dignitatem, aut Curatum Beneficium, excludere coadjutorem. Enimverò neque vacat Dignitas illa, vel Beneficium, neque coadjutori attribuitur successio, nisi per solam Summi Pontificis dispensationem.

XXII. Coadjutor Episcopo providetur non valenti exercere ob senectutem

ctutem, vel ob diutinam ægritudinem, aliamve seu corporis, seu animi impotentiam. His casibus Episcopus invalidus & Capitulum simul coadjutorem à Pontifice postulabunt, præterquam in casu amentiæ, in quo id officium ad solum Capitulum spectabit. Sed si Episcopus mente quidem sanus, sed corpore omninò infirmus, nec potest exercere, nec sibi coadjutorem dari consentit, tunc ne detrimentum patiatur Ecclesia, ad solius Capituli petitionem Papa providebit, aut etiam ad Metropolitani petitionem, cap. *Ex parte*, de Cler. ægrot. Coadjutor autem cum jure futuræ successionis non datur in Galliæ Regno, nisi sit à Rege nominatus, juxta Concordata.

XXIII. Inferioribus quoque Clericis, quibus aliqua Cura vel Officium incumbit, de coadjutore providere debet Ordinarius, si suo munere defungi in futurum non possint, cap. *Ex parte*, cap. *De Rectoribus*, & cap. ult. de Cler. ægrot. sed ut dixi, istiusmodi coadjutoribus spes futuræ successionis non potest ab Ordinario indulgeri, nisi à solo Papa, cap. *Nulla*, cap. *Relatum*, & cap. fin. de concess. præbend. Coadjutori demùm moderati sumptus & victus ita providendi sunt, ut totum reliquum fructuum Prælato aut Beneficiario invalido remaneat, cap. 1. de Cler. ægrot. & cap. unico, in fine, eod. tit. in 6.

CAPUT XIV.

De Literis Dimissoriis, & quarum Literarum valor aut concessionum perpetuus sit, aut ad solam limitetur concedentis vitam.

I. ORdinari, aut etiam Tonsuram sumere Clericalem nemo potest nisi de manu proprii Episcopi, aut de ejus licentia Literis Dimissoriis expressa. Si secus fiat, Ordinans à Pontificalibus, & collatione Ordinum per annum suspensus erit; Ordinatus verò à susceptorum sine hac venia Ordinum executione ipso facto quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, manet pariter suspensus ex Decreto Concilii Tridentini sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. de reform. Quisquis igitur sic tonsuratus, vel ordinatus est, non potest ab hac suspensione solvi, nisi ex arbitrio proprii Episcopi. Existimat Rebuffus in praxi, tit. *Formula dimiss. liter.* num. 5. & 11. non sufficere ad hujus suspensionis absolutionem, veniam ac remissionem proprii Episcopi, sed esse præterea necessarium Summi Pontificis rescriptum. Quam opinionem tenet

tenet quoque Navarra loquens de irregularitate. Verùm quoad suspensionem Concilium Tridentinum nihil requirit, nisi proprii Episcopi dispensationem : & licèt Sixtus V. in Bulla incipiente, *Sanctum & salutare*, hanc sibi reservaverit absolutionem ; revocavit tamen Sixti Bullam istam Clemens VIII. per suam Bullam quæ incipit, *Romanum Pontificem decet*. Quoad verò irregularitatem, quam is qui hanc incurrit suspensionem, potuit contrahere exercendo Ordinem ita susceptum ante obtentam proprii Episcopi veniam, seu absolutionem, distinguendum est : aut enim illa irregularitas est occulta, & tunc potest proprius Episcopus ab ea dispensare ex generali concessione Tridentini Concilii sess. 24. cap. 6. de reform. aut illa irregularitas est notoria, quo casu necessarius est ad Papam recursus. Ita docet Bonacina tract. de suspensionibus in particulari, disp. 3. quæst. 1. puncto 11. num. 28. Istaque est vera, & communiter recepta doctrina. Erit verò occulta illa irregularitas, si contractio, seu incursio præcedentis suspensionis non nisi paucis innotuerit, quanvis illa Ordinis executio publicata fuerit.

II. Quatuor casibus necesse non est ad Ordinationem habere proprii Episcopi Dimissorias. Primus contingit in Episcopo qui sit suspensus, eo quòd alienum subditum sine Dimissoriis requisitis ordinaverit, cap. *Eos qui*, de tempor. ordin. in 6. Æquum enim est, ut in quo quis deliquit, in eo puniatur. Idemque capitulum jubet, ut ordinandi recurrant ad vicinores Episcopos. Hoc idem extendendum est contra quoscunque Episcopos quacunque censura irretitos. Sed requiritur ut censuræ contractæ ab Episcopo cognitio sit publicè nota vel per evidentiam facti, vel per judicis sententiam. Secundus casus est in eo qui privilegium à Pontifice impetravit, ut possit à quocunque Episcopo ordinari : quo casu licèt non requirantur à proprio Episcopo Dimissoriæ, requiruntur tamen ab eodem Literæ testimoniales de vita & moribus, sub iisdem pœnis, ut constat ex Concilii Trident. sess. 23. de reform. cap. 8. in fine. Tertius casus statuitur in Concilio Trident. sess. 23. cap. 6. de reform. *Episcopus* (inquit) *familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium, quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat*. Hoc verò sciendum de statim conferendo Beneficio, cùm ideò sit appositum, ne ordinatus ob inopiam cogatur victum suum mendicare, nullius esse obligationis hanc conditionem, si ordinatus sit provisus sufficienti patrimonio vel pensione ; sic enim sufficiet Episcopo si familiarem triennalem ordinet ad titulum patrimonii vel pensionis, ut post Flaminium Parisium, Barbosam, Garziam, & alios docet Bonacina d. disput. 3. quæst. 1. punct. 11. num. 11. Quartus denique casus occurrit, dum vacat Sedes Episcopalis ; potest enim Capitulum, completo primo vacationis anno, subditis diœceseos Literas expedire Dimissorias ad Ordinationes. Quinetiam cùm quis arctatur ad Tonsuram, vel ad Ordines, sive majores,

sive minores, occasione Beneficii, sive suscipiendi, sive jam suscepti, Capitulum potest etiam intra primum vacationis annum concedere hac occasione per Vicarium à se electum Literas Dimissorias. Hæc statuit Concilium Trident. sess. 7. cap. 10.

III. Debet primùm à proprio Prælato examinari, & ut idoneus approbari is qui Dimissorias petit, antequàm hæ illi concedantur, ut præscribit Concilium Trident. sess. 23. cap. 3. de reform. idque ipsum debet Prælatus in suis Literis Dimissoriis exprimere: sua namque interest multùm, utpote de proprio subdito, quem dimittit, coram Deo responsuri. Et ubi quis dimissus est sine sufficienti patrimonio, non tenetur Episcopus ordinator, sed Episcopus dimittens, ipsi de victu sufficienter providere ad totam vitam, cap. *Si Episcopus*, de præbend. in 6. Ipse quoque Ordinator jus habet examinandi dimissum, quantumvis de capacitate, & à se facto examine fidem faciat in dimissoriis Ordinarius dimittens. Imò verò etiam alienos & ad se dimissos Clericos ordinaturo prævium & diligens examen injungit Concilium Trident. sess. 7. cap. 11.

IV. Si qua pariter videatur concedenda Episcopalis dispensatio, qualis est ab insterstitiis, opus est ut in Dimissoriis exprimatur. Quod idem statuendum de dispensatione illegitimè nati ad minores Ordines, aut ad Beneficium simplex.

V. Vicarium generalem non posse Dimissorias ad Ordines Literas dare, nisi hoc specialiter Episcopus ei concesserit, traditum est capite superiori. Capituli autem potestatem circa Dimissorias expendimus isto capite, num. 2. ad finem. His adde, Capitulum Sede vacante ad effectum suscipiendi aliquod Beneficium, posse in casibus Episcopalibus dispensare, atque adeò ab irregularitate orta ex defectu natalium illegitimorum. Ita docent Abbas in cap. *Cùm olim*, num. 2. de majorit. & obedient. Navarra cons. 28. & 30. de tempor. ordinat. Federicus de Senis cons. 3. 4. & 30. Geminianus in cap. *Cum ex eo*, num. 7. de elect. in 6. Piasecius in praxi Episcop. p. 1. cap. 1. art. 2. num. 10. Capitulum enim Sede vacante regulariter succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi, nisi in solis casibus à Jure expresè prohibitis? ideóque potest similiter in Dimissoriis ab interstitiis dispensare. Bonacina de suspensionib. in particul. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. §. 2. num. 5. Extra præfatos casus si Capitulum concedat Dimissorias, incurret Ecclesiasticum interdictum, ex Concilio Trident. d. sess. 7. cap. 10. Aliæ verò singulares personæ attentantes dare Dimissorias in casibus prohibitis, ipso facto ab Officio, & Beneficiis per annum efficiuntur suspensæ, ut idem Tridentinum decernit sess. 23. cap. 10.

VI. Superiores Regulares concedunt sibi subjectis Religiosis Dimissorias: habent enim in suis Monasteriis Episcopalem jurisdictionem. Tenentur verò servare formam à Clemente VIII. his verbis præscriptam: *De mandato S. D. N. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ VIII. tenore præsentium*

tium mandatur omnibus & singulis quoruncunque Regularium Superioribus, ut de cætero observent, & observari faciant ea quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii Tridentini censuit Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus prædictis qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, Literas Dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii in cujus familia ab iis ad quos pertinet, ille Regularis positus fuerit. Et si Diœcesanus abfuerit, vel non sit habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dummodò ab eo Episcopo qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Literarum Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus Ordinationes, vel Sedes Episcopalis vacaret. Verùm cùm à Superioribus Regularibus, Diœcesano absente Episcopo, vel Ordinationes non habente, Literæ Dimissoriæ dabuntur, in eis utique causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse: quod si Regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Diœcesis, hujusmodi concedendas esse Dimissorias ad Episcopum viciniorem: in eoque procedere omnia quæ de Episcopo Diœcesano superiùs præscripta sunt. Quod qui non fecerint, Officii, & Dignitatis, sive Administrationis suæ, & vocis activæ & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem Domini nostri Sancti Papæ reservatas pœnas incurrent. Datum Romæ, die 15. Martii, anno 1596. Ista Clementis VIII. Constitutio conformatur antiquo & communi Juri in cap. *Cùm nullus*, §. *Religiosi*, de tempor. ordinat. ubi Episcopus Ordinationis Regularium asseritur ille, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo versatur ordinandus. Concilium porrò Trident. d. sess. 23. cap. 10. Abbates & quoscumque alios Superiores Regularium, quantumvis exemptos, aliis quàm sibi subditis Religiosis Dimissorias concedentes, decernit esse ipso jure suspensos per annum ab Officio & Beneficio.

VII. Quæritur an Literæ Dimissoriæ exspirent per obitum concedentis, aut per ejus ab Officio dimissionem? Negant Doctores communiter desinere. Rebuffus in praxi, tit. *Formæ Dimissoriarum*, circa finem, postquàm anceps animi utramque in partem vacillavit, tandem num. 43. concludit non desinere. Consentiunt Ancharanus in cap. 1. in fine, ne Sede vacante. Federicus de Senis consil. 16. verb. *Capitulum*: Navarra in cap. *Placuit*, num. 34. & 162. de Pœnit. dist. 6. Zerola p. 1. tit. Dimissoriæ, num. 9. Azorius p. 2. lib. 3. cap. 49. num. 5.

VIII. Mors quidem omnia solvit, §. *Deinceps*, in Authent. de nuptiis, collat. 4. Et mandatum finitur morte mandantis, l. *Mandatum*, C. mandati. Id tamen non impedit, ne pleræque concessiones valeant eo etiam mortuo qui concessit, donec à successore revocentur. Est enim communis paulò antè allegatorum Doctorum sententia, & aliorum, quam etiam firmat passim Ecclesiarum consuetudo circa Dimissorias. Hujus quoque generis sunt

sunt, illimitata facultas Confessiones audiendi : item à casibus ac censuris reservatis absolvendi, & à votis dispensandi concessio : licentia non residendi propter studium, Missas in ædibus privatis celebrandi, Indulgentiarum concessio, & quæcunque aliæ non restrictæ ad concedentis vitam. Potest tamen successor prædictas & similes gratias revocare, sive per generalem, sive per specialem revocationem : idque docet cap. *Si gratiosè*, de rescript. in 6. his verbis : *Quia Sedes ipsa non moritur, gratia durabit perpetuò, nisi à successore fuerit revocata.*

IX. Legati quoque Statuta in suo robore perdurant finitâ Legatione. Jurisdictio autem ejus, quem subdelegavit, desinit finitâ Legatione. Sed si jam anteà facta fuerat citatio, durabit etiam finito Legationis tempore inchoata jurisdictio, donec ad definitivam sententiam processum fuerit, cap. fin. de offic. Legat.

X. In pœnalibus autem aliter statuendum juxta regulam Juris : *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Atque ita censuræ nondum incursæ nullatenus ligare possunt, mortuo, vel ab officio soluto Prælato, qui eas decreverat. At verò si quis durante illius Prælati jurisdictione in censuram ab eo latam incurrisset, nec obtinuisset ejus absolutionem, permanebit alligatus etiam postquàm ejus desierit, sive per obitum, sive per abdicationem jurisdictio. Huic doctrinæ locus est in censuris particularibus, quæ à Prælato tanquam ab homine, seu judice latæ fuerunt. Nam censuræ quæ à Prælato tanquam Legislatore generaliter decretæ fuerunt, quales continentur in Statutis & communibus Constitutionibus, perpetuam vim habent donec contrario jure, vel desuetudine aboleantur ; sicut Leges astringunt populos etiam è vivis exempto Legislatore. Ita docet Glossa in cap. *A nobis*, 1. de sentent. excommunic.

XI. Casuum quoque ab Episcopo facta reservatio inter odiosa censetur : ideóque reservatio Prælati morte, vel amotione ab officio desinit. Si tamen facta fuerit reservatio per Synodalem deliberationem, vim habebit Statuti, nec extinguetur morte, vel amotione Prælati. Zerola p. 1. tit. *Casus reservati*, num. 4.

CAPUT XV.

De officiis & potestate Legati, & Delegati.

I. LEGATI & Delegati commune hoc habent, ut Superioris, à quo constituti sunt, vicem gerant. At in eo differunt, quod Legatus solus is dicitur qui est à Papa constitutus, Delegati verò appellatio communis est, tum constitutis à Papa Judicibus, tum etiam

etiam iis quos inferiores Prælati sui vice subdelegant. Prætereà Delegati plerumque constituuntur ad procedendum in causa aliqua particulari : qua in re differunt à Legatis Papæ, & à Vicariis Generalibus Episcoporum, quibus impertitur generalior jurisdictio.

II. Legatorum Papæ tres distinguit differentias Glossa in cap. 1. de offic. Legat. in 6. Prima est Legatorum à Latere, quos Papa eligit de suo Senatu. Hi sunt Cardinales missi cum potestate in Provincias, quorum præcipua est dignitas & potestas. Alii eliguntur ex inferiori Ordine, ut sunt Nuncii Apostolici in Provincias transmissi. Alii dicuntur Legati Nati, qui aliqua dignitate insigniuntur, cui cohæret jus aliquod Apostolici Legati, ut dicitur de Cantuariensi Archiepiscopo in cap. 1. de Offic. Legat. & de Archiepiscopo Eboracensi, cap. 1. de appellat. Et communiter omnibus Episcopis pleraque tribuuntur tanquam Apostolicis Delegatis Natis, non verò ex speciali commissione.

III. Legatis à Latere multa competit potestas ipso jure, quæ plerumque etiam augetur in eorum Mandato, seu Literis Apostolicis. In hoc verò conveniunt cum veterum Romanorum Proconsulibus, qui cum pleno imperio ad regendas provincias mittebantur, quòd sicut olim Proconsules ab egressu pomœrii Romanæ urbis usque ad reditum Fasces, Lictores, Insulas, & alia Imperii insignia retinebant, ex Dione lib. 53. & ipsum quoque Imperium, sed otiosum extra commissam sibi Provinciam, ut docet Cujacius lib. 20. Observationum, cap. 37. nisi quoad jurisdictionem voluntariam, quam solam in itinere exercebant, ex l. 1. 2. & final. D. de offic. Procons. & constat ex Plinio lib. 7. epist. 16. & penult. Sic Legatis à Latere simul atque Româ egressi sunt, Cruces, & cætera Apostolicæ Dignitatis insignia præferuntur, nec antequàm redierint ea deponunt : authoritatem quoque habent eò usque efficacem, ut absolutiones casuum & censurarum omnium, & alia ad forum conscientiæ pertinentia in itinere exercere possint, cap. *Quod translationem*, & cap. *Excommunicatis*, de offic. Legat. & cap. *Ad eminentiam*, 20. de sentent. excommun. Idcircò præclarè Clemens Papa IV. Legatos à Latere priscis Romanorum Proconsulibus æquiparat, cap. *Legatos*, eod. tit. in 6. Cùm tamen cæteri Apostolici Legati, neque insignibus utantur, neque quidquam possint extra provinciam sibi commissam, d. cap. *Excommunicatis*, hoc tit. & cap. *Mandata*, de præsumptionib. & cap. *Cum dilecti*, 18. de accusat. & can. 1. distinct. 94.

IV. Legatorum à Latere, & Nunciorum Apostolicorum, & quorumcunque à Sede Apostolica cum jurisdictionis potestate missorum non durat Legatio ultra tempus illis à mittente præfinitum. Morte tamen ejus Pontificis à quo missi sunt, non exspirat : quia non tam ab eo, quàm à Sede Apostolica missi intelliguntur, cap. 2. de offic. Legat. in 6. & cap. *Si gratiosa*, de rescript. in 6. Sedes enim ipsa non moritur, can. *Liberti*, 12. quæst. 2.

Ac ne ipsorum quidem Legatorum mors aut decessus ea statuta extinguit, quæ tempore Legationis suæ fecerint, cap.fin.de offic.Legat.

V. Legati à Latere possunt in provincia Legationis suæ conferre Beneficia; id verò cæteris Apostolicis Legatis non permittitur, cap.1. de offic. Legat.in 6. Eadem ratione possunt Legati à Latere, non verò cæteri Apostolici Legati, resignationes admittere, cap. *Deliberatione*, §. *Prohibemus*, de offic.Legat.in 6. Abbas in cap.fin. num.4. de renunciation. Ancharanus in cap. *Dilecto*, num.2.de præbend. Joan. Andreas in d. cap. *Deliberatione*, num.1. de offic. Legat. in 6. Rebuffus in praxi, tit. de resign. condition. num. 5. Parisius lib. 7. quæst.13. num.15.

VI. Hinc excipe collationes, aut resignationes conditionatas; ad istas quippe nec Legati à Latere ullam habent potestatem citra speciale Papæ mandatum. Abbas in cap. *Accepimus*, de pactis. Felinus in cap. *Ad audientiam*, de rescript. Navarra Manualis cap. 23. num.107. vers. *Ad secundum*. Rebuffus tract. de pacif. possess. num.198. Boërius tract. de dignit. Legat. quæst. ult.

VII. Potest Legatus à Latere conferre Beneficia jurispatronatus, non quidem Laïci, sed Ecclesiastici, etiam inconsulto Patrono, cap. *Dilectus*, de offic. Legat. & cap. *Cùm dilectus*, de jurepatron.

VIII. Legati à Latere non possunt transferre Prælatos, cap. 1. de translation. Episcop. & cap. *Quod translationem*, de offic. Legat.

IX. Collatio Legati à Latere nulla est, ubi non fit mentio Beneficiorum cæterorum quæ provisus possidet, cap.fin.de offic.Legat.in 6. Clement. unica, de offic. Ordinar. quemadmodum nulla est Papæ collatio sine tali mentione, cap. *Ad aures*, & cap. *Cum adeò*, de rescript. cap. *Non potest*, de præbend. in 6. Non enim major est potestas aut jus delegati quàm delegantis, præsertim cùm talis potestas sit odiosa, utpotè facta in diminutionem potestatis Ordinariorum.

X. Quod verò attinet ad Delegatum, hoc sciendum, Delegatum Principis non agnoscentis sibi Superiorem, ut est Papa, Imperator, Rex, posse Subdelegare, ut omnes Canonistæ docent juxta cap. fin. de offic. Judic. delegat. adeò ut cæteri cum illo delegati non possint procedere sine ejus Subdelegato, d. cap. fin. Non potest tamen in aliquibus subdelegare casibus. Primò quando sibi delegatum est nudum ministerium, d.cap.fin. §. ultim. ut fit quando aliqua executio sine jurisdictione demandatur à Papa vel Principe. Secundò non potest Delegatus subdelegare quando electa est singularis personæ delegatæ industria, ut quum alicui Papa mandavit fieri inquisitionem, & Ecclesiis de Ministris idoneis provideri, d.cap. fin. §. *Is autem*. Colligitur autem fuisse electam personæ industriam, quando designatur proprio nomine, & non sola Dignitatis vel officii expressione.

XI. Ubi verò commissio, seu delegatio facta fuit dignitati, non

expresso

expresso proprio nomine, transit delegatio ad successorem ejus, cap. *Quoniam Abbas*, de offic. Jud. deleg.

XII. Morte delegantis an exspiret delegati jurisdictio, necne? Distinguendum est; si enim adveniente delegantis morte res adhuc integra est, fit caduca & irrita delegatio: Sed si jam facta fuerat per delegatum citatio ante delegantis obitum, non exspirabit per ejus mortem delegatio, cap. *Relatum*, & cap. *Gratum*, eod. tit. Guido Papæ quæst.421. num.2. aliique communiter.

XIII. Sæpè causam committit Sedes Apostolica duobus, vel pluribus Delegatis, cum clausula, ut si ex duobus, vel pluribus aliquis interesse nequiverit, alter, seu reliqui in causa procedant: & isto casu necesse est priùs constare de absoluta Delegati impotentia, aut eundem priùs suam non procedendi voluntatem significasse, quàm liceat reliquis delegatis sine eo procedere, vel exequi, alioqui nihil & inaniter agent, cap. *Prudentiam*, eod. tit. Quod si absolutè, & sine prædicta clausula plures in eadem causa Delegati sint, aut in plures arbitros à Partibus, vel per Judicis decretum compromissum fuerit, nec in compromisso aliud fuerit expressum, morte unius delegatorum, vel arbitrorum exspirat reliquorum potestas, cap. *Uno delegatorum*, eod.tit.

XIV. Delegatus à Papa sententiam suam exequi potest intra annum, eoque elapso non potest, cap. *Quærenti*, eod. tit.

XV. Delegatus à Papa, qui subdelegavit in totum, potest re integra, hoc est si Subdelegatus non processerit, sibi causam reassumere, cap. *Quamvis alicui*, de offic. Deleg. in 6. Si Delegatus subdelegavit quoties abesset, vel donec revocaret; & mortuus sit re non integra, potest subdelegatus procedere, ex quo jurisdictione uti cœperit vivente adhuc delegante, & inchoatum processum prosequi. Porrò à subdelegato appellatur etiam post ejus definitivam sententiam ad subdelegantem, si hic sibi aliquid de jurisdictione reservaverat: at si subdelegaverat in totum, jam non ad subdelegantem, sed ad delegantem, id est ad Papam, devolvitur appellatio, cap. *Si delegatus*, eod. tit. in 6.

XVI. Delegatus debet in citatione designare locum Auditorii sui, & præterea inserere tenorem rescripti, seu Literarum suæ delegationis; alioqui non tenebitur pars citata comparere. Innocentius & Ostiensis in cap. *Præterea*, de dilationib. Guido Papæ quæst.445. Zerola 1. p. praxis, verb. *Delegatus*, num.4.

XVII. Multa præcipiuntur, & prohibentur Delegatis sub pœna nullitatis eorum, quæ in contrarium attentaverint, cap. *Statutum*, de rescript. in 6. Et Ordinarius potest providere, si quis à Delegato gravetur contra dispositionem d. cap. *Statutum*, ut docent Joannes Andreas & Geminianus in idem caput, & Zerola loco cit. in fin. Ubi notat pariter ex Capella Tolos. quæst.423. & ex Cino in Auth. *Qua in provincia*, C. ubi de crim.

agi oport. posse ab Ordinario loci puniri Delegatum à Papa, si in suo officio delinquat, si nimirum excederet fines mandati, ac procederet in casu non incluso in sua commissione: item si vellet procedere vel exequi non exhibita sua commissione. Zerola ibid.

XVIII. Concedit etiam Sedes Apostolica aliquibus Conservatores, ut eos à manifestis injuriis, & violentiis tueantur. Isti verò non possunt subdelegare, aut suas vices committere, nisi hoc eis specialiter per Literas Apostolicas indultum fuerit. Possunt tamen committere ad citandum & intimandum partibus sententias suas. Neque possunt quemquam ultra dietam à fine Diœcesis trahere, nec nisi de manifestis injuriis aut violentiis cognoscere: alioquin non solùm eorum processus irriti erunt, sed etiam ipso facto suspensi erunt per annum ab officio, & per consequens à Beneficio: & Pars quæ hoc procuraverit, incidit in excommunicationem, cap. *Hac constitutione*, cod. tit. in 6.

CAPUT XVI.

De Coadjutoribus Prælatorum.

I. DUPLEX potest esse causa providendi Episcopo Coadjutorem per Supremam Sedem, nimirum incapacitas ad omnia Episcopalia officia (qualis est, exempli gratiâ, incapacitas illa quæ provenit ex furore ac dementia) vel tantummodò incapacitas ad particularia officia, qualis provenit ex decrepita ætate, ex cæcitate, ex paralysi, ex alio incurabili morbo, sine detrimento usus rationis. Porrò Coadjutor qui datur ob incapacitatem tantùm particularem, habet limitatam potestatem ad sola ministeria, quorum Episcopus impos & incapax est, nisi iste velit Coadjutorem delegare ad ea quoque, circa quæ capacitate pollet, prout libuerit, sive in totum, sive in partem. Sed qui constitutus fuit Coadjutor ob universalem Episcopi incapacitatem, plenitudine fruitur potestatis, ita ut si sit consecratus, possit per seipsum omnia Pontificalia exercere, cap. *Is cui*, de elect. in 6. Si verò non sit consecratus, poterit alium Episcopum circa ea quæ sunt muneris Pontificii delegare. Hæc omnia traduntur in can. *Qualiter*, & can. seq. & can. *Nihil*, in fine, & can. seq. 7. quæst. 1. item in cap. *De Rectoribus*, & cap. penult. & ult. de Cler. ægrot.

II. Item Episcopo ab hostibus capto providet Papa de Vicario in temporalibus & spiritualibus, quandiu hoc durabit impedimentum, cap. *Si Episcopus*, de suppl. neglig. Prælatorum in 6. & Clement. 1. de foro compet.

compet. Quod idem ſtatuendum in cæteris quibuſcunque impedimentis, ſiquando illa ceſſare contingat. Porrò licèt Vicarius per Epiſcopum conſtitutus careat poteſtate Beneficia conferendi, niſi id ſpecialiter ab Epiſcopo exprimatur; ſecus tamen judicandum de Vicario, quem Papa propter Epiſcopi captivitatem conſtituerit: poteſt enim durante captivitate conferre, præſentatos à Patronis inſtituere, atque illis quos Rex ad Beneficia nominaverit, necnon Univerſitatum Graduatis, perinde ac ſi Epiſcopus adeſſet, providere. Rebuffus tract. Nominationum, quæſt. 8. numero 44. & ſeqq.

III. Quoties etiam Coadjutor aſſignatus fuerit ob partiale, non verò ob totale Epiſcopi impedimentum, tunc non ipſe, ſed Epiſcopus jure potitur Beneficia conferendi. Sed ſi datus fuerit ob totale impedimentum, habet Coadjutor Beneficiorum collationem. Oldradus conſil. 44. addens poſſe hoc caſu per Coadjutorem committi, & ab eodem Literas ſub proprio ſigillo expediri. Idemque aſſerunt Joannes Deſelva de Benefic. p. 2. quæſt. 4. & Rebuffus loco cit. Licèt enim Coadjutor immobilia non poſſit alienare, cap. 1. de Cler. ægrot. in 6. & cap. *Is cui*, de election. in 6. hoc intelligi debet de alienatione libera, non de neceſſaria, qualis eſt Beneficiorum. Alioqui enim Eccleſiæ ex diuturna vacatione grave damnum ſuſtinerent.

IV. Porrò Coadjutor Epiſcopi cum futura ſucceſſione, non poteſt ab alio, quàm à Papa provideri. Quin etiam in hoc Regno conſenſus Regis requiritur, propter jus quod habet nominationis ad Epiſcopatus Regni.

V. Epiſcoporum poteſtatis ſimul & officii eſt proviſio Coadjutoris Parochorum, & Archidiaconorum juriſdictionem habentium, aliorumque Rectorum, quibus cura incumbit animarum, qui ſunt à ſuo miniſterio impediti: eóque caſu poteſt Epiſcopus congruam aſſignare penſionem ad victum Coadjutoris à ſe proviſi, cap. *De Rectoribus*, & cap. fin. de Cler. ægrot. & cap. unico, in fin. eod. tit. in 6. Sed Epiſcopo ſimiliter impedito non poteſt ab alio, quàm à Summo Pontifice attribui Coadjutor, ut dictum eſt, eique ſimiliter attribuenda eſt pars de proventibus Epiſcopatus, d. cap. unico. Juſtum quippe eſt, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum reperiuntur commodare obſequium, can. *Charitatem*, 12. quæſt. 2.

*CAPUT XVII.

De Vicariis in Gallia foraneis.

I. EXRANCIGENÆ tam Laïci quàm Clerici, dum intra Regnum versantur, minimè compelli possunt ad hoc ut extra Regnum litigent: id verò præsertim jus viget in Ecclesiasticis personis; hæ siquidem proprios & determinatos habere Judices intra Regnum debent. Et quidem antiquus & celeberrimus Præsul Gallicanus Hildebertus, primùm Cenomanensis Episcopus, deinde Turonensium Archiepiscopus, epist. 82. ad Honorium II. Romanum Pontificem, graviter expostulat quantam morum in Clero depravationem invehat facilior ab Ordinariorum judiciis ad Sedem Apostolicam provocationum admissio, ad quam recurrere solent scandalosi omnes & incorrigibiles Clerici quoties à propriis Ordinariis intra limites officii coërcentur. Ex quo etiam innasci necesse est ipsis Antistitibus pusillanimitatem & metum in perversis Clericis reprimendis & castigandis, à quibus nihil expectant præter odia, detractiones, calumniosas querimonias, & pecuniaria dispendia in sui apud Romanam Sedem defensione. Sic enim (ut alia exempla sileam) Apiarius Sacerdos Africanus admodum pervicax & flagitiosus, dum suam excommunicationem ab Urbano Episcopo Siccensi justa de causa illatam, rescindi à Romano Pontifice, ad quem provocarat, satagit, tantopere suis fraudibus & calumniis adversus Urbanum laudabilem Episcopum, Summum Pontificem concitavit, ut nationali totius Africæ Synodo mandaverit Urbanum ab Episcopatu dimoveri, vel excommunicari; cui tamen perspecta erat virtus Urbani & sanctimonia, sicut & imprudens Apiarii perversitas. Similes etiam querimonias sanctus Bernardus Clarevallensis Abbas passim iterat scribens ad Romanam Curiam & Summos ejus ætatis Pontifices, nullatenus sacræ & universalis potestatis plenitudini obsistens, sed sapienter admonens de abusibus iniquorum appellantium, & indiscreta Curiæ credulitate. Deinde in Pragmatica Sanctione, tit. *De causis*, in princ. tandemque in Concordatis Bononiensibus inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Galliarum Regem initis traditum est, personas Ecclesiasticas Regni à nemine posse extra Regnum in jus vocari.

II. Atque ideò quando interjicitur appellatio à sententia Officialis Gallicani, qui subest extraneo Metropolitæ, si Partes non conveniant de subeundo in partibus Regni Ecclesiastico Judice, à quo lis dirimatur, solent Curiæ Regni intra terminos proprii territorii Partes ad alterum Metropolitanum remittere, coram quo experiantur ut litigent. Id factum

fuit

fuit à Senatu Parisiensi in appellatione mota de sententia Officialis Barrensis Gallicani, qui subest Trevirensi Archiepiscopo Germano. Ita judicatum die 15. Aprilis, anno 1614. ut refert Brodeus ad Louetum lit. *D*, tit. 49. Qui ambo tradunt ex usu Gallicano creditores Gallicanos nullatenus teneri bona immobilia debitorum sita extra Regni fines discutere. Quinetiam Bonifacius Papa I. susceptis gravium criminum accusationibus à Valentinæ Gallicanæ civitatis Clero & Populo adversùs Maximum ejusdem civitatis Episcopum, scripsit anno 419. ad Galliarum Episcopos, ut Synodum intra Galliam cogerent, in qua de Maximi accusationibus cognoscerent. Hujus epistolæ meminere Anselmus, Burchardus, Ivo Carnotensis, & Gratianus cap. *Decernimus*, 3. quæst. 9.

III. Ad hæc Senatus Parisiensis tutelam gerens privilegiorum Galliæ, sancivit Martii 9. anno 1619. ne Generales Ordinum Regularium extra Regnum degentes Francigenas Regulares ad se citent, edixitque ab ipsis providendos esse intra Regnum Vicarios, qui de causis Monachorum cognoscant & judicent. Brodeus apud Louetum lit. *D*, cap. 49.

IV. Et in universum consuetudo invaluit, ut Episcopi extra regnum degentes constituant circa subjectas sibi in Regno sitas Ecclesias Vicarios foraneos regnicolas, ad quos Clerici Regni conveniant, ipsique Laïci & Clerici in cunctis jurisdictionis Ecclesiasticæ causis disceptandis. Id verò observari perspicuum est in locis Venaissino Comitatui convicinis.

V. Quæsitum est, utrum necesse sit ab hisce Vicariis delegatis sumere provisiones beneficiarias, aut ipsis exhibere Signaturas Apostolicasque literas, ab iisdem assumere capacitatis Clericorum examina, aliosve processus & decreta sumendæ possessionis. Verùm has praxes nullatenus agnovimus, saltem ubi Episcopus non est in remotis, & facilis ad eum patet accessus. Si tamen ille in his suum recusaret ministerium, tunc jure adiri posset Vicarius foraneus; ad hoc enim constituitur ut vices Episcopi non regnicolæ gerat. Ipsius tamen primarium officium versatur in litibus contentiosis, circa quas necesse est servari leges Regni, & non exterarum ditionum.]

CAPUT XVIII.

De Parochis.

I. SCIENDUM primò, quid sit Parochia. Est nimirum Ecclesia ad quam convenit Populus ad recipienda Sacramenta & audienda Sacra diebus festis; (quod intellige ex officio & primitiva institutione; cæteræ namque Ecclesiæ sunt posterioris & subsidiariæ institutionis:) & in qua primitus constitutæ sunt sepulturæ, &

& obligatio prædicandi verbum Dei, & docendi rudimenta Fidei, Clementina unica de Baptiſmo & ejus effect. cap. *Omnis utriuſque ſexus*, de pœnit. & remiſſ. cap. *Capellanus*, de feriis : & cui ex communi jure Decimæ debentur, cap. *Quoniam*, & cap. *Parochianos*, & cap. *Cùm contingat*, de decimis. Conſentiunt Doctores, non dici Eccleſiam Parochialem hoc ſolo, quòd ſit in ea fons Baptiſmalis, ſed ad minus tria ſimul requiri, Fontem Baptiſmalem, Jura Sepulturæ, & Curam fori Pœnitentialis & Sacramentorum.

II. Jus commune exigit ut unius Parochialis Eccleſiæ unicus ſit Parochus titularis, can. *Sicut*, 21.quæſt.2. quia ut ibi dicitur, unius Eccleſiæ debet unicus eſſe ſponſus. Reliqui verò Sacerdotes aſciſcuntur ut coadjutores. Rebuffus in praxi, tit. de non promot. intra ann. num.69. Zerola 1.p. verb. *Parochus*.

III. Jure pariter communi debet eſſe Parochus ſtabilis ad vitam, & non amovibilis aut locatarius, quia Matrimonium ſpirituale, ſicut & carnale, debet eſſe ad vitam & indiſſolubile. Quod ergo requiritur in Epiſcopo ut ſit unicus, & non plures, & ad vitam, non verò ad certum tempus; exigitur quoque pari ratione in Parocho, cui ſua deſponſatur Eccleſia. Ideoque ſic ſtatuit canon *Præcipimus*, 21.quæſt.2. *Præcipimus, ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur, & ut unaquæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, propriùm habeat Sacerdotem.* Et cap. *Veniens*, de fil. Preſbyt. Alexander Papa III. mandat Londonenſi Epiſcopo, ut reſtituat Sacerdoti Eccleſiam, ad quam illum ordinaverat, & ex qua poſtmodùm illum expulerat ſine ejus culpa, licèt ob quendam defectum non debuiſſet ab initio illi Eccleſiæ præfici. Et deſumptus ex S. Gregorio Pontifice canon *Satis perverſum*, diſt.56. *Satis perverſum* (inquit) *& contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut fruſtrà pro quorundam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa vel facimus ab officii, quo fungitur, gradu non dejicit.* Atque iſta eſt mens Concilii Tridentini ſeſſ.21. cap.6. prohibentis removeri Parochos ob eorum imperitiam, ſi alioqui honeſtè vivant; ſed jubentis ut eis Coadjutores, & Vicarii deputentur. His ſuffragatur Gallicana Conſtitutio Ludovici XIII. anni 1629. art.12. jubentis ut Parochiarum aliis Eccleſiis unitarum Rectores titulum habeant Vicariatus perpetui. Hoc viguit inſtitutum ab exordiis Eccleſiæ : prohibent enim Canones Apoſtolorum 16. & 17. & Nicæni Concilii canon 15. & Chalcedonenſis canon 6. & Arelatenſis I. canon 21. Sacerdotes ab una Eccleſia in aliam commigrare. Eódem ſpectant canon *Non oportet Epiſcopum*, 7. quæſt. 1. & canon *Neminem abſolutè*, diſt. 7. ut obſervavi in noſtra Notitia Conciliorum.

IV. Ut animarum curæ præficiantur, quàm maximè fieri poteſt, idonei Paſtores, providit Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap.18. de reform. ut cùm Parochialis Eccleſiæ vacatio contigerit, ſtatim ac Ordinarius notitiam vacationis habuerit, Vicarium ſeu Oeconomum cum congrua ejus arbitrio

arbitrio fructuum portionis assignatione constituat, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provisum fuerit. Idemque Ordinarius Edictum publicum ad valvas Ecclesiæ Cathedralis ac Parochialis vacantis intra triduum affigat, quo vocentur omnes qui examinari volent, transacto constituto tempore; atque omnes qui ad concursum venerint, præstituto die se sistant coram Ordinario & Examinatoribus in Synodo constitutis, non paucioribus quàm tribus: & qui Examinatorum judicio magis idoneus reperietur, Ecclesiæ vacanti præficiatur. Caveant autem concurrentes, ne quidquam prorsus hujus occasione, sive ante, sive posteà Examinatoribus dent, neque isti accipiant, alioqui simoniæ vitium utrique incurrunt, à quo non absolventur nisi dimissis Beneficiis quæ antè habebant, & fiunt inhabiles ad futura. Ita Concilium loc. cit. §. *Caveant.*

V. Ista verò servari debent non tantùm in vacatione per obitum, sed etiam per resignationem. Concilium enim utitur verbo generali *Vacationis*, & urget eadem utrobique ratio salutis animarum. Quæ verò fit resignatio in manibus Ordinarii, non potest esse in favorem certæ personæ. Sed si contingat resignari in manibus Papæ, aut si aliter Papa de certa persona providerit, eo casu cùm cesset libertas ad concursum, sufficiet si facto debito examine Clericus ita provisus judicetur idoneus, ut fuisse à Sacra Congregatione Romæ declaratum testificatur Zerola in praxi, 1. p. verb. *Parochia*, vers. *Sextum dubium.*

VI. Officium Parochi ad omnia extenditur, quæ animarum sibi subditarum salutem, & Ecclesiæ sibi commissæ ministerium & decorem spectant. Debet itaque singulis saltem diebus Dominicis prædicare ad populum de rebus Fidem, & morum integritatem, & pietatis officia concernentibus. Item pueros & rudiores personas Fidei rudimentis informare. Item Sacramentorum usum, dies Festos, & indicta jejunia exponere. Pauperum etiam, & orphanorum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere: Omnibus vitæ, bonorumque operum exemplo prælucere: Vitia publica & privata, præsertim blasphemias, concubinatus, & usuras prudenter corrigere: Festorum quoque violationes inhibere, lites componere, odia conciliare. Eos etiam qui in Paschate non communicant observare, & admonere. Numerum animarum Parochiæ habere descriptum, pro quibus Deo rationem est redditurus. Libros insuper habere, unum quidem Baptismorum cum expressione diei susceptì Baptismi, & parentum, & patrinorum: alterum Confirmatorum: tertium Matrimoniorum: quartum Mortuorum in sua Parochia. Magnam quoque solicitudinem gerat ægrotantium & morti proximorum. Statuta Synodalia, & visitationum Decreta diligenter observet.

VII. Potest Parochus secundùm aliquos Authores, extra Diœcesim ubique gentium audire confessionem sui parochiani, eumque absolvere,

non h[illegible] à Ordinarii loci approbatione. Sylvester verb. *Confessor* 1.num.12. Armilla verb. *Confessio*, num.34. Geminianus in cap.2. §.*Statuto*, num.58. de Constitut. in 6. Ancharanus in cap. *Ea quæ*, num.2. de regul. jur. in 6. aliique communiter.

VIII. Oblationes quæ fiunt in Ecclesia Parochiali acquiruntur Parocho: Sylvester verb. *Decima*, Angelus verb. *Ecclesia*, Abbas in cap. *Nimis*, num. 3. de excess. Prælat. & in cap. *Pastoralis*, num. 2. de his quæ fiunt à Prælat. Edictum Blesense art.51. & Edictum Melodunense anni 1580. art. 27. oblationum jura omnia Parochis Gallicanis attribuunt. Distinguendum tamen cum Laurentio Bochello in annot. ad Collationes Regiarum Constitutionum, lib.1. tit.6. sub finem: Oblationum enim quædam offeruntur super Altari, aut dantur in Offertorio ad Missarum solennia; & Regni consuetudo has omnes Parocho assignat. Aliæ oblationes parietibus Ecclesiæ appenduntur, aut in capsas, vel in discos extra Missarum solennia immittuntur; & istiusmodi Ecclesiæ reparationi & cultui addici solent, teste ibidem Bochello. His suffragatur Zerola part. 1. verb. *Parochia*: & part.2. verb. *Oblationes*. Idemque utrobique dicit, oblationes, quæ in aliis Ecclesiis non Parochialibus apponuntur, pertinere ad earum Rectores.

IX. Decimæ ex novalibus nunc primùm debitæ pertinent ad Parochum, ejusque redditibus accrescunt, ut docet Bochellus in Summa Beneficiorum, verb. *Dismes*, cap. 3. refertque pleraque Curiarum Regni judicia hoc jus Parochorum confirmantia, & ita passim servari perspicimus. Dicitur autem Novale in Jure Canonico, ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuisset, cap. *Quid per novale*, de verb. signif. Si tamen antequam ager coleretur, jam erat decimis obnoxius, tunc nihil Parocho acquiritur præter actionem quæ potest ei competere adversùs Rectorem seu Præbendatum ad augmentum congruæ portionis, si occasione novæ culturæ onera Parochi accrescant, ut ibidem dicit Bochellus. Quinimmò non sola Gallicana consuetudo, sed Jus ipsum commune hoc idem statuit in novalibus in gratiam Parochorum, cap. *Cùm contingat*, de decimis. Ad hoc enim institutæ sunt decimæ, ut sint in stipendium laboris & ministerii Ecclesiastici, dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* 1.Cor.9. vers.11.

X. Notanda est Ludovici XIII. Constitutio anni 1629. art. 12. sic edicens: *Les Cures qui sont à present unies aux Abbayes, Prieurez, Eglises Cathedrales ou Collegiales, seront doresnavant tenuës à part en titre de Vicariat perpetuel, sans qu'à l'avenir lesdites Eglises puissent prendre sur icelles Cures autres droits qu'honnoraires, tout le revenu demeurant au Titulaire, si mieux lesdites Eglises & autres Benefices dont dépendent lesdites Cures, n'aiment fournir auxdits Curez la somme de trois cents livres par an.* Hîc tria præsertim observa:

observa : primùm debere Parochos esse stabiles & confirmatos ad vitam. Præterea congruam eorum portionem annuatim tribuendam esse librarum trecentarum, præter oblationes & casualia stipendia. Denique Ecclesiis quibus unitæ sunt Parochiæ, deberi in Ecclesia Parochiali jura honoraria, quæ Rex idem in tribus consistere posteà declaravit : in primis, ut Ecclesiæ illæ principales, quibus unitæ fuere Parochiales Ecclesiæ, habeant nomen Curæ Primitivæ : secundò ut habeant jus præsentandi quem libuerit ad illas vacantes Curas : tertiò demùm, ut præfatæ Ecclesiæ possint intra Parochialem Ecclesiam Missarum solennia celebrare quatuor præcipuis Festis anni, & die Patroni ejusdem Ecclesiæ Parochialis. Hæc legitur Constitutio in tomo 3. Actuum Cleri Gallicani.

XI. Cavetur per Concordatum Bononiense inter Leonem Papam & Franciscum Regem, & deinde per Edictum Henrici II. mensis Martii anni 1551. ne quis intra urbes, & oppida murata Parochus constituatur, nisi in Theologia, vel sacris Canonibus sit Graduatus.

CAPUT XIX.

Ecclesiæ & Clericorum immunitates quædam, & jura recensentur.

I. IMMUNITATUM Ecclesiæ, & Cleri, quædam sunt Divini, quædam humani Juris. Quæ Divini Juris sunt, immutabiles sunt & indispensabiles, neque ullis hominum contrariis usibus, aut præscriptionibus temporum convelli, aut labefactari possunt. Quæ verò sunt humani Juris, aut merè Ecclesiastici, possunt in contrarium longi temporis præscriptione diminui, vel aboleri. Sed quandiu usu vigent, nec prævaluit opposita legitimi temporis consuetudo, nemo potest his privilegiis derogare citra gravem Dei offensam, suæque animæ perniciem. Istud quod dixi, commune est cum omnibus quorumcunque hominum juribus merè civilibus, quorum possessio durat, ut non sine injustitia, & gravi peccato aliquis ea infringat, etiamsi alioqui possint demùm per non usum deperdi. Sed in Ecclesiæ privilegiis, quæ non divinum, sed humanum Jus introduxit, si quis illa nondum longâ temporis præscriptione abolita convellere aut violare intendat, tantò gravius adversùm se judicium Dei provocat, quantò gravior est injustitia, quæ sacrilegio conjuncta est. Ex præmissa distinctione jus eluceſcit, adeò ut qui de his Ecclesiasticis immunitatibus disceptantes non discernunt

quæ sunt Divini, & quæ humani Juris; atque in his ipsis juribus humanæ atque mutationi obnoxiæ institutionis non discernunt inter ea quæ adhuc usu vigent, & ea quæ contrariâ consuetudine prorsus antiquata & abolita fuerunt, omnia confundant, & Andabatarum more cæcutientes suos in aëre gladios ventilent necesse sit.

II. Porrò extra omnem dubitationis aleam hoc statuendum est, Ecclesiæ potestatem & authoritatem circa illa omnia, quæ ad Dei cultum, Cleri disciplinam, rerum Fidei definitionem, morum ad Evangelii Christi præscripta doctrinam, ad prædicandum verbum Dei missionem, Animarum internam & externam præfecturam, Beneficiorum & Ecclesiastici ministerii provisionem, & Sacramentorum administrationem spectant, oriri penitus à divina institutione; atque in istis habere Ecclesiam immediatè à Deo ipso jurisdictionem internam & externam, directivam & coërcitivam, utpote necessariam ad sacri regiminis, quod ei Deus contulit, exequutionem. Cui enim data est jurisdictio, illa quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest, l. *Cui jurisdictio*, D. de jurisdict. omn. judic. & cap. *Præterea*, de offic. Jud. deleg. Et utique non potest nisi ad externum, & contradictorium, simulque coërcitivum judicium pertinere istud, quod Apostolus Timotheo Episcopo præscribit 1. Timoth. 5. *Accusationem adversùs Presbyterum noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Hujus sacræ potestatis originem ad unum Deum referunt Divinæ Scripturæ: Christus enim gregem suum, quo Fideles universi, & Ecclesiastici, & cujuscunque status Laïci comprehenduntur, cùm omnes se Christi oviculas esse glorientur, pascendum & regendum in spiritualibus Petro tradidit, Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ipse verò Petrus hac Supremi Pastoris accepta divinitus potestate, minoribus, sibique subjectis Pastoribus præcipit, 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Et sacri Apostolatus consors Paulus Pastorum Ecclesiæ munus non aliò refert, quàm ad Spiritum Sanctum, quem Deum esse constat: sic enim illos admonet Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Munus igitur Episcopis injunctum, non ab hominibus, sed à Deo ipso, versatur in eo ut regant Ecclesiam Dei. Munus verò reliquis omnibus sine ulla exceptione Fidelibus, sive publicam, sive privatam personam gerant, demandatum ab ipso Deo, istud est, ut Sacros Pastores veneretur, eisque in spiritualibus subjiciantur & obtemperent: quod idem attingit Apostolus Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hæc sunt indubitata Dei præcepta, & incommutabilia, planéque indispensabilia instituta, quibus nulla possit aut hominum temeritas, aut temporum diuturnitas derogare.

III. Hac fretus fiduciâ Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 17. ad cives.

cives timore perculsos, ita Præfectum præsentem alloquitur : *Et tu quoque una es gregis mei ovicula, meæ potestati, meoque tribunali ex ipsius Christi mandato subjecta : mea verò judiciaria potestas eo præstantior est illâ potestate quam geris, quo spiritus carni, & cœlum terræ præeminet.*

IV. Præter jura & immunitates Ecclesiæ, quæ sunt divinæ, atque adeò immutabilis institutionis, alia quædam sunt, de quibus disceptatur inter Catholicos ipsos, an sint immediatè à Deo, an verò ab Ecclesiæ Canonibus, aut à Principum sæculi Constitutionibus ab eorum pietate & liberalitate profectis. Hujusmodi censentur immunitates bonorum Ecclesiæ temporalium, necnon Clericorum exemptiones & privilegia in causis eorum merè realibus & temporalibus. Si enim hæc sint divinæ institutionis, nefas erit eadem violari vel imminui : sed si sint à Jure tantùm humano & positivo exorta, poterit saltem diutina consuetudo his derogare, cùm ipsa valeat etiam Generalium Conciliorum Canones Ecclesiasticos, sed non Divinos rescindere. Bonifacius Papa VIII. cap. *Quanquam*, de censib. in 6. asserit, *Ecclesiam & Clericos esse unà cum rebus suis Jure Divino à Secularium oneribus & exactionibus exemptos.* Plerique tamen graves Doctores istud negant. Sanctus Ambrosius orat. de tradendis Basilicis, sic ait : *Si tributum petit, tributum non negatur ; agri enim Ecclesiæ tributum solvunt.* Valentinianus etiam senior in epist. ad Episcopos Asiæ, apud Theodoretum lib. 4. hist. Eccles. cap. 7. dicit, *Pios & Religiosos Episcopos tributa Regibus pendere.* Et Urbanus Papa can. *Tributum*, 23. quæst. 8. *Tributum*, inquit, *in ore piscis piscante Petro inventum est, quia de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit.* Sanctus præterea Chrysostomus ad locum illum Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, ideò enim & tributa præstatis* ; scribit obedientiam istam injungi quoque Prædicatoribus Evangelicis, & Prophetis, & Sacerdotibus, & Monachis. Divus etiam Thomas in eundem Pauli locum eadem edocet, necnon Innocentius Papa IV. in cap. 2. de majorit. & obed. Joannes Medina tract. de restitution. quæst. 15. Cardinalis etiam Bellarminus tom. 1. de Clericis, lib. 1. cap. 28. & Covarruvias pract. quæst. cap. 31. qui & hoc addit num. 5. sustineri posse Galliarum usum, quo Clerici in causis non quidem personalibus, sed realibus conveniri solent coram sæculari Judice, tametsi in aliis Catholicis Provinciis, atque adeò in Hispania, ubi scribebat, contrarius sit usus.

V. Nihilominus edicit lex *Placet*, C. de sacros. Eccles. *Prædia Ecclesiarum libera esse ab omnibus, & sordidis, & extraordinariis præstationibus, solisque subjici oneribus ordinariis.* Hanc subsequuti legem Canones Sacri prohibent etiam sub excommunicationis pœna privatis personis, sub interdicto autem Communitatibus quibuscunque, tributa & onera personis Clericorum aut Ecclesiæ rebus imponi, can. *Benè quidem*, dist. 96. cap. *Ecclesia*, de constitution. cap. *Adversus*, de immunit. Eccles. cap. *Noverint*, de sent. excomm. cap. *Quanquam*, de censib. in 6. Legitur in Exodo, terras

Sacerdotum Ægypti fuisse liberas & immunes, eamque immunitatem eis fuisse à Patriarcha Joseph conservatam, etiamsi Ægyptiorum superstitiones abhorreret. Si tamen res Clericorum aut Ecclesiæ negotiandi causâ transferantur, subjicientur tributorum oneribus, d. cap. *Quanquam.* Exceptâ verò negotiatione non tenentur Clerici vectigalia pendere de frumento, vino, oleo, cæterisque fructibus ex suarum Præbendarum fundis ac prædiis. Abbas in cap. *Non minùs,* de immunit. Eccles. Baldus in l. *Placet,* C. de sacros. Eccles.

VI. Sanè quocunque titulo fundus aliquis de manu laïca in Ecclesiæ dominium transferatur, per hoc tamen non eximitur à servitutibus & oneribus quibus anteà erat obnoxius. Quælibet enim res ad quemcunque transferatur, semper cum suo transit onere, can. *Si quis laïcus,* 16.quæst.1. cap. *Pastoralis,* de decimis, cap. *Ex literis,* in fin.de pignor. & l. *Alienatio,* D. de contrah. empt. Tum etiam, quia nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habeat, l. *Nemo plus juris,* D. de regul. jur.

VII. Prætereà patrimonium, ad cujus titulum aliquis Sacros Ordines suscepit, non potitur privilegio aut exemptionibus rerum Ecclesiæ : non enim per hoc erigitur in Ecclesiasticum Beneficium, neque amittit pristinam rei merè temporalis conditionem, transitque cum reliquis profanis bonis ad hæredes. Prætereà si quid ex taliter affecto patrimonio alienatur, non requiruntur conditiones quas jus requirit ad bonorum Ecclesiæ alienationem, quarum defectu irrita sit alienatio. Covarruvias lib.1.variar. resolut. num. 4. Prætereà Glossa 2. communiter recepta in Clement.1. de in integr. restit. & Speculator tit. de in integr. restitut. §.*Qualiter,* vers. *Sed nunquid,* affirmant restitutionem in integrum competentem Ecclesiis quasi jure minorum, nequaquam attribui Clericis ratione patrimonii, nisi ipsi reipsa sint minores : atque res Clericorum patrimoniales eodem usucapi tempore, quo usucapiuntur res laïcorum.

VIII. Onerum quidem alia realia, alia personalia censentur : & à realibus quidem oneribus Clericos ostendimus exemptos : nec minùs, immò multò magis à personalibus immunes sunt ipso jure, quæ à laïcis imponuntur. Personalia dicuntur onera, quæ animi provisione & corporali labore absolvuntur, ut ait lex ultima, §.1. D.de munerib.& honor. Et ne quidem ad ea Clerici tenentur, quæ nullatenus sordida, sed honesta sunt, ut sunt publici Magistratus, seculares Administrationes, Legationes, curæ, tutelæ, can. *Generaliter,* 16. quæst.1. nisi fortè sponte recipere Clericus velit legitimam tutelam, can. *Pervenit,* 86. dist. Eximuntur etiam Clerici ab obligatione militiæ quantumvis justæ, in qua etiam incurrerent irregularitatem, si fortè occiderent vel mutilarent, cap. *Præsentium,* de Cler. percuss. Possunt nihilominus in casu necessitatis obligari ad excubias & murorum custodiam, cap. *Pervenit,* de immunit. Eccles.

IX. Neque adigi possunt Clerici ad contribuendum pro murorum publicorum

publicorum reparatione, aut pro munimine Civitatis, aut Caſtri : neque cogi poſſunt ad recipiendos milites hoſpitio. Innocentius IV. in cap. 1. de immunit. Eccleſ. Abbas ibid. num. 1. Quin etiam famuli & coloni Clericorum eadem gaudent immunitate intra Clericorum ædes à ſe habitatas, can. *Generaliter*, 16. quæſt. 1.

X. Si tamen Clericus, Eccleſia, aut Monaſterium feudum obtinerent à laïco, tenerentur ad onera omnia feudo impoſita, & ad ea præſtanda cogi à Domino feudi poſſent. Innocentius in cap. *Verùm*, de foro compet. Adeò ut Papa leges clauſuræ monaſticæ præſcribens cap. 1. de ſtat. Regul. in 6. ſtatuat nihilominus, ut Abbatiſſa vel Prioriſſa cujuſvis Monaſterii, ſi ab aliquo Principe, vel Domino temporali requiratur ad præſtandum per ſeipſam, & non per procuratorem homagium, ſeu fidelitatis ſacramentum ratione feudi à Monaſterio poſſeſſi, ipſa de Monaſterio honeſtè comitata egredi poſſit ad præſtandum ſubjectionis & fidelitatis ſacramentum : quo præſtito, debet ſine mora ad Monaſterium reverti.

XI. Jam verò hactenus exploratis Clericorum privilegiis ex Jure communi, progredior ad eadem commemoranda ex Regum Galliæ Conſtitutionibus. Sed in primis eſt præmonendum, ut quis in Gallia Clericus his fruatur privilegiis, non ſatis eſſe ſi Tonſurâ ſit inſignitus, geratque habitum Clericalem, quæ duo ſimul aliis in regionibus Catholicis ſufficiunt ; ſed ampliùs requiri in hoc Regno, ut Clericus vel Beneficium Eccleſiaſticum habeat, vel ut ſacro ſit Ordine inſignitus, ſaltem Subdiaconatu, vel ut reipſa alicujus Eccleſiæ miniſterio ſit addictus, aut actu, & citra fraudem ſit præſtimonialis, atque in publico ſtudeat Collegio, vel Communitati Eccleſiaſticæ ſit adſcriptus : id enim multis Edictis ſtatutum fuit Caroli IX. in Edicto Pariſienſi, artic. 21. anno 1563. menſe Januario ; & Moliniis menſe Februario anni 1566. artic. 21. rurſúmque Pariſiis menſe Julio ejuſdem anni, art. 8.

XII. Atque in primis, quoad ipſorum Clericorum perſonales exemptiones, Carolus idem IX. in Comitiis Aurelianenſibus, art. 28. & Henricus III. in Comitiis Bleſenſibus, art. 57. idemque in Edicto Pariſienſi menſis Julii anni 1576. edixerunt non poſſe Clericum ullum Sacris initiatum addici carceri propter nomina ſeu debita pecuniaria, ne quidem propter jura fiſcalia. Quin etiam addunt, non poſſe capi & oppignerari pro debitis pecuniariis veſtes ipſorum, neque libros, neque mobilia illa bona, quæ vel Divinis Miniſteriis, vel eorundem uſibus domeſticis & neceſſariis ſunt deſtinata. Ab oneribus præterea perſonalibus, tam privatis, quàm publicis, quæ ab Officialibus ſeu Magiſtratibus laïcis imponi ſolent, ut ſunt ſequeſtrationes, tutelæ, curæ, publica officia, & alia id genus, eximuntur in hoc Regno Clerici, non ſolùm ex Jure communi, ut jam vidimus, ſed etiam ex jure & conſuetudine Regni.

XIII. De ordine autem ſeſſionis, præſeſſio debetur Vicario Generali Epiſcopi

Episcopi supra quoscunque Judices subalternos, quoties simul juridicè procedunt, sicut ordinavit Ludovicus XIII. in suo sacratiore sedens Consilio, die Novembris 27. anno 1642. ubi adjudicavit Vicario Generali Remensi præsidentiam supra Juridicum Prætorem ejusdem Civitatis, quem vocant Locumtenentem Generalem, in Conventibus concernentibus Hospitalium administrationem, aut redditiones rationum piarum causarum, & juramenti circa hæc receptionem.

XIV. Pertinet verò ad Jus Divinum prorsus indispensabile Caroli IX. Constitutio anni 1571. in Senatu Parisiensi verificata & recepta die 10. Augusti anni ejusdem, sic jubens art. 11. *Non poterunt Ballivi, & Seneschalli, aliive Judices, neque nostræ Parlamentorum Curiæ Prælatos & Beneficiorum collatores compellere ad conferenda aliqua Beneficia Partibus prætendentibus: sed eas remittent ad alios Superiores Prælatos, ut super inferioris Prælati recusatione secundùm jura provideant.* Hoc idem edixere Henricus III. Constitutionum Blesensium art. 64. & Ludovicus XIII. Constitutione anni 1629. artic. 22. Cúmque attentasset Rhotomagense Parlamentum diem dicere Sagiensi Episcopo, ut causas allegaret suæ recusationis circa petitam Præbendæ collationem, Rex in secretiore Consilio hanc assignationem Juri contrariam judicavit, Episcopumque ab ea relevavit: prohibuit etiam Parlamento simile quidquam posthac decernere, salvo tamen jure Partis ad Superiorem Prælatum provocandi. Regium hoc Decretum est anni 1630. die Julii 30. Edicta etiam Regum Franciæ in Codice Henriceo, & in Collationibus lib. 1. necnon in Compilatione Constitutionum Regiarum per Guenosium & Theveneum, tit. de Xenodochiis, artic. 9. præsentiam requirunt Episcopi, aut ejus Vicarii, quemadmodum etiam Regii Officialis & Consulum loci, in ratiociniis pecuniæ per Administratores Xenodochiorum, & Nosocomiorum faciendis; idque edixit Carolus IX. ad Fontembellaqueum anno 1561. art. 6.

XV. Causæ Fidei in Gallia perinde ac in reliquis Catholicis regionibus sunt Ecclesiastici fori, & agitandas esse coram Ordinario edixerunt publicis Constitutionibus Franciscus I. Henricus II. & Carolus IX. relatis in Codice Henriceo, & in Collatione Regiarum Constitutionum. Causæ pariter Matrimoniorum, circa eorum validitatem, aut nullitatem, solis attribuuntur Judicibus Ecclesiasticis, juxta Edictum Henrici IV. artic. 12. anni 1606. Judices quoque Ecclesiastici, non solùm de fœdere connùbii, sed etiam de sponsalibus, ac promissionibus futuri Matrimonii, ut præambulis ad hoc Sacramentum, cognoscunt & judicant in hoc Regno, ut scribunt Gallicani Jurisconsulti Bacquet *des Justices, chap. 21. nombre 332.* Pastor de jurisdictione Eccles. cap. 13. num. 7. profertque Senatusconsulta per quæ talium promissionum causæ ad Episcopos remissæ sunt.

XVI. Edicto insuper Francisci I. anni 1539. confirmatur Ecclesiæ Gallicanæ

Gallicanæ jurisdictio circa Divinorum Sacramentorum causas inter quaslibet etiam laïcas personas. Eadem quoque ibidem jurisdictio asseritur Ecclesiæ in causis Clericorum personalibus. Laurentius Bochellus in Summa Benefic. verb. *Justitia Ecclesiastica*, in fin. docet duas esse regulas & Gallicani Fori axiomata indubitata. In primis, causas tum Decimarum Ecclesiasticarum, tum etiam Matrimoniorum pertinere ad Ecclesiæ Regni Forum. Secundò, causas criminum hæresis & simoniæ etiam contra laïcos reos agitandas esse coram Judicibus Ecclesiasticis : additque ita fuisse publicè in Parlamento Parisiensi declaratum præsidente Thuano, postulante Regio Advocato Dumesnil, die 29. Decembris 1562. Decimarum quidem causas attribuit Ecclesiæ Gallicanæ Foro Constitutio Philippi IV. anni 1302. & Faber C. de jurisdict. omn. judic. defin. 49. Apud Annæum Robertum lib. 3. rerum judicat. cap. 5. & lib. 4. cap. 10. referuntur Parisiensia Senatusconsulta, quæ partes litigantes tum circa sponsalia, seu sponsionem futuri matrimonii; tum circa judicium & cognitionem impotentiæ ad contractum matrimonium, remittunt ad Ordinarium; quem tamen excludunt à cognitione, & judicio de damnis, & eo quod interest, utpote spectantibus ad solum laïcum Tribunal, tametsi emergant occasione Matrimoniorum.

XVII. Quod demùm attinet ad realium munerum ac onerum exemptionem, Carolus IX. edixit Parisiis, mense Junio, anno 1568. esse immunes Clericos circa prædia, & proventus suarum Ecclesiarum, & Præbendarum, ab omnibus præstationibus publicis, ac vectigalibus, neque his astringi nisi in suis patrimonialibus bonis. Idemque altero Parisiensi Edicto mensis Novembris anni ejusdem sæculi septuagesimisecundi, & altero insequentis anni mensis Maii, ad Nemus Vincennarum : deinde Henricus III. Avenione, anno septuagesimoquarto, mense Decembri; & idem in Comitiis Blesensibus, artic. 58. idemque posteà Parisiis mense Januario, anno 1580. artic. 19. statuunt Clericos in suorum Beneficiorum fructibus, & prædiis liberos esse ab omnibus pecuniariis contributionibus, & à Gubernatorum & militum hospitiis, & ab expensis & sumptibus præsidiorum militarium, munitionum, fortificationum, annonarum militarium, armorum, equorum; itemque ab excubiis & custodiis, etiamsi mandatis Regiis aut inferiorum Potestatum declararetur comprehendi cunctas exemptas & privilegiatas personas. Admonet nihilominus Charondas multis Senatusconsultis constitutum fuisse, non esse Clericos, tam regulares quàm sæculares à custodia portarum & urbium excubiis immunes tempore belli; quia tunc agitur de communi conservatione etiam Ecclesiarum, & Clericorum, & facultatum ac rerum ad eos, easque pertinentium, urgetque periculum si minuantur excubiæ : præsertim cùm Pontifex ipse declaret, non esse immunes ab excubiis Clericos tempore belli, cap. *Pervenit*, de immunit. Eccles. Ita Charondas ad Codicis Henricei lib. 1. tit. 18. art. 4.

XVIII. Henricus III. Bleſis, menſe Martio, anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimoſeptimo, aſſumi declarat in ſuam protectionem Regiam omnes & ſingulos Eccleſiaſticos Regni, eorumque domos, prædia, opes ab eorum Beneficiis dependentes; ſéque eos eximere ab omnibus bellicis contributionibus, & militum hoſpitiis: & Clericis permitti, ut apponant in ſuis ædibus, terris, & villis Inſignia Regia ad ſalvamguardiam. Quam rem Carolus IX. pariter edixerat artic. 15. Conſtitutionis Pariſiis editæ die 16. Aprilis, anno ejus ſæculi ſeptuageſimoprimo.

XIX. Suam verò beneficentiam latiùs diffudit etiam ad bona Clericorum patrimonialia Ludovicus XIII. qui Turonibus, menſe Decembri, anno 1619. edixit, Clericos, tam ſæculares quàm regulares, eximi à cunctis oneribus, præſtationibus, & collectis, à quibus Nobiles Regni exempti ſunt, atque à francis feudis, novis acquiſitionibus, donis gratuitis, commodatis à Rege ſumendis, aliiſque quibuſcunque ſubventionibus Regi præſtandis. Item à murorum publicorum reparationibus, fortificationibus, pontium ſubſtructionibus, aggerum, itinerum, fontium inſtauratione vel ſtructura. Itemque ab annonæ militaris contributione, à Gubernatorum & militum impenſis, victu, hoſpitio, ſive intra Beneficii Eccleſiaſtici, ſive bonorum patrimonialium ad Eccleſiaſticas perſonas pertinentium domos, ſive in urbe, ſive rure. Eximi pariter à publicorum debitorum ſolutione, à ſalariis, vectigalibus, à capitationibus, ſeu aſſignatis ad ſingula hominum capita impoſitionibus, ſive per Edicta Regia, ſive per Gubernatorum, aut aliorum Officialium Regiorum mandata, ſive per Communitates aut municipales Magiſtratus, etiam in favorem Hoſpitalium aut ſubventionum pauperum, niſi fuerint hæc onera ab ipſis Epiſcopis pietatis causâ liberè indicta. Hæc univerſa Rex idem altero confirmavit Edicto Compendii, menſe Junio, anno ejuſdem ſæculi vigeſimoquarto, quo decernit bona quidem Beneficialia & Eccleſiaſtica eſſe abſolutè immunia: ſed Clericorum patrimonialia bona, ſeu acquiſita eſſe pariter ab omnibus vectigalibus & communibus præſtationibus immunia illis in locis, in quibus vectigalia perſonalia exiſtunt, nullatenus autem ubi realia ſunt; dummodò ubi onera ſunt perſonalia Clerici ipſi per ſordidos actus gradûs ſui dignitati non derogent, exercendo mercimonia vel alienorum prædiorum locationes, etiam ſub aliorum nomine. Eadem iterantur ejuſdem alio Edicto in Villa Sancti Germani ad Nemus, menſe Octobri, anno 1626. Eadem pridem edixerant Henricus III. & IV. Eademque innumeris placitis tum Supremi Conſilii Regii, tum etiam Subſidiorum Curiæ, quæ in tertio tomo Actuum & Titulorum Gallicani Cleri inſerta leguntur, confirmata ſunt.

XX. Carolus inſuper IX. Edicto Pariſienſi, menſe Novembri, anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimoſecundo; & Villæ Sancti Germani

Germani ad Nemus, menſe Februario, anno ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo-quarto : & Henricus III. Pariſiis, menſe Julio, anno ſequentis ſæculi ſeptimo : Ludovicus quoque XIII. Pariſiis, menſe Auguſto, anno 1612. decernunt, cogi non poſſe Clericos ad exhibendum titulos poſſeſſionum aut proventuum Eccleſiaſticorum ſub ullo prætextu, ſive francorum feudorum, ſive novarum acquiſitionum, ſive alia quavis de cauſa ; hoc enim in pleriſque impoſſibile eſſet ob tranſactorum bellorum clades, præſertim civilium, quæ Religionis prætextus toto Regno excitavit : ſed ſufficere ſi conſtet de poſſeſſione, nec probetur injuſta vis ac uſurpatio ; ſicut jus Civile & Canonicum conſtituunt in omni cauſa poſſeſſoria, ut fuſiùs ſuo loco explicabimus.

XXI. Cùm verò triplex ſit Eccleſiaſtica immunitas, ſcilicet perſonalis, realis, & localis ; & de duabus primis ſatis ſuperque actum ſit, hoc ſciendum de locali, Jure quidem communi reos criminum & ſervos metu dominorum ad Eccleſiam confugientes, abſtrahi exinde non poſſe, ut conſtat ex pleriſque Canonibus, can. *Miror*, can. *Reum*, can. *Frater*, can. *Si quis contumax*, can. *Metuentes*, can. *Uxor*, can. *Definivit*, can. *Id conſtituimus*, 17. quæſt. 4. Neque dimittebantur confugientes, niſi præſtito à perſequentibus ſacramento de perſonæ confugientis ſecuritate. Præſertim verò in ipſa Gallia ab ipſis Chriſtianæ Fidei exordiis hoc ſervatum conſtat ex Arauſicani Concilii I. can. 5. & Aurelianenſis I. can. 1. & quarti Aurelianenſis can. 21. Gregorius etiam Papa XIV. anno 1591. Conſtitutionem edidit incipientem, *Cùm aliàs nonnulli*, circa ea quæ ſpectant ad ſecuritatem reorum criminum ad Eccleſias confugientium : excludit verò ab iſta immunitate publicos latrones, & itinerum graſſatores, agrorum depopulatores, & eos qui intra ipſam Eccleſiam aut Cœmeterium homicidia vel mutilationes hominum commiſerunt, eoſque qui proditoriè hominem trucidaverint, quos vocant Aſſaſſinos : hæreticos etiam, & Majeſtatis reos, qui in ipſam Principis perſonam attentaverint. Reliquis verò reis jubet immunitatem Eccleſiaſticam ſuffragari. Statutum pridem fuerat lege *Præſenti*, & l. *Fideli*, C. de his qui ad Eccleſ. confug. & cap. *Inter alia*, de immunit. Eccleſ. cujuſcunque criminis reos, exceptis publicis latronibus, & nocturnis agrorum depopulatoribus, non poſſe de Eccleſia extrahi. Legimus etiam 3. Regum 2. Joab belli ducem, eo quòd Abnerem & Amaſam proditoriè interemiſſet, occiſum juſſu Salomonis fuiſſe intra tabernaculum, juxta Altare in quod confugerat. Verumtamen in Gallia ne hac immunitate & impunitate licentia criminum ingraveſcat, vix ulla ſervatur in Eccleſia immunitas reorum confugientium, niſi eorum qui ære alieno gravantur, ut ibi neque capi, neque inde extrahi queant.

XXII. Altera localis Eccleſiarum immunitas excludit ab eis omnes profanos uſus, non modò abjectos & ſordidos, quales ſunt negotiationes, jumentorum aut bajulorum tranſitus, juxta Domini exemplum ejicientis

venditores & emptores columbarum ex porticu Templi, & proclamantis domum Dei esse orationis domum, Matth. 21. domum enim Dei decet sanctitudo, Psalm. 92. Sed insuper excludit Ecclesiæ immunitas omnem forensem processum, & judiciorum strepitum, etiam à Cœmeteriis, cap. 1. & cap. *Cum Ecclesia*, de immunit. Eccles. & cap. *Decet*, eod. tit. in 6. Adeò ut quæcunque judiciales sententiæ in Ecclesiis latæ nullæ sint, ac irritæ, d. cap. *Decet*, in fin.

CAPUT XX.

De Regularibus, & Regulari Professione, & quatenus ab ea reclamare liceat.

I. CHRISTIANA perfectio in charitate perfecta consistit. Status autem religiosus, qui versatur circa consilia, est expeditior ad christianam perfectionem via, quatenus observatio consiliorum evangelicorum removet impedimenta charitatis, efficitque ut charitas perfectiùs exerceatur, ut docet Abbas Moyses apud Cassianum collatione 1. cap. 7. & S. Thomas 2. 2. quæst. 1. De hoc ergo ad perfectionem christianam adductivo statu nunc agendum.

II. Per professionem homo fit irrevocabiliter Regularis. Porrò veteri & abolitæ illi consuetudini, quæ homines plerumque invitos Religioni astringebat, nullâ habitâ cujuscunque ætatis etiam infantilis ratione, abjectâ quoque certi alicujus temporis probatione, sive ex eo quod infantem parentes ejus Monasterio obtulerant, sive quia aliquis lecto per ægritudinem decumbens religioso habitu fuerat à circumstantibus indutus; adeò ut Rex Hispaniæ Vamba multis victoriis de Saracenorum gente reportatis illustris, astrictus ad hoc fuerit, ut Regno se abdicaret, & Monasterio se includeret, ex hoc solo, quod gravi ægritudine in amentiam simul & vitæ discrimen adductus, habitu monastico vestitus à quibusdam Episcopis fuerat, citra ullum ipsius consensum, cujus tunc erat incapax; de qua veteri consuetudine, quæ sexcentis ferè annis viguit, copiosiùs tractavi in Notitia Conciliorum, ad Concilium Vormatiense: illi, inquam, antiquatæ consuetudini successit rationabilior disciplina, quæ liberam requirit ad profitendum deliberationem, & capacem deliberandi ætatem. Primùm quidem præfixa fuit ad eam rem eadem ætas, quæ ad validum matrimonium exigitur in masculo annorum quatuordecim, & in fœmina duodecim completorum, ut decernit caput *Significatum*, & cap. *Cum virum*, de Regular. Sed his demùm succedens Concilium Trident. requirit in utroque sexu.

sexu & integrum probationis annum, & annos ætatis sexdecim adimpletos, sess.25. de Regular. cap.15. Idemque excomunicationis pœnam infert sive parentibus, sive quibuscunque aliis, qui per vim aut metum quenquam ad religiosum statum adegerint, vel etiam ad hoc fuerint cooperati, dicta sess.25. cap.17. & 18. Regium pariter in Comitiis Blesensibus Edictum huic Tridentinæ Sanctioni conformatur & quoad annum probationis, & quoad professionis ætatem, art. 28.

III. Prohibet Sanctus Gregorius Papa lib.1. epist. 48. ad Antemium, suscipi in quibusdam insulanis, & rigidioris Observantiæ Monasteriis ad religiosam professionem eos qui decimumoctavum annum, qui est perfectæ pubertatis, non attigerint. Idque refertur ut Palea, cap. *Quia autem*, 20. quæst. 2. & repetitur in cap. *Quia in insulis*, de Regular. Proprium sanè Cartusianorum est, ut non liceat apud eos profiteri, nisi adimpleto decimo octavo ætatis anno.

IV. Vota omnia ante professionem emissa commutari propriâ authoritate possunt in vota religiosæ professionis, ut censent communiter Doctores: & appositè ait caput *Scripturæ*, de voto: *Reus facti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam noscitur commutare*. Unde eo ipso, quod aliquis profitetur, etsi nihil de anteactis votis cogitet, dispensatur sufficienter ab eis, nisi de his ita cogitet, ut explicitè horum obligationem perdurare intendat. Lessius lib.2. cap.40. n.106.

V. Sciendum porrò est, sex recenseri defectus, quorum singuli nullam & invalidam reddunt professionem. 1. Legitimi consensus, sive per vim, sive per metum extorti. 2. Anni non expleti ad probationem requisiti, etiamsi ante Tridentinum Concilium professio fieri quidem ante annum completum prohiberetur, sed tamen facta non dirimeretur. 3. Ætatis, si nondum finito decimosexto ætatis anno emissa fuerit professio. 4. Sexus, si vir inter mulieres, aut mulier inter viros profiteatur. Hermaphroditus verò ad evitanda scandala nullibi profiteri potest. 5. Defectus sui juris, ut est in conjugatis, aut servis; nisi inter conjugatos causa legitima intervenerit perpetui divortii, ut esset adulterium unius partium legitimè probatum; aut nisi alter conjugum se quoque religiosa professione, vel sacris Ordinibus astringat, cap. *Cùm sis præditus*, cap. *Constitutus*, cap. *Mulier*, de conversione conjug. 6. Si fuerit acceptata professio ab eo qui non est legitimus ad hoc Superior, neque à legitimo Superiore delegatus: neque hunc defectum potest reparare succedens à legitimo Superiore facta ratihabitio. Quia ratum quis habere non potest quod suo nomine non est gestum, cap. *Ratum*, de regul.jur.in 6. Ideoque necesse est eam professionem renovari ad hoc ut habeatur professus Religiosus. Lessius lib.2.cap.41.dub.7.n.61.

VI. Quod attinet ad reclamationem adversùs propriam professionem ex prætensa ejus invaliditate, Concilium Trident. sess.25.cap.19. ita providit: *Quicunque Regularis prætendat se per vim aut metum ingressum esse Religionem*,

gionem, aut etiam dicat ante legitimam ætatem professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque ex causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die professionis. Et tunc non aliter, nisi causas, quas prætendit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si habitum anteà sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur.

VII. Istud quinquennium definitum ad reclamandum fundatur in præsumptione tacitæ ratificationis. Si tamen sciret pro certo is qui sic professus est, eam præsumptionem in seipso falsam esse, eo quòd toto quinquennio causam nullitatis suæ professionis ex juris vel facti ignorantia nesciverit, vel quia continuatio causæ metus aut violentiæ, alteráve legitima causa hanc intra quinquennium reclamationem impediverit, in ejusmodi casibus si professus transacto quinquennio reclamet, audiri poterit saltem extraordinario judicio, ut in integrum restituatur, ut docent Navarra comment. 4. de Regularib. num. 71. vers. 3. Azorius lib. 2. cap. 4. quæst. ult. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. Barbosa in eum Tridentini locum, num. 8. aliique communiter contra Bonacinam tract. de clausur. quæst. 2. p. 10. dub. 4. Tempus quippe à jure præstitutum non currit adversùs legitimè impeditum, cap. *Inter quatuor*, de Clericis non resid. & cap. *Commissa*, de election. in 6. Receptam verò hanc esse praxim docet Barbosa num. 9. & 10. ut qui restitui vult adversùs elapsum quinquennium, recurrat ad Papam, vel ad Cardinalium Congregationem Concilii Tridentini, vel Regularium. Ubi autem non est elapsum quinquennium, nihil ampliùs efflagitat Tridentinum, quàm ut causa dijudicetur ab Ordinario & Superiore Regulari. Usu tamen communi receptum videmus, ut anteà impetretur à Papa vel Legato rescriptum, per quod causæ cognitio committatur Ordinario. Quæres quisnam Ordinarius, & quisnam Regularis Superior sit censendus, coram quibus causa reclamationis hujusmodi disceptanda sit? Sacra Concilii Congregatio die 1. Decembris 1593. declaravit agendum esse coram Superiore Monasterii, in quo professio emissa fuit, & simul coram ejusdem Diœcesis Ordinario, ut refert ad hanc Tridentinam Sanctionem Joannes Gallemartus. Et sanè rationi congruit, quia probationes & oppositiones ex eodem loco, in quo professum fuit, facilius innotescunt. Sed ubi recursus ad eum locum aut vix, aut nullatenus haberi posset, attendendus erit locus ultimæ ejus, qui reclamat, residentiæ. Hoc porrò sciendum est, jus quinquennii, etiamsi intra ipsum quinquennium integrum perduraverit causa metus, nullatenus hoc sensu transferri, aut ita prorogari, ut supersit alterum quinquennium; sed ex quo cessavit quinquennium, simulque causa metus, si professus intra sequentem annum qui ad probationem computandus foret, non reclamaverit, nullatenus deinceps erit audiendus, argumento cap. *Ad id*, de sponsalib.

VIII. In

VIII. In eo certè lubens Bonacinæ & Prospero Fagnano consentio, nequaquam licere illi, qui credat se invalidè professum fuisse, neque ratificasse, quocunque tempore transacto fugam arripere, non deductis coram Superiore Regulari causis; quantumlibet contra Constitutionem Tridentinam loco citato docere ausint Navarra comment. 4. de Regular. numero penult. Henriquez, Sanchez & alii. Ratio namque boni communis præponderare debet præsumpto alicujus particularis juri, præsertim ubi Lex vel Canon diserte loquitur, ut fit in ista causa. In hoc autem consistit commune bonum, quia inevitabile scandalum emerget, si Religiosus jamdudum professus religiosum habitum, aut Monasterium propria authoritate dimittat, sine ulla causæ coram Superiore redditione præcedenti, quâ quodammodo voluntariæ apostasiæ propositum excuset. Deinde tam efficenis licentia aliis plerisque Regularibus viam aperiret, ut hac adducti doctrina, & sociorum exemplo, simile quoque attentare præsumerent. Commune verò bonum privatæ utilitati præferendum, & ratio docet, & simul caput *Scias frater*, 7. quæst. 1.

IX. Præter expressam professionem Jus commune alteram professionis religiosæ speciem admittit, quæ tacita dicitur. Hæc tribus modis fieri potest. Primus est, si suscepto Religionis habitu, & transacto probationis tempore, faciat quis opus solis conveniens professis, consentiente Superiore, hoc ipso inducitur tacita professio, quanvis ille juraret se nullatenus intendisse hoc faciendo Religioni se astringere, cap. *Vidua*, de Regular. Secundus modus accidit, quum quis transacto pariter probationis tempore, sciens, volensque triduo defert habitum professi manifestè à novitiorum habitu distinctum, cap. *Ad nostram*, eod. tit. & cap. *Constitutionem*, de Regular. in 6. Tertius denique modus est, quum quis habitum professis simul & novitiis communem, aut occulta, non verò manifesta distinctione discretum defert anno integro computato à die finitæ probationis, cap. *Ex parte*, de Regular. in 6. & Clement. *Eos qui*, de Regular.

X. Cæterùm in Regno Galliæ minimè prorsùs admittitur ulla tacita professio. Et quando recepta fuisset illa Ludovici XIII. Constitutio quæ exigit quinque annorum delationem habitus religiosi ad tacitam professionem inducendam, hæc sola valeret in hoc regno tacitæ professionis forma: sed nec ista prorsus admissa fuit, & in universum viget in Gallia proposition, *Per habitum non effici Monachum*, ut cum plerisque aliis, quos allegat, Despeisseus affirmat tom. 2. tit. 1. sect. 1. num. 36. adeò ut approbatum fuerit in Parisiensi Senatu testamentum ab eo conditum, qui annos viginti octo habitum religiosum in Monasterio sine expressa professione gestaverat. His favet Molinensis Constitutio artic. 55, quæ nullam aliam approbat, admittitque religiosam professionem, nisi eam quæ scriptis consignata est, eo consentiente, de cujus professione agitur. Et verò prætextu tacitæ professionis contra bonam fidem & æquitatem facilè potest aliena

aliena calliditas simplicitati & ignorantiæ Novitii illudere, qui hac astutiâ insscius & invitus religiosæ professionis jugum ferre cogatur miserè circumventus. Hanc denuò materiam pertractat idem Despelleus tom. 3. tract. de benef. Eccles. tit. 11. sect. 5. num. 2.

XI. Libertati Monialium prospiciens Concilium Trident. sess. 25. cap. 27. de Regular. statuit ad regularem habitum non licere ullam admittere, neque posteà ad solennem professionem, nisi priùs ejus voluntas authoritate Ordinarii fuerit explorata : ideóque teneri Abbatissam Ordinarium admonere ad minus uno mense ante destinatam professionem, sub pœna suspensionis. Quod idem Jure Gallicano decernitur Comitiorum Blesensium artic. 28.

CAPUT XXI.

De obedientia primùm generatim, tum in specie de obedientia Regularium.

I. QUANDOQUIDEM obedientia ordinem habet essentialem ad Superioris voluntatem, ubicumque legitimus Superior legitimè vel præcipit, vel prohibet, debet subditus morem gerere, si eum causa rationabilis non excuset, cap. *Si quando*, de rescript. Summus verò omnium Superior Deus est, cæterique omnes Superiores ita Deo subalternantur & subduntur, ut si contraria divinis jussionibus jubeant, nequaquam eis obtemperandum sit, ut Apostolico effato monemur Act. 5. vers. 29. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Cùm verò Deus neque errare, neque ignorare quidquam possit, ejusque sit universale & illimitatum dominium, quidquid præcipiat, eos indubitatò adstringit, ad quos suum dirigit præceptum. At verò cùm possint creati Superiores errare aliquando, aut contra officium jubere aut prohibere, sitque certis quibusdam finibus potestas eorum circumscripta, contingere potest ut inferiores possint, aut etiam quandoque teneantur non obedire. Potestati enim inferiori intantùm aliquis subjici debet, inquantùm ordinem altioris Superioris servat, à quo si exorbitaverit, ei subjici quoad hoc non oportet, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 3. ad 1. Exempli causâ, Regibus debent subditi obedire, nisi quid jubeant contra evidentem Dei voluntatem : & Magistratibus aut Præfectis Urbium vel Provinciarum, præterquam in illis quæ Regis ipsius voluntati noscuntur adversari. Hoc docet Sanctus Augustinus sermone 6. de verbis Domini, & habetur in can. *Qui resistit*, 11. quæst. 3.

II. Sapienter

II. Sapienter etiam idem docet Angelicus Doctor, duplicem esse causam cur inferiores Superiori suo parêre non teneantur, 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. Prima quidem illa est, quam diximus, si altior Superior contraria, & opposita his velit. Secunda est, si quis Superior præcipiat aliquid inferiori, in quo ei non subjiciatur, & sic excedat limites suæ potestatis.

III. Hæc igitur applicando Superioribus Ecclesiasticis, contigit aliquando, & contingere ulteriùs potest, ut transiliendo indultæ sibi à Domino Jesu Christo potestatis fines, aliquid ab eorum aliquo præcipiatur divinæ legi oppositum, aut etiam nullatenus ad salutem animarum spectans, & extra fines potestatis ipsorum. Atque in priore quidem casu necessitas Fidelibus incumberet ejusmodi jussioni refragandi, ne ordinem debitum pervertendo creata & subalterna Potestas Divinæ atque supremæ anteponatur. Posteriore autem casu, si esset prorsùs evidens nihil penitùs ad bonum Ecclesiæ ac salutem animarum conferre, non obligaretur Fidelis ad consentiendum: sed exteriùs eatenus maneret obligatus ad abstinendum non modò ab omni contemptu, sed etiam ab omni illa dissensûs significatione, quæ posset vel turbas, vel scandalum ingenerare. Sapienter itaque rescribit Alexander Papa III. his verbis: *Patienter sustinebimus si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum*, cap. *Siquando*, de rescript.

IV. His alterum Canonistæ adjungunt non obediendi casum, Panormitanus in cap. *Siquando*, de rescript. & Angelus verb. *Obedientia*, num. 2. si nimirum ex obedientia mandati Papæ prævideatur scandalum grave sequuturum; tunc enim præstaret humiliter apud homines excommunicationem pati, quæ nulla sit apud Deum, quàm sic obedire, ut traditur in cap. *Literas*, §. *Porrò*, de restitut. spoliat. & in cap. *Inquisitioni*, de sent. excomm.

V. Præterea quæri potest, utrùm omnis mortaliter culpabilis inobedientia cum pertinacia conjuncta, contineat in se crimen schismatis? Respondet sanctus Thomas, quem sequuntur communiter Theologi, omne quidem schisma involvere secum inobedientiam; sed non omnem inobedientiam, quantumvis pervicacem & criminosam adversùs Pontificem, vel Ecclesiam, posse dici schisma, vel schismati adjunctam. Ergo sanctus Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. distinguit schisma ab inobedientia, quatenus etiamsi inobedientia subtrahat se quodammodò à debita subjectione, illa tamen subtractio est secundùm quid, & per accidens; cùm tamen schisma primariò & per se intendat ejusmodi subtractionem à dependentia Papæ, id est ut ideò principaliter non obediat, quia non vult illum pro capite agnoscere: eoque sensu definit schismaticos, ut sint quicunque subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. Hæc eadem fusiùs docet Sylvester in Summa, verb. *Schismaticus*: hisque consentiunt cæteri Theologi & Summistæ.

VI. Cardinalis Cajetanus in Comment. ad d. art. 1. sancti Thomæ, præclaram adducit distinctionem, quæ multa potest dubia resolvere. Ejus hîc

verba subjicio : *Adverte diligenter, quod recusare præceptum vel judicium Papæ, contingit tripliciter. Primò ex parte rei judicatæ, sive præceptæ : Secundò ex parte personæ judicantis : Tertiò ex parte officii ipsius Judicis. Si quis enim etiam pertinaciter contemnat sententiam Papæ, quoniam scilicet non vult exequi quæ mandavit, putà abstinere à tali bello, restituere talem Statum, &c. licet gravissimè peccet, non tamen ex hoc est schismaticus. Contingit namque sæpe nolle exequi præcepta Superioris, retenta tamen recognitione illius in Superiorem. Si quis verò personam Papæ rationabiliter suspectam habet, & propterea non solùm præsentiam ejus, sed etiam immediatum ejus judicium recusat, paratus ad non suspectos judices ab eodem suscipiendos, nec schismatis, nec alterius vitii crimen incurrit. Naturale namque est evitare nociva & cavere à periculis : potestque persona Papæ tyrannicè gubernare, & tantò facilius quantò potentior est, & neminem in terris timet ultorem. Cùm quis autem Papæ judicium, vel præceptum ex parte ejus officii recusat, non recognoscens eum ut Superiorem, quamvis hoc credat, tunc propriè schismaticus est. Et juxta hunc sensum intelligenda sunt verba literæ hujus & similium. Inobedientia enim quantumcunque pertinax, non constituit schisma, nisi sit rebellio ad officium Papæ vel Ecclesiæ, ita ut renuat illi subesse, atque illum recognoscere ut Superiorem.* Hucusque verba Cajetani.

VII. Post constitutam à Deo Spiritualem in Ecclesia Potestatem, quæ omnium Sanctissima & Augustissima censenda est, & cui potior debetur obedientia, spectari debent Potestates legitimè circa temporalia constitutæ. Harum namque institutionem à Deo esse docent Sacræ Literæ, Roman. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit ; non est enim Potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Eædem tamen causæ quæ dispensant ab obedientia Superioribus Ecclesiasticis debita, multò magis dispensare possunt ab ea, quæ Principibus & Magistratibus debetur. Summa porrò Principum potestas in condendis Legibus versatur : circa quarum obligationem operæ pretium est sancti Thomæ ipsa verba hîc proponere ex 1.2.q.96.art.4.in corp. *Leges* (ait) *humanitus positæ justæ sunt, vel injustæ : si justæ sunt, habent vim obligandi in foro conscientiæ à Lege æterna, à qua derivantur, juxta illud Proverb. 8. Per me Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt. Injustæ autem sunt leges dupliciter, uno modo per*
(m) *contrarietatem ad bonum humanum, vel ex fine ; sicut cùm aliquis Præsidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam : vel etiam ex authore, sicut cùm quis legem fert ultra commissam sibi potestatem : vel etiam ex forma, putà cùm inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi magis violentiæ sunt quàm leges, quia sicut Augustinus dicit in lib.1.de libero arbitrio, cap.5. Lex esse non videtur quæ justa non fuerit. Unde tales leges non obligant in foro conscientiæ, nisi fortè propter vitandum*

scandalum

scandalum, vel turbationem; propter quod etiam homo juri suo debet cedere, secundùm illud Matth. 5. Qui angariaverit te mille passus, vade cum illo & alia duo: & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium. Alio modo leges possunt esse injustæ per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcunque aliud, quod sit contra legem Divinam: & tales leges nullo modo licet observare; quia sicut dicitur Act. 4. obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Hactenus verba S. Thomæ, quæ breviter & solidè multas elucidant difficultates. Quinetiam ipsæ justæ & rationabiles Leges Civiles & humanæ neminem astringunt, ut superiùs docuimus, nisi ex quo promulgatæ fuerint, & moribus utentium, majoris scilicet partis ejus, in qua quis versatur, Universitatis confirmentur, can. *In istis*, §. *Leges*, dist. 4. Navar. Enchir. cap. 23. num. 41.

VIII. Quæ dixi de legibus à Jure naturali vel à ratione alienis, ratio suadet ut locum habeant in sententiis quoque & judiciis. Idcircò S. Gregorius Papa sic ait lib. 2. epist. 6. *Sententia contrà Leges, Canonesque prolata, licèt non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure.* Habetur in cap. 1. de sent. & re jud. Cui conformatur sub eod. tit. caput *Inter cæteras*, dicens: *Cùm aliqua causa appellatione remota committitur, & sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam.*

IX. Nunc progrediendum ad Regularium obedientiam, quâ ex professionis suæ voto tenentur. In primis pleræque eorum Regulæ minimè sub mortali culpa inobedientes obligant nisi in duobus casibus, nimirum scandali, & contemptus. Si namque in Monasterio ubi viget observantia, videat aut prævidere debeat Religiosus se ex frequenti inobedientiæ suæ exemplo viam aperire novæ relaxationi inde in Monasterio sequuturæ, peccabit mortaliter si absque rationabili causa in hoc persistat inordinationis exemplo. Matth. 18. *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Nec est exiguum scandalum, quo benè constitutum Monasterium, hoc est congregatio hominum, qui ex sua professione & instituto tenentur ad perfectionem eniti, cadit in notabilem & communem relaxationem. Est enim Religio, ut docet Sanctus Thomas, status perfectionis acquirendæ. Illa autem perfectio debet conformari & dirigi secundùm Regulam, sub qua quis professus fuit. Inobedientia quoque erga regulas cujusque Regularis Ordinis, quæ procedit ex earum contemptu, mortifera est, etiamsi hac occasione alii non depravarentur; quia nihil tam adversatur acquirendæ perfectioni religiosæ, sicut contemptus vel ipsius perfectionis, vel mediorum quibus acquiri possit & debeat. Hæc autem media in Regula cujusque Ordinis propria continentur.

X. Quæstio gravissimi momenti nunc est discutienda, utrùm Religiosus sub mortali teneatur Regulam servare, qui professus fuerit in Monasterio in quo ipsa Regula communiter non servatur, neque ullam habuit à Suprema Sede mitigationem vel dispensationem: ut si sit professus in Monasterio Benedictinorum, in quo carnes communiter comeduntur; aut Franciscanorum,

norum, in quo pecuniæ recipiuntur, ſupponendo quod ille profeſſus hanc introductam repererit conſuetudinem, nec ſe ulteriùs intenderit obligare? Circa hoc duæ ſunt Doctorum ſententiæ: prima quidem negat hunc Religioſum à mortali excuſari. Sic docet Angelus de Clavaſio Religioſus Franciſcanus, verb. *Religioſus*, num.32. Ad hanc verò objectionem, quod nemo ampliùs obligetur, quàm ſe intenderit obligare: reſpondet iſtum, licèt non intenderit explicitè ſe obligare, intendiſſe tamen implicitè, quatenus qui ſe ſponte obligat ad principale, quod eſt eſſe Religioſum in tali Ordine, obligat ſe hoc ipſo ad acceſſorium, hoc eſt ad Regulam talis Ordinis: ſicut accideret in eo qui ſe ſacris Ordinibus alligaret, non intendens continentiam, ad quam nihilominus teneretur ipſa vi ſuſcepti à ſe Ordinis ſacri. Idem docet Joan. Major in 4.diſt.38. q.20. ubi taliter profeſſum dicit ad ſervandam Regulam obligari in eodem Monaſterio, aut ſi ibi non poſſit, teneri ad aliud melioris obſervantiæ Monaſterium tranſire. His conſentit Proſper Fagnanus in cap. *Cùm cauſa*, de elect. num.33. addens omnes ferè Monachos, apud quos collapſa eſt Regula, ſi non ſit cum ipſis à Papa, vel à Concilio diſpenſatum, proficiſci in infernum. Hac ratione diſpenſatum fuit cum Religioſis Franciſcanis, exceptis Capucinis & Fratribus de Obſervantia, ut non aſtringantur ex parte Regulæ Fratrum Minorum, quæ prohibet Fratribus prædia, ſeu bona immobilia in commune poſſidere.

XI. Illa quidem vera eſt ſententia, quæ tamen limitanda videtur eatenus, dummodò relaxatio illa communis non ſit recèns introducta, ſed longi temporis duratione roborata fuerit: aut ſi recens fuerit, excuſandus ſit is qui profeſſus fuerit ex ſua bona fide & ignorantia non culpabili, tam Juris, quòd ſcilicet ignoraverat hanc obligationem, quæ non eſt Juris naturalis ita primitivi, quin poſſit ab uno aut altero inculpabiliter ignorari; quàm facti, quòd ſcilicet neſciverit fuiſſe actu ipſo ante breve tempus introductam in Monaſterium relaxationem. Utraque ignorantia facilè excuſabilis eſt in nonnullis adoleſcentibus idiotis, ac rudibus, qui profitentur bonâ fide, dummodò bona fides profeſſionem præcedat. Hanc exceptionem à peccato excuſantem, & à Regulæ ſimul obſervatione exactiore, quandiu nova reformatio non ſupervenerit, admittunt ut peccati excluſivam Abbas, Sanctus Antoninus, Cardinalis Florentinus, Aufrerius Toloſanus, quos citat & ſequitur Navarrus in Manual. cap.12. num.50. item Lopez tom.1. cap.45. ubi ait, ut quis profeſſus non aſtringatur ad Regulas ſui Ordinis, quas conſuetudo contraria relaxavit, non eſſe neceſſe eam relaxationem fuiſſe à tempore cujus initii memoria non extet: Lopez & S. Antoninus hoc idem docent 3.p. tit.16. cap.1.§.11. & 13. fuere ambo Religioſi Dominicani. Et verò conſtat inveteratam humanarum Legum, ſive Civilium, ſive Eccleſiaſticarum, quantumvis initio receptarum deſuetudinem vim ac obligationem earundem abolere, cap. ult. de conſuetud. Hæc de Regulis & Conſtitutionibus. Quæ enim pertinent ad trium ſolennium votorum

ſubſtantiam,

substantiam, cùm eorum obligatio sit divini juris, non possunt ulla desuetudine etiam immemoriali ullatenus perimi. Regula porrò non est de essentia voti obedientiæ, cùm consistat regularis obedientiæ votum in subjectione Ordinis & Superiorum. Etiamsi verò dici soleat, consuetudinem transgressionis præcepti esse argumentum contemptus, id non est usquequaque verum: potest enim ea consuetudo ex infirmitate animi vel corporis, aut ex defectu fervoris, aut etiam ex alia prava animi dispositione proficisci, citra contemptum qui malitiam habet comitem, ut rectè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. & ibidem Cajetanus. Istiusmodi tamen consuetudo frequenter contemptum parit.

XII. Igitur ratione voti obedientiæ tenetur Religiosus nihil agere, vel omittere, sive contra Regulam, sive contra Superioris mandatum per contemptum, alioqui se mortiferi peccati reum constituit. Hoc docet S. Bernardus tract. de præcepto & dispensatione. *Venialis* (inquit) *est culpa inobedientiæ, si quidem transgressio non sit ex contemptu.* Et S. Thomas loco cit. quem cæteri omnes sequuntur. Censetur ex contemptu ille transgredi, qui hac mente sive Regulam, sive Superioris jussionem violat, ut præfractè ostendat se ista nihili pendere, quanvis alioqui jussio illa vel Regula non obligassent sub mortali, aut ne quidem etiam sub veniali culpa, ut sunt consultoriæ tantùm, aut exhortatoriæ præceptiones, juxta Navarrum cap. 23. num. 41. Lessium lib. 2. cap. 46. dub. 6. contra Cajetanum in Summula, verb. *Inobedientiam*, & Lopez, & Valentiam, existimantes posse esse venialem inobedientiam formalem, quæ scilicet ex contemptu nascitur, aut materiæ parvitate: cui opinioni parum aut nihil esse fidendum reor. Sanè contemptum minùs deliberatum, subitaneum & imperfectum, non esse plusquam venialem, universi eruditi consentiunt. Animi namque subreptio in quacunque materia excusat à mortali culpa, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 5. & 2. 2. quæst. 33. art. 5. & quæst. 58. art. 3.

XIII. Ubicunque sive Lex, sive Regula, sive Superior præcipiens aliquid non intendit ad mortale peccatum obstringere inferiorem, is qui simpliciter citra grave scandalum vel contemptum transgreditur, non plusquam venialiter delinquit, ut suprà ex S. Bernardo, & ex S. Thoma docui. Prælatus autem non censetur cum tanto onere præcipere, nisi suis verbis hanc tam strictam obligationem se intendere manifestet, ut si non obtemperaturo excommunicationem interminetur, aut si in virtute sanctæ obedientiæ jubeat, quæ est communis in Cœnobiis formula, ex se quidem non significans sufficienter hoc tantum onus, cùm possit horum verborum vis exponi quoque pro exhortatione ad opus perfectioris & supererogatoriæ obedientiæ. Sed usus invaluit, ut his verbis intelligatur aliquid mandari sub obligatione mortalis delicti. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 74.

XIV. Egregiè sanctus Bernardus, quem cæteri omnes in hac re ducem sequuntur, tract. de præcept. & dispensat. sic distinguit Superiorum præcepta,

ut sint vel secundùm Regulam, vel contra Regulam, vel supra Regulam, vel infra Regulam. Ita ut in illis quæ sunt secundùm Regulam debeant subditi morem gerere Prælato. Ex adverso in illis quæ sunt contra Regulam, debeant non obedire. At in illis quæ sunt supra vel infra regulam, possint quidem obtemperare etiam cum virtutis & meriti augmento, atque ad majorem perfectionem; ad hoc tamen nulla teneantur obligatione. Cujus hanc rationem ille profert, quia Religiosus quum est obedientiam professus, ad eam solam se astrinxit, quæ cum regulis Ordinis, ad quem ingressus est, conformitatem habet. Itaque si Superior in Ordine S. Francisci præcipiat suis, vel alicui de suis perpetuam carnium abstinentiam, quam Regula S. Benedicti injungit, nemo illi tenetur obtemperare, quia id est supra Regulam S. Francisci, quam ipse cum suis professus est. Idemque neminem suorum obligabit ad parendum, si jubeat ut artem citharizandi addiscant, quia istud est infra Regulam. Si verò idem subditis jubeat ut pecunias ad proprium vel Monasterii usum coacervent, omnes tenebuntur hoc respuere, quia est contra Regulam Ordinis Franciscani. Idemque si quid præcipiat oppositum justis altiorum Superiorum mandatis, putà Summi Pontificis, aut Superioris Generalis, aut Capituli, aut Provincialis, tenebitur subditus obedientiam ei recusare, quia hoc fieret contra debitum obedientiæ ordinem & normam. Sanè potest quivis Regularis Superior sibi subditis quædam ob justas causas imperare, quæ licèt videantur supra Regulam, verè tamen non sunt supra illam, quatenus Regula intendit bonum ac regulare Ordinis regimen. Tale verò regimen permittit, atque etiam flagitat aliquando, ut sive ad pœnam delictorum, sive ob publicas necessitates injungantur pro Superiorum prudenti arbitrio vel privatæ, vel communes sive orationes, sive pœnitentiæ, ac austeritates, quanvis has speciatim Regula non injungat. Atque in his si modum non excedant, incumbit parendi officium.

XV. Præterea justa & rationabilis dispensatio non est contra Regulam, quatenus justo regimini Regula ipsa suffragatur. Atqui justum regimen exigit ut Superiores discernant quandonam opus sit dispensare, aut dispensatum declarare aliquem ex subditis; quo casu debet subditus obtemperare. Angelus verb. *Religiosus*, num. 29. Navarra cap. 23. n. 39.

XVI. Hoc præterea sciendum, Regularem qui sancta ductus intentione instaurandæ collapsæ regularis disciplinæ, molitur Ordinis aut Monasterii reformationem, observatis debitis circumstantiis, non teneri ea in re dependere à Superioribus relaxationi addictis, quia eorum in his prohibitio foret contra Regulam, contra quam non est illis obtemperandum. Atque ita se gessit timoratissima virgo S. Theresia, quæ de seipsa scribit vitæ suæ cap. 13. cùm Superior suus Provincialis recusaret ei licentiam reformandi Monasterium, se tamen à sancto proposito non destitisse; sed interposita sorore sua novam domum ejus nomine coëmisse, insscio Provinciali Prælato, ad novam Reformationis fundationem, quam ille si sciviset, erat impediturus.

XVII. Quæres

XVIII. Quæres num teneatur inferior obedire Superiori in dubio? Reſpondeo cum diſtinctione. Vel dubitat inferior, utrùm qui præcipit ſit verus & legitimus Superior, vel dubitat de materia præcepti, an ſit licita aut obligatoria. In primo caſu de dubio circa perſonam præcipientis, vel favet ei communis Regularium opinio, quanvis pauci aliqui diſſentiant, credentes non eſſe legitimum Superiorem; & tunc debet inferior ſic dubitans adhærere communi judicio, & ita obtemperare. Communis enim opinio facit jus, l. *Barbarius*, D. de offic. Prætor. Si verò non faveat communis Religioſorum opinio, non tenetur dubitans illi obedire; in dubio etenim melior eſt conditio ſuam poſſidentis libertatem, cap. *In dubio*, de regul. jur. in 6. De materia verò præcepti, ſi inferior dubitat num licita ſit, non ei licet in ea re obedire quandiu perdurat dubium: ſic enim peccaret dum ſe peccati periculo exponit. Hoc tamen dubium practicè convenit ei deponere, judicando hoc ſibi licere in hac ſaltem circumſtantia rei à ſuperiore ſibi injunctæ; ſéque determinando per illius, cui obtemperare tenetur, judicium & voluntatem. Cùm enim in re dubia homo ſe frequenter determinet per alterius ſuaſionem & conſilium, cui tamen non habet obtemperandi obligationem, multò major ratio eſt ſubmittendi ſe in re dubia illius arbitrio, cui debet ex officio ſubjici: non enim juſtum eſt ut ex inferiorum ambiguitatibus dependeat Superiorum jus & authoritas præceptiva, aut prohibitiva. Hæc eſt doctrina S. Thomæ 1.2. quæſt. 96. art. 6. in corp. & ad 2. S. Bonaventuræ in 2. diſt. 39. art. 1. quæſt. 3. Angeli verb. *Obedientia*, num. 6. Sylveſtri verb. *Obedientia*, num. 2. Leſſii lib. 2. cap. 41. num. 76. Adeò ut dubium practicè deſinat in præſentibus circumſtantiis, quanvis fieri poſſit ut ſpeculativè perſeveret, hoc eſt dubitet utrùm extra præſentes circumſtantias hoc ſibi liceret. Ratio verò practicæ hujus determinationis eſt iſta, quia Superior eſt in poſſeſſione juris imperandi, quo jure non eſt ſpoliandus per ſibi ſubditorum dubitationes, quos jam conſtat in ejus arbitrium abdicaſſe propriam libertatem. Item Superiores ſingulari modo à Domino gubernantur in ſubditorum regimine. Prætereà prudentis eſt in ambiguis Superiorum judicium ſequi, quos Deus ſui loco poſuit, & quos Dei loco ſubditus agnoſcit & colit. Denique exinde quod quis obedire renuat ſine evidenti, quam poſſit allegare, cauſa, poteſt naſci in ſubdito cauſa ſibi imputanda alieni ſcandali, & pravi exempli. His adde Sacros ipſos Canones nobis illuſtre documentum præſcribere, quomodò nos in ambiguis gerere teneamur, cap. *Inquiſitioni*, de ſent. excomm. ubi ſtatuitur conjugem qui certò ſcit impedimentum ſui matrimonii, quod tamen probare non poteſt, teneri ſuam recuſare obedientiam ipſi Eccleſiæ jubenti ſub pœna excommunicationis, ut debitum conjugale reddat, quia ſic obediendo peccaret mortaliter: ſed ſi credat tale impedimentum ex cauſa probabili & diſcreta fundante dubium aut opinionem probabilem, non poſſe illo caſu exigere, ſed tamen debere officium conjugale petenti reddere, ne pars altera ſuo

ſuo jure fraudetur. Sed ſi hoc dubium vel opinio habeat leve aut temerarium fundamentum, poſſe ex Paſtoris ſui conſilio non ſolùm reddere, ſed etiam exigere debitum, poſtquam illi conſilio acquieſcens ſuam levem & temerariam credulitatem practicè ſaltem depoſuerit.

XVIII. Demùm adverte, nullum Superiorem, ſive regularem, ſive ſecularem, quinimmò nec ipſum quidem Summum Pontificem, poſſe ad aliquid obligare ſub peccato mortali, niſi ex gravi cauſa & capaci tantæ obligationis, ſive per ſe, ſive ratione circumſtantiarum, quæ rationabilem ſic imperandi cauſam inducant. Poteſtas enim Superioribus à Domino collata fuit ad bonum, & non in perniciem animarum, & ut ait Paulus 2. Corinth. 13. in ædificationem, & non in deſtructionem. Unde nec ipſa divina præcepta obligant ſub mortali culpa, niſi gravis materia ſubſit. S. Bernardus tract. de præcepto & diſpenſat. Sylveſter verb. *Religio 6.* q. 6. Leſſius lib. 2. cap. 41. num. 75. addens hanc eſſe communem Doctorum ſententiam. Obedientia Eccleſiaſticæ inſtitutioni rependenda tria perſonarum genera recitationi Divini Officii, ſeu Horarum Canonicarum aſtricta tenet. Primò, Religioſos profeſſos choro deputatos: ſecundò Clericos ſacris initiatos Ordinibus: tertiò Clericos Beneficia poſſidentes. Non eximuntur ab hoc Officio ſacri aut beneficiati Clerici, ſive in exilium, ſive ad triremes, aut perpetuos carceres compulſi, aut degradati, juxta omnes ferè Doctores: non tamen his licet proferre, *Dominus vobiſcum.* Ratio eſt, quia vinculo alligantur indelebilis characteris. At verò Religioſi nullatenus ſacri, ad triremes amandati, aut ex Monaſteriis ejecti, ab hoc onere liberantur. Cùm enim in eis iſtud onus officii ex ſola Monaſteriorum conſuetudine, aut Regulæ Monaſticæ præſcripto ortum ducat, quoties Religioſi ex Monaſteriis & communi Regula ejiciuntur, tametſi votiva caſtitate adhuc adſtringantur, non tamen Regularibus obſervantiis: quippe qui tranſlati ſint ex illo ſtatu & conditione, quæ ipſos Officio Divino tenebat devinctos, & monaſticis, à quibus amoti ſunt, inſtitutis. Ita Sotus lib. 10. de juſtit. quæſt. 5. artic. 3. Bonacina tract. de privata Officii recitat. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 3. & 6. quanvis Suarez, aliique non pauci refragentur. Eadem pariter ratione Moniales, quæ diſſipatis, ſive ob extremam rerum omnium indigentiam, ſive ob belli calamitates cœnobiis, privatam ad ſortem, & ſocietatis cœnobiticæ expertem redactæ ſunt, exſolvuntur ab iſta Divini Officii privatim recitandi obligatione, quatenus à ſtatu illo removentur, in quo vigebat illa obligatio. Atque ita decerni, ac definiri vidimus ab Epiſcopis & Regularium Prælatis, ingruentibus hujuſcemodi caſibus. Sed ſi alò communitas Monialium ſimul digrediatur, illa in eiſdem officii perſolvendi obligatio perdurabit, adhuc perſeverante regulari inter ipſas ſocietate. Ad hoc argumentum ſpectat caput *Ex multa,* §. *Quod autem*, de voto, ſanciens uxorem quæ viro ſuo adhærere tenetur, non tamen hac lege teneri, ſi vir ad tranſmarina etiam ex voti neceſſitate proficiſcatur;

proficiscatur ; quia sic mutato pristino statu , pristina quoque desinit, ac dirimitur obligatio.

CAPUT XXII.

De paupertate Regularium.

I. DUplex est Regularium paupertas ; una quidem generalis ac essentialis , alia particularis & accidentaria. Generalis ea est , quâ omnes & singuli Religiosi , nemine excepto , astringuntur in vim communis voti paupertatis : & dicitur quoque essentialis , quia totum quod habet , ad essentiam pertinet paupertatis ; & si quid inde minuas ac demas, hoc ipso deperibit religiosa paupertas. At verò particularis seu accidentaria paupertas adjungit rigorem & observantiam particularem aliquam pro Regularum & Constitutionum diversitate , supra id quod omni religiosæ paupertati essentiale est. Et ita facilè contingit, ut iisdem in circumstantiis aliquis Religiosus strictioris Ordinis , exempli causâ Capucinus , aut Discalceatus Carmelita , peccet mortaliter contra professam paupertatem ; in quibus tamen circumstantiis Religiosus aliquis laxioris aut mitioris Instituti , verbi gratiâ Benedictinus , provisus de Beneficio , vel de Pensione Regulari , nullatenus peccabit. Ista distinctio planè est necessaria ad discernendum quid liceat , vel non liceat huic , vel illi Religioso circa professam à se paupertatem, & quodnam peculium vel iste, vel ille Religiosus licitè , aut illicitè habere possit.

II. Tripliciter potest intelligi de quo tractamus peculium. Primò ut sit in dominio & potestate possessoris : secundò ut versetur in pleno usu vel usufructu , de quo possit quis ad suum libitum disponere , atque independenter ab alio : denique tertiò, ut sit in usu & administratione, quæ ad alterius arbitrium possit revocari. Duæ illæ priores peculii species secum involvunt proprietatem & independentiam , ideoque repugnant Regularium paupertati , cap. *Non dicatis* , 12. q. 1. & cap. *Monachi* , de statu Monach. Quinetiam sic decernit caput *Cum ad monasterium* , eod. tit. *Nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare, quia abdicatio paupertatis, sicut & custodia castitatis, adeò annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Hoc intelligendum est stante voto, nec ex rationabili, simulque urgente causa per dispensationem relaxato. Tertium porrò peculii genus religiosæ paupertati essentiali non adversatur , dum conceditur usus vel administratio per Superioris sive expressum, sive tacitum consensum ; sic tamen ut ejusdem voluntate revocari queat. Tale namque peculium Religioso conceditur , cap. *Monachi*, §. *Qui verò*, & cap. *Cum ad monasterium*, §. *Tales autem*, de stat. Monach.

III. Tacitus Superiorum consensus plerumque colligitur ex usu qui viget in Monasterio, vel in ipso Ordine, in quo peculia ista permittuntur seu tolerantur à Superioribus, aut longo usu robur acceperunt, aut etiam ubi Statuta & Constitutiones editæ sunt circa hujuscemodi. Tunc enim Religiosus his fundatus possidens aut alienans, non possidet vel alienat tanquam dominus aut proprietarius, sed dependenter à Superiorum, aut ipsius Ordinis concessione. Id verò sufficere ad conscientiam tam Religiosi possidentis vel distrahentis, quàm ejus qui ab eo accipit, docent Navarra, Valentia, Molina, Sanchez, Lessius, Azorius, & Bonacina tract. de largition. muner. puncto 6. propos. 2. num. 11.

IV. Norint autem Regulares, nullam esse præscriptionem adversùs ea quæ sunt Religioni essentialia, & cum votorum observatione incompatibilia, qualis est proprietas ac dominium. Rectè verò S. Basilius Constitut. monast. cap. ult. docet omnem ad hoc astringi Monachum, ut à se omnem abdicet privatam possessionem.

V. Clemens Papa VIII. in Bulla 28. incipiente *Religiosè*, prohibet Religiosis quidquam elargiri, nisi accesserit consensus Capituli generalis, solis exceptis levioribus esculentis & poculentis, atque munusculis ad devotionem pertinentibus, necnon pecuniis quæ ad cultum divinum aut in eleemosynas magis necessarias impenduntur. Excipit autem ab hisce prohibitionibus Religiosos Ordinum Militarium, ut Sancti Joannis Baptistæ & similes. Ista tamen Constitutio per contrariam ubique ferè consuetudinem videtur abrogata. Et qui eam commentariis illustravit Bonacina scribit, Regulares nequaquam illi contravenire, qui magnam etiam pecuniæ summam impendunt de Superiorum Ordinis sui consensu in res divini cultus, aut in pauperum subsidium.

VI. Verùm à prædictis excipiuntur Regulares beneficiarii: si enim Bonacinæ fidem habemus in eodem Commentario, p. 2. num. 2. & Navarræ & aliis ab eodem adductis testibus, Beneficia dispositioni Prælatorum aut Conventuum minimè subjiciuntur, ex quo particularibus Religiosis fuere assignata. Additque jus idem extendi ad pensiones attributas aliquibus Religiosis per Prælatos Regularium, aut per Monasteria, ad eorum victum & proprios usus, de quibus etiam nullas reddere solent rationes Prælatis aut Monasteriis: ita ut scribat, de iis quæ victui suo moderato per parcimoniam subtraxerunt, posse istiusmodi Religiosos beneficiarios pro suo libito ad quoslibet non illicitos usus impendere. Quod idem repetit in tract. de oblig. benef. disp. 4. p. 2. num. 23. ibique disertè asserit, Religiosos Beneficia habentes posse ad libitum instar Beneficiariorum secularium de illa fructuum parte disponere, quam honestæ suæ sustentationi parciùs vivendo subtraxerint.

VII. Verumtamen hæc tam absolutè per Bonacinam & alios quosdam asserta voto solenni paupertatis directè repugnant: cui nihil tam est oppositum ut proprietas vel ususfructus independens, quæ quidem nec in Militaribus

taribus quidem Ordinibus admiserim. Magis itaque placet Azorii doctrina recipienda tam in beneficiatis Monachis, quàm in Militibus Religiosis. Sic igitur ille tom. 1. lib. 13. cap. 4. quæst. 9. *Ulteriùs etiam quæritur, an Religiosi Militares, v. g. Hierosolymitani Equites, reddituum ipsis commendatorum fructus sibi acquirant, eosque faciant suos, ac liberè in usus quos voluerint, impendere possint? Quidam existimant esse fructuum dominos, & paupertatem, quâ per votum astringuntur, non repugnare dominio ususfructus, &c. Respondeo paupertatem quam Hierosolymitani Milites & Equites S. Joannis, S. Jacobi, & Calatravæ, & Alcantaræ in Hispania, & alii Commendatarii vovent, non esse æquè arctam ac Monachorum & Mendicantium; hi enim se abdicant dominio & usu rerum, qui in jure, non in facto consistit: illi verò Milites dominium quidem & proprietatem dimittunt, sed non jus ad usum. Ordo enim concedit eis ut annuos reditus percipiant ad vitæ tempus, ita ut de fructibus possint liberè disponere ut jure sibi debitis quoad usum, eosque locent, permutent, vendant, donent vel arbitratu suo absumant, ut ex bonis sui Ordinis & consensu suorum Superiorum jure perceptos. Etsi verò in facto parum quoad hoc à laicis proprietariis differant; in jure tamen differunt, quia laici percipiunt propria authoritate quasi domini: Milites verò Sacri ut ex alienis bonis, scilicet Ordinis, sed sibi commendatis, atque ex Superiorum nutu & voluntate percipiunt.* Hactenus Azorius. Dicendum igitur, Beneficiarios Regulares, sive Benedictinos, sive Canonicos Regulares, quanvis habeant liberam fructuum dispositionem, non tamen esse eorum dominos; quia libera illa fructuum dispositio non est tanquam propriorum bonorum, sed tanquam bonorum Ordinis, quorum dispensationem & administrationem ipse Ordo ipsis indulsit. Atque istud est tertii generis peculium, cujus sunt capaces aliqui quorundam Ordinum Religiosi.

VIII. Sed & hoc insuper tenendum est, illam Beneficiariorum Religiosorum dispensationem ac usum circa fructus, minùs liberam esse quàm quæ Militibus Regularibus competit. Cùm enim horum vivendi ratio in externis nihil à ratione differat, quam sequuntur Nobiles opulenti seculares, cum quibus etiam versari Sacri Milites ordinariè solent, eadem utique liberalitate possunt in rebus licitis, quâ solent alii paris conditionis Nobiles opulenti, peræquè ab avaritia & prodigalitate alieni. Ubi tamen Sacri Equites per excessum peccarent, gravius esset horum peccatum quàm reliquorum Nobilium Seculi: tum quia rebus sacris, quales sunt Commendarum fructus, abuterentur: tum quia pias fundatorum intentiones eluderent; non tamen harum superfluarum & illicitarum expensarum restitutioni obnoxii essent, cùm tamen reliqui omnes Regulares beneficiarii, qui Beneficiorum fructus malè consumpsere, teneantur vel pauperibus, vel Ecclesiis restituere. Hæc ferè Azorius loco cit. Hac tamen parte Regulares Milites admonitos volo, ut meminerint, & altè animo infigant Apostolica verba: *Nolite conformari huic sæculo.* Et, *Totus mundus in maligno positus est.* Et, *Ut non cum hoc mundo damnemur.* Divites seculares splendidiùs viventes, nec egenis erogantes,

gantes, eidem cum divite illo, quem Lucas commemorat, epulone damnationi se immergunt. Sed Equitibus Regularibus sic viventibus fortior etiam instat cruciatio ex superaddito votorum solennium arctiori nexu.

IX. Gravis quæstio est, utrùm census vitalitius in favorem Religiosi constitutus, sit licitus, necne? Respondeo cum Lessio lib.2.de just. cap.4. dub. 5. num.31. & Azorio tom.1. lib.12. cap. 9. q. 2. licitum esse, modò concurrant simul quatuor conditiones. 1. Ut census assignetur propter alimenta ususque necessarios, & nullatenus superfluos ipsius Religiosi. 2. Ut administratio pecuniæ censualis non committatur ipsi Religioso, sed aliis, putà Officialibus, per quos in usum talis Religiosi pecuniæ expendantur, juxta Decretum Trid. sess.25. de Regular. cap. 2. 3. Ut Religiosus cujus gratiâ constitutus fuit census, nihil sibi juris in eum vendicare possit. 4. Ut Prælato Regulari liberum sit illum etiam censum in alios usus destinare, dummodò aliunde talis Religiosi necessitatibus certò & securè provideat.

X. Quæritur præterea, utrum Religiosus qui suam proposuit indigentiam circa necessitates suas proprio Superiori, & hic ei injustè denegat, v. g. necessarium morbo medicamen, cibos, vestes, stragula, unde grave patitur, aut proximè imminet incommodum, possit occultè de Monasterio subripere sibi necessaria? Posse affirmat Bonacina tract. de restitut. disp.2. quæst.10. punct. 3. post Navarram, Azorium, aliosque, quos ibi citat. Tunc enim Superior iste irrationabiliter invitus, & subditus illi Religiosus habet ab ipsa naturæ lege jus suis necessitatibus succurrendi. Verumtamen Religiosus usurpans sibi necessaria absque Superioris licentia, eoque inconsulto, peccat mortaliter ac dupliciter, tum ratione furti, tum ratione sacrilegii, contra paupertatis votum usurpando sibi proprietatem & dominium. Itaque non potest Regularis quidquam pro suis necessitatibus subripere, nisi priùs urgentem, quam patitur, necessitatem Superiori exposuerit, illeque providere neglexerit.

CAPUT XXIII.

Quatenus sit licitus ad alteram Religionem transitus.

I. DUABUS primariis regulis tota ista quæstio expeditur. Primùm esse illicitum transitum à strictiore ad laxiorem Religionem. Secundò neque licitum esse digressum ab Ordine Mendicantium ad alium Ordinem non mendicantem, excepto Cartusiensium Ordine, sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, ipso facto incurrendæ tam à transeuntibus quàm à recipientibus Religiosis, juxta Extravag.communem 1. de Regularibus.

II. Constat ex cap. *Sanè de Canonico*, de Regular. Religiosum professum posse

posse ad strictiorem Religionem transire, dummodò à suo Superiore licentiam petierit, quanvis eam ab eo non obtinuerit, nihil obstante suæ Religionis privilegio de non transeundo in alium Ordinem. Docent verò Navarra consil.43. & Sà in exemplaribus emendatis, verbo *Religio*, n.38. de quolibet Ordine posse quemlibet Regularem ad Cartusiensem Ordinem se transferre, citra ullam Papæ dispensationem: quandoquidem hoc à Jure communi conceditur, d. Extrav.1. quæ est Martini V. Idemque Navarra de Regularib. comment. 4. n. 3. asserit, si sit probabile dubium, quænam post Cartusienses sit Religio strictior, debere Religiosum qui transire in alium Ordinem prætendit, stare judicio proprii Superioris.

III. Etsi verò perfectio unius Religionis præ alia ex fine dijudicanda sit, & ex mediis per quæ tendit ad finem, qui est amor Dei & proximi, præsertim circa procurandam animarum salutem, ut docet S. Thomas; attamen in foro Ecclesiastico ubi agitur de transitu in alteram Religionem, attenditur potiùs major vitæ asperitas seu austeritas, præsertim circa silentium & solitudinem. Layman lib.4.tract.4.cap.6.num.10. addens majorem austeritatem non esse pensandam dumtaxat ex primitivo Religiosi Ordinis Instituto, sed secundùm præsentem observantiam: atque adeò Religiosum, qui strictiorem Regulam professus sit, si jam illa Regula non servatur in Ordine, posse ad laxioris Instituti Religionem transire, in qua primitiva Regula servatur & viget. Layman. loco cit. post Panormitanum ad cap. *Licèt*, notabili 9. de Regular. qui etiam id probat ex verbis ipsis d.c. *Licèt*, & cap. *Sanè*, de Regular. Sylvestrum verb. *Religio* 4.n.2.& 6. Prosper etiam Fagnanus id confirmat ad cap. *Non est vobis*, n.25. eod.tit. Quin etiam ante hos omnes S. Thomas 2.2.q.189.art.8.in corp. qui hanc doctrinam confirmat exemplo Sancti Joannis Abbatis apud Cassianum collat.19. cap.2.5.& 6.

IV. Nemo Regularis absque Summi Pontificis dispensatione transire potest ad laxiorem Ordinem. Concilium Trident. sess.25.c.19. de Regular. etiamsi (ait Navarra de Regularibus comment. 4. num.3.) ex infirmitate ac debilitate corporis Regulam suam servare non possit.

V. Disputat prolixè Carolus Fevretus lib.2. de Abusu, cap.3. de translatione Monachi ad diversum Monasterium alterius Ordinis; asseritque hanc esse praxim Gallicanam, ut illa nullatenus valeat, nisi ex peculiari Papæ dispensatione. Utcumque res ea sit, ipse viderit: non tamen rectè hoc probat adducens Senatusconsultum Parisiense, quo Abbas Sancti Petri Vivi, eo quòd habitum Benedictinum indulsisset quibusdam Regularibus Franciscanis, compulsus sit eosdem cum Franciscano Habitu repetenti Franciscano Prælato restituere. Id verò Senatusconsultum nihil decernit, nisi communi Juri Canonum conforme, quod in universa viget Ecclesia, juxta Martini Papæ extravag.1. de Regularibus, quæ sic incipit, *Viam ambitiosæ*, qua prohibetur Mendicantium Ordinum Regularibus ad alium quemcunque Ordinem transitus, excepto Cartusiano, citra licentiam supremæ Sedis. Ea verò constitutio non revocat licentiam generalem Canone in-

dultam pro transitu ad austerioris observationis Ordinem, iis qui in Ordine Mendicantium professionem emiserint. Sic non rarò evenit, ut nonnulli præcipitato judicio ad jus Galliæ speciale trahant Curiarum placita prorsus Juri communi consentanea. Cùm igitur Fevretus nullâ aliâ probatione nitatur, ejus testimonium, si aliud argumentum solidius non occurrat, nihil in hac re convincit de Galliæ consuetudine peculiari.

VI. Eidem tamen Fevreto in eodem capitulo lubens assentio, quæstionem moventi de Abbatis Commendatarii potestato circa subditorum Monachorum translationem in diversa à se dependentia Monasteria; est enim rationi congrua illius distinctio ista: vel Monachum transfert per dependentis à se monastici Beneficii collationem, & sic legitima est illa translatio; quandoquidem Commendatariis Abbatibus competit libera Beneficiorum collatio, ex qua sequitur in proviso jus & obligatio residendi: vel Commendatarius aliâ, quàm collationis viâ illam transferendi potestatem sibi vindicare intendit, verumtamen jus illud non aliter habet, nisi Cardinalis dignitate præfulgeat. Enimverò jus istud soli competit Commendatario Cardinali; necnon Priori Claustrali, qui solus professiones solennes admittere potest, cui spondetur obedientia regularis, inhæret, utpote ad quem spectat interius ac regulare Monasterii regimen. Ibidemque ita judicatum refert à Senatu Divionensi adversus quemdam Commendatarium, additâ etiam pecuniariâ multâ, Febr. 17. an. 1617.

VII. C[illegible]ndatarius perpetuus, quanquam à solo Papa provisus hac lege, u[illegible]cessum aut decessum provisi desinat Commenda, tituloque redintegret[illegible]otest nihilominus Commendæ suæ renunciare in favorem apud Papa[illegible]vel absolutè ac simpliciter in manus Ordinarii, qui non poterit eandem alteri conferre Commendam, sed solùm in titulum, nisi sit Consistoriale Beneficium, de quo solus Papa disponendi potestatem habet. Etiamsi verò post Commendam Papæ finitam dicant Ultramontani Doctores, non posse ab Ordinario provideri in titulum, eo quòd Beneficium per eam, quæ præcessit, Commendam sit jam Summo Pontifici affectatum: in Regno tamen Franciæ contrarium jus usu indubitato viget, ut possit Ordinarius postquam Commenda Papæ desiit, de titulo providere ad libitum, ut scribunt unanimes Gallicani Jurisconsulti, Rebuffus tract. de pacific. possess. num. 46. & seqq. Guido Papæ quæst. 152. Ruzeus tract. de Commendis, quæst. 6. Fevretus lib. 2. cap. 6. n. 24. Qui iidem docent præterea Gallicanam istam praxim fundari in Concordato Bononiensi, quo reservationes sublatæ sunt in Gallia, tit. de reservationibus. Iidem quoque tradunt, in eodem Regno Commendas perpetuas solere permutari cum Beneficiis in titulum collatis, hisque suffragatur Imola in cap. fin. de rerum permut. & Federicus tract. de Beneficiorum permut. quæst. 15. Asseritque Rebuffus in praxi, tit. de Commenda, num. 53. sæpius se vidisse Beneficium commendatum permutari cum alio in titulum, etiam coram Ordinario, tametsi oppositum jus in Ultramontanis partibus vigeat.

VIII. Cùm

VIII. Cùm verò jus & ratio suadeant, solutâ per obitum Commendâ ad vitam concessâ, debere Beneficium in pristinum statum ac titulum resurgere: similiter si Clericus, sive sit Secularis, sive Regularis, à Summo Pontifice perpetuam habens indultam sibi Commendam, resignet dum adhuc in vivis est, hoc ipso illa, utpote dispensatoriè concessa, desinet in titulum, quo potietur is, in quem sive Papa, sive Ordinarius providerit, ut idem tradit Fevretus num. 25.

IX. Quilibet Religiosus de licentia sui Abbatis potest mutari & transferri ad aliud monasterium, quod sub eodem Abbate regitur, eandemque profitetur Religionem. Cùm verò Summo subjiciantur Pontifici Monachi omnes, atque Monasteria per universam Ecclesiam diffusa, si Papa conferret, vel commendaret Religioso Beneficium aliquod in alio Monasterio, illius hoc ipso personam transferret, quia unum horum ex altero consequens est. Quia verò ad notitiam translationis Monachorum multùm eruditionis confert caput *Cùm singula*, §. fin. de Præbend. in 6. ideò huc verbatim transferendum duxi: *Prohibemus insuper ne Prioratus, vel Ecclesiæ, aut administrationes, seu officia unius Monasterii consueta per ejusdem Monachos gubernari, committantur deinceps absque authoritate Apostolicæ Sedis alterius Monasterii Monachis gubernanda, nec hactenus commissa dimittantur eisdem, sed per eos ad quos pertinet, liberè ordinentur; cùm illis non liceat habere locum in diversis Monasteriis, quorum unum ab alio non dependet; nec aliorum Monasteriorum, nisi canonicè transferantur ad ipsa, Prioratus, Ecclesias, administrationes vel officia gubernare. Qui verò contra prohibitionem præsentem prædicta de cætero alienis Monachis commiserint, vel dimiserint jam commissa, ea vice ordinandi de ipsis sint potestate privati, & de eis per Diœcesanos (si exempti non fuerint) alioquin per Sedem Apostolicam ordinetur. Ii autem qui ea suscipere, vel suscepta præsumpserunt detinere, reddantur ineligibiles ipso jure.*

CAPUT XXIV.

Utrùm Beneficiarii, aut Episcopi olim Religiosi, aut alii etiam quilibet Regulares testari possint de fructibus à se perceptis.

I. EAs esse Religiosis possidere tertii generis peculium, quoad usumfructum, cum dependentia Ordinis, vel Superiorum, de quo possint aliquatenus inter vivos, ad pias præsertim causas disponere, superiùs docui. Verumtamen testari nec licitè, nec validè possunt, can. *Quia ingredientibus*, 19. q. 3. & authent. *Ingressi*, Cod. de Sacrosanct. Eccles. Neque ullatenus dispensari in his potest, nisi subsit gravis & justa causa; nec

nec ab alio nisi à Papa, de iis quorum usum administrationemque habet Religiosus. Censent aliqui dispensationem hac in re nihil esse quàm relaxationem voti paupertatis secundùm aliquam partem. Cæterùm cùm ad jus testandi non requiratur necessariò dominium, sufficiatque consensus & administratio cum dependentia ad hanc rem, sicut & ad Religiosi donationem; ideò meli[illegible]set Lessius hanc dispensationem non esse contrariam voto paupertatis: atque hac ratione potest Religiosus contra Juris regulam, plus juris in alium transferre, quàm ipse habeat, nimirum dominium & proprietatem quâ ipse caret.

II. Utrùm verò Religiosus factus Episcopus solvatur ipso jure voto paupertatis, ac efficiatur dominus reddituum, possitque condere testamentum, celebris quæstio est. S. Thomas 2, 2. quæst. 18. art. 8. aliique plerique quos citat & sequitur Sanchez in Summa, tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 8. negant hæc fieri ab Episcopo Religioso posse citra Papæ rationabilem dispensationem, hoc argumento, quia non laxantur religiosæ professionis vota per sequentem Episcopatum, nisi quatenus muneri Episcopali tanquam majori bono obsistunt. Jus enim naturæ prohibet, ne ea quæ Deo sanctè promissa sunt, sine ulla necessitate solvantur. Universaque ipsa Ecclesia, tam Orientalis in Synodo octava œcumenica contra Photium can. 14. quàm Occidentalis in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. can. 16. Monachos ad Episcopatum promotos obligat ad deferendum regularem habitum: quæ sanctio legitur & in cap. *Clerici officia*, de vita & honest. Cler. Atqui administratio bonorum Ecclesiæ quæ competit Episcopo, nihil obstat paupertati religiosæ, ac abdicationi dominii.

III. Ex oppositio, à votis Religionis immunem fieri Episcopum affirmant Dominicus Soto lib. 7. de just. quæst. 4. art. 2. ad ult. Vasquez in p. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. cap. 8. num. 91. in fin. & cap. 9. num. 104. ubi asserit Monachum factum Episcopum, dominium verum habere, & vinculo paupertatis solvi, atque multò magis à præceptionibus & abstinentiis in Regula præscriptis, quæ utique non pertinent ad ipsius Religionis essentiam, ad quam tamen pertinet paupertas. Huic sententiæ favet canon *Statutum*, 18. quæst. 1. disertè dicens: *Monachus quem canonica electio à jugo Regulæ monasticæ professionis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem posteà jure vendicandi habeat.* Quoad verò Jus Gallicanum, vetustissima & generalis in universo hoc Regno consuetudo viget, ut Religiosi facti Episcopi nulla in re pristinæ Religioni astringantur, nisi ut colorem Ordinis in habitu servent. Sunt quippe successionum, aliarumque acquisitionum capaces, dominia & proprietates sibi acquirunt, disponuntque tam inter vivos quàm per ultimas voluntates, pro libito testamenta condunt, & si intestati decedant, successores habent non Monasterium, non Ecclesiam, sed propinquos.

IV. Prioribus quidem Ecclesiæ seculis fas erat F[illegible]opis etiam Monachisnum anteà professis testamenta condere. Ex Latinis enim adhuc

testamenta

teſtamenta ſuperſunt Sanctorum Epiſcoporum Cæſarii Arelatenſis, & Remigii Rhemenſis: ex Græcis verò Gregorii Nazianzeni, dum eſſet, ut ibidem commemorat, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopus. His ſucceſſerunt intermedia ſecula, quibus vetitum fuit Epiſcopis & Clericis teſtari de proventibus Eccleſiæ, etiam ad pias cauſas, cap. *Quia nos*, & cap. *Relatum*, 12. & cap. *Cùm in officiis*, de teſtam. quia in his rebus ſuccedebat illis Eccleſia. De patrimonialibus tamen, aut aliunde quàm ab Eccleſia comparatis facultatibus poterant etiam ab ipſis Eccleſiæ primordiis ad libitum ſuum diſponere, & inter vivos, & causâ mortis. Sic enim ſtatuitur Apoſtolorum canone 39. & 46. *Ut Epiſcopi* (inquit) *quæ propria ipſorum ſunt, valeant in quoſcumque placuerit hæredes transferre; ut tamen ad alios res Eccleſiæ minimè tranſeant.* Et Antiochenum Concilium Julio I. Pontifice habitum, ſancit can. 24. ut poſſit quidem moriturus Epiſcopus quæ ſui patrimonii ſunt, quibus ipſi libuerit relinquere, ſed ipſæ res quas habebat Eccleſiæ, ſine diminutione ipſi Eccleſiæ ſoli relinquantur. Refertur in can. *Quicumque*, 9. quæſt. 1. His concinit ac ſuffragatur canon 48. Concilii Agathenſis, & Concilium I. Hiſpalenſe, Sanctuſque Gregorius Papa lib. 10. epiſt. 42. ad Deuſdedit Epiſcopum Mediolanenſem, ac Concilium generale Lateranenſe ſub Alexandro III. can. 15. Sed in his poſtremorum ſæculorum fæcibus concidit demùm ſacra hæc diſciplina, invaleſcente contraria conſuetudine, ſecundùm quam ſcribit Covarruvias commentar. ad tit. de teſtam. num. 23. quoſlibet Clericos validè teſtari ex uſu communiter recepto de proventibus Eccleſiaſticis, etiam in gra m cognatorum: ſoloſque Epiſcopos teſtari non poſſe, niſi de ſpeciali mmi Pontificis licentia. Sed & iſtud circa Epiſcopos repagulum tandem divulſum & abruptum fuit; & teſtatur Leſſius multis locis receptum eſſe, ut de proventibus Eccleſiaſticis indiſcriminatim teſtentur Epiſcopi & alii quilibet Clerici abſque diſpenſatione ulla. Atque hanc in univerſa Gallia vigere conſuetudinem cernimus. Sed non obſtat perverſa iſta conſuetudo quominus qui de proventibus Eccleſiaſticis in res profanas diſponunt, ſive inter vivos, ſive per ultimas voluntates, peccent mortaliter & æternæ damnationi ſe obſtringant.

V. In aliis quibuſdam locis introductum fuit jus Spolii, quo Epiſcopis & beneficiatis Clericis interdicitur ultima aliorum bonorum quàm patrimonialium diſpoſitio, ut his decedentibus ſuccedat in bona ex Eccleſia acquiſita non jam ipſa cui miniſtraverunt Eccleſia, ſed Fiſcus Pontificius. De hoc noviſſimo jure nihil legitur in toto corpore Juris Canonici: ſed prima quam comperi ejus mentio habetur apud Guidonem Papæ deciſ. 110. Verùm non eſt receptum iſtud Spolii jus in Gallia, neque in Germania, neque in Belgio, neque in Luſitania. At verò in Regno Caſtellæ ſola Epiſcoporum, non autem aliorum Beneficiatorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ acquiruntur. In Italia verò tam Beneficiatorum inferiorum, quàm

Episcoporum spolia Fisco cedunt Apostolico, ut testantur Martinus Navarra tract. de spoliis, §.14. Azorius part.2. lib.8. cap.4.

VI. Validè hoc fieri quidem videmus, ut per ultimam voluntatem Clerici de fructibus acquisitis Beneficiorum liberrimè disponant extra pias causas, atque in his etiam succedant intestatis Clericis sanguine propinquiores. Licitè tamen ac citra dispendium salutis æternæ, ita disponere de hujusmodi fructibus Clerici non possunt, nisi de solis illis quos parciùs vivendo sibi asservarunt, cùm potuissent absque peccato propriis usibus statui suo convenientibus eosdem impendere. Distributiones autem cùm persolvantur quasi merces & stipendium quotidianæ operæ ac laboris, cap. *De cætero*, de Cler. non resid. & cap. *Licèt*, de Præbend. nec in fructibus computari debent, nec habent obligationem adnexam, ut ad opera pia prorsus applicentur, non magis quàm bona patrimonialia, aut ex causis profanis quæsita, ut communiter tradunt Doctores. Decius consil. 280. col.1. Ancharanus in Clement. unica, quæst.5. de concess. præbend. Rota decis.134. in novis : Rebuffus tract. Nominationum, quæst. 9. num. 39. & seqq. S. Antoninus p.2. cap.1. §.fin. Sylvester verb. *Clericus* 4. quæst.4. Barbatia in cap. ultim. de pecul.Cleric. Bonacina tract. de obligat.Cleric. circa benefic. fructus, puncto 2.num.18. Tarradus in amplitudine Beneficiaria, disp.8. quæst.1. num.21. 22. 23. 24. & alii.

VII. In hac verò quæstione dissentiunt ab invicem Doctores, utrùm de fructibus qui congruum Beneficiatorum victum excedunt, disponentes sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem extra causam pietatis, sive ad luxum, sive ad locupletandos cognatos, teneantur restituere pauperibus, sive Ecclesiæ ? Quod enim graviter peccent, indubitatum faciunt multæ rationes & Sacri Canones, præsertim Lateranensis sub Alexandro III. Concilii canon 15. relatus in cap. *Cùm in officiis*, de testament. Dissident etiam Doctores, utrùm illi in quos indebitè Beneficiarii contulere Beneficiorum fructus, aut qui eos hæreditate acceperunt, teneantur se his abdicare, & in pietatis usus transferre ; an verò sibi possint retinere ? Sed has expediam quæstiones infra lib. 6. ubi de restitutionibus Clericorum disseretur.

LIBER

LIBER SECUNDUS,
Qui est de Beneficiis Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

Quid sint Beneficia, eorumque variæ divisiones; & de jure Commendarum.

1. BENEFICIUM, quod etiam Præbenda vocatur, est jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, Clerico concessum ob sacrum & Ecclesiasticum ministerium. Duæ namque res in Beneficio comprehenduntur, scilicet fructus temporales, & Ecclesiasticum ministerium, cujus exercendi causâ fructus assignantur: unde regula, *Beneficium datur propter Officium*, cap. ult. de rescript. in 6. In ratione Beneficii duo ista sunt ab invicem inseparabilia, ut docet canon *Si quis objecerit*, 1. q. 3. Sicut igitur à Romanis Imperatoribus agrorum portiones sub nomine Beneficiorum militibus attribuebantur, ut hoc quasi vinculo Principis obsequio & Imperii militiæ strictiùs addicerentur, unde & Beneficiarii Milites dicebantur, quorum meminit Lampridius in Alexandro Severo: quemadmodum etiam sub nomine quoque Beneficiorum solebant Domini prædia vassallis seu clientibus in feudum largiri sub hac conditione, ut ad militandum pro ipsis astricti essent, quorum fit mentio lib. 1. feudor. tit.

tit. *An marili succed. uxor. in benef.* 15. & tit. *De benefic. frat. & qualiter frat. in benef. fratr. succed.* 20. & lib. 2. tit. 12. & tit. 24. Ita etiam redditus & emolumenta annua sub nomine Beneficiorum Clericis præstare solet Ecclesia, cum obligatione strictiori militandi Deo, & certæ Ecclesiæ obsequia præstandi. Primis Ecclesiæ sæculis ex Fidelium primitiis & oblationibus Ecclesiæ Ministris pecuniæ collectæ in sportulis distribuebantur ad victum, ut constat ex Cypriani epistola 34. Quæ distributio in Ecclesia Carthaginensi singulis mensibus iterabatur: ideóque ibidem eas vocat mensurnas, id est menstruas, divisiones. Sed progressu temporum, postquam diversis prædiis auctæ sunt Ecclesiæ, factum est, ut ministrantibus Clericis prædia passim assignarentur ad vitam, ut se fructibus ipsorum sustentarent, manente penes Ecclesiam terrarum inviolabili proprietate. Quæ quidem assignatio nostris beneficiis nomen simul & originem dedit. Hujusmodi Ecclesiasticæ institutionis mentio prima legitur in duabus Symmachi Romani Papæ ad Cæsarium Arelatensem Episcopum epistolis, ut Baronius observat ad annum Christi 502. n. 36. 37. & 38.

II. Ad constituendum Beneficium necesse est ab Episcopo in Titulum erigi: hinc fit ut privatæ Capellæ à privatis etiam in perpetuum dotatæ pro Missarum in eisdem celebratione, quantumvis benedictæ, non censeantur inter Beneficia, sed sub sola remaneant fundatorum & successorum dispositione, inscio etiam Episcopo, qui solus potest eas intitulare ac spiritualizare, ut loquuntur Canonistæ, & eas deinceps ut Beneficia Ecclesiastica conferre, sola Patronis relicta præsentatione. Atque ex tunc, & non antè, subjici incipiunt Papalibus Decimis, & simoniæ beneficialis censuras secum trahunt, atque in Beneficiorum impetrationibus coram Papa vel Legato exprimi debent, permutari cum aliis Beneficiis possunt, & regulis Cancellariæ fiunt obnoxiæ, insuper & fructuum restitutioni, si Divini Officii recitatio fuerit omissa: ad quam restitutionem non tenebatur provisus antequam Episcopus intitulasset, dummodò Missarum obligationi satisfeciisset. Hæc verò observanda sunt ad multorum casuum occurrentiusi elucidationem.

III. Dividuntur primùm Beneficia in Secularia & in Regularia. Ad Secularia non nisi Secularibus Clericis; ad Regularia nonnisi Regularibus patet accessus, cap. *Cùm singula*, de præbend. in 6. & Clement. 1. de elect. Ea verò tribus discernuntur modis. Primò fundatione, can. *Quæ semel*, 19. q. 3. Secundò conversione ac mutatione status à seculari in regularem, & vice versa à regulari in secularem, cap. *Ad audientiam*, de Eccles. ædif. Tertiò longa consuetudine ac præscriptione, quatenus per tempus legitimum regularia per Seculares Clericos, aut secularia per Regulares possessa fuerunt, cap. *Cùm de beneficio*, de præbend. in 6. Istud verò tenendum, ad hoc ut Beneficium regulare in statum secularem præscribi possit, atque seculare in regulare Beneficium convertatur, annos requiri quadraginta,

quadraginta, d. cap. *Cùm de beneficio*, juncta Gloſſa in verb. *Legitima*, Deſpeiſſeus de Benefic. tit. 3. num. 31. & 37. Rebuffus 1. p. praxis, tit. *Quotuplex ſit benef.* num. 5.

IV. Item ſolus Papa providere poteſt Regularem perſonam de Eccleſia Seculari, can. *Qui ſemel*, 19. q. 3. Cùm tamen quilibet Ordinarius poſſit in ſua Diœceſi conferre Beneficium Regulare Clerico Seculari, can. *Si Epiſcopus*, 2. q. 2. Qui tamen Clericus ſic proviſus tenetur ſtatim Habitum Regularem ſuſcipere, & poſt annum profeſſionem emittere, ex præſcripto Concilii Trident. ſeſſ. 14. cap. 10. de reform. Hinc tamen excipiuntur Abbatiæ & Prioratus Regulares, de quibus nullo modo poſſunt Ordinarii providere.

V. Hoc pariter notandum, poſſe quoque Secularibus Clericis abſque obligatione aſſumendi Monaſtici inſtituti conferri Abbatias & Prioratus Clauſtrales & Canonicatus Regulares in Commendam, ſed non in Titulum. Navarrus hæc fuſiùs pertractat in comment. 3. de Regular. & Proſper Fagnanus in cap. *Cùm in Magiſtrum*, num. 13. & ſeqq. de election. ubi rectè monet, non eſſe in Jure novum, ut Beneficia certo perſonarum generi deſtinata conferantur illis etiam qui tempore proviſionis hujus non ſunt de illo genere. Primum exemplum eſt in Secularibus, qui providentur de portionibus & Beneficiis Monachalibus, aut Canonicatibus Regularibus, uti jam dixi. Secundum eſt in proviſionibus Parochialium Eccleſiarum, quæ fieri permittuntur reſpectu Clericorum necdum Sacerdotum, qui tamen tenentur intra annum ad Sacerdotium promoveri, cap. *Licèt canon*, & cap. *Cùm ex eodem*, de election. in 6. & cap. *Si pro Clericis*, cum ſua Gloſſa, de præbend. in 6. Tertium exemplum patet in Beneficiis, quibus certa onera ſunt annexa, quæ tamen ritè conferuntur Clericis necdum habentibus Ordines requiſitos ad ea onera exercenda. Nam Præbendæ Diaconales & Sacerdotales conferri poſſunt illis qui intra tempus à Jure ſtatutum poſſunt præfatis Ordinibus initiari, Clement. *Ut ii*, de ætat. & qual. quam inſtaurat ac innovat Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. & ſeſſ. 24. cap. 12. §. *Neminem*. Admonet idem Fagnanus loco cit. num. 28. collationes Ordinariorum in ejuſmodi caſibus non eſſe faciendas ſub forma conditionata (ſoli enim Papæ jus conferendi ſub conditione competit) ſed eſſe ſimpliciter & purè faciendas: cum decreto tamen, ut teneantur ſive habitum aut profeſſionem, ſive Ordinem ſuſcipere ex præſcripto Canonum.

VI. Verumtamen Ordinarii nullum jus habent circa Beneficia certo alicui Monaſterio affectata, ubi in commune vivitur: horum namque proviſio pertinet vel ad Prælatum Regularem, vel ad Regulare Capitulum. Antonius Faber in ſuo Codice, lib. 1. tit. 2. definit. 65. Antonius Deſpeiſſeus tract. de benefic. tit. 1. num. 3. niſi (ut ibidem aiunt) tempore præſcripto non fuiſſet de tali Beneficio proviſum, & jus ad Ordinarium devolveretur.

VII. Secundò dividi solent Beneficia in simplicia, quibus non est adnexa administratio, vel Clerus, vel populus: & duplicia, quibus aliquid horum adnexum est.

VIII. Tertiò alia Beneficia curata, alia non curata dicuntur. Curatis inest vel jurisdictio erga Clericos, quæ cura spectat ad tribunal exterius: vel jus inest administrandi Sacramenta, quæ cura est interni fori.

IX. Quartò distribuuntur Beneficia in Dignitates, Personatus, & Officia, quæ sic exponit Glossa in cap. 1. de consuetud. in 6. ut Dignitati affixa sit Ecclesiastica administratio cum jurisdictione supra Clerum: tales sunt Episcopatus, Abbatiæ, Decanatus, Præposituræ, Archidiaconatus. Personatui cohæret præeminentia supra Clerum sine jurisdictione, ut in Præcentore, Primicerio, Sacrista primario. Officio demùm inhæret administratio sine ulla jurisdictione & præeminentia: hujusmodi sunt Canonicatus, Præbenda Theologalis, & Præceptoria, Thesaurarii, Custodis seu Sacristæ inferioris officium, atque Oeconomi.

X. Quintò in manualia, quæ ad collatoris arbitrium revocari possunt, de quibus agit Clement. unica de suppl. negl. Prælat. & non manualia, quæ adimi non possunt, nisi certis de causis à Jure statutis, ut sunt delicta, irregularitates. Negat Rebuffus ulla esse in Gallia Beneficia manualia.

XI. Sextò in electiva, quæ per Clericorum, sive Secularium, sive Regularium suffragia; & in collativa, quæ per absolutum Prælati arbitrium; & mixta, quæ ad Patronorum nominationem, seu præsentationem attribuuntur à Prælato.

XII. Sicut autem paulò ante pleniùs explicavi jura, tum communia, tum distincta inter secularia & regularia Beneficia; similis hoc loco instituenda est tractatio, primùm quidem de distinctione Beneficiorum inter titularia & commendata: deinde de Beneficiis tam actu, quàm habitu curatis. Itaque conferri Beneficia solent in titulum, quando scilicet ad vitam, & cum plenitudine juris conferuntur: vel in commendam, si solius administrationis, aut custodiæ causâ conferantur. Ulteriùs possunt duobus modis Beneficia in commendam conferri: vel namque id fit in utilitatem Ecclesiæ, vel in utilitatem Commendatarii. Si fiat in utilitatem Ecclesiæ, non permittit Jus commendam istam ultra sex menses prorogari; quin etiam præcipit, ut Commendatarius rationes reddat fructuum commendati sibi Beneficii, cap. *Nemo*, de election. in 6. habetur enim pro sequestro, qui est reddendis rationibus obnoxius, cap. fin. de sequestratione.

XIII. Ubi autem Episcopus Ecclesiam Parochialem commendat, eo quòd ejus Rector sit mente captus vel absens, nullo relicto Vicario vel Coadjutore, potest Episcopus talis Ecclesiæ Commendam conferre, donec

amentia

amentia vel absentia durabit, quanvis ultra semestre; etiamsi duratura esset totâ Rectoris vitâ. Ubi verò commendatum est Beneficium ad solam Commendatarii utilitatem, potest ea commenda esse perpetua, id est ad omnem ejus vitam. Perpetuo Commendatario omnia ferè jura permittuntur, quæ Titularibus competunt. Possunt enim de commendato Beneficio transigere, fructus ad plures annos locare, & eosdem alienare, cùm sint eorum domini. Possunt quoque permutare cum Beneficiis alteri in Titulum collatis, ut docet Rebuffus in praxi, tit. de Commendis, num. 53. Possunt quoque perpetui Commendatarii à Papa (ad quem duntaxat pertinet perpetuarum Commendarum collatio) provisi circa Beneficia non Consistorialia, id est quæ neque sunt Episcopatus, neque Abbatiæ, de quibus Papa providere solet in Consistorio; possunt, inquam, coram Ordinariis eadem commendata Beneficia resignare, si sint eorum collationi subdita, modò non resignent in favorem, aut sub conditione. Rebuffus d. tit. de commendis, num. 51. Bleinianus lib. 3. tit. 8.

XIV. In Regno quoque Galliæ per Commendatarii perpetui obitum vacat Beneficium, & ita impetratur ac si fuisset in Titulum, ut locis citatis docent Rebuffus & Bleinianus: etiamsi alibi ex Jure communi, defuncto Commendatario non dicatur vacare per obitum, ut neque deposito per depositionem, aut resignante eodem per resignationem; sed cessare Commendam, novamque fieri Beneficii impetrationem, eo solo modo vacantis quo vacabat antequam commendaretur: hoc tamen adjuncto, quod vacare in Romana Curia perhibetur, quanvis ante Commendam verè vacasset extra Curiam, & apud Ordinarium. Cujus rei rationem allegant Canonistæ, quia per eam manus appositionem, quæ contigit per commendatum à Papa vel Legato Beneficium, remansit affectum & reservatum ipsi Papæ. Sed quia in Gallia reservationes ad Romanam Curiam sublatæ sunt, Ordinarius circa istud commendatum Beneficium vacans uti potest jure suo: Beneficium tamen istud ab Ordinario collatum desinet à Commenda, pristinumque titulum resumet.

XV. Possunt similiter perpetui Commendatarii, quemadmodum & titulares, præsentare, eligere, conferre in Beneficiis à commendata sibi Ecclesia dependentibus.

XVI. Itaque in alterius Beneficii impetratione tenetur perpetuus Commendatarius istud commendatum sibi Beneficium exprimere, perinde ac si haberet in titulum: alioqui fiet irrita impetratio. Ruzeus tract. de Commendis, quæst. 7. Rebuffus loco cit. n. 52.

XVII. In Galliæ Regno, sumpta possessione per Commendatarium æquè ac per Titularem, regalia clauditur. Qui plura de Commendis exquiret, consulat superiùs lib. 1. sub tit. *Quatenus sit licitus ad alteram Religionem transitus*, articulis 5. 6. 7. & 8.

XVIII. Circa divisionem porrò superiùs adductam Beneficiorum curatorum

curatorum & non curatorum, ſciendum eſt, curata alia eſſe actu, alia ſolo habitu. Contingit enim plerumque, ut ob bellum, peſtem, aliamve ingruentem calamitatem Eccleſia Parochialis prorſus deſerta fiat, Parochianis partim morientibus, partim aliò commigrantibus: & tunc Eccleſia derelicta, dicitur habitu & non actu curata. De hujuſmodi habitu ſolo curatis Beneficiis quæritur utrum legibus omnibus actu curatorum Beneficiorum ſubjiciantur? Reſolvit negativè Rebuffus 2. p. praxis, tit. de non promot. ante ann. num. 34. ubi docet, tales proviſos de Eccleſia ſolo habitu curata non teneri ad Sacerdotium intra annum promoveri, niſi ex quo regreſſis jure poſtliminii Parochianis, Eccleſia curam actualem recuperaverit. Addit Bleinianus lib. 3. tit. 2. num. 42. & 43. ſi poſt prædictum annum recuperatæ actualis curæ proviſus aliud Parochiale Beneficium habeat, non poſſe citra Papæ diſpenſationem utrumque retinere.

CAPUT II.

Diverſa & neceſſaria temporum præſcripta ſervanda in re Beneficiaria.

I. IN primis obſervare tempora convenit electionibus primùm, deinde electionum confirmationibus conſtituta. Nulla verò canonica actio tanti videtur eſſe momenti ac electio. Cùm enim Eccleſiæ ſtatus, animarumque ſalus aut exitium ex bonis maliſve miniſtrantium Clericorum qualitatibus dimanet ac diffluat; Miniſtri autem Eccleſiæ per electionem provideantur, electio fons & principium eſt omnis ferè boni aut mali advenientis in Eccleſia. Hoc egregiè admonet S. Papa Gregorius Magnus in lib. 1. Regum, ad hæc Samuelis verba, *Quæſivit ſibi Dominus virum juxta cor ſuum, & præcepit ut eſſet Dux ſuper populum ſuum*, dum ita ſcribit: *Quæſiſſe virum Deus dicitur, ut eligendorum Antiſtitum forma hominibus præbeatur. Deus enim, cui nihil eſt abſens, nihil latens, non dicitur quæſiſſe virum ut abſentem aut abſconditum; ſed quæſiſſe dicitur, ut omnis qui ad Sanctæ Eccleſiæ culmen eligitur, diſcutiendus ab hominibus eſſe doceatur: ſed quæri debet ſecundùm cor Dei, ut videlicet non ſolùm divinam voluntatem intelligat, ſed bonis operibus oſtendat.* Hactenus S. Gregorius.

II. Canonica electio nihil juvat, niſi eligentium vota ſuperioris approbatione confirmentur. Debet verò electus, ut rata fiat electio, eidem conſenſum

consensum præbere intra mensem à die notitiæ computandum ; & post consensum confirmationem prosequi intra tres menses, ne longior vacatio fiat Ecclesiæ dispendiosa, ut sancit Concilium Lugdunense Generale sub Gregorio Papa X. & allegatur cap. *Quàm sit Ecclesiis*, de election. in 6. Non est autem à Prælato electio confirmanda, nisi diligenter discutiatur electi conditio, ut sapienter admonet S. Leo Papa Magnus epist. 85. ad Episcopos Africanos, & citatur cap. *Miramur*, dist. 61. Electio porrò necdum confirmata imperfectum dumtaxat jus electo tribuit ad rem, sed nullum jus in re, nisi post confirmationem. Ideoque vetatur ante confirmationem ministrare ; adeò ut si ministret, sive per se, sive per alium, sive in parte, sive in toto, privetur eo ipso per electionem quæsito jure, ut definit præfatum Concilium Lugdunense citatum in cap. *Avaritiæ*, & dict. cap. *Quàm sit Ecclesiis*, de election. in 6. Quod idem antiquiora quidem jura constituerunt, cap. *Qualiter*, cap. *Nosti*, & cap. *Bonæ memoriæ*, de election. in antiquis.

III. Sicut præfinitum electioni & confirmationi tempus, ita & collationi Beneficiorum præfixum quoque tempus internoscendum est, quod est semestre auspicandum à die notitiæ vacationis, juxta caput *Licèt Magister*, de suppl. neglig. Prælat. & cap. *De multa*, de præbend. & cap. *Quia diversitatem*, de concess. præbend. Quo lapso termino secundùm Lateranense sub Innocentio III. Concilium, jus conferendi ad superiorem devolvitur.

IV. Quod dixi de electione & confirmatione, hoc idem ob rationis omnimodam paritatem censendum de eo, cui absenti & nescienti collatum fuit Beneficium, ut scilicet mensem habeat à die notitiæ decurrendum, ad præstandum collationi consensum, tresque insuper menses ad sistendum se Prælato, edendamque Fidei professionem, & ineundam Beneficii possessionem. Collationem namque Beneficii non est necesse fieri Clerico præsenti, sed potest absenti, alio mediante, conferri, juxta cap. *Accedens*, de præbend.

V. Provisionem Beneficii sequitur proximè immissio ad provisi Beneficii possessionem. Istud enim solicitè curandum, ut collatio Beneficii præcedat sumptionem possessionis ; alioqui namque possessio ista erit mera intrusio, excludetque possidentem ab hujusmodi provisione ex postfacto, cap. *Cùm jam dudum*, de præbend. & ibi Panormitanus. Rebuffus in praxi, tit. de missione in possessionem, num. 8. & 9. Et inconcussa est regula 1. Juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.*

VI. Mandatarius quando duo Beneficia per unius prædecessoris obitum vacant, si mandatum Pontificium clausulam exprimit motus proprii, decem dies habet ad eligendum utrum è duobus velit acceptare, cap. *Si pluribus*, de præbend. in 6. Mandatarium hîc illum intellige,

in cujus gratiam Papa mandatum de providendo Beneficio indulsit. Sed in Regno Gallicano mandatarius requirere non potest, ut sibi conferatur ante finitum præsentationis mensem, ut observat Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de Devolutionibus, num. 2. & probat hisce Concordati verbis, sub tit. de forma mandati : *Si quod Beneficium post mensem postquam præsentes literæ vobis præsentatæ fuerint, extra Romanam Curiam vacare contigerit.*

VII. Canonibus conceditur annus ad Sacerdotii promotionem Clerico provisо de Curato Beneficio, quo elapso non promotus expellendus erat per sententiam à Curato Beneficio, cap. *Cùm in cunctis*, de elect. Sed jus recentius, cap. *Licèt Canon*, eod. tit. in 6. decernit absque sententia vacationem ipso jure. Cæterùm annus non currit adversus legitimè impeditum. Neque in Gallia prærequisitus ille ad promotionem Sacerdotii annus decurrere incipit, nisi finito pacificæ possessionis anno. Vide hanc materiam uberiùs à me tractandam hujus secundi libri titulo, *Diversi quidam vacationis Beneficiorum modi discutiuntur*, art. 9. 10. & 11.

VIII. Is qui præbendam optandi jus habet, intra viginti dies optare debet, cap. fin. de consuetud. in 6. Rebuffus in praxi, tit. de Devolutionibus, num. 3.

IX. Patronus laïcus intra menses quatuor præsentare potest ; Ecclesiasticus verò Patronus intra sex menses, cap. *Eam te*, de jurepatr. & cap. unic. eod. tit. in 6.

X. Majores verò Dignitates, ut Episcopales, & similes, debent intra tres computandos à notitia vacationis menses conferri, cap. *Ne pro defectu*, de election. & cap. *Postquam*, distinct. 56. Rebuffus loco citato, num. 4.

XI. Aliæ inferiores dignitates, & quælibet Beneficia concedi regulariter debent intra sex menses, sive per electionem, cap. *Cùm nostris*, cap. *Dilectus*, & cap. *Postulastis*, ubi Panormitanus & alii, de concess. præbend. sive per collationem, cap. 2. eod. tit. & tam à primo collatore, quàm ab alio, in quem id jus devolutum fuerit. Rebuffus loco citato, num. 4. & 5.

XII. In institutione verò & confirmatione, quoad confirmantem certum tempus nullum est Canone præstitutum. Glossa & Doctores in cap. *Cùm in cunctis*, §. 1. de elect. Idemque in permutatione Beneficiorum, quoad approbationem. Rebuffus ibid. num. 6.

XIII. Præscribitur quoque semestre ad ineundam possessionem Beneficii in Romana curia resignati : sed si resignatum sit extra Curiam, ineunda est possessio intra mensem, ut si tempore illo contingat mors resignantis, valeat ipsa resignatio. Cæteroqui enim emenso illo præfixo tempore post resignantis interitum, censebitur Beneficium vacans jam non per resignationem, sed per obitum, juxta receptam in Gallia regulam de resignationibus

nibus publicandis. Atque utinam adversus istius regulæ mentem nunquam in Galliam invecta consuetudo fuisset Beneficium hac mente in alterius favorem resignandi, ut resignatario liberum sit differre possessionem ad triennium, duobus minùs diebus, ut resignans per omne id tempus integris proventibus perinde potiatur, ac si nunquam resignasset; & tamen sic teneat illa resignatio, ut ab ea is qui resignavit, resilire non possit. Id quidem si ex mutua conventione fiat, nullâ obtentâ Romani Pontificis dispensatione, manifestam involvit realem simoniam & confidentiam. Quis enim ignorare possit omnem in hujusmodi privatorum ex propria authoritate pactionibus conditionem, conventionem ac legem, simoniacam esse? cap. *Cùm pridem*, & cap. *Pactiones*, de pactis: cap. *Constitutus*, cap. *Super eo*, & cap. *Præterea*, de transact. Si neges ullum interveniisse pactum reale, sed sola mente hoc intellectum, ut resignatario ex scriptis formis sua tuta, & inconcussa maneret resignatio, qui tamen gratuitâ & liberali voluntate differendo possessionem, fructus Beneficii suo dimitteret benefactori: verumtamen saltem mentali simoniæ, & fiduciariæ conventioni dabitur locus, fraudulentaque interveniet collusio, quæ utrumque reddet Beneficio inhabilem. Resignanti enim nullum supereſt jus ad Beneficium ejusque stipendia, ex quo ejus est à Superiore admissa resignatio, cap. *Ex transmissa*, cap. *In præsentia*, & cap. *Quidam*, de renunciat. Resignatarius verò Ecclesiæ graviter præjudicat, tamdiu, & mala fide illam legitimo Ministro orbam relinquens: & sic uterque se sacri ministerii inhabilem, & indignum exhibet, in Ecclesiæ detrimentum & scandalum. Ubi hæc abusio invaluit, quam diversis Senatusconsultis, ipsáque Ludovici XIII. dictâ *du Contrerolle*, articulo 17. & 20. Constitutione fulciri volunt Papo lib. 3. tit. 1. num. 6. & 8. Pastor lib. 3. tit. 8. num. 6. Mosnier aux Alliances du Droit François, tit. *Benefice*, num. 89. hoc ipsum tamen observatur, ut si resignans præmoriatur ante initam possessionem, aut si supervivat quidem resignans ultra biennium, sed resignatarius omiserit possessionem saltem biduo ante triennii finem, tam resignans, quàm resignatarius Beneficio prorsus excidant, vacetque istud, sitque impetrabile titulo præsumptæ collusionis, & simoniæ.

XIV. Denique in universo Galliæ regno, si quis de duobus incompatibilibus Beneficiis sit provisus, annus illi conceditur ad deliberandum utro ex duobus se abdicet. Jure quidem communi vacabat olim per Constitutionem Lateranensi ab Alexandro III. Concilii posteriùs quæsitum Beneficium, cap. *Quia nonnulli*, de Cler. non resid. Sed posterior Juris communis dispositio satius duxit, ut vacet priùs acquisitum Beneficium, cap. *De multa*, de præbend. Clem. *Si plures*, & Clem. fin. eod. tit. & demùm Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 4. de reform. Indulti verò in Gallia, ad alterum quod libuerit dimittendum, anni pacifici assertores sunt Rebuffus tit. *De non promotis intra annum*, num. 45. & 46. & tract.

de pacif. poſſeſſor. n. 205. Antonius Faber Cod. de ſacroſ. Eccleſ. definit. 2. Louetus lit. *G*, num. 5.

XV. Ubi agitur de Beneficio Capitulari, ſive Collegiatæ, ſive Cathedralis Eccleſiæ, non cenſetur reſignatarius ſatisfeciſſe regulæ de publicandis reſignationibus, niſi literas proviſionis ſuæ Capitulo exhibuerit tempore in ipſa regula ordinato, argum. cap. *Cùm Eccleſia Vulterana*, de electione.

* XVI. Quæritur intra quod tempus debeat nominatus vel Graduatus petere Beneficium vacans ſibi conferri? Doctores Gallicani ſemeſtre aſſignant, intra quod Ordinarius conferendi poteſtatem habet, cap. 2. de conceſſ. præbend. & Patronus Eccleſiaſticus præſentandi jure potitur, quemadmodum laïcus intra tres menſes, cap. unic. de jurepatr. in 6. Hæc docent de Graduatis Joan. de Selva part. 3. quæſt. 64. & Rebuffus tract. de nominat. quæſt. 20. In præfatis tamen & aliis juribus tempus non currit adversùs impeditum aut ignorantem rei factum, cap. *Quia diverſitatem*, de conceſſ. præbend.

XVII. Quod ex decreto Concilii Lugdunenſis ſub Gregorio X. refertur in cap. *Licèt Canon*, de elect. in 6. vacare Beneficium curatum ipſo jure, eſſeque impetrabile ſi accidat eum qui illo proviſus erat, diſtuliſſe poſt annum ſuam ad Sacerdotium ordinationem: hac tamen exceptione limitatur, ſi ſic proviſus diſpenſatione fuerit præmunitus (quam idem Concilium declarat poſſe à proprio Epiſcopo indulgeri) ad vacandum ſtudiis per certos annos ab eodem Ordinario præfiniendos, dummodo ſeptennium non excedatur, & dummodò intra primum annum Subdiaconi Ordinem ſuſcipiat, ne in fraudem Eccleſiæ, poſtquam Beneficii fructus percèperit, abſcedat à Clero. Dilapſo verò ſive ad Subdiaconatum, ſive ad Sacerdotium præfixo termino, conditione non adimpleta, vacabit ipſo jure Beneficium. Quamdiu verò præfixus terminus in ſuſpenſo erit, Prælato incumbet officium providendi probum & idoneum Vicarium, qui ex ejuſdem Eccleſiæ proventibus in abſentis Titularis vicem adminiſtret. Hæc ſtatuuntur omnia cap. *Cùm ex eo*, de elect. in 6.

XVIII. Reſignatio Beneficii in vim reſignatorii ſeu procuratorii mandati facta, poſt emenſum anni curriculum exſpirat, ut Edicto Codicis Ludovici XIV. cautum eſt anno 1651. Aprilis 19. cui præluſerat Tolofanum Senatuſconſultum anni 1644. Quinetiam Romanam Cancellariam conſueviſſe hujuſmodi mandata ut irrita poſt anni lapſum rejicere, teſtatur Rebuffus in praxi, tit. *De procuratoris ad reſignandum conſtitutione*, num. 18.]

CAPUT

CAPUT III.

Quibusnam competat jus providendorum Beneficiorum.

I. IN primis Summus Pontifex jus habet duplex circa Beneficiorum Ecclesiasticorum collationem; potest enim jure praeventionis quælibet per universam Ecclesiam Beneficia conferre, eoque titulo anticipare quaslibet inferiorum Prælatorum collationes, easque sequutas facere inanes & irritas, cap. *Proposuit*, de concess. præbend. & can. *Cuncta per mundum*, 9. quæst. 3. Secundò idem, & solus potestatem habet Beneficia quæcumque conferendi vacantia in Romana Curia, cap. *Licet* 2. de præbend. Quorsum verò extendatur in his casibus *Romanæ Curiæ* significatio, docet apertè caput *Præsenti* 34. eod. tit. in 6. his verbis: *Præsenti declaramus Edicto, Statutum felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus per alium quàm per Romanum Pontificem minimè conferendis, locum habere in Beneficiis quæ Legati, aut Nuncii Sedis ejusdem Apostolicæ, vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curiæ mori contingat, quemadmodum si in loco ubi eadem Curia residet, mortui fuerint. Idem est si aliquis Curialis (etiam Ecclesia Romana vacante) peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, sive alia quavis causa ad locum Curiæ vicinum secedens, in hujusmodi loco vicino decedat: dummodo ibi (etiamsi erat ad ipsam Curiam reversurus) ejus domicilium, seu domus propria non existat. Loca verò vicina intelligantur eidem Curiæ in præmissis, quæ remota ultra duas dietas legales (quas hoc casu sic volumus specialiter computari) à loco ubi moratur ipsa Curia, non existant. Sanè si quis in loco ubi degit Curia, suæ originis domum habens, diem claudat extremum in ea, ipsius Beneficia non aliter sub prædicto includantur Statuto, quàm si Curialis esset antea, & ibidem occasione Curiæ moraretur. Porrò cum Curiam transferri de loco in locum contingit, si Curiales in itinere (dum Curiam sequuntur eandem) vel in loco unde recedit ipsa Curia, forsitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, præmissum Statutum (quantumcunque locus ubi decedunt, ab ipsa Curia sit remotus) ad illorum Beneficia se extendit.* Hujusce Constitutionis duo loca, in quibus subesse posset difficultas, rectè exponit Glossa ibid. Primò domum propriam hîc pariter intelligendam esse de domo sibi cum aliis communi; idque probat aliis conformibus ad hanc rem juris locis. Secundò dietam legalem exponit constare viginti milliaribus, juxta legem *Vicena millia*, D. si quis caution.

II. Porrò fiunt Beneficiorum proviſiones in Romana Curia per Signaturas, quæ ſunt in duplici forma, ſcilicet in forma Gratioſa, & in forma Commiſſoria, quæ vulgò dici ſolet in forma *Dignum*. Is qui proviſus eſt in forma gratioſa, non eſt obnoxius poſteriori examini per proprium Ordinarium faciendo; quia Signaturam formæ gratioſæ jam præceſſerat ipſius Ordinarii ad Papam ſcripta atteſtatio de ſupplicantis idoneitate. Ideoque Signatura gratioſa habet clauſulam: *Orator teſtimonio Ordinarii ſui de vita, & moribus, ac idoneitate commendatur*. Signatura verò in forma *Dignum*, non confert Beneficium, ſed mandat Ordinario ut conferat. Sic autem vocari ſolet propter clauſulam ſpecialem, quam habet his verbis: *Dignum arbitramur & congruum*. Rurſus duplex eſt Signatura in forma *Dignum*, ſcilicet Noviſſima, & Antiqua. Noviſſima ſolùm mandat collationem Beneficii, & examen idoneitatis Oratoris. Sed antiqua mandat pariter Ordinario, ut inquirat, ſi Orator relatum Apoſtolicæ Sedi crimen commiſerit, propter quod ſit Beneficio fruſtrandus; & ita requirit novam cauſæ per Ordinarium cognitionem. Denique Edicti Bleſenſis art. 12. ſtatuitur nullitas proviſionis, & locus devoluto aperitur, ſi Ordinarius ſuum apponens (quod dicunt) *Viſa*, ad Signaturam in forma *Dignum*, non meminerit à ſe facti de impetrantis capacitate examinis: & hoc jus ſervatur inviolabile in cauſarum beneficiariarum judiciis Gallicanis. Vide Olivam *lib. 1. quæſtionum, cap. 16.*

III. Cardinalibus quoque jus competit amplum conferendi quæcumque Beneficia ab Eccleſiis Titulorum ſuorum dependentia, & ea pariter quæcumque dependent ab aliis Monaſteriis, Abbatiis, Eccleſiis, Dignitatibus etiam Conſiſtorialibus, quæcumque ab ipſis Cardinalibus poſſideri etiam in Commendam contigerit, ſive illa ſint regularia, ſive ſecularia Beneficia, ſive ſimplicia, ſive curata, per expreſſum privilegium Bullæ Clementis VII. incipientis *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*. Iſtud commune Cardinalibus privilegium uſque adeò amplum eſt, ut excludat prævenciones Apoſtolicas, & Mandata, atque Expectativas, & reſervationes quaſcumque provenientes ab Apoſtolica Sede. De hoc privilegio Sacri & Apoſtolici Senatus Procerum nuper ſcripſit in ſuo Juris Eccleſiaſtici Specimine Joannes Doviatus Pariſienſis Sacrorum Canonum Regius Profeſſor. Quinetiam hoc privilegium eſt antiquius, ut ex teſtimoniis liquet vetuſtiorum Canoniſtarum S. Antonini, Abbatis, Felini, Dominici, apud Azorium p. 2. lib. 6. cap. 25. quæſt. 5. Inſuper caput *His quæ*, de majorit. & obed. attribuit Cardinalibus ſupra Clericos Titulorum ſuorum juriſdictionem Epiſcopalem. Vide tamen moderationem hujuſmodi indultorum in Conſtitutione 37. Pii V. quæ incipit *Sanctiſſimus*: & aliam Gregorii XIV. in ſua Conſtitutione 19. quæ incipit pariter *Sanctiſſimus*: & aliam Pauli V. quæ ſimiliter incipit *Sanctiſſimus*.

IV. Epiſcopis quoque jus eſt vacantia Beneficia in ſuis Diœceſibus

ſita

sita conferendi, cap. *Ex frequentibus*, de institution. Adeò ut Gallicani Authores Corasius in centuriis cap. 65. & Despeisseus de Beneficiis, tit. 1. num. 2. & Rebuffus in praxi, 3. p. tit. de simon. in resignat. à num. 27. ad num. 44. asserant Episcopum qui suam resignavit Dignitatem, jure adhuc conferendi potiri antequam successor ejus apprehenderit juridicam possessionem Episcopatus resignati, argumento legis *Meminisse*, in princ. D. de offic. Proconsul. ubi statuitur veterem Proconsulem valide adhuc administrare post datum sibi successorem, antequam successor advenerit in Provinciam Proconsularem. Neque potest vivente ac superstite Episcopo resignante successor illius nondum apprehensâ possessione beneficia ulla conferre; id enim jus adhuc soli ei competit qui abdicavit Episcopatum. Idemque judicium est de cæteris Prælatis, postquam resignarunt, donec successor in possessionem missus sit. Ac præter jam citatos Corasium, Despeisseum, & Rebuffum illud asseritur ita judicatum in Senatu Parisiensi apud Charondam in suis Pandectis, lib. 1. cap. 12. & in Senatu Tolosano apud Mainardum lib. 8. cap. 5.

V. Si verò jam obierit resignator Prælatus, aut si de Prælatura provisum sit per obitum, aut per delictum præcessoris, poterit is qui ejus loco provisus fuerit, etiam nondum apprehensâ possessione Beneficia conferre; quia nemo præter ipsum hoc potest tanquam Ordinarius, & citra devolutionem aut præventionem: non utique mortuus, non etiam præcessor superstes canonicè depositus, utpote incapax & indignus. Verumtamen si electus Episcopus (idemque judicandum de eo, quem Rex apud Summum Pontificem nominaverit ad Episcopatum) non modò in possessionem missus non fuerit, sed quod prærequiritur, confirmationem aut provisionem à Papa nondum obtinuerit, nullatenus Beneficia conferre potest, cap. *Nosti*, *de elect.*

VI. Episcopus excommunicatus caret jure conferendi, cap. *Postulastis*, de Cler. excom. minist. nec solùm ipse, sed etiam ejus Vicarius Generalis, quanvis ab omni censura immunis, ut definit cap. 1. de offic. Vicar. in 6. Qui enim per se non potest, nec per alium potest. Clement. *Religiosus*, de procur. Rebuffus 1. p. praxis, tit. *Requisita ad collat. benef.* n. 1. Despeisseus loco cit. n. 3.

VII. Episcoporum Vicarii Generales ex sua generali commissione non possunt Beneficia conferre, nisi id specialiter Episcopus concesserit eis, ut monet caput ult. de offic. Vicar. in 6. Idque servatur & in Gallia, ut testantur Guido Papæ decis. 374. n. 5. Ranchinus decis. 1. parte, conclus. 494. Antonius Faber in suo Codice, lib. 1. tit. 3. defin. 3. Verùm hoc limitatur, ut etiam sine speciali conferendi facultate possit nihilominus in hoc Regno quilibet Vicarius Generalis instituere præsentatos à Patronis, eo quòd talis provisio non sit collatio libera, sed necessaria institutio. Atque ita judicatum in Parisiensi Senatu referunt Papon. lib. 2. Placitorum, tit. de provisionibus 9. art. 6. & Despeisseus loc. cit. num. 26.

VIII. Sciendum

VIII. Sciendum pariter de Vicario Generali facultate conferendi præmunito, quod si beneficium contulerit indigno, poterit Episcopus reparare, alteri digno idem Beneficium conferendo intra semestre. Rebuffus in praxi, 1. p. tit. *Forma Vicariatus*, n. 139. & seqq. idque fundat per caput *Si compromissarius*, de election. in 6. ubi compromissario indignum eligente, redit jus ad compromittentes, ne alterius odio & culpâ prægraventur, nisi ipsi consensissent in personam indignam.

IX. Prælati quoque Regulares, ut Abbates, Priores claustrales, itemque Religiosorum Capitula jus habent Beneficia eorum jurisdictioni ac dispositioni respectivè subjecta conferendi, cap. ult. §. *Præcipimus*, de statu monach. Commendatarii quoque Abbates ac Priores eodem jure gaudent, si eis Commenda fuerit indulta, non solùm ad custodiam & administrationem, sed etiam illimitatè ad ea quæ sunt muneris & officii spiritualis, sive ad tempus, sive ad vitam.

X. Capitulis quoque Beneficiorum quorundam competunt collationes, sive ipsis solis, sive conjunctim cum Episcopis vel Abbatibus suis. Sede quidem Episcopali vel Abbatiali vacante, non potest Capitulum Seculare aut Regulare Beneficia conferre solius Episcopi aut Abbatis collationi subjecta, cap. penult. ne Sede vacant. aliq. innov. & cap. 1. de instit. in 6. & cap. unico, ne Sede vac. in 6. Sede vacante potest statim Capitulum illa conferre Beneficia, quæ conjunctim ad collationem spectabant defuncti Prælati simul & Capituli; huic enim jus defuncti accrescit, d. cap. unico, ne Sede vac. in 6. Chopinus de sacra Politia, lib. 1. tit. 5. n. 9. Charondas lib. 1. Pandectarum, cap. 10.

XI. Instituere quoque potest Capitulum Sede vacante præsentatos à Patronis, cap. 1. de institution. in 6. & alias exercere collationes quæ sunt præsentis necessitatis: atque ita Mandatariis, & Graduatis, & nominatis conferre, & insinuationes nominum suscipere, juxta usum Galliæ. In his namque Collatores ordinarii non sunt liberi, sicut nec in Patronorum præsentationibus; sed tenentur nominatos quos Canones non excludunt, admittere. Et cùm insinuationes nominum in hoc Regno fieri necesse sit tempore Quadragesimæ, si contingeret vacare Sedem tota Quadragesima, frustrarentur Nominati & Graduati toto illo anno. Probus in comment. ad Pragmaticam Sanctionem, tit. de collationib. §. *Item voluit*, verb. *Vicario*, Ranchinus p. 3. concluf. 73. Simili ratione potest pariter Capitulum admittere Sede vacante resignationes. Deselva tract. de Beneficiis, p. 2. quæst. 11. num. 2. Zerola praxis Episc. p. 1. verb. *Capitulum*, quæst. 5.

XII. Quod verò attinet ad collationes liberas, plerique negant licitum esse Capitulo Sede vacante se his ingerere, sed esse reservandas futuro successori. Alii distinguunt, posse quidem conferre curata Beneficia, ne vacent diutiùs in periculum animarum; sed negant posse Capitulum conferre simplicia, in quibus tale periculum non imminet; istaque esse reservanda successori,

ſucceſſori, qui vacantem Sedem Epiſcopalem replebit. Cæterùm Beneficiorum etiam ſimplicium vacatio diuturnior non caret periculo; intermittitur enim etiam hac parte Divinum Officium, & ubi annexa eſt fundatarum Miſſarum, aliorumve obſequiorum ac miniſteriorum fundatio, fruſtrantur longiore tempore piæ Fundatorum intentiones. Rebuffus in praxi Benef. 1. p. tit. de Devolutionibus, num. 77. & 78. huic damno occurrit aſſerens his caſibus poſſe per Capitulum provideri per Commendam, ſed non in Titulum; idque fieri debere quoties vacat Beneficium curatum, quod magis urget quàm ſimplex, ob miniſterium animabus impendendum: & poſſe, ſi poſt ſemeſtre adhuc vacet Beneficium, prorogari ultra ſemeſtre illam Commendam authoritate Capituli. Sed quidquid ſit de vacantibus ſimplicibus Beneficiis, ſaltem quoad curata Beneficia poteſt Capitulum, dum vacat Epiſcopalis Sedes, ſaltem in hoc Franciæ Regno providere Parochiis, conferendo eas in Titulum potiùs quàm in Commendam, ut affirmant Gallicani Doctores in praxi hujus Regni exercitatiſſimi, Bengeus tit. de modis acquir. benef. §. 16. num. 18. 19. 20. & 21. & Chenutius in collatione Decretorum, p. 1. cap. 4. qui ambo multa proferunt Gallicana Senatuſconſulta, per quæ ſummoti fuerunt proviſi Apoſtolici à Beneficiis curatis, & confirmata fuerunt jura proviſorum per Capitula Sede vacante. Ratio diſcriminis in hoc verſatur, quia cùm animarum curæ ſint graviſſimi momenti, certum eſt Capitula ex pluribus Clericis ſibi notis poſſe illos eligere, qui meritis excellant; quod tamen præſtare non poteſt Summus Pontifex, ad quem recurrere ſolent eidem ignoti Clerici. In ſimplicibus porrò Beneficiis ſervare debent Capitula viduatarum Eccleſiarum Cathedralium in hoc Regno Jus commune, cap. *Illa* 2. ne Sede vacant. & cap. 1. de inſtitution. in 6. quibus inhibetur Capitulo vacante Sede conferre Beneficia, quorum proviſio ad ſolum Epiſcopum pertineret. Sciendum prætereà, poſſe Capitulum Sede vacante recipere mutuas reſignationes ſeu permutationes Beneficiorum, quia eſt quid neceſſarium, ſicut inſtitutio præſentatorum. Ita Rebuffus tit. de Devolutionib. num. 95. Zerola p. 2. verb. *Capitulum*, quæſt. 7.

XIII. Nunc diſpiciendum eſt intra quod tempus Eccleſiaſtica Beneficia conferri poſſint. Generalis & canonica regula eſt, conferenda eſſe intra ſex menſes computandos non à die vacationis eorum, ſed à die quo notitiam vacationis eorum Collator habuit, vel habere debuit: ita ut ſi intra id tempus non providerit, collatio jure devoluti pertineat ad proximum Superiorem, cap. *Licèt Magiſter*, de ſupplend. neglig. Prælat. & cap. *De multa*, de præbend. & cap. *Quia diverſitatem*, de conceſſ. præbend. Itaque ſi Capitulum intra id tempus conferre neglexit, devolvitur hoc jus ad Epiſcopum, cap. *Poſtulaſtis*, de conceſſ. præbend. & cap. *A collatione*, de appellat. etiamſi Epiſcopus ipſe Capitulo interfuiſſet, non quidem ut Epiſcopus, ſed ut Canonicus, ut ibid. decernitur. Si autem Epiſcopus neglexit

providere ; aut quod idem juris habet, providit quidem, ſed de incapaci vel indigno, devolvitur judicium & proviſio ad Metropolitanum, & ex hoc ad Primatem, & hinc ad Summum Pontificem, cap. ult. de ſupplend. neglig. Prælat. & cap. *Nulla*, de conceſſ. præbend. Iſtud caput *Nulla*, ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. deſumptum, conſtituit jus devoluti reciprocum inter Capitulum & Epiſcopum, altero amborum intra ſemeſtre non conferente. At in Regno Galliæ devolvitur quidem jus Capituli ad Epiſcopum, ſed non viciſſim ab Epiſcopo ad Capitulum, ſed ad ſolum Metropolitanum, ut tradunt Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de Devolutionibus, num. 22. & 23. Brodeus ad Louetum, lit. *R*, num. 56. Chopinus lib. 1. de ſacra Politia, cap. 3. num. 13. Præterea in hoc Regno unicus eſt Primas Lugdunenſis, ad quem ſolum jus conferendi devolvitur à quibuſdam Archiepiſcopis. Rebuffus d. num. 23. & 24.

XIV. Si Ordinarius Beneficium non vacans falſo rumore aut nuncio deceptus contulerit, non ideò excidit jure ſuo, ſed idem poterit conferre beneficium, cùm poſteà vacabit. Item ſi abſens, cui Ordinarius contulerit, acceptare recuſet, poterit idem Ordinarius alteri conferre, cap. *Si electio*, de elect. in 6. & cap. *Si tibi abſenti*, de præbend. in 6. Rebuffus d. tit. de Devolut. n. 35. Collator enim non intendit conferre Beneficium, niſi re ipſa vacet ; neque conferre niſi acceptaturo.

XV. Similiter Ordinarius ſi Beneficium patronatum ſine Patroni conſenſu ignoranter contulerit, poterit poſtmodùm à Patrono præſentatum inſtituere. Item ſi Beneficium vacans in menſibus Graduatorum non Graduato contulerit, non prohibebitur idem Beneficium Graduato petenti conferre, tanquam conſervator & exequutor privilegii Patronis & Graduatis conceſſi. Ita Rebuffus tract. Nominationum, quæſt. 16. num. 13. & ſeqq. neque id præſtat ullum impedimentum, quod de jure nullum ſortitur effectum, cap. *Non præſtat*, de regul. jur. in 6. Cùm ergo prima illa collatio nulla ſit ipſo jure, nihil obſtabit ſecundæ, & juri conſentaneæ collationi.

XVI. Quando per inferiorum Collatorum negligentiam jus devolutum fuit ad Papam, nunquam regreditur ad Ordinarios, quanvis Papa non contulerit intra ſex menſes. Rebuffus in praxi, 1. p. tit. de Devolutionib. num. 5. Coraſius in centur. cap. 47. Mainardus lib. 8. cap. 6. Aitque Pontifex Symmachus in cap. *Aliorum*, 9. q. 3. *Aliorum hominum cauſas Deus voluit homines terminare ; ſed Sedis iſtius Præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Similiter etiam Anterus Papa : *Facta ſubditorum judicantur à nobis, noſtra verò judicat Deus*, can. *Facta*, 9. quæſt. 3. Verùm ſecus accidit in ſola collatione Beneficiorum in Romana Curia vacantium : debet enim Papa conferre illa intra menſem datæ ſibi notitiæ ; quo exacto, ſi non contulerit, habet Ordinarius, intra cujus Diœceſim ſitum eſt Beneficium, poteſtatem illud conferendi. Id jus viget in Regno Gallicano, teſtantibus Coraſio

in

in centur. cap. 47. Rebuffo comment. ad Concordata, §. 1. verb. *Papæ*, verſic. *Intra ſex menſes*. Charonda in Pandectis, lib. 1. cap. 10. Mainardo lib. 8. cap. 6. Quinetiam hoc idem ſtatuit Gregorius Papa X. in Concilio Lugdunenſi, & refertur in cap. *Statutum*, de præbend. in 6.

XVII. Obſervandum poſtremò, non decurrere præfatos ſex menſes quandiu perdurat legitimum impedimentum. Antonius Faber in ſuo Codice, lib. 1. tit. 3. defin. 17. neque dum vacat Epiſcopalis Sedes, cap. penult. ne Sede vacante; his enim caſibus non incurritur negligentiæ culpa, ob quam locus devolutionibus aperitur; adeò ut Innocentius Papa III. cap. *Quia diverſitatem*, de conceſſ. præbend. ſanciat ſemeſtre nullatenus decurrere tempore ſuſpenſionis Collatoris, quanvis ejus culpâ contractæ; quia non potuit ei vitio verti negligentiæ culpa, cùm careret poteſtate.

CAPUT IV.

De datis à Rege Galliæ Indultis ac Expectativis.

I. POTITUR Rex Galliæ circa Beneficia jure Indulti, ſeu Expectativæ gratiæ. Eſt verò Indultum Regium, reſcriptum vel ſchedula, Gallicè *Brevet*, in favorem quorumdam Officialium. Hi ſunt Supremus Regni Cancellarius, Præſides & Conſiliarii Pariſienſis Parlamenti, quibus mandat Rex in vim Papalis gratiæ, quam Eugenius IV. & Paulus III. Romani Pontifices Regibus Franciæ indulſerunt, ut Prælati collatores ſinguli ſemel dumtaxat in vita ſua, & non ultra, provideant nominato Indultario de proximè vacaturo Beneficio, cujus annui proventus, deductis omnibus expenſis & oneribus, pertingant ad taxam conſtitutam. Ea porrò taxa fuit hactenus ducentarum librarum Pariſienſium. Verùm cùm hæc ſumma pro dignitate perſonarum tenuior cenſeretur, Clemens Papa IX. eam demùm auxit ad ſexcentas annuas libras. Secretarii quoque ejuſdem Parlamenti, necnon Magiſtri libellorum ſupplicum, etſi nulla horum mentio fiat in reſcripto Pauli III. ex uſu tamen Franciæ fruuntur eadem gratia Indultorum Regiorum, quaſi Supremæ ejuſdem Curiæ aggregata membra. Bengeus tit. de canonicis inſtitutionum conditionibus, §. 4. n. 16.

II. Noviſſimè aucta ſunt Indultariorum Regiorum privilegia. Cùm enim Pauli III. Bullâ, quam in Niceenſi Colloquio anni 1538. Franciſcus I. impetraverat, excluderentur Pariſienſes Senatores à quibuſcunque Regularibus Beneficiis, niſi ipſi forent Regulares: & cùm plerumque non aliæ Præbendæ ipſis aſſignarentur à collatoribus quàm Parochiales tunc

temporis vacantes, quas acceptare munia Senatoria vetabant : & demùm cùm nimium exilis & modicus videretur pro personarum dignitate librarum ducentarum annuus redditus, ad Regis Ludovici XIV. rogatum Clemens IX. per Bullam anni 1667. sextodecimo Calendas Aprilis, quam refert integram Joannes Doviatus in suo Juris Ecclesiastici Specimine, indulsit Clericis Senatoribus, ut jure Regiæ nominationis possint in Commendam obtinere Regularia Beneficia anteà commendata : Item ne ipsis Parochialia Beneficia collatores assignent : Postremò ne ulla Beneficia infra sexcentarum librarum proventum annuum acceptare compellantur. Statuit insuper, ut Indultarii post sibi collata sub titulo Commendæ Regularia Beneficia per ordinarios Collatores, teneantur intra octo menses novam Commendam à Sede Apostolica impetrare, & jura Cancellariæ Apostolicæ persolvere ; alioqui vacabunt ea Beneficia, cessabitque præcedens ipsorum Commenda ipso jure : his quoque accedet obligatio fructus perceptos restituendi. His adjungit confirmationem ejus quod Paulus III. constituerat, nimirum collatores Cardinales eximi ab illa obligatione Beneficia conferendi Regiis Indultariis. Præterea cùm Senatorum alii Clerici sint, alii laïci, jus conceditur laïcis, quibus Rex Indultum concesserit, ut possint loco sui nominare ad Beneficia pro suo arbitrio Clericum qui sit de Parisiensis Curiæ numero ac gremio, ut conceditur expresè per præfatas Pauli III. & Clementis IX. Literas.

III. Ubi simul concurrunt cum Indultariis Graduati, aut etiam cum Indultariis Apostolicis Regii Indultarii, servandus est hic ordo. Præferendi sunt Regiis Apostolici Indultarii : sed Regii Graduatos Universitatum quoscunque excludunt, juxta Francisci I. Edictum anni 1541. Utrobique enim æquum est inferiorem dignitatem eminentiori cedere, juxta cap. *Hi qui*, & cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. Et hoc idem declaratur rescripto Pauli III. quoad concursum Apostolicorum aut Regiorum Indultariorum. Id rescriptum refertur integrum à Chopino lib. 1. de sacra Politia, tit. 5. num. 16. & in volumine primo rerum Sacri Cleri Gallicani, tit. de Indultis.

IV. Oblata sibi litigiosa Beneficia possunt recusare tam Indultarii quilibet, quàm Graduati ; habentque jus alia non litigiosa requirendi. Chopinus d. tit. 5. n. 20.

V. Indultarii, tam Regii quàm Apostolici, qui utrique dicuntur quoque Mandatarii, ob mandatum de providendo, nullum jus habent ad Beneficia per resignationem aut permutationem vacantia, cap. unico, de rerum permut. in 6. & cap. 2. de renunciat. in 6. & Clement. unica de rerum permutat. Concilium Viennense sub Clemente V. Neque ad ulla Beneficia patronatus laïcalis, can. *Decernimus*, 16. quæst. 7. Concilium Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. Quibus juribus neque Papa, nisi ex gravi & urgente causa, neque Rex derogare possunt. Ratio in promptu est de

indultis

indultis Regiis : cùm enim hæc mandatis Apoſtolicis ſucceſſerint, in quibus cavetur de immunitate juriſpatronatus laïci, eodem quoque jure circumſcribi debent. Prætereà mandatis, ac indultis non ſunt obnoxiæ Dignitates electivæ. Clement. 1. de præbend. Rebuffus in praxi, tit. de clauſulis mandatorum, num. 33. Idque poſtremò decernitur Caroli IX. Edicto anni 1569. artic. 2. quo ſimul eximuntur Præbendæ Theologales, Præceptoriales, atque Pœnitentiariæ à juribus Indultariorum & Graduatorum. De Graduatis tamen contrarius uſus invaluit circa Præbendas Theologales.

* VI. Circa Regia Indulta quæritur de Conſiliariis Curiæ Pariſienſis, qui ex vi Regii Indulti ſimul quoque proviſi ſunt de Eccleſiaſtico Canonicatu. Iſti quidem dum ſerviendo Curiæ miniſteriis abſunt à Choro, fruuntur quidem Præbendarum ſuarum proventibus ſeu fructibus, ſed privantur diſtributionibus Chori, quæ non niſi aſſiſtentibus in Choro perſolvendæ ſunt. Ad hæc confirmanda multæ proferuntur Curiæ ſupremæ Pariſienſis judicia, quæ referuntur à Loueto & Brodeo ejus Scholiaſte lit. C, cap. 24. Quando tamen vacant à Curia, ſi Choro interſint, lucrantur diſtributiones. Idem juris fuerat olim attributum Regalis Capellæ Cantoribus per Diplomata Clementis VI. & Pii II. ut fructibus potirentur ſuarum, in quibus proviſi ſunt, aliarum Eccleſiarum; ſint tamen privati manualibus diſtributionibus quandiu à Choro abſunt aliarum, quibus aggregati ſunt, Eccleſiarum, ut inſerviant Regiæ Capellæ. Sed cùm per vices inſerviant Capellæ Regiæ, quo tempore deſmunt ipſorum miniſterii vices, tenentur aliarum Eccleſiarum Choro intereſſe, alioqui diſtributionibus fruſtrantur, nec eas faciunt ſuas. Idque ſtatuitur Edicto Melodunenſi Henrici III. cap. 7. *Cantores*, inquit, *noſtræ Capellæ, poſtquam ſervitii noſtri tempus expleverint, teneantur reſidere, & actu inſervire in Beneficiis & Præbendis quarum habent proviſionem, ſub pœna jacturæ fructuum Præbendarum & Beneficiorum reſidentiam exigentium.*]

VII. Quilibet in Gallia Beneficiorum collator non poteſt Regio indulto pluſquam ſemel gravari in vita ſua : & poſtquam ſemel ex indulto contulerit, jus habet quemvis poſteriorem indultarium repellendi. Capitula verò cùm non moriantur, poſſunt unico, & non ampliùs, indulto gravari ad ſingulas Regum mutationes, ex Conſtitutione Henrici II. anni 1550.

VIII. Stylus in praxi iſte ſervatur. In primis fit ſignificatio Regiæ nominationis (quam vocant *Brevet de nomination*) ab indultario ſeu mandatario, aut (ut vulgò dicunt) Brevetario, vel ab ejus procuratore, Notario præſente cum duobus teſtibus, qui ſubſcribunt proceſſui verbali, in quo apponitur acceptatio, vel alia quæcumque fuerit reſponſio Collatoris, cui fuerit ſignificatum. Poſtmodùm adveniente congruentis Beneficii vacatione, ſit peculiaris eidem Collatori ſub iiſdem formulis altera ſignifi-

catio, cum requisitione vacantis Beneficii: qua requisitione jus acquiritur ad idem quod vacat Beneficium. Debet verò istud indultum postremò insinuari apud Tabularium publicum Ecclesiasticum: quod ita necessarium est, ut per magni Consilii Regii placitum decisum fuerit, hujus insinuationis omissione vitiari totam nominationem, ejusque effectum præpediri. Tarradus disp. 3. quæst. 10. num. 26. Ex quo facta est secunda ista significatio, non potest Papa deinceps prævenire, cùm jam res integra non sit ob præviam Regiæ manus appositionem. Rebuffus in Concord. rubrica de mandatis Apostolicis, §. *Declarantes*, vers. *Jure præventionis.*

IX. Ubicumque non præcesserit significatio, sive mandati Apostolici, sive indulti Regii, sive nominationis, aut Gradus Universitatis, nullum in rem jus acquiritur, cap. *Tibi qui*, de rescript. in 6. cap. *Si clericus*, de præbend. in 6. Peleus lib. 1. Actuum forensium, art. 6.

X. Mandata Apostolica, & indulta Regia, quanvis fuerint collatori significata, non annullant quidem posteriorem Beneficii vacantis factam alii collationem, hæc enim collatio tenet: sed collator compelletur providere mandatario aut indultario de pensione æqualis redditus cum illo inofficiosè collato Beneficio, donec illi alterum primum vacaturum congruum Beneficium contulerit, cap. *Inter cætera*, & cap. *Dilectus*, il 1. & cap. *Dilectus*, il 2. de præbend. Sicque judicatum à Senatu Parisiensi refert Louetus lit. *P*, tit. 6. Haud ita pridem jura Regiorum Indultorum pro Senatoribus aliisque Officialibus Parisiensibus amnem Ligerim non transiliebant; sed jam totâ Regni ditione diffunduntur.

XI. Alterum recensetur Regiorum Indultorum genus pro felici ad Regnum adventu. Aulicorum ambitio & adulatio jus istud introduxit; cui novæ introductioni Senatus Parisiensis plerumque fortiter intercessit, existimans satis detractum Ecclesiæ fuisse per Regaliam & Indulta in favorem suorum Officialium constituta, nec patiens alios concurrentes ac rivales, per quos Beneficia, ad quæ aspirant, sibi detrahi possint; ideoque novum istud Indultariorum genus frequentibus Senatusconsultis submovit ac repulit, ut testatur Brodeus in Louetum lit. *P*, tit. *Præbenda felicis ad Coronam adventus.* Bordenaus lib. de Curiis Ecclesiasticis, cap. 1. num. 28. & 33. Mornacius ad l. 4. §. 4. D. de officio Proconsul. allegantes Parisiense Senatusconsultum solennius in Togis purpureis, Januarii 7. anni 1616. præsidente Verduno, conformiter ad requisitionem Advocati Regii Lebret, contra petitorem Canonicatus Constantiensis: & aliud ejusdem Senatus, Decembris 13. anni 1612. quo fuit exclusus alter Indultarius fundatus super prima vacatione post exhibitum Regi ab Episcopo sacramentum fidelitatis: contra hunc concluſit Regius Advocatus Servinus, eoque requirente repulsus fuit petitor à Baionensi Canonicatu. Circa duo ista indultorum genera pro felici ad Coronam adventu, & pro præstito per novum Episcopum sacramento fidelitatis, diversa, sibique invicem pugnantia prodierunt Senatusconsulta,

tuſconſulta, prout nunc petitorum gratia & favor, nunc ipſa petitionis iniquitas Judices in contrarios ſenſus impellebant. Ipſeque Louetus profert Pariſienſia aliquot judicia duorum illorum generum indulta confirmantia. Sanè Aulicorum avaritia & ambitio, niſi reprimantur, Eccleſiam miſerrimè diſſipabunt, novaſque adhuc artes ultra jam commemoratas excogitabunt, pro nuptiis Regiis, pro natalibus Primogeniti Franciæ, aut etiam inſequentium liberorum; pro nova victoria, aliaque in infinitum.

XII. Regis indulta, quemadmodum mandata Apoſtolica exſpirant, illa Regis, hæc verò Pontificis morte, à quibus fuerat conceſſa gratia expectativa, cap. *Si ſuper gratia*, de offic. delegat. in 6. cap. *Si cui*, de præbend. in 6.

CAPUT V.

De Regiis ad Prælaturas nominationibus, & aliis juribus Concordati Bononienſis.

I. CONVENIENTIBUS Bononiæ Leone X. Pontifice, & Franciſco Franciæ Rege editum fuit amborum conſenſu quod vocant Concordatum, per quod abolitis in Regno Franciæ electionibus communibus ad Prælaturas majores, & rejectis Baſileenſis Concilii Decretis, Pragmaticaque Sanctione, attributum eſt Regi Galliæ jus nominationis ad vacatura Regni Beneficia Conſiſtorialia, Epiſcopatus, & Abbatias, de quibus Papa conſuevit in Conſiſtorio providere; eoque mediante privilegio Papa viciſſim obtinuit à Rege earundem Prælaturarum annatas, quas exſolvi prohibuerant Synodus Baſileenſis, & ibi procuſa Sanctio Pragmatica, recepta pridem & approbata in eodem Regno per Concilium Nationale Turonenſe, quæ conformis erat celebri illi & antiquiori alteri Pragmaticæ Sanctioni, quam Sanctiſſimus Rex Ludovicus IX. ediderat, quâ diſtrictè vetabat pecunias ex ſuo Regno ad Romanam Curiam transferri.

II. Hoc Bononienſe Concordatum mox approbavit ſub eodem Leone Papa Concilium Lateranenſe. Itaque non poteſt Papa de illis Gallici Regni Prælaturis diſponere ad libitum, ſed ſolùm in ejus gratiam, quem Rex nominaverit, modò ſit idoneus & capax. Secus verò agendo non admittetur collatio. Concord. tit. de Reg. ad Prælatur. nomin. §. 1. Et iſti Regiæ nominationi locus eſt, ſive vacet Prælatura per obitum, ſive per reſignationem, ſive per juridicam depoſitionem. Ne verò diutiùs Prælaturæ vacent, illi quos Rex nominaverit, tenentur obtinere Pontificiam proviſionem intra novem

novem menſes à notitia habita ipſius nominationis ; aut ſaltem probare tenentur ſuam ad impetrandas proviſionis Bullas diligentiam, alioqui caduca & irrita evadet nominatio, juxta Henrici III. Edictum in Comitiis Bleſenſibus, art. 5. & aliud Edictum anni 1580. art. 12.

III. Regi ſex conceduntur menſes ad nominationem, computandi à die primùm vacantis Eccleſiæ. Sed ſi nominatus judicetur indignus, ideóque repulſam patiatur à Papa, relinquuntur adhuc Regi tres menſes recenſendi à die ſignificatæ à Papa repulſæ, intra quos poterit aliam perſonam magis idoneam nominare. Rebuffus in Concord. d. §. 1. verbo *Provideri.* Id officium ſi Rex negligat, tum demùm Papa conferet cui libuerit, d. tit. Concord. de Reg. ad Prælat. nomin. §. 1.

IV. Cæterùm ſi Prælaturæ Gallicanæ vacent per obitum in Curia Romana, tum demùm poteſt Papa, non expectatâ Regis nominatione, pro ſuo arbitrio conferre perſonis, quæ nullatenus ſint Regi ſuſpectæ. Concord. d. tit. §. 1. Per vacationem in Curia Romana intelligitur etiam obitus Prælati in vicinia, ſive Romanæ urbis, ſive alterius loci, in quo exiſtat Romana Curia. Hæc vicinia computatur duarum per circuitum dietarum, juxta cap. *Præſenti*, de præbend. in 6. Dieta verò computatur viginti milliarium, l. *Vicena millia*, D. ſi quis cautionib. ut obſervat Gloſſa d. cap. *Præſenti*.

V. At ubi vacabunt Prælaturæ Gallicanæ in Romana Curia aliter quàm per obitum, ſed per reſignationem, alióve modo, non poterit Papa eo caſu conferre, quàm per Regiam nominationem. Cùm enim ſibi ſoli reſervet Papa in Concordato abſolutam facultatem ſine Regia nominatione diſponendi de Dignitatibus Gallicanis in Romana Curia per obitum vacantibus, in cæteris verò jus Regiæ nominationis ſalvum fore promittat; hinc ſequitur ut ſi Romæ vacet Beneficium alia ratione quàm per obitum, jus Regiæ nominationis ſubſiſtat. Rebuffus in d. §. 1. verſ. *Per obitum.* Duarenus lib. 5. de benefic. cap. 12.

VI. Sunt & aliæ pleræque Concordati conventiones, quæ in hoc Regno vim habent. In primis omnes antiqui Juris reſervationes Beneficiorum ad Romanam Curiam, quæ multiplices in Jure Canonico leguntur, reducendæ ſunt in hoc Regno ad ſolam in Romana Curia vacationem per obitum in Beneficiis Conſiſtorialibus : in minoribus autem Beneficiis, etiam per reſignationem, & per depoſitionem in eadem Romana Curia. Concord. tit. de reſervationibus ſublatis. In eodem Concordato, tit. de mandatis Apoſtolicis, prætereà reſervatur Papæ una expectativa gratia, ſeu mandatum Apoſtolicum unum de providendo erga Collatorem in Regno habentem ſub collatione ſua decem aut plura Beneficia uſque ad quinquaginta. Erga verò habentem quinquaginta, vel plures collationes reſervat ſibi Summus Pontifex duo mandata quoſcumque Graduatos excludentia. Sed Concordato poſterius Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 19.

cap. 19. de reform. abolet reprobatque mandata de providendo, gratiasque expectativas & indulta. Alterum Concordati jus est, ut causæ omnes Ecclesiasticæ in Regno emergentes, absque citatione ad Romanam Curiam (exceptis majoribus) terminentur apud ordinarios locorum Judices. Tertiò, ut non liceat provocare, nec ad Papam quidem, omisso medio Tribunali Ecclesiastico. Id conformatur Civilibus Legibus edicentibus gradatim appellari, l. *Præcipimus*, C. de appellation. & in Authent. de appellation. & intra quod tempus, §. ult. collat. 4. Jus verò Canonicum commune permittit saltum, omissoque medio appellari ad Papam, can. *Si quis*, can. *Omnes*, can. *Ad Romanam*, can. *Ideò*, 2. quæst. 6. Quartò, ut irrita sit appellatio à gravamine in quacumque instantia ante sententiam definitivam, nisi tale sit gravamen, ut in definitiva sententia nequeat reparari. Quintò, ut si à Metropolitano, aut alio Judice Papæ immediatè subdito appelletur ad Supremam Sedem, causa ipsa judicetur in partibus Regni per commissos à Papa Judices usque ad finem litis, id est usque ad tertiam conformem sententiam definitivam; nisi ob causam denegatæ justitiæ, vel ob justum in eo loco metum, quo casu committenda erit causa in partibus convicinis. Sextò, ut Judices à Papa commissi ac delegati causas in partibus terminent intra biennium, sub pœnis excommunicationis & propriorum Beneficiorum privationis ipso facto incurrendis. Sanctæ tamen Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Romanæ Curiæ Officiales actu exercentes, licèt in Galliæ partibus degant, suas poterunt causas agitare in Curia Romana, si judicio conveniantur Rei, & ad ipsam suas, quibus impetuntur, lites evocare. Hæc omnia statuunrur in Concord. tit. *De causis.*

CAPUT VI.

Jura Graduatorum circa vacantia Beneficia Regni.

1. DEUS pro summo beneficio pollicitus olim fuit Ecclesiæ suæ, Jerem. 3. *Dabo vobis Pastores, ut pascant vos scientiâ & doctrinâ.* Et sapientissimè loquitur à Deo inspiratus Propheta Malachias cap. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem de ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est.* Quocirca Pragmatica Sanctio in Basileensi Concilio edita, & in Galliæ Regno à Rege Carolo VII. à Clero universo, & à Parisiensi Senatu recepta, providens ut eruditis viris Præbendæ conferrentur, permulta in favorem Graduatorum

conſtituerat, quæ poſt hujus Sanctionis abrogationem retenta ſunt ac inſtaurata per Concordatum Bononienſe, & in Lateranenſi Concilio comprobata, ſicut hîc ſubjiciam.

II. Diſtinguntur Graduati in Simplices & Nominatos. Nominati dicuntur, quos privilegio decoratæ Regni Univerſitates expreſsè ad vacatura Beneficia nominaverunt. Iſti ergo debent tum has nominationis ſuæ literas, tum atteſtationem temporis ſtudiorum ſuorum, tum etiam Literas Gradus ſui Collatoribus exhibere. Graduati verò ſimplices ſunt qui carent Univerſitatis, in qua ſtuduerunt, nominatione, ſed proferunt Collatoribus Literas Gradus ſui, ſimulque temporis quo ſtuduerunt atteſtationem. Et quidem utriuſque generis ſimul comprehenſis Graduatis affectatur tertia pars Beneficiorum vacantium, adeò ut non ſit liberum Collatoribus ordinariis, aut etiam Patronis Eccleſiaſticis alteri cuiquam conferre, vel alterum præſentare inſtituendum. Secus eſt de laïcis Patronis, quorum libertas manet intacta. Igitur quæcumque Beneficia his quatuor menſibus anni, Januario, Aprili, Julio, & Octobri vacant, ſolis conferuntur Graduatis, niſi horum aliquos vel Apoſtolici Mandatarii, vel Regii Indultarii (qui ſanè jus habent ut Graduatis præferantur) excludant. Iſti porrò quatuor menſes ita inter Graduatos diſtribuuntur, ut Januarius & Julius ſolis Nominatis affectentur; Aprilis verò & October ſolis Graduatis ſimplicibus. Ita ſtatuit Concordatum tit. de collationib. §. *Præfatique Ordinarii.*

III. Ex utroque parente Nobiles Clerici privilegio decorantur, ut ſufficiat eis minus ſtudiorum tempus, modò debitis atteſtationibus hanc probent Nobilitatem. Sufficit enim illis triennio ſtuduiſſe in ea Jurium Facultate in qua Gradum Baccalaurei ſumpſerunt: cùm tamen in aliis Juris Civilis, aut Canonici Baccalaureis quinquennium ſtudii exigatur ſecundùm Ludovici XII. Regis Edicta anni 1498. artic. 5. & anni 1510. art. 8. 9. 10. 11. & 12. & Henrici III. anni 1585. ipſumque Concordatum tit. de collation. §. *Præterea.* Ubi etiam aſſignatur decennium ſtudiorum in Magiſtris Licentiatis, aut Baccaleureis formatis in Theologiæ Facultate. At verò in Doctoribus ac Licentiatis in Jure Canonico & Civili, aut in Medicina, ſeptennium. In Magiſtris ac Licentiatis Artium ab ipſa Logica inchoatorum, quinquennium. Excepto autem Jurium præfato Baccalaureatu, in cæteris omnibus Gradibus tam Plebeii quàm Nobiles Clerici pari jure gaudent.

IV. Quin etiam Beneficia curata locorum muratorum, quocumque anni menſe vacent, non niſi Graduatis conferri poſſunt. Concord. tit. de collation. §. *Statuimus quoque quod Parochiales:* & Edictum Henrici III. anni 1585.

V. Inter plures Graduatos ſimplices jus habent Collatores menſibus ipſis affectatis præferendi cæteris quemcumque libuerit. Sed inter Graduatos

duatos nominatos neceſſitas eis incumbit præferendi eum qui prior fuerit nominatus. Concord. d.tit.de collat. §.*Statuimus quoque & ordinamus.* At ſi uno eodemque anno plures Graduati nominati concurrant, præferendi ſunt Doctores Licentiatis, & hi Baccalaureis. In diverſis autem Facultatibus Theologi Doctores Jurium Doctoribus, & hi Medicinæ Doctoribus præferendi; ſicut etiam Canonum Doctor Juris Civilis Doctori, utpote dignior, d. §.*Statuimus quoque & ordinamus.* Ubi etiam præferri jubentur Theologiæ Baccalaurei licentiatis in utroque Jure, vel in Medicina; & Baccalaurei in Jure Magiſtris Artium.

VI. Requiritur quod attinet ad Graduatos nominatos, ut ipſis conceſſa nominatio fuerit ab Univerſitate tempore Quadrageſimæ: aliis enim anni temporibus factæ nominationes nullius roboris ſunt. Quo etiam Quadrageſimali tempore neceſſe eſt tam ſimplicibus quàm nominatis Graduatis exhibere quotannis Collatoribus & Patronis Eccleſiaſticis copiam Literarum Graduum ſuorum, & temporis ſtudiorum atteſtationem, necnon (ſi occurrat) Nobilitatis, & Literas pariter nominationis, eaſque inſinuare. Quorum ſi quid neglexerint, jus ſuum pro anno illo amittunt, & aliis factæ collationes ſubſiſtunt. Quinimò ſi Graduato qui prædicta non exhibuerit, aut non inſinuaverit ſtatuto tempore, collatum fuerit Beneficium menſibus Graduatorum vacans, collatio illa reſcindetur, juxta prædictas Ludovici XII. & Henrici III. Conſtitutiones, ipſumque Concordatum tit. de collat. §. *Préfatique:* Louetum lit. *G*, cap. 3. Deſpeiſſeum de benefic. tit.3. num.43. Porrò præfatæ Nobilitatis atteſtationes efflagitant quatuor teſtes, qui depoſuerint jurati coram Judice ordinario loci nativitatis, eoque abſente qui ſe Nobilem prætendit. Concord. tit. de collation. §.*Cùm verò:* & Henricus III. in dicta Conſtitutione anni 1585.

VII. Graduatis quibuſcumque in ipſis etiam Beneficiis quæ Graduatorum menſibus vacant, præferuntur primò Mandatarii Apoſtolici. Concord. tit. de Mandatis Apoſtolicis, §. *Declarantes:* etiam poſtquam mandatarius Apoſtolicus primùm vacans Beneficium recuſaverit, eo quòd incertum ac litigioſum eſſet; quod Senatuſconſultis Pariſienſibus judicatum refert Chopinus lib.1. de ſacra Politia, cap.5. num. 20. Secundò præferuntur quibuſcumque Graduatis Indultarii Regii de Senatu Pariſienſi aſſumpti, ſecundùm Franciſci I. Edicta annorum 1541. & 1543. ut tradit Louetus littera *B*, num.16.

VIII. Ceſſat quoque Graduatorum privilegium, ſi Papa rebus integris in Graduatorum menſibus prævenerit Collatorem ordinarium, alicui conferendo. Concord. tit. de mandat. Apoſtolicis, §. *Declarantes.* Ceſſat pariter ſi Graduatus Beneficium poſſidet reddens annuos ducentos florenos, Concord. quam ſummam Louetus lit. *B*, num.1. exponit æquivalere ducentis noſtri temporis nummis ſingulis trium librarum. Quam ob cauſam Graduati tenentur ſub pœna nullitatis Beneficia quæ habent, eorumque

annuum valorem exprimere , quemadmodum & illi qui à Papa intendunt aliquod Beneficium impetrare. Concord. tit.de collation. §. *Volumus*. Ceſſat inſuper Graduatorum privilegium in Beneficiis per reſignationem aut permutationem vacantibus in menſibus ipſorum , d. §. *Volumus*. Eis enim ſola reſervantur quæ per obitum vacant Beneficia. Ranchinus Deciſionum part.5. concluſ.421. Deſpeiſſeus de Benefic. tit.3. Denique ceſſat Graduatorum jus in Dignitatibus Eccleſiarum , tam Collegiatarum , quàm Cathedralium primariis, & in Præbendis Theologalibus, Pœnitentialibus, & Præceptorialibus , quas omnes eximi declarat à juribus Graduatorum & Indultariorum , omniumque gratiarum expectativarum , atque etiam à præventionibus Romanæ Curiæ, Henricus Rex IV. Edicto Maii anni 1596. art.2. & alio Edicto Decembris anni 1606. art.1.

IX. Tempus intra quod Graduati , tam ſimplices quàm nominati debent vacans Beneficium petere , ſex menſibus terminatur : quibus exactis ab eodem Beneficio excludendi ſunt, niſi per eos non ſteterit, legitimumque obſtiterit impedimentum, juxta cap. *Quia diverſitatem*, de conceſſ. præbend. Deſelva tract. de Benefic. part. 3. quæſt. 64. Rebuffus de nominationib. quæſt.20. num.1. & 2.

CAPUT VII.

De Jure Patronatus.

I. QUEMADMODUM mandatis Apoſtolicis , indultis Regiis, Graduatorum privilegiis , ſic etiam Patronorum præſentationibus minuitur Collatorum ordinariorum libertas. Vacantem namque Præbendam juripatronatus ſubditam non poteſt Ordinarius alii conferre , quàm quem Patronus ei præſentaverit , modò non ſit incapax ratione canonici alicujus impedimenti.

II. Neque etiam poteſt reſignari in favorem, aut ſimpliciter reſignatum Beneficium juriſpatronatus alteri conferri citra Patroni conſenſum , juxta conſtantem omnium Doctorum ſenſum , ut ait Azorius p.2. lib.8. cap.8. quæſt.1. Excepto quod Papa & Legatus derogare poſſunt juripatronatus Eccleſiaſtico, ſed non Laïco, ut infrà declarabimus.

III. Tribus modis juſpatronatus acquiritur. Primò fundatione , per contributionem ſoli ſeu areæ ad ſuperædificandam Eccleſiam. Secundò ipſa Eccleſiæ ædificatione ac fabricâ. Tertiò dotatione ipſius Eccleſiæ , ut dicit Gloſſa in can. *Piæ mentis*, 16.quæſt.7. Quanvis enim inconveniens ſit tractari à laïcis Eccleſiaſtica negotia , cap. *Quanvis* , de decimis ; ipſa tamen

vult

vult Ecclesia hanc suis etiam laïcis benefactoribus referre gratitudinem, hominumque ad hæc pia officia voluntatem excitare, can. *Decernimus*, 16.q.7.

IV. Dividitur communiter jusPatronatus in Ecclesiasticum & Laïcum, inter quæ tres interveniunt differentiæ. Prima in eo est, quia Patronis laïcis Jura non amplius concedunt quàm quatuor menses ad præsentandum : at habentibus Ecclesiasticum Patronatum sex menses indulgentur, cap. unico, de jurepatron. in 6. Secunda differentia est, quia Patronis laïcis conceditur variare ac retractare primam suam nominationem ad alterum præsentandum, sive quia Ordinarius primam ejus præsentationem noluerit admittere, cap. *Pastoralis*, de jurepatr. sive quia ipse Patronus sponte retractaverit, antequam prior à se nominatus fuerit institutus ac provisus : enimverò cessat resiliendi facultas post factam à Prælato institutionem, cap. *Quod autem*, eod. tit. & cap. 2. ut lite pend. nihil innov. in 6. Tertium demùm discrimen est, quia potest Papa, ejusque Legatus à latere propriâ authoritate de Beneficio vacante jurispatronatus Ecclesiastici ad suum libitum disponere citra Patroni consensum ; cùm tamen hoc minimè possit citra consensum Patroni in Beneficio jurispatronatus laici, cap. *Cùm dilectus*, & ibi Glossa in praxi recepta, de jurepatron. Et absolutè jusPatronatus laïcum est id quod fundatur à laïca persona, vel etiam ab Ecclesiastica persona, sed de bonis patrimonialibus, & non Ecclesiasticis ; quod etiam debet in ipsa fundatione protestari.

V. Provisio Superioris ad Patroni præsentationem non dicitur propriè collatio, sed institutio ; quia liberum ei non est de alia persona providere, nisi de præsentata, modò non sit incapax ; & debet Prælatus pro suo officio de moribus præsentati prudenter inquirere, ejusque examinare capacitatem. Sed si duo, pluresve Patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, liberum est Superiori quem horum maluerit præferre ; sed secundùm conscientiam debet præferre digniorem. Joannes Andreas, Panormitanus, Armilla.

VI. Tametsi Jure communi præsentatio quoque ipsa Patroni laici possit validè à Papa præveniri, dummodò per expressam clausulam Papa eidem derogaverit ; hoc tamen non recipitur in Regno Franciæ, in quo recipitur & approbatur in ejusmodi casu appellatio tanquam ab abusu. Solaque præventio Patroni Ecclesiastici per Papam admittitur in hoc Regno, non tamen nisi cum clausula expressa hujus derogationis ; quæ quidem extra Galliam, & de Jure communi non est necessaria, nisi contra Patronum laïcum. Charondas lib. 7. responsorum, cap. 195. Bleinianus lib. 1. praxis, cap. ult.

VII. Patronus quantumvis Clericus aut Sacerdos ad Beneficia idoneus, non potest seipsum præsentare, cap. *Per nostras*, de jurepatron. Etenim debet esse personalis distinctio inter dantem & accipientem, cap. *Ad nostram*, de institution.

VIII. Regula discernendi juspatronatus Laïcum ab Ecclesiastico hæc est. Si juspatronatus acquisitum fuerit contribuendo bona laica, seu patrimonialia in favorem Ecclesiæ, censebitur laicum, etiamsi contribuens sit Clericus, aut etiam Sacerdos. Erit verò Ecclesiasticum juspatronatus, si de bonis Ecclesiæ quæsitum fuerit, quanvis Patronus sit laicus, ut contingere potest in Ecclesiarum Ædituis seu Matriculariis, Gallicè *Marguilliers*, aut in Officialibus quibus jus illud ex fundatione quæsitum fuerit; si tamen Rebuffo credendum sit lib.1. praxis, cap.14. num.5. 6. & 7. mihi enim non videtur fundari posse hac in re juspatronatus: Matricularius enim est quidem administrator, sed non dominus rerum Ecclesiæ. At si juspatronatus sit mixtum, partim ex bonis laicis, & partim ex bonis Ecclesiasticis, quia favores sunt ampliandi, præsertim in casibus gratitudinis & remunerationis, favendum est illi parti in quam Jus majora privilegia censuit conferenda, ut liquet in Jurepatronatus Laico comparato cum jurepatronatus Ecclesiastico, minùs quàm Laicum favorabili. Ideoque juspatronatus mixtum iisdem gaudere privilegiis, quibus merè Laicum, affirmant Parisius consil. 35. Rebuffus in praxi, tit. *Tertia pars signaturæ*: Melchior Pastor lib.1. de Benef. cap.19. num.31. Nec refert si quis objectet majus dignum, qualia sunt bona Ecclesiastica, debere ad se trahere minus dignum, ut sunt bona laica, cap. *Quod in dubiis*, de consecr. Eccles. Hæc enim cessat regula, ubi minùs dignum favorabilius est digniore: ipsaque Glossa in hoc cap. *Quod in dubiis*, verb. *Consecratio*, fundat contrariam propositionem in materia in qua versamur jurispatronatus, quod cùm sit sacrum, trahitur tamen ab ipsis profanis bonis cum quibus conjungitur; atque ita transit cum bonis profanis ad hæredes & successores.

IX. Tempus verò præsentandi in jurepatronatus mixto est sex mensium, sicut in purè Ecclesiastico. Ea est enim mutua privilegiorum communicatio, ut sicut jus Laicum tribuit juri Ecclesiastico patronatûs, ut Papa vel Legatus illi derogare non possit; ita in hac eadem materia jus Ecclesiasticum tribuit juri laico patronatûs semestre ad præsentandum; in quo tamen variare non liceat, ne jus mixtum majora sortiatur privilegia quàm jus merè laicum patronatûs. Rochus de Curte tract. de jurepatron. §. *Septimò quæro*: Pastor d. l.b.1. cap.19. n.9.

X. Fieri à Patrono præsentatio potest, vel immediatè per se, vel per procuratorem cum speciali mandato. Item per tutorem aut curatorem Patroni. Item per syndicum vel œconomum, si juspatronatus ad Universitatem, vel ad Capitulum pertineat. Præterea per maritum patronæ uxoris, & per usufructuarium prædii vel hæreditatis, cui juspatronatus annectitur. Similiter & per colonum conductum ad longum tempus, cap. *Ex literis*, de jurepatron. Quinetiam per sequestrum. Deselva p.2.quæst.6. Loisellus de officiis lib.5.cap.2. Corasius in centur. cap.48. Mainardus lib.2.cap.41.

Despeisseus

Despeisseus de Beneficiis, cap.3. num. 23. Creditori autem, qui rem sequestrari fecit, præsentare non permittitur, cap. *Cùm Bertoldus*, de re judic. Et si proprietarius præsentaverit, præsentatus ab usufructuario venit præferendus. Idemque sentiendum de sequestro & possessore bonæ fidei, quoniam non tam proprietas quàm possessio in præsentatione attendi debet, ex hac ratione, quia fructus sequuntur possessionem magis quàm proprietatem; jus autem præsentandi censetur in fructibus fundationis. Desselva p.2. q.7.

XI. Forma præsentandi hæc est, ut præsentatus, si fieri potest, exhibeatur Collatori: & si plures præsententur à pluribus Patronis, debent omnes exhiberi, ut Collator ex illis eligat quem sibi visum fuerit. Ubi tamen præsentatus non comparuerit, præsentatio à Patrono, ejusve procuratore facta sustinebitur, si præsentatus sit alioqui benè notus, & capax judicatus ab Ordinario. Riccius decis. 156. & 158. Post exhibitionem præsentatio debet apud Acta Ecclesiastica insinuari.

XII. Licèt Patronus seipsum præsentare non possit, cap. *Per nostras*, de jurepatron. unus tamen Patronus, si plures sint, potest ab aliis Compatronis validè præsentari, ut docet Glossa in cap. *Consuluit*, verb. *Concedant*, de jurepatron. idque probat argumento cap. *Cum in jure*, de elect. ubi approbatur electio quam plures compromissarii fecerunt in favorem unius de suo numero compromissarii. Panormitanus in d. cap. *Per nostras*. Potest etiam procurator à Patrono indefinitè constitutus ad præsentandum prout ei visum fuerit, ipsum à quo mandatum habet Patronum præsentare. Secus tamen si Patronus ipse seipsum in mandato designaverit præsentandum; tunc enim perinde est, ac si seipsum immediatè præsentaret. Riccius decis.197. Pastor loco cit. n.14.

XIII. Si plures ejusdem Capituli, Universitatis, vel Collegii jus habeant præsentandi, debent collegialiter die constituta simul omnes convenire, & inter se de præsentando Clerico convenire. Electus à majori parte cæteris est præferendus & instituendus, cap. *Quoniam*, de jurepatron. Si plures præsentent tanquam unum collegium constituentes cum altero vel pluribus Patronis, illi qui præsentant pro collegio, quanvis sint numero plures, unius tantùm vocis suffragio gaudent. Idemque judicium est, si unius ac ejusdem familiæ, habitâ ratione stirpis unius ex qua universi descendunt, præsentent, juxta Clement. *Plures*, de jurepatron. & cap. *Scriptum*, de election.

XIV. Possessio jurispatronatus acquiritur cum titulo colorato, & bona fide possessoris per præscriptionem, quam multæ præsentationes effectum fortitæ roborarunt. Neque verò sufficit una & altera præsentatio, etiam bonâ fide subnixa, quicquid in oppositum scribant Louetus litera *P*, num.20. & ex illo Pastor lib.1. tit.19. num.17. si ante legitimam præscriptionem completam constet de vero alterius titulo. Quod enim nostrum est,

sine

ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt, leg. *Id quod noſtrum*, D. de regul. jur. Sic enim inferretur injuria vero Patrono aut abſenti, aut proprium jus ignoranti, & deterrerentur homines ab Eccleſiarum fundationibus, ſi tam facilè Patronorum jura præripi poſſent. Sed ſi præſentator jus illud non poſſidebat, verùm per errorem exiſtimabatur Patronus, debet is, qui ad ejus præſentationem inſtitutus fuit, Beneficio privari, ut ſancitur cap. *Conſultationibus*, de jurepatr. & poſt tres continuatas electiones excluduntur à jure eligendi illi Clerici, qui tempore ſufficienti non probant ſe præſcripſiſſe, cap. *Cum Eccleſia Sutrina*, de cauſa poſſeſſ. & propr. Idemque cenſendum de collationibus Beneficiorum ſine præſentatione factis, quæ nullatenus Patronorum juribus officiunt, quando ſuperveniens Patronus jus ſuum ac titulum exhibet. Atque ita ſæpiùs Aquiſextienſis Senatus judicavit. Anno enim 1652. Martii 18. ad petitionem Patronorum nomine Pellencorum Richardus Aſſius ſpoliatus fuit Beneficio ſibi ab Epiſcopo Regienſi collato, qui bis illud idem aliis non præſentatis contulerat; remotoque Aſſio ſuffectus eſt Longius à Patronis præſentatus. Idemque Senatus anno 1632. Virollium ab Epiſcopo Ciſtaricenſi proviſum depulit Beneficio, inſtante Marchione Canilliaco Patrono, idque adjudicavit Caſſagnio: tametſi hoc ipſum Beneficium diverſis vicibus fuiſſet ab Antiſtitibus Ciſtaricenſibus collatum, nullo præſentante. Concilium item Tridentinum præclarè ſtatuit ſeſſ. 25. de reform. cap. 9. ubi de titulo non liquet, nullum ſufficere ad ſtabilienda jura patronatus temporum decurſum, præterquam illius, quod omnem hominum memoriam excedit, & cui præterea ſuffragentur multæ indubitatæ præſentationes, quæ ab annis ſaltem quinquaginta fuerint effectum ſortitæ. At verò illud forenſe axioma, *In Beneficiis ultimum ſtatum eſſe attendendum*, nihil juvat Loueti opinionem juribus allegatis & æquitati planè repugnantem. Ultimus enim ille Beneficiorum attendendus ſtatus ſupponit jus ambiguum, ſed nullatenus præjudicat ubicumque titulus evidens oſtenditur, ut conſtat ex cap. *Conſultationibus*, de jurepatron. quod utique in cauſa iſta eſt deciſivum.

XV. In Galliæ Regno poſſunt Hæretici tolerati, non per ſeipſos, ſed per Catholicos procuratores à ſe conſtitutos præſentare ad Præbendas, modò Patroni hæretici nullam certam perſonam præſentandam in mandato nominaverint vel deſignaverint, ex Regis Ludovici XIV. Edicto Julii 8. anni 1651. Bengeus de Beneficiis, tit. de oneribus Eccleſiarum, §. 6.

XVI. Certi quidam ſunt caſus, in quibus jus Patroni ſuſpenditur, eique ad tempus derogatur. Primò ſi poſſeſſor Beneficii patronati ſit expellendus ob defectum tituli, incapacitatem, non reſidentiam, aſſequutionem alterius Beneficii incompatibilis, delictum, aut aliam juſtam cauſam, non eſt expectandus Patroni etiam laici conſenſus, & valet derogatio,

gatio, tametsi jus patronatus ad Regem pertineat. Rebuffus in praxi, 3. p. tit. de signatura, num. 37.

XVII. Secundò si inter collitigantes alter in alterius jus subrogetur in vim regulæ de subrogandis collitigantibus, aut novæ provisionis, vel rescripti *si neutri, si nulli*, non desideratur Patroni, sive laici, sive Ecclesiastici consensus. Riccius decis. 150.

XVIII. Tertium casum ponunt Rebuffus & aliquot alii, si videlicet fiat permutatio de Beneficio patronato, inconsulto Patrono, tam Laïco quàm Ecclesiastico, valet, & potest Episcopus hujusmodi permutationes approbare. Rebuffus in praxi, tit. *Tertia pars signaturæ*, n. 40. Papo lib. 3. placitorum, tit. 9. n. 1.

XIX. Quartò si in Regalia vacet in hoc Regno Beneficium, poterit à Rege, vel ab œconomo Regio conferri sine Patroni Ecclesiastici, non tamen Laici consensu. Ut enim aiunt Pragmatici Gallicani, Rex utitur in Regalia non solùm jure Ordinariorum, sed etiam Papæ. Renatus Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 7. num. 1. Brodeus Loueti Scholiastes in lit. *R*, num. 47.

XX. Non debet Ordinarius instituere præsentatum, nisi probè examinatum & exploratum circa doctrinam, mores & canonica impedimenta, cap. *Significasti*, de jurepatron. Alioqui damnationem sibi acquirit, & tenetur Ecclesiæ læsæ damnum sarcire, instar Magistratus qui minùs idoneo tutelam pupilli commisit, l. 1. C. de Magistrat. conven. Hoc expresè docent à Rebuffo citati Ancharanus & Cardinalis in Clem. de ætat. & qualit. Angelus de Clavasio in verb. *Restitutio*: ipseque Rebuffus in praxi, tit. de præsentat. & institut. n. 10.

XXI. Præter jus præsentandi alia etiam jura Patrono competunt, honor nimirum præsessionis in Ecclesia patronata; & si ad inopiam vergat, modestè subveniendum est ei ab Ecclesia, cap. *Nobis fuit*, de jurepatr. & 16. quæst. 7. can. *Contra*, & seqq. Potest etiam Patronus, si sit Clericus, de bonis Ecclesiæ rationes exigere, non autem si sit laicus, cap. *Cùm & plantare*, §. *in Ecclesiis*, de privileg. & cap. *In Lateranensi*, de præbend. Pastor lib. 1. de Beneficiis, tit. 19. num. 35. Potest Patronus in Ecclesia apponere sua Insignia, & honestam sibi Sedem figere. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 2. num. 5. Honor verò processionis quem Patronis sacri Canones deferunt, can. *Piæ mentis*, & can. *Frigentius*, 16. quæst. 7. & cap. *Nobis*, de jurepatron. nihil aliud significat, nisi jus nominandi ac præsentandi, ut ex ipsis locis facilè colligitur, & rectè Glossa exponit in d. can. *Piæ mentis*. Fundatoribus Ecclesiarum permittitur pro iis locis curam habere solicitam, can. *Decernimus*, 16. quæst. 7. Nihilque vulgatius aut receptius his versibus apud Canonistas:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

XXII. Jure ſucceſſionis hæreditariæ juſpatronatus ad hæredes tranſmittitur, nullo habito ſexuum diſcrimine. Gloſſa in Clement. 2. de jurepatronat. Et licèt hæredes ſuccedant ex teſtamento, vel ab inteſtato ex æquis vel diſparibus portionibus, tamen in jurepatronatus omnes æqualiter ſuccedunt, nec pluris æſtimatur ſuffragium ejus qui ex ſemiſſe vel ex dodrante, quàm ejus qui ſucceſſit ex quadrante vel uncia. Nam in juribus honorificis omnes æqualiter ſuccedunt, quanvis portionibus diſpares, ut de jure ſepulchrorum definitur in l. *Vel quod*, D. de religioſ. & ſumpt. funer. Quando juſpatronatus hæreditarium eſt (quale eſſe ſemper præſumitur ubi nihil de oppoſito conſtat) hæredes quidem ſuccedunt in ſtirpes, Clement. *Plures*, de jurepatr. Si verò juſpatronatus probatur gentilitium, ſucceditur à ſolis viris in capita, ut docet Sanlegerius tom. 1. cap. 32. num. 4. & 6. & 28. & ſeqq. idemque tom. 1. cap. 107. num. 4. & 5. & Franciſcus de Roja, Anteceſſor Andegavenſis in prolegom. ad tit. de jurepatron. cap. 19. circa fin.

XXIII. Patroni vel præſentant ut ſinguli, vel ut componentes collegium, ſeu Capitulum, ſeu quamlibet univerſitatem, cui juſpatronatus ſit adnexum. Si præſentent ut ſinguli, nihil neceſſe eſt ut vocentur ſimul, etſi plures exiſtant. Sed ſi componant collegium cui juſpatronatus adhæret, neceſſe eſt, ut collegii jure ſimul conveniant; & ſi contingat unum aliquem ideò abeſſe, quia ab aliis convenientibus vocatus non ſit, reliquorum ſimul deliberantium præſentatio, & quæ inde ſequetur inſtitutio viribus omnibus deſtituetur. Si tamen res adhuc ſit integra, duretque adhuc tempus à Jure præſentationi præfixum, poteſt adhuc huic defectui ſuccurri, ſi Patroni collegiati ex condicto poſt canonicam ſingulorum citationem loco certo conveniant ad deliberandum ac eligendum; tunc enim ſi nemo ſit, qui ſe non fuiſſe vocatum conqueri poſſit, etiamſi non omnes convenerint, his etiam abſentibus reliqui collegialiter adunati validè eligent, & præſentabunt, cap. *Quod autem*, cap. *Cum autem*, & cap. *Paſtoralis*, de jurepatr. Porrò nominatio Patronorum non tribuit niſi jus ad rem, ſed nullatenus jus in re, cap. *Cùm laici*, de jurepatr. Ideoque non eſt ſumenda Beneficii poſſeſſio, niſi poſt inſtitutionem, ſeu proviſionem, quâ jus in re ipſa quæritur, cap. *Cùm laici*, de jurepatr. Rota in antiq. de jurepatr. deciſ. 7. num. 2. Abbas in cap. *authoritate*, num. 7. de inſtitutionib. Lambertinus de jurepatr. lib. 2. p. 3. q. 1. art. 1. n. 1. Rochus de Curte de jurepatr. in verb. *Honorificum*, quæſt. 60. n. 94. & ſeqq.

XXIV. Conſuetudine quoque præſentandi acquiritur juſpatronatus etiam quoad proprietatem, ſi accedat conſuetudo uſque ad longiſſimi temporis præſcriptionem. Ad iſtam conſuetudinem quatuor requiruntur. Primò titulus, ſaltem coloratus aut præſumptus ex enunciatis in aliis inſtrumentis, ſimulque bona fides; hæc enim duo ſimul efflagitantur, cap. *Si diligenti*, in fine: & cap. ult. de præſcription. Secundò ſaltem duæ

vel

vel tres præsentationes, quæ præcesserint, cap. *Cùm Ecclesia Sutrina*, de causa possess. & propr. Tertiò possessio continua, nec interpolata. Quartò legitimi temporis decursus, scilicet quadraginta annorum, cap. *Auditis*, & cap. *De quarta*, de præscript. & Concilium Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. Sed si non constet de titulo saltem colorato, requiritur præscriptio temporis memoriam hominum excedentis, quæ hîc & in cæteris casibus instar tituli est, l. *Hoc jure*, §. *Ductus aquæ*, D. de aqua quotid. & æst. Rochus à Curte de jurepatron. sub fin. Concilium Trident. loco cit. Ejusmodi verò possessio probanda est instrumentis tantùm, & non testibus. Riccius decis. 224. Pastor lib. 1. de Benef. tit. 10. n. 14. Qui idem num. 16. allegat Senatusconsultum Curiæ supremæ Aquisextiensis anni 1637. quo excluſus fuit Clericus liberè ab Ordinario provisus, quanvis probarentur multæ aliæ similes ab Ordinario factæ ejusdem Beneficii collationes intra spatium excedens annos triginta; sed non probabatur quadragenaria præscriptio, ideóque lis adjudicata fuit parti à Patrono præsentatæ. Neque verò quadraginta, vel plures anni sufficiunt ubi extitit mala fides: nam possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, cap. *Possessor* 2. de regul. jur. in 6.

XXV. Ut verò futuris dissidiis providè obvietur, caveant Ordinarii ne ullas admittant præsentationes, nisi constet de jurepatronatus per titulum fundationis aut dotationis, aut per admissas anteriores præsentationes, quæ titulum saltem probabiliorem comprobent. Et si plures existant Patroni, debet Prælatus singulorum præstolari consensum, qui utique non debet eousque prorogari, ut tempus labi periclitetur à Canonibus ad id præstitutum. Sin aliqui moram faciant, debet ad unius præsentationem instituere, neque ulteriùs expectanda erit absentium ratificatio, si convenienti tempore à die notitiæ vacationis siluerunt. Vivianus de jurepatr. & alii. Sed si adeò remotè distent, aut in incertis locis, ut inde notitia vix dari, vel haberi possit, potest Ordinarius statim ad præsentis nominationem, si sit nominatus idoneus, providere, ne devolutioni ex mora, longæque vacationi locus aperiatur, aut debitum Ecclesiæ ministerium retardetur.

* XXVI. Agitata sæpenumerò fuit quæstio, utrùm si Patronus ad Beneficium nominaverit Clericum absentem, aut qui in remotis jam è vivis excesserit, aut qui nominatus mox ante institutionem decessit, aut etiam qui vivens noluit sibi tale Beneficium conferri, liberum sit eidem Patrono alterum præsentare? hoc scilicet argumento, quia cùm semel jure præsentandi functus fuerit, jus istud hac vice exspiraverit, eo quòd Clementina unica de renunciat. affirmet illusionem & variationem maximè in personis Ecclesiasticis evitandas esse. Cæterùm nulla potest hîc objici variatio vel illusio, sed tantùm caducitas ex accidente quod nullatenus potuerat prævideri. Itaque jus nominandi cùm nullum produxerit effectum,

revertitur ad Patronum, eique integrum perdurat. Quali etiam jure donatio non acceptata revertitur ad donantis persónam, & legatum recusatum hæreditati redintegratur. Et favet apertè cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. ubi deciditur, collatorem qui absenti aliquam præbendam contulit, posse alteri eandem conferre, ex quo constiterit, noluisse provisum illam acceptare. Quinetiam in materia ipsa præsentandi, si præsentatio effectum non sit sortita integrum, eidem Patrono remanere jus ad secundam præsentationem Canones apertè definiunt, ut constat ex cap. *In Ecclesia*, il 2. de institut. & cap. *Transmissæ*, fin. de jurepatr. & ibi Glossa: non enim, ait, præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum. Perspicuè quoque docent Selva tract. de Benefic. part. 3. q. 47. & Rebuffus tract. de nominat. quæst. 17. num. 21. & 22. probantque Patronum non excidere jure alterius nominationis, si citra ipsius fraudem prior non successerit. Rebuffus ipse multiplici jurium inductione amplam fidem facit, id quod nulliter factum est, nullatenus esse computandum, sed pro non facto habendum.

XXVII. Notabilis quoque ac memoriæ infigenda est decisio tradita in cap. *Consultationibus*, hoc tit. nimirum illum qui fuit institutus ad præsentationem ejus qui censebatur Patronus, non esse à Beneficio removendum, licèt juspatronatus ab alio postmodùm justo legitimoque judicio fuerit evictum. Simile quid statuit cap. *Querelam*, de elect. scilicet electo sufficere ad tenendum beneficium electione adeptum, ut doceat electorem fuisse tunc in quasi possessione eligendi, quanvis ex postfacto elector ille probetur jus eligendi non habuisse, eoque jure privatus sit. Sufficit enim qualiscumque possessio cum bona fide illius qui promotus fuit; unde orta sunt ista Juris axiomata: Legitimè factum non est rescindendum, licèt in eum casum devenerit, à quo non potuit incipere. Et, Legitimè factum cum bona fide provisi prævalet, l. *Barbarius*, D. de offic. Prætor. & utique Barbarius ipse non ignorabat se servum esse fugitivum & capite minutum, quando Præturam capessivit.]

CAPUT VIII.

De præsentatione proprii filii, ; & de Prioribus seu Rectoribus Patronis.

I. INDUBITATUM quidem est, neminem Patronum posse præsentare seipsum, cap. *Per nostras*, de jurepatron. Exigitur enim personarum distinctio inter dantem & accipientem, cap. *Cùm ad nostram*, de institutionib. Sed gravis est disceptatio, utrùm Patronus possit

possit proprium filium ad Beneficium præsentare ? Id negare videtur cap. *Consuluit*, de jurepatron. his verbis : *Cùm Sanctuarium Dei jure hæreditario teneri non possit, non debet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas propriâ authoritate detineant, aut laïci filiis vel aliquibus aliis concedant easdem.* Ipsa tamen in idem cap. Glossa, itemque Panormitanus ibid. & Consil. 2. p. cap. 96. affirmant posse à patre patrono filium præsentari, neque ambos in Jure Canonico censeri unam eandemque personam, licèt secus decernatur in Jure Civili, Instit. de inutilib. stipulat. §. 4. quia in bonis Ecclesiæ non dependet filius à patre, & sunt ea bona quasi peculium castrense, quod patri non acquiritur. Est enim Clericorum sacra militia, can. *Quicumque*, 77. dist. & can. *Presbyteros*, 16. quæst. 1. can. *Reprehensibile*, 23. quæst. 8. & cap. *Episcopus*, 4. de præbend. Ideoque docet Panormit. in d. cap. *Consuluit*, nihil acquiri patri ex filii proventibus Ecclesiasticis, quanvis adhuc existentis sub patria potestate.

II. Neque obstat dictum cap. *Consuluit*; loquitur namque de intrusione, *quæ fit propria authoritate* : ibidemque negat, non solùm propriis filiis, sed & aliis quoque posse hoc modo Ecclesias à Patronis concedi ; quod utique non aliter intelligi potest, nisi hîc applicando verba eadem quæ paulò antè præcesserunt, *propria authoritate* : secus verò per præsentationem factam coram Ordinario, & hujus subsequutam institutionem. Non etiam obstat cap. *Quia Clerici*, eod. tit. quia diserte loquitur de parentibus qui pretio emunt Ecclesias patronatas, ut eas ad suos liberos transmittant : quæ quidem emptio simoniaca est hujus prohibitionis causa, non autem simplex filii qualitas. Glossam prædictam, & Panormitanum sequuntur Doctores Gallicani, Benedictus in cap. *Raynutius*, verb. *Mortuo itaque*, num. 58. p. 2. his verbis : *Pater & filius revera sunt duæ personæ : & inde est, quod pater Patronus potest filium, sed non seipsum præsentare, secundùm Glossam in cap. Consuluit, de jurepatr. licèt alibi juris fictione censeantur eadem persona.* His adstipulatur Bengeus tit. ult. num. 7. 8. & 9.

III. Plerique Rectores tanquam Patroni potiuntur præsentandi jure pro subditis sibi Ecclesiis Vicarios etiam perpetuos ad earum ministerium & curam animarum obeundam, cap. 3. §. *In Ecclesiis*, de privileg. & excess. privil. & cap. 2. de supplend. neglig. Prælat. & cap. *De monachis*, & cap. *In Lateranensi*, de præbend. & cap. 1. eod. tit. in 6. & cap. ult. de capel. monach. in 6. Quæ tamen capitula omnia loquuntur de Rectoribus Regularibus habentibus sub se curatas Ecclesias ; & non de Secularibus Rectoribus. Sed tamen hoc idem juspatronatus pertinet quoque ad Rectores Seculares habentes Dignitatem, Personatum, aut simplex Beneficium, cujus præbenda & fructus fundantur in Ecclesia Parochiali unita simplici illi Beneficio, Personatui, vel Dignitati, ut constat ex cap. *Exstirpandæ*, §. *Qui verò*, de præbend. quod caput desumptum est ex Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III.

IV. Sunt pariter alii primarii Rectores sub se habentes Parochiales Ecclesias & Vicarios, quorum origo fuit ex necessitate auxilii & succursus Ecclesiæ Matricis, multitudini & distantiæ plebis sufficere non valentis; quæ fuit occasio novæ ædificandæ Ecclesiæ, & Vicarii in ea constituendi. Sicque Matricis Ecclesiæ Rector titulo insignitur Primarii, seu Prioris Rectoris, respectu geminarum quibus præest Ecclesiarum, Matricis & Filiæ. Istius generis Rector vocatur in Jure Plebanus. Est enim Plebania Ecclesia Parochialis, ex qua dependent eidem subjectæ Capellæ, ac minores Ecclesiæ, in quibus Vicarii sive ad tempus, sive perpetui constituuntur, cap. 1. ne Cler. vel Monac. in 6. Atque utrique Priorum generi competit utplurimùm tanquam Patronis honorariis jus præsentandi ad subditarum sibi Ecclesiarum Vicariatus.

V. Tria ergo in Jure legimus Priorum seu Superiorum Rectorum genera, quibus Parochiales Ecclesiæ subjiciuntur. Primum est Regularium, qui curam animarum non per se, sed per Vicarios exercent Seculares. Secundum est habentium Dignitates, aut Præbendas, quibus unitæ sunt Ecclesiæ Parochiales. Tertium est Plebanorum qui Matricibus Ecclesiis præficiuntur. Hi omnes jus habent præcedendi in subditis Ecclesiis Vicarios in eisdem constitutos; non tamen habent jus ministrandi intra illas, hoc enim solis competit Vicariis. His tribus Prioratuum generibus aliquando competit juspatronatus ad subjectos Vicariatus, aliquando minimè. Quibus verò competat vel non competat ut dignosci possit, consulendi sunt fundationum tituli quid innuant, aut quidnam particularis consuetudo ferat.

CAPUT IX.

Conditiones aliquot, ut quis de Beneficio provideatur, requisitæ discutiuntur.

I. EXCOMMUNICATO quacumque majori excommunicatione neque conferre, neque recipere licet ullum Ecclesiasticum Beneficium; ejusque electio, præsentatio, institutio & collatio prorsus invalida est, cap. *Postulastis*, de Cler. excom. minist. Quo etiam capite scienter tali conferens à collatione Beneficiorum suspenditur, ut in eo puniatur in quo peccavit. Suspensi quoque neque eligere possunt, neque eligi, can. *Nos in hominem*, 9. q. 1. cap. *Cùm dilectus*, de consuetud. & cap. *Cùm inter R*, & cap. *Per inquisitionem*, de election. & cap. *Pastoralis*, §. *Verùm*, de appellat. cap. *Cùm bona*, de ætat. & qualit. ordin.

ordin. Atque etiam hæc locum habent in excommunicationibus occultis & toleratis. Veruntamen si excommunicatio vel suspensio posterior sit electione, præsentatione, collatione, non inducit Beneficii vacationem, decis. Rotæ 195. in novis. Gomesius tract. Expectativarum, num. 60. Covarruvias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 7. num. 4. not. 11. Bonacina de excommunicatione disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 9. Idem tradunt Canonistæ, Felinus in cap. *Inusitatum*, de simon. Panormitanus in cap. *Cùm Clerici*, num. 2. de pactis, Ugolinus de simon. tab. 1. cap. 19. & Gallicani Jurisconsulti Gregorius Tolosanus instit. benef. cap. 26. num. 2. Papo tom. 1. Notariorum, lib. 2. pag. 90. Pastor lib. 3. de benef. tit. 18. n. 17. Bengeus de simon. in Benef. num. 43. Adeò ut caput *Ex literis*, de excess. Prælat. eum qui dum Beneficium possideret homicidii voluntarii factus est reus, simulque irregularis, non judicet esse ipso facto depositum, sed Judicis sententiâ esse deponendum. Singulas censurarum species infrà lib. 4. discutiam.

II. Illegitimè nati Beneficiorum incapaces regulariter existunt; defectus quippe natalium irregularitatem inducit, cap. 1. & cap. ult. de fil. Presbyt. cap. *Cùm in cunctis*, de election. Concilium Trident. sess. 22. de reform. cap. 20. juxta prohibitionem Deuteron. 23. *Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus, Ecclesiam Domini.* Ab ista irregularitate solus Papa dispensat ad omnes Ordines, & universa Beneficia; sed potest Episcopus dispensare ad primam Tonsuram, & ad minores Ordines, necnon ad Beneficium simplex: nullatenus verò ad sacros Ordines, vel ad curatum Beneficium, cap. 1. de fil. Presbyt. in 6. Dubitat tamen Pastor, an valeat in Francia ista Episcopi dispensatio, lib. 3. de Benefic. tit. 25. num. 6. hac sola ductus ratione, quia Bonifacius VIII. hoc constituit, cujus nomen Francis invisum est & odiosum. Verumtamen istam valere in Francia dispensationem, hujusce Regni Doctores indubitanter affirmant, quemadmodum & alias pleraque celebres Bonifacii VIII. Constitutiones. Ita Deselva Regius in Parlamento Parisiensi Advocatus de Beneficiis p. 3. quæst. 16. Rebuffus in praxi, p. 2. tit de dispensatione circa natalia, num. 8. & seqq. Charondas lib. 10. responsorum, cap. 7. Despeisseus tract. de beneficiis, tit. 3. num. 66. aliique Gallicani Jurisconsulti.

III. Sed hoc unum disputant, an ista Episcopalis circa defectum natalium dispensatio locum habeat in Præbendis & Personatibus, non quidem Ecclesiarum Collegiatarum, in quibus supponunt valere, sed Cathedralium. Et in his quoque valere affirmant non modò exteri Doctores Archidiaconus, Oldradus, Jason; sed etiam Gallicanus Joannes Deselva loco citato. Negat autem valere Rebuffus loc. cit. num. 10. & 11. citatque pro sua sententia Decisiones Rotæ, & antiquam Glossam Pragmaticæ Sanctionis.

IV. Neque ipsis quidem legitimis filiis possunt conferri Beneficia immediatè anteà ab ipsorum patribus possessa, cap. *Moyses*, & cap. *Apostolica*,

lica, 8. quæst. 1. & cap. *Ad exstirpandas*, & cap. *Dilectus*, de fil. Presbyter. ne videantur successivæ, atque ita intra familias hæreditariæ Præbendæ: solusque Papa potest contra jus istud dispensare, cap. *Dilecti*, eod. tit. Jam quæritur de nepotibus, an possint in Beneficium ab avo possessum succedere? Glossa in dicto cap. *Apostolica*, tradit illam de filiis prohibitionem protendi quoque ad nepotes, ne avorum Beneficia possideant. Idemque altera docet Glossa in cap. *Ad exstirpandas*, vers. *Filii Presbyterorum*, de fil. Presbyter. His suffragatur lex *Liberorum*, & lex *Justa*, de verbor. signif. quibus filiorum nomine comprehendi pariter nepotes decernitur. Idcóque Rebuffus in praxi, tract. de dispensat. super defectu natal. num. 25. & 26. excludit absolutè nepotes, sicut & filios ab ejusmodi avorum beneficiis: citatque ad id confirmandum nonnullos Canonistas, atque sententiam rejicit quorumdam nepotes admittentium, dummodò inter avum & nepotem vivat superstes pater: quæ tamen opinio fulcitur per §. *Sui autem*, Instit. de hæredum qualit. & differ. ubi deciditur nepotes non censeri nomine suorum hæredum respectu avi, quandiu vivit intermedius pater. Quam etiam circa Beneficia avita opinionem tuetur Glossa in can. 1. dist. 56. & Pastor lib. 3. tit. 26. num. 3. Cæterùm Rebuffus huic oppositum propugnat non modò in praxi, sed etiam in tract. de pacific. possess. num. 277. quo loco multa profert ad hoc firmandum Curiarum Regni Supremarum Jùdicia.

V. Severior est Juris dispositio contra illegitimos quàm erga legitimos Sacerdotum filios; filiis enim legitimis interdicitur sola immediata in paternum Beneficium successio: at verò illegitimis prohibetur insuper qualecunque tenere Beneficium in eadem Ecclesia, in qua patres ipsorum aliud Beneficium habent. Adeò ut dispensatio generalis illegitimorum circa Beneficia non sufficiat, nisi specialem etiam à Summo Pontifice habeant ad hoc, ut possint tenere Beneficium in eadem Ecclesia, in qua ipsorum patres aliud Beneficium possident. Quæ tamen res permittitur à Jure communi liberis legitimis, cap. *Ad hæc*, de fil. Presbyt. Quin etiam Concilium Trident. sess. 25. cap. 15. de reform. arcet illegitimos non modò ab Ecclesiis in quibus patres eorum sunt de alio quopiam Beneficio provisi, sed etiam in quibus aliquod Beneficium patres habuerint aliquando, quanvis de præsenti nullum in ea habeant: nec illos in eisdem Ecclesiis quoquo modo ministrare permittit, ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo sacris longissimè arceatur.

VI. Si pater resignet suum Beneficium coram Papa in favorem filii sui legitimi, & hanc reciprocam patris & filii qualitatem in sua supplicatione exprimat, illius resignationis acceptatio habetur pro dispensatione, quia Papa de hoc prænonitus, scienque nihilominus contulit: quemadmodum in Jure Civili dominus servum instituendo hæredem manumittere creditur, Instit. quibus ex causis manumit. §. 2. Ita judicatum fuit in

Magno

Magno Regio Consilio in causa Blainorum patris & filii, cui Papa præmonitus de hac respectiva qualitate, ut ex supplicatione scripta constabat, de paterno Beneficio providerat post resignationem in favorem. Pastor lib. 3. tit. 26. n. 1.

VII. Licèt Jus prohibeat filium immediatè in Beneficium paternum succedere, permittit tamen ex adverso, ut filio pater immediatè in idem Beneficium succedat. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensat. super defectu natal. num. 29. Farinacius decis. p. 4. cap. 128. Despeisseus d. tit. 3. n. 84. tum quia nullibi hoc à Jure prohibetur; tum quia non præsumitur abusio aut inordinatus affectus, si turbato naturæ ordine pater liberis succedat, cùm sit contra commune parentum votum, l. *Scripto*, §. *Non sic*, D. unde liberi, l. *Nam etsi*, D. de inoffic. testam. l. *Julianus*, §. *Denique*, D. si quis omis. caus. testam.

VIII. Ætatis defectus reddit invalidam Beneficii collationem. In primis quod attinet ad Episcopatum, Synodus Neocæsareensis, can. 11. & Synodus Agathensis allegata in can. *Episcopus*, dist. 77. præterea cap. *In veteri*, & cap. *Cùm in cunctis*, de election. prohibent ordinari Episcopum ante trigesimum ætatis annum. Quinimmò Justiniani novella 123. cap. 13. & 22. & Authent. *Presbyterum*, C. de Episcop. & Cler. edicit Episcopatum conferri non debere ante trigesimumquintum annum ætatis. Sed in Regno Galliæ sufficit ad Episcopatum inchoatus annus ætatis vigesimus septimus, juxta Concordatum, tit. de Regia ad Prælaturas nominatione, §. *In monasteriis*, & Edictum Blesense Henrici III. art. 2. & ejusdem aliud Edictum mensis Januarii anni 1580. art. 12. Quoad verò Abbates sufficit annus vigesimusquintus, d. cap. *Cùm in cunctis*, de election. Garcia p. 7. cap. 4. num. 41. Quæ omnia de anno inchoato intelligenda sunt. Rebuffus in Concord. loc. cit. §. 1. verb. *Constitutum*. In Dignitatibus, Personatibus, & Parochialibus Beneficiis annus vigesimusquintus inchoatus exigitur, d. cap. *Cùm in cunctis*: idemque statuitur in Prioratibus Claustralibus habentibus curam annexam. Clement. *Ne in agro*, §. ult. de statu monach. Ubi tamen cura per Vicarium exercetur, sufficit ad Prioratum Claustralem annus vigesimus, ex d. Clementina, §. *Cæterùm*. Attamen in Regno Galliæ in quibuscumque Prioratibus electivis, etiamsi curam habeant annexam, annus vigesimus-tertius inceptus sufficit, juxta Concord. tit. de Regia ad Prælaturas nominat. §. *In monasteriis*, Rebuffus ibid. Et in Dignitatibus & Personatibus, quibus non incumbit animarum cura, sufficit annus vigesimus-secundus, ex Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 12. quod est pariter de anno incepto interpretandum, quanvis dicat Concilium, *Non minores viginti duobus annis*. Est enim receptum axioma in Jure, annum cœptum haberi in hono[illegible]us pro completo. Et in Parochialibus Ecclesiis Jus antiquum servatur [illegible]c est, ut non conferantur ante vigesimumquintum annum inchoatum, nisi

per Vicarium cura exerceatur, quo casu annus sufficit decimusquartus.

IX. In Beneficiis simplicibus, ut sunt Capellaniæ, sufficit septennium, non quidem inceptum (ut in magis honorificis Beneficiis paulò antè dictum est,) sed requiritur omninò completum, ut in Capellaniis, aliisque vulgò dictis, *Ad simplicem Tonsuram*, ut sunt quidam Prioratus ut vocant Rurales, qui nullatenus sonant in nomen Rectoriæ. Desselva 3. p. de benefic. quæst. 5. Rebuffus de pacif. possess. num. 175. Bengeus tit. de divis. benef. §. 29. num. 6. & 7. At verò in Beneficiis simplicibus, quæ in nomen Rectoriæ sonant, ætas requiritur annorum quatuordecim completorum: non enim censentur impuberes capaces curæ & obligationis, quæ exercitio talium Præbendarum adnectitur, cap. *Indecorum*, de ætat. & qualit. ordin. & cap. *Super inordinata*, de præbend. In Canonicatibus Collegiatarum Ecclesiarum requiritur & sufficit non quidem inchoatum, sed completum decennium. At in Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, annus est necessarius decimusquartus pariter completus, juxta Regulam Cancellariæ 17. Desselva loco cit. Rebuffus de pacif. possess. num. 178. etiamsi Ecclesia Parochialis per Vicarium exerceri solita Canonicatui sit unita. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensat. ratione æt. num. 2. Garcia de benefic. p. 12. cap. 2. num. 24. Et Bengeus loc. cit. §. 26. num. 49. simulque Louetus litera *E*, cap. 1. multa memorant Gallicana Senatusconsulta, per quæ declaratæ fuere irritæ collationes Præbendarum Cathedralium impuberibus factæ. Hinc tamen excipiuntur collationes Regiæ in Regalia Sede Cathedrali vacante factæ in gratiam impuberum ad Canonicatus etiam Cathedralium Ecclesiarum, dummodò septimum ætatis annum compleverint, ut superiùs docui hujusce libri cap. 4. num. 8. At verò extra Galliæ Regnum Jus commune viget, neque attenditur ad ullum acquirendum simplex Beneficium ætas sive septem, sive decem annorum; sed juxta Tridentinum Decretum sess. 23. cap. 6. de reform. nullus ante decimumquartum ætatis annum citra Pontificis dispensationem potest Beneficium obtinere.

X. Ex defectu Graduum quædam occurrunt ad Beneficia incapacitates. Atque in Galliæ Regno prohibetur esse Parochus oppidi murati quisquis vel Graduatus non est, vel Artium Magister, vel saltem qui triennium studii non compleverit, vel Theologiæ, vel Juris Canonici in aliqua Universitate. Concord. tit. de collationibus, §. *Statuimus*. Idemque statuitur circa omnes Cathedralium Ecclesiarum Dignitates, & circa saltem primarias Collegiatarum Dignitates, Edicto Henrici IV. anni 1606. art. 31. Ad Præbendam Theologalem, non tamen ad Præceptorialem exigitur Gradus Doctoris in Theologia, ex Edicto Aurelianensi Caroli IX. art. 8. & Blesensi Henrici III. art. 33.

XI. Pleraque alias incapacitatum species, sive ob censuras, sive ob irregularitates, & quibus casibus incurrantur, requirito inferiùs lib. 4.

XII. Alteram

XII. Alteram quoque ad Beneficium incapacitatem parit defectus Ordinis requisiti, sive ex præscripto Canonum, sive ex Statuto, sive ex Beneficii particulari fundatione : qua de re vide inferiùs hujusce lib. 2. cap. 19. quo diversi modi vacationis Beneficiorum discutiuntur, num. 8. 9. & 10.

CAPUT X.

De Insinuationibus.

I. PIGET Edicta referre insinuationem omnium ad Beneficia Ecclesiastica quoquo modo pertinentium fieri jubentia, ut scilicet in tabularia Episcopatuum, in quibus illa Beneficia sita sunt, referantur : procurationes nimirum ad resignandum, sive coram Papa, sive apud Ordinarios ; præsentationes quoque Patronorum, concordata partium ; pensionum sive constitutiones, sive extinctiones, Datarum attestationes, signaturas, examina, professiones fidei, collationes Præbendarum, ac literas beneficiales, acta missionis in possessionem, & quascumque Beneficiarias provisiones. His adde literas Tonsuræ, singulorumque Ordinum, literasque Vicariatus, vel Officialitatis, præsertim potestatem Beneficiorum collativam. Item fundationes, sive inter vivos, sive per ultimas voluntates, & alia pleraque cum diversis temporum ad singula horum insinuanda præfixorum designationibus, quæ continentur perplexis illis & quæstuariis Edictis ad legendas Clericorum pecunias procusis ab Henrico II. mense Martio 1553. & à Ludovico XIV. anno 1646. art. 6. Quibus etiam sub nullitatis pœna statuitur, ut procurationes ad resignandum insinuentur antequam ad Papam, ad Legatum, aut Ordinarium referantur.

II. Si verò post mandatum, priusquam admissa fuerit à quocumque Collatore resignatio, ipse resignans revocet, debet hanc revocationem re adhuc integrâ, vel procuratori, vel resignatario, vel collatori significare : alioqui resignatione semel admissâ ob justam revocationis ignorantiam, resignator pristino suo Beneficio excidit, ut statuitur Clement. unica, de renunciationibus.

III. Insinuandum porrò est apud Notarium Regium illius diœcesis in qua situm est Beneficium, ad diligentiam provisi, aut illius procuratoris speciale mandatum habentis, intra tempus illo anni 1553. Edicto præstitutum. Literæ quidem Beneficiales, signaturæ ad Beneficia, vel ad pensiones, quæ in Romana Curia expediuntur, & concordata inter partes conventa, itemque Decreta Apostolica, quibus pensio vel constituitur, vel extinguitur : mandata quoque quæ procuratori fiunt ad resignandum

vel ad consentiendum, vel ad insinuandum, intra semestre insinuari oportet cum ipso mandato ad insinuandum facto, juxta ejusdem Edicti articulos 5. 6. & 7. Et hæc quoad Romanam Curiam. Quæ verò apud Legatum in Regno, vel apud Ordinarium loci gesta sunt, insinuanda sunt intra bimestre, d. art. 6. Sed si actuarius, seu notarius in eodem consistat loco, in quo literæ sive Legati, sive Ordinarii sunt concessæ, insinuatio fieri debet intra dies octo simul cum procurationibus, ab ipsa literarum data computandos, d. art. 3. Acta verò sumptæ possessionis intra mensem insinuanda sunt à die possessionis sumptæ computandum, art. 4. Literæ Vicariatus antequam Vicarius id officium ineat, art. 10. Literæ pariter Tonsuræ, Ordinumque requisitorum debent insinuari antequam acceptetur Beneficium, art. 19. Theveneus tamen ad Constitutiones Regias, tit. 28. testatur Edictum istud justè à bonis & æquis Judicibus despici, nisi urgeat aliqua fraudis, aut falsi suspicio adversùs non insinuantem. Et Pastor ex hujus Edicti art. 3. infert concedi facilè in integrum restitutionem elapso tempore insinuationibus hujusmodi præstituto, dummodò jus alteri non sit acquisitum; atque ad hoc obtineri posse Literas Regias in Cancellaria, lib. 2. tit. 15. art. 10. & 11.

IV. Præterea est aliud in hoc Regno insinuationis genus, quo Graduati aspirantes ad Ecclesiastica Regni Beneficia astricti sunt. Qua de re superiùs tractatum est, sub titulo *De juribus Graduatorum.* Istaque fit insinuatio per actuarium, sive Apostolicum, sive Regium, duobus, tribusve accitis testibus, in tabulario ejus Diœcesis, in qua sita sunt ipsa, quæ Graduatus ambit Beneficia.

CAPUT XI.

Beneficiariæ quæstiones circa prælationem inter simul concurrentes: Litigantium subrogationes: Beneficiorum uniones: Unionum præscriptiones: Beneficiorum divisiones: Beneficiorum in alium statum mutationes.

I. SIQUANDO plures de eodem Beneficio provisi fuerint, præferendus is est cujus provisio tempore præcessit, quanvis posteriùs provisus possessionem Beneficii priùs altero adiverit. Id verò multoties judicatum fuit, tum in Regalia, tum in quibuslibet aliis beneficiariis

beneficiariis provisionibus, ut attestantur Lebret lib. 1. de supremo Dominio, cap. 16. Loisellus lib. 1. de offic. cap. 2. num. 53. & 54. Ferrerius quæst. 112. Brodeus ad Louetum lit. *V*. cap. 2. Atque ita constitutum est cap. *Eum cui* 7. de præbend. in 6. Itaque lex *Quoties*, C. de rei vendicat. quæ præferri jubet eum qui prior possidet, non servatur in hac materia beneficiaria, in qua ut quis alteri præferatur, inspicienda est impetrationis Data, si sit anterior; non præsentatio, seu exhibitio provisionis, aut receptio. Verba Capituli sunt ista: *Eum cui Canonicatus alicujus Ecclesiæ à Sede Apostolica est collatus, licèt nondum sit in ea receptus, decernimus in assequutione Præbendæ juxta suæ provisionis ordinem omnibus præferendum, quibus similis gratia postmodùm in ipsa Ecclesia est concessa; licèt isti primò suas literas præsentaverint, & primò recepti fuerint in eadem.* Ibique Glossa observat, ne quis in verbis cavilletur, collationem & provisionem in hoc textu pro una eademque re usurpari, & ita nihil esse inter illa discriminis.

II. Ubi plures de uno Beneficio provisi eodem die fuerint, præferendus est ille, qui hora anteriore provisus est. Sed si expressa sit hora in una, non verò in altera ejusdem diei provisione, præferendus erit is cujus in provisione notata fuit hora. Id multis Gallicanis judiciis confirmat Brodeus in Louetum litera *V*, cap. 2. Sed si nullibi legitur expressio horæ, præferendus ille erit, qui ab eo provisus erit, quem constat esse dignitate superiorem: hoc tamen discrimine ac limitatione, ut si is qui à minoris Dignitatis collatore Beneficium accepit, possessionem prior altero inierit, tum demùm præferri alteri debebit, qui vel nullatenus, vel posteriùs sumpserit possessionem, quanvis ab altiori Dignitate provisus fuerit, juxta cap. *Si à Sede Apostolica*, de præbend. in 6. Rebuffus in praxi, tit. de rescript. ad Benef. vacant. num. 30. Papo lib. 2. placitorum, tit. de provision. 9. artic. 9. Despeisseus de benefic. cap. 4. num. 3. Lebret lib. 4. decis. 1.

III. Circa verò litigantium subrogationes require infra libri 4. cap. 9. in quo diffusè hanc materiam pertractabo.

IV. Quantum ad unionem Beneficiorum: Si proventus Ecclesiæ vel Beneficii minimè sufficiant ad sacrum Ministerium, aut ad victum Beneficiati condecentem, provideri solet his defectibus per unionem alterius minoris Ecclesiæ vel Beneficii; atque ita congrua Ministris portio assignari, cap. *Exposuisti* 33. de præbend. Quæ potestas non modò Papæ, aut Legato, sed etiam Episcopis competit, cap. *Sicut unire*, de excessibus Prælat. *Sicut unire* (inquit) *Episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earumdem.* Idemque statuit Concilium Viennense Clement. 1. §. *Ad hæc*, de statu monach. Idem rursus statuit Concilium Trident. sess. 21. cap. 5. ut possint Episcopi, sine præjudicio tamen obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum Parochialium,

& aliorum quorumcunque Beneficiorum, ſive curatorum, ſive non curatorum cum curatis, ob Eccleſiarum paupertatem, aliaſve juſtas cauſas; licèt dictæ Eccleſiæ, vel Beneficia eſſent generaliter aut ſpecialiter reſervata. Hoc ipſum confirmant Gallicanæ Conſtitutiones Henrici III. in Comitiis Aurelianenſibus art. 16. & in Comitiis Bleſenſibus art. 22. Juſtæ autem iſtarum unionum cauſæ ante omnia probari debent per juridicam inquiſitionem, aliæque debent intervenire ſolennitates, de quibus tractat Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de union. benef. Hoc idem poſſunt Epiſcopi in favorem Cathedralium ſuarum Eccleſiarum, aut inſignium Collegiatarum, quarum fructus ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui, aut ſacrorum Officiorum cultui impares ſunt, ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. cap. 13. & 15. dum ſerventur expreſſæ ibidem conditiones: quod idem ferè aſtruitur in Comitiis Bleſenſibus, artic. 23. Quàm ergo fœdâ & Juris communis peræquè atque Gallicani ignoratione laborant, qui hujuſcemodi uniones ad ſolam Apoſtolicam authoritatem exiſtimant pertinere! Certè Collatores omnes Epiſcopis inferiores ab hac uniendi Eccleſias poteſtate excluduntur, d. cap. *Sicut unire*, de exceſſ. Prælat. Rebuffus tit. de union. benefic. num. 32.

V. Beneficium quod Patrono laïco ſubeſt, unire alteri nemo poteſt, niſi de ipſius conſenſu, ut edicitur in Comitiis Bleſenſibus art. 23. & antè docuerat Rebuffus d. tit. num. 28.

VI. Denique ab iiſdem qui facere poſſunt, ab iiſdem juſta ex cauſa revocari & diſſolvi queunt iſtiuſmodi uniones, ut ſi damnoſæ ipſis Eccleſiis comperiantur, aut ſi paupertas deſierit quæ eis cauſam dedit. Rebuffus tit. de union. revocat. Nihil eſt intra Chriſti Eccleſiam optabilius, quàm ut denuò uniantur diviſa illa Beneficia, quorum unum annexam habet animarum curam, alterum porrò diviſum eſt, & ſejunctum à ſacra illa cura, ut conſtitueretur ſimplex, iners, ac otioſum Beneficium, reſervatâ exiguâ dumtaxat portione pro Sacerdote Eccleſiæ miniſterio, animarumque ſolicitudini deſtinato, dum alter ille Prioris titulo inſignitus otioſitati, quæ omnium vitiorum fons eſt, ganeæque addictus, majora & opima Eccleſiæ ſtipendia ſolis laborantibus debita in luxum, aleam, cupedias profundit, aut avarè recondit ad conſanguineos, vel affines locupletandos. Horum pravitas Catholicis ſimul & hæreticis ſcandalo eſt. Domus interim Dei meritis operariis deſtituitur ob ſtipendiorum, quæ divino miniſterio reſervantur, exilitatem. Inertes hi Clerici ſunt in Eccleſia quaſi in alvearibus fuci, qui nihil operantes apum labores comedunt, & mellificia abſumunt. Quàm eſt hoc ab Eccleſiæ ſpiritu alienum, ſecundùm quem ordinat Apoſtolus Paulus, ut qui non laborat, non manducet! Quàm denique hoc ipſum Sanctis Canonibus diſſentaneum eſt! quos inter Concilii Agathenſis canon 36. ſic decernit: *Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter diligenterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundùm ſervitii ſui meritum,*

vel

vel ordinationem canonicam à Sacerdotibus consequantur. Eadem ratione Tridentinum Concilium sess. 25. de reform. cap. 16. *Statuit sancta Synodus, ut Ecclesiastica Beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex Beneficium, etiam assignatâ Vicario perpetuo congruâ portione, non convertantur, non obstantibus quibuscumque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consequutæ. In iis verò, in quibus contra eorum institutionem, seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimùm, & ad minus intra annum à fine hujus Concilii, arbitrio Ordinarii, juxta formam Decreti sub fel. rec. Paulo III. assignetur. Quod si id commodè fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non fuerit, cùm primùm per cessum, vel decessum Vicarii, seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, Beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen cesset, & in antiquum statum restituatur.* Unionum Beneficiorum modum & conditiones fusè prosequitur Carolus Fevretus lib. 2. de abusu, cap. 4. Additque majorem impendi favorem unionibus per quas Beneficia contra veterem statum & fundationem divisa, cùm à primordiis unicum dumtaxat fuisset, redintegrantur in unum: profertque num. 35. Parisiense Senatusconsultum adversùs appellantem de abusu in oppositionem reunionis duarum Præbendarum Ecclesiæ Sancti Mederici, quæ contra primævam institutionem, cùm unicam constituissent curam, fuerant progressu temporis in duas dissectæ curas, sed authoritate Apostolica in unam rursum coaluerant. Curia verò Parisiensis appellantem submovit, & reintegrationem in unum suo judicio firmavit, Martii 17. anno 1625. Sed multò majori digna favore est unio, ubi ex unico curato Beneficio pars stipendiorum sejuncta fuit ad simplex, otiosum, nulliusque frugis Beneficium constituendum. Utinam Regibus, Episcopis, & iis qui sunt in Ecclesia Proceribus mentem istam Numen inspiret, ut de ipsis prædicetur quod de apibus Virgilius Poëta commemorat: *Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.*

VII. Ad requisitam justæ unionum causæ juridicam inquisitionem necessariò exigitur ut vocentur Ecclesiarum Rectores, & Capituli œconomus, & si qui sunt Patroni; & Regius insuper Procurator, ac civitatum Administri, non quidem ut consentiant: solo enim excepto Patrono laïco, cujus necessarius est consensus, ut dixi, cæteris etiam laïcis dissentientibus, dummodò vocatis & auditis, potest ad unionem procedi: nec aliâ ratione vocandi sunt, quàm ut rationes, si quas habent, oppositionum proponant, cap. *Cùm olim*, de arbitris.

VIII. Cúmque faciendæ sint uniones ob commune Ecclesiæ commodum & publicam utilitatem, non debet illis obsistere ulla sive generalis, sive specialis reservatio, excepto laïco Patrono. Concilium Trident. sess. 24. de

de reformat. cap. 15. Nulla itaque habenda hîc ratio Graduatorum, aut Indultariorum, aut similium. Rebuffus d. tit. de union. benefic. num. 31. ubi postquàm aliquot decisiones Rotæ allegavit editas in gratiam Expectativarum, ut scilicet unio nullatenus præjudicet expectativas gratias habentibus, sed ejus suspendatur executio usque ad obitum ejus qui hoc privilegium impetravit; ipse tamen posteà in oppositum sic ait: *Sed generalis reservatio, vel mandata, seu nominationes non impediunt unionem, per Gloss. in Clement. finali, de rescriptis; quia Beneficium per unionem dicitur suppressum*, & ob id non dicitur ampliùs Beneficium, cap. *Cùm accessissent*, de constitut.

IX. Papa, vel Legatus non possunt in Galliæ Regno per se immediatè de causis unionum inquirere, neque Delegatos de Curia mittere ad hoc munus, sed solùm juxta Bononienſia Concordata committere in ipsis partibus inquisitores, qui ad hoc inquirant & procedant. Horum exempla profert Thuanus lib. 3. histor. Galliæ.

X. Cùm sit præscriptio ad commune bonum instituta, ne lites multiplicentur, rerumque dominia in incerto sint, l. 1. D. de usurpat. & Institut. de usucap. in princ. sitque necesse litibus aliquos præscribere fines, & litigiosorum hominum omnia perturbantium cupiditates coërcere, ex occultis & vetustate immutatis pridem rebus, quasi ex abdito & insperato insidiantium, & lucra captantium conatus reprimere, cæterorumque hominum bona fide possidentium quieti consulere; præsertim cùm annorum multorum decursu rerum præteritarum memoria aboleatur, exceptionum ac defensionum adminicula disperdantur, instrumenta conventionum, compositionum, transactionum, & veterum litigiorum processus innumerorum casuum, tum publicorum, tum privatorum & domesticorum concursu dispereant; nihil præterea facilius sit, quàm falsa instrumenta quasi antiqua & authentica cudere ac supponere; quæ tamen falsitatis coargui vix possint, ac ne vix quidem, ob mortem & partium & testium & scribarum in eis designatorum. Compertum est autem quod illa Justiniani lex *Ut inter*, C. de sacros. Eccles. quæ indistinctè omnem excludebat contra Ecclesias præscriptionem, præterquam illam quæ centum annos excederet, & quam idem posteà Justinianus meliore consilio abrogavit, fuerit à Triboniano edita, & magno pretio vendita œconomo Emissenæ Ecclesiæ, postquam plurimas veterum obligationum tabulas & chirographa per insignem falsarium Priscum Emissenum cudi curaverat in Ecclesiæ commodum iniquissimum, ut tradit Suidas in verbo *Priscus Emissenus*. Abrogatæ autem illi centenariæ præscriptioni substituit in Ecclesiæ favorem quadraginta præscriptionem annorum, authent. *Quas actiones*, C. de sacros. Eccles. & l. *Sicut in rem*, C. de præscript. 30. vel 40. annorum. Ipsaque Synodus œcumenica octava can. 18. non longiorem attribuit Ecclesiæ quàm triginta annorum præscriptionem; qui Canon insertus legitur

gitur in Gratiani Decreto sub falso Gelasii nomine, in can. *Placuit* 16. quæst. 3. Concilium verò Tridentinum sess. 7. cap. 6. de reform. præfigit unionum Ecclesiarum aut Beneficiorum præscriptioni numerum annorum quadraginta, ultra quem non sit procedendum ad eas dissolvendas ac dirimendas, nisi ob evidentem necessitatem.

XI. Canonica unionum Ecclesiarum ac Beneficiorum causa est vel necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas, cap. *Exposuisti*, de præbend. Aitque canon *Etsi Ecclesia*, 1. quæst. 7. *Quis dubitet irritanda, quæ nec Ecclesiastica utilitas, nec ulla extorsit necessitas?* Ejusmodi causas Canones adhibent & approbant in duabus Parochialibus Ecclesiis, quarum fructus sustentandis duobus Curionibus minimè sufficere queunt, modò ambæ parum ab invicem distent. Clement. *Ne in agro*, §. *Ad hæc*, de statu monach. Aut quando tam exiguus est Parochianorum numerus, ut unus Pastor duarum ministerio facilè sufficiat; aut earum una belli calamitate destructa fuit, can. *Postquàm*, 16. quæst. 1. Cúmque soleat unio duabus viis procedere, scilicet in forma solemni, & per juridicam causæ probationem & solemnitates à Jure præscriptas, vel alio modo in forma gratiosa, & motu proprio: sola prior via in Galliæ Regno admittitur; forma verò unionum gratiosa nullatenus recipitur, ut fidem faciunt Rebuffus in praxi, tit. de unionib. Chopinus de sacra Politia, lib. 2. tit. 6. Lucius libro 2. Placitorum, tit. de appellationib. art. 2. Antonius Faber in Cod. tit. de appellationib. ab abusu, defin. 48. Fevretus lib. 2. de abusu, cap. 4. qui omnes pariter testificantur, præscriptione plusquam centenaria nullatenus apud Curias Regni firmari Ecclesiarum uniones, si vitiosus titulus, quantumvis vetustissimus proferatur. Atque hoc est receptissimum effatum forense, præstare ad unionem effectum, si sola proferatur longi temporis præscriptio, scilicet quadraginta, vel quinquaginta annorum, vel ea cujus initii memoria non extet; quia in præscriptionibus omnia præsumuntur solemniter acta. Sed si constet de titulo vitioso etiam annos centum excedente, discindi quamlibet unionem, quia cessat præsumptionis favor ubi de oppositio vitio liquet. Innumera proferuntur ad hoc Senatusconsulta, inter quæ famosum valdè est Divionense, in causa evocata inter Henricum Robertum Sacerdotem, & Annibalem Rascassium Ecclesiæ Metropolitanæ Aquisextiensis Archidiaconum. Iste quidem tuebatur, Decanatum Draguiniacensis Ecclesiæ fuisse Archidiaconatui Aquisextiensis Ecclesiæ olim ante annos centum unitum, eamque unionem sine interruptione ad se usque continuatam fuisse liquebat. Et id quidem sufficiebat ad excludendum Robertum, qui sibi Decanatum Draguiniacensem vindicabat, quasi contra jus & prohibitionem Concilii Constantiensis in Gallia receptissimi divulsum à propria Ecclesia: ideoque ejus obtenta qualicumque provisione, se in possessionem Decanatus immitti curaverat. At Rascassius, cui tanta sufficiebat præscriptio, quasi obruturus titulorum multi-

tudine, diplomata Summorum Pontificum in forma gratiosa, & solemnitatibus consuetis vacua, jamdudum ante annos centum expedita produxit, per quæ causâ suâ cecidit. Senatus enim Divionensis secundùm Robertum judicavit ab his diplomatibus tanquam abusivis provocantem, die 11. Aprilis, anno 1641. illaque tunc rescissâ unio fuit, atque Actori adjudicatus Decanatus. Præter Summum Pontificem possunt etiam Episcopi Beneficia suæ diœcesis unire: at non horum Vicarii, nisi hoc specialiter ab Episcopo in mandatis habeant, tametsi haberent in mandatis Beneficiorum collationem; sunt quippe res dispares ac disjunctæ, cùm possit quidem Episcopus unire, sed non conferre viventium Beneficia: & decernitur in cap. *Qui ad agendum*, de procurat. in 6. generali mandato non comprehendi ea, in quibus speciale requiritur. Rebuffus in praxi, in forma Vicariatus, num. 102. Fevretus loco cit. n. 19.

XII. Unionibus Beneficiorum succedere par est tractationem de divisionibus eorundem. Divisiones Beneficiorum regulariter prohibitæ sunt, cap. *Majoribus*, cap. *Vacante*, & cap. *Cùm causam*, de præbend. Valetque Generalis Rubrica, *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Aliquando tamen suadet hanc fieri divisionem necessitas, aut evidens, & justa Ecclesiæ utilitas; in quibus causa illa præcipua habenda est, quum contingit ob Populi frequentiam, aut ob Ecclesiæ distantiam, ut una omnibus Ecclesia non sufficiat ad publicum Dei cultum & Sacramentorum administrationem. Quo casu provisum est tum constitutione Alexandri III. in cap. *Ad audientiam*, de Eccles. ædif. tum Decreto Tridentino sess. 21. cap. 4. de reform. ut possit Episcopus novas instituere Parochias, etiam juxta Tridentinam Sanctionem Rectoribus invitis: illis autem Sacerdotibus qui noviter erectis Ecclesiis erunt præficiendi, competentem assignare portionem ex fructibus ad Ecclesiam Matricem pertinentibus; & ubi necesse fuerit, liceat Episcopo compellere Populum ad subministranda quæ ad victum Sacerdotum præficiendorum spectant.

XIII. Erectione pariter mutatur status Ecclesiarum. Interdum enim simplex Ecclesia mutatur in Curatam, atque in Parochialem erigitur, propter necessitatem, aut majorem plebis commoditatem. Quod ut ritè fiat, vocandi sunt quorum interest. Consensus quoque Rectoris desideratur. Si autem gravis urget necessitas, proceditur ad erectionem, vocato quidem, sed invito ac renitente Rectore, compensando damnum quod illi infertur, statutâ annuâ aliquâ pensione. Atque ad ista sufficit Episcopi authoritas, cap. *Ad audientiam*, de Eccles. ædif. & can. *Si Episcopus*, 12. quæst. 2.

XIV. Similiter Ecclesia curata erigitur interdum in Collegiatam, statuto certo Canonicorum numero. Idque potest Episcopi authoritate fieri, cum consensu Rectoris, d. can. *Si Episcopus*, 12. quæst. 2. & cum consensu Patroni. Abbas & Felinus in cap. *Suggestum*, de jurepatron.

XV. Erigitur

XV. Erigitur tamen aliquoties Ecclesia Regularis in Secularem, aut Secularis in Regularem, cap. *Inter quatuor*, de reb. Eccles. non alien. In erectione Secularis in Regularem authoritas Episcopi sufficit debitas adhibentis solennitates, d. can. *Si Episcopus*. Ut verò Regularis in Secularem erigatur, rescriptum efflagitatur Summi Pontificis, can. *Quæ semel*, 19. quæst. 3. Et utroque casu Canonicis in Religionem transire nolentibus, vel Regularibus qui militiam cui adscripti fuerant, deserere nolunt, certa pensio annua ad vitam servanda est. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de erect. Eccles. in Cathedr. Secul. vel alium statum, n. 10.

XVI. At verò Collegiatam Ecclesiam erigere in Cathedralem seu Episcopalem nemo potest nisi Papa, cap. 1. ne Sede vacante, cap. *Quod translationem*, juncta Glossa, de offic. Legat. quo loco eadem potestas Legato denegatur.

CAPUT XII.

De Beneficiorum renunciatione, seu resignatione.

I. SCIENDUM ante omnia, factam resignationem per mandatum posse à resignante revocari antequam fuerit à Superiore admissa. Sed si revocatio procuratori aut resignatario non innotuerit, atque ita fuerit resignatio admissa, nihil juvabit revocatio, nisi dolo impeditum fuerit, ne revocatio innotesceret, Clement. unica de renunciat. Hìc jam explorandum est, quinam Beneficiarii resignare possint. Atque in primis disceptatur de Beneficiariis criminum reis. Circa crimina vacationem Beneficii causantia, quædam sunt atrocissima, quæ causant Beneficii vacationem ipso facto, seu statim atque admissa sunt; alia non causant, utpote minùs atrocia, nisi post Judicis sententiam: atque in his valet resignatio ante Judicis facta sententiam, in illis verò nullatenus valet resignatio contingens post scelus perpetratum, quanvis necdum deductum ad forum contentiosum, dummodò sive ab initio, sive ex postfacto de scelere certò constet. Hujusmodi sunt crimen læsæ Majestatis in primo (ut aiunt) capite, assassinium, sodomia. Mornacius ad leg. 6. D. de his qui not. infam. Bengeus tit. quib. mod. vacent & amit. benef. §. 6. num. 16. 17. 18. 19. Mainardus lib. 1. cap. 61. Senatusconsultum referens quod resignatarium accusati de crimine sodomiæ excluserit. Quia in odium detestabiliorum cri-

minum censetur vacasse Beneficium ab ipso momento quo fuit perpetratum. Ex homicidio citra assassinium non vacat ipso facto Beneficium ante Judicis sententiam, can. *Studeat*, distinct. 50. & cap. *Henricus*, de Cler. pugnant. in duello.

II. In cæteris verò delictis, quanvis capitalibus, potest horum reus validè resignare antequam criminis accusetur. Bengeus loco cit. Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 22. multa referens ad id Senatusconsulta. Quin etiam potest idem reus resignare etiam post accusationem & condemnationem, si ipse à condemnatione appellaverit & post appellationem resignet, quemadmodum reo ad mortem damnato, pendente appellatione testamentum condere jura permittunt, l. *Qui à latronibus*, D. de testam. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 20. Mainardus, Mornacius, Bengeus locis citatis, Duarenus de Beneficiis lib. 8. cap. 2. §. 1. Verùm si ante admissam resignationem sententia capitalis intervenerit, quæ non sit appellatione suspensa, tum demùm irrita erit resignatio, ut dixi.

III. At verò si quis devolutarius Beneficium ut vacans per Judicis sententiam impetraverit, & resignatarium prævenerit, ipsa tunc resignatio & jura simul resignatarii & devolutarii erunt in pendenti, adeò ut si sententia depositionis à Judice appellationis confirmetur, præferendus sit devolutarius: si verò sententia reformetur, & reus à pœna depositionis absolvatur, prævalere debeat resignatarii provisio; quemadmodum de testamento, vel de donatione à reo criminis facta statuitur in l. *Post contractum*, D. de donation. & l. *Si aliquis*, D. de donation. caus. mort. & d. l. *Qui à latronibus*, D. de testament.

IV. Ille censetur Beneficiarius qui proximum jus acquisivit ad Beneficium vacans, etsi nondum ejus possessionem sit adeptus. Tale verò jus nullatenus habent Indultarii, Graduati, Mandatarii Apostolici, nihil aliud habentes præter spem, ut nec ille qui parvam solummodò Datam impetravit: sed idem postquam Signaturam obtinuerit, etsi neque examen, neque professio fidei subsequuta fuerit, neque possessio apprehensa, potest validè, sive purè & simpliciter, sive in alterius favorem resignare. Gratia enim per solam Signaturam & verbum *fiat* perficitur. Ranchinus p. 4. conclus. 290. Papo lib. 2. placitorum, tit. de resignatione 8. art. 5. Neque censetur conditionalis & quasi suspensum habens effectum in futurum, sed absoluta & de præsenti efficax illa quæ per Signaturam fit Beneficii collatio, quanvis sic provisus necdum valeat concesso Beneficio utifrui, nisi postmodùm dignus fuerit judicatus. Is verò cui nondum est collatum Beneficium, quantumcunque proximè conferendum, ut est ille qui impetraturus est coram Ordinario, etiam post examen & verbalem collatoris approbationem, necdum tamen Literas Beneficii provisorias obtinuit, non potest resignare. Boërius decis. 300.

V. Nunc videndum quâ formâ fieri debeat resignatio. Ea vel est

simplex,

simplex, vel in favorem, aut aliter conditionata; vel fit ex permutatione, vel non; vel fit mediatè per procuratorem, vel immediatè per ipsum resignantem. Et quidem si fiat per procuratorem, observari debent circumstantiæ omnes præscriptæ in Constitutione Henrici II. anni 1550. artic. 3. Primùm enim facienda est procuratio ad resignandum apud Notarium publicum: nec referre docent Scriptores Gallicani, an sit Notarius Ecclesiasticus, an Regius. Secundò debet resignans actui subscribere; & si per infirmitatem non possit, debet Notarius in eodem actu id exprimere. Tertiò duo testes interesse debent, non domestici, non cognati, non affines ipsius resignantis, aut resignatarii. Quartò debet procuratio specialiter fieri ad tale Beneficium, non enim sufficeret generale mandatum. Quintò procurator ita astringitur mandati sui terminis, ut si aliter se gerat, fuerit invalida tota resignatio; nec enim potest validè mandati sui fines excedere, l. *Præterea*, in princ. D. mandati. Si ergo constitutus sit ad resignandum coram Papa aut Legato, invalidè resignabit in manus Ordinarii; & ex adverso. Item si constitutus sit ad resignandum simpliciter, nihil aget si resignet in favorem; & è contra. Rebuffus in praxi, p. 3. tit. de procurat. const. ad resign. num. 21. & tit. de resignat. conditionata, in fin. Sed si ipsimet procuratori, qui juxta fines mandati simpliciter resignavit, Prælatus idem ipsum Beneficium contulerit, valebit illa collatio, quia procurator intra mandati fines se continuit. Rebuffus d. tit. de resignat. condition. num. 23. & 28. Porrò nihil refert si procurator sit Clericus, an Laïcus. Guimier ad Pragm. Sanct. tit. de collationib. §. *Statuit autem*, verb. *Procuratorem*. Rebuffus in d. tit. de procurat. const. ad resign. n. 17. aliique communiter.

VI. Revocato autem mandato non potest procurator ullatenus resignare, modò revocatio non solùm præcesserit, sed etiam significata procuratori fuerit, aut ipsi collatori. Si enim non fuerit sufficienter significata, tenebit postea admissa resignatio, & inutilis erit revocatio, nisi dolo procuratoris, aut collatoris effectum sit, ut non notificaretur revocatio illa. Clement. unica de renunciat. Rebuffus p. 3. tit. de revocat. procur. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 10. Quin etiam si Notarius nondum expedivit mandatum in manus procuratoris, sufficere potest notificata revocatio ipsi Notario. Etenim cùm ex memorato Henrici II. Edicto anni 1550. procurator admitti non possit ad resignandum, nisi exhibendo scriptum ipsum manu publica mandatum, necesse ipsi erit recurrere ad Notarium antequam Prælatum conveniat.

VII. Eadem Henrici II. Constitutio invalida & inania declarat omnia ad resignandum mandata, si annum excedant. Quæ itaque post annum fieret resignatio in ejus mandati vim, & subsequuta collatio prorsus irritæ forent.

VIII. Ut plenius hæc resignationum tractatio elucidetur, dispicien-

dum nunc est, quinam possint illas admittere. Certum est ab illo admitti debere, cui jus competit Beneficii conferendi, cap. *Admonet*, de renunciat. Si verò sit patronatum Beneficium, debet pariter approbari à Patrono, alioquin erit irrita resignatio & collatio. Duarenus lib.8. de benefic. cap. 2.

IX. Non potest quisquam in manus inferioris, aut sibi æqualis resignare, sed tantùm Superioris. Ideóque facta per Abbatem vel Priorem resignatio in manus Vicarii sui aut Capituli nulla est, cap. ult. de renunciat. sicque judicatum in Magno Regio Consilio referunt Charondas lib.1. Pandect. cap.10. Despeisseus de benefic. tit.11. sect.2. art.3. Neque potest Episcopus resignare nisi in manus Papæ, cap. 2. & cap. *Quantò*, de translation. Episc. Rebuffus in praxi, p.3. tit. *Ratione person. & rei vitiat. resign.* num.11. Si quis resignet in manus laïci, amittit Beneficium, quod statim vacat, nec resignatarius ullum jus habet, cap. *Quod in dubiis*, de renunciat.

X. Resignatio ex causa permutationis Beneficiorum valet coram Episcopo, sed nullatenus coram inferiore, cap. *Quæsitum*, de rerum permut. Rebuffus d. tit. *Ratione person.* n.10. idemque tit. de permutation. num.20. Charondas lib.1. Pandect. cap.10. Hoc etiam extendit Bellamera tract. de permutatione, quæst.3. & Pastor lib.3. de Beneficiis, tit.11. ad Vicarium Episcopi habentem ab ipso speciale mandatum: adeò ut possit Vicarius Generalis in hoc ab Episcopo delegari, ut Beneficiorum resignationes ex causa permutationis admittat. Etenim quæcumque potest in materia jurisdictionis Episcopus, eadem omnia Vicario suo Generali delegare potest, paucis quibusdam exceptis, quæ jus prohibuit delegari. Sic enim Concilium Tridentinum amovit ab Episcopis potestatem delegandi circa concessam ipsis absolutionem ab hæresi.

XI. Beneficia quæ coram Episcopis, aliisve Superioribus compermutantur, nullatenus subjacent mandatis, aut Indultis, seu Expectativis, cap. unico de rer. permut. in 6. neque aliis quàm permutantibus conferri queunt. Clement. unica, eod. tit. Non enim ad permutationem ventum esset, nisi permutantes eam credidissent valituram, cùm liberum cuique esset sua pristina Beneficia retinere. Neque ratio, vel bona fides patitur, ut quis sine sua culpa & contra propriam intentionem sua re spolietur; nam id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. *Id quod nostrum*, D. de regul. jur.

XII. Resignationem in favorem jus prohibet, can. *Plerique*, 8. q. 1. Ideóque omnes in favorem factæ resignationes nullius sunt momenti, nisi fuerint admissæ à Papa, cujus potestatis est de Communi Jure dispensare. In Gallia tamen multorum seculorum usu & consuetudine præscriptum est, ut tempore Regaliæ fiant Beneficiorum resignationes in alterius certæ personæ favorem coram Rege, qui solus ac pleno jure vacantia in Regalia

Beneficia

Beneficia confert. Chenutius cent. 1. quæst. 4. Louetus litera *R*, cap. 47. Secluso Papa & Rege, nullus potest resignationes in favorem admittere, nec ipse Papæ Legatus, nisi hoc specialiter in mandatis habeat. Rebuffus in praxi, p. 3. tit. de Resignat. condition. à num. 5. usque ad 12. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 10. Alias quoque sub conditione renunciationes, maximè sub onere pensionis, solus Papa purgare & admittere potest, ut infrà videbimus.

CAPUT XIII.

De Resignationibus in favorem.

1. RESIGNATIONES in favorem, quia sapiunt quandam velut hæreditariam in Beneficiis successionem, & quia communiter censentur canonicæ simoniæ labe fœdari, adeò in Jure prohibentur, can. *Plerique*, 8. quæst. 1. ut nec ab Apostolico Legato, nisi hoc specialiter habeat in mandatis, admitti possint, sed à solo Supremo Pontifice, qui potest in iis quæ Juris positivi sunt, ex justa causa dispensare, cap. *Significasti*, de electione. & cap. *Proposuit*, de concess. præbend. Longissimâ tamen præscriptione subnixus Galliæ Rex hujusmodi resignationes solet admittere, & secundùm eas conferre ubicunque viget jus Regaliæ, ut superiore capite notavi, n. 12.

II. Resignatio in favorem, & alia quæcunque conditionata coram Papa habet annexam sibi conditionem *sine qua non*; adeò ut si Papa aliter provideat, ea provisio futura sit irrita, maneatque resignans in pristina resignati Beneficii possessione, quia sequens provisio fuit contra mandatum & mentem resignantis expressam. Gloss. in cap. *Olim*, in 1. verb. *Traditam*, de restitut. spoliat. Rebuffus in praxi, tit. de resignat. condit. num. 3. Clausula hîc apponi solita sic exprimitur: *In favorem N. nec aliter, nec alio modo, nec aliàs*. De hoc est notabilis textus in cap. *Cùm universorum*, de rer. permut. ubi cùm duo præbendati privatâ auctoritate, ac per hoc illicitè de mutua præbendarum suarum commutatione convenissent, unusque illorum suam alteri Præbendam resignasset, alter verò contra pactam fidem in tertiam personam Præbendam suam contulisset, jubet Papa ut primus ille præbendatus, qui contra jus & propriâ authoritate suam Præbendam in favorem socii conventionis resignaverat, non amitteret, sed recuperaret, eo quòd deceptus fuisset, non adimpletâ conditione sub qua, & non aliter, resignaverat. Ergo multò magis eadem urget ratio in eo qui

qui non privata authoritate, sed reverenter conveniens & consulens Supremam Sedem resignaverit sub conditione, quæ tamen non adimpleatur.

III. Si contingat resignari in favorem coram Legato vel Ordinario, quæcumque collatio sequuta nulla erit, sive conferatur nominato, quia excedit Collatoris legitimam potestatem; sive conferatur alteri, quia id fit sine ulla Beneficii vacatione; non enim vacat per resignationem, cùm deficiat conditio apposita, sine qua resignans nullatenus intendit resignare. Rebuffus d.tit.de resign.condit. n. 7. & seqq.

IV. Si procurator ad resignandum coram Ordinario constitutus in favorem Titii resignet purè & liberè, & Ordinarius postmodùm ad procuratoris preces conferat Titio, valebit illa provisio, quia Ordinarius propriam authoritatem non excessit dum liberè contulit, & resignans suum obtinuit intentum legitimo & juridico modo, quanvis modum illegitimum elegisset: neque censendus est procurator excessisse mandati fines, cùm retulerit mandantis intentum. Parisius consil.15. circa num.12. in 4.volum. Rebuffus d.tit. n.23. Sed si Ordinarius aut Legatus in sua libertate relictus contulerit alteri quàm ei qui nominabatur in mandato, sub illa clausula, *non alii, nec aliter*, tunc irrita erit ejus collatio, utpote facta contra mandati fines, ita ut frustrata sit mandantis intentio, l. *Diligenter*, D. mandat. & d.cap. *Cùm universorum*, de rer. permut.

V. Si resignans cum clausula, *non aliter, nec aliàs, nec alio modo*, retinuerit sibi pensionem, aut aliquid aliud, & hoc non fuerit prosequutus procurator apud Papam, non valebit resignatio, neque sequuta provisio, per cap. *Cùm dilecta*, de rescriptis; quia mandati forma servata non fuit, etiamsi resignans mortuus fuerit: sed nullâ ratione habitâ novæ provisionis, utpote nullius & irritæ, Beneficium non nisi per obitum vacabit, ideoque resignatarius ipse, vel quivis alius poterit impetrare ut vacans per obitum: & dum vivit ipse resignans, vel retinendus est in possessione Beneficii, vel restituendus. Sed si procurator prosequutus fuerit omnes conditiones in suo resignationis mandato contentas, quas Papa noluerit approbare, non habet resignans cur de Suprema Sede conqueratur, modò suum sibi maneat Beneficium: non enim libertas, vel authoritas Papæ quibuscumque privatorum conditionibus adstringi debet, cùm sit legibus etiam Ecclesiasticis solutus, quando justa & urgens dispensandi causa occurrit. Sed si idem resignationem quidem admitteret, conditiones autem rejiceret, sub quibus, & non aliter resignatio intenditur, quidquid in contrarium asseverare videatur Rebuffus d. tit. de resignat. condit. num.24. & seqq. Summus Pontifex injuriam inferret, quia jus gentium, cui proculdubio Papa subjectus est, non permittit quemquam invitum & secundùm juris formas indemnatum propriis bonis exspoliari. Atque id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. *Id quod nostrum,*

strum, D. de regul. jur. Et quando fit unus aliquis actus cum conditionis haud irrationabilis adjectione, non potest pars ejusdem actus recipi, parte aliâ rejectâ, l. *Aurelius*, §. *Idem quæsit*, & ibi Bartolus, D. de liberat. legat.

VI. Ubi fit resignatio in manus Ordinarii, potest quidem in mandato apponi ut rogetur collator id Beneficium alicui Clerico ibi nominato conferre, & procurator qui istud [illegible] recepit officium, potest preces adhibere. Sed quoniam precibus non oneratur, neque adimitur libertas, l. 3. D. si quis aliquem testari prohib. liberum erit Ordinario istam admittenti resignationem de persona nominata, aut de aliqua alia, in quam magis propendeat, providere de Beneficio renunciato.

VII. Non obstat resignatio quominus resignans teneat adhuc resignatum à se Beneficium, donec per ipsius resignatarii immissionem à possessione expellatur. At verò resignatario conceditur ex usu Galliæ triennium, intra quod tenetur Beneficii sibi resignati possessionem adire; alioqui vacabit beneficium, eoque tam resignans quàm resignatarius spoliabitur ob præsumptam amborum confidentiam. Vacabit quoque si resignatarius adeat quidem possessionem nondum finito triennio, sed resignans non supervixerit biduo post aditam possessionem, ut docent, & ex frequentibus Senatusconsultis probant Papo libro 3. Placitorum, tit. de publicandis resignat. num. 8. Peleus lib. 1. forensium, cap. 29. Mosnerius tract. *des Alliances du Droit François*, sub voce *Benefice*, num. 29. Pastor lib. 3. de Benef. tit. 8. num. 5. Denique Rex Ludovicus XIV. in Edicto *du Contrerolle*, art. 20. triennium resignatario indulget ad sumendam Beneficii possessionem.

VIII. Hinc tamen excipiuntur concursus Beneficiorum incompatibilium, utrovis modo, sive à resignante, sive à resignatario possessorum; non enim fas est tenere simul incompatibilia Beneficia ultra annum pacificæ possessionis, intra quod tempus tenetur alterum è duobus dimittere, alioqui impetrabile erit ab alio. Louetus lit. *B*, num. 3. in Schol. Brodei, Antonius Faber C. de sacrosanct. Eccles. defin. 2. Rebuffus tit. de non promotis intra annum, num. 45. & 46. Itaque resignans debet suum resignatarium negligentem urgere apud Ordinarium, ut possessionem sumere atque ministerium Ecclesiæ obire compellatur, aut de aliquo alio Clerico provideatur. At Jus commune, & extra Galliam praxis exigit, ut statim atque secundi incompatibilis Beneficii adita fuerit possessio, vel steterit per provisi dolum quominus adita fuerit, vacet statim primum Beneficium, cap. *De multa* 28. de præbend. & Joannis Extravag. *Execrabilis*, §. *Qui verò deinceps*, de præbend. Fagnanus in d. cap. *De multa*, num. 1. & seqq. Garcias de Beneficiis p. 11. cap. 5. num. 100. ipsumque Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 4. Sed Papa quoties alicui Beneficium habenti providet de secundo incompatibili Beneficio, dare solet sex menses, per hanc clausulam: *Quod orator habita pacifica possessione Beneficii, primum quod obtinet, intra sex menses*

dimittere omninò teneatur, alias utrumque vacet Beneficium. Sed provisis ab Ordinario nullum tempus indulgetur post initam possessionem. Massobrius in Praxi habendi concursum, requisit. 1. dub. 2. num. 4. & 5.

CAPUT XIV.

De Pensionibus super Beneficiis.

I. IN Resignationibus fieri in Romana Curia consuetis plerumque resignantes sibi reservare pensiones solent, quarum dilucidanda jura capite isto intendo. Generalis regula est, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, de qua tamen, modò urgeat rationabilis causa, dispensare potest Suprema Sedes, quæ secundùm potestatis plenitudinem potest de jure supra Jus dispensare, ait Innocentius III. cap. *Proposuit*, de concess. præbend. atque ita providere ut conferatur Beneficium cum diminutione, ex illo pensionem detrahendo.

II. Praxis ordinaria hæc est, ut resignare intendens in alterius favorem, concordatum cum futuro resignatario apud Notarium præsentibus testibus minimè suspectis ineat in scriptis faciendæ hujus in manibus Pontificis resignationis, sub hac lege ut resignatarius, & qui ei in Beneficio succedent, solvant resignanti dum vivet certam annuam pensionem: atque ad purgandam simoniæ suspicionem & labem adjungitur clausula, *Sub beneplacito & approbatione Summi Pontificis, & non alias, neque aliter.* Simili modo & clausula fieri quæcumque concordata necesse est quoties in resignatione in favorem aliqua conditio alia apponitur, ut solutionis expensarum, regressus juris in idem Beneficium, reparationis Ecclesiæ. Concordatum deinde in Romanam Curiam transmittitur approbandum & exequendum.

III. Tres rationabiles causæ communiter assignantur constituendæ super Beneficio pensionis. Prima, si Beneficium dimittatur ex causa permutationis, retentâ pensione ad compensandum valorem fructuum dimissi Beneficii cum fructibus tenuioribus alterius compermutati, cap. *Ad quæstiones*, de rerum permut. Secunda, si resignans ex Beneficii dimissione patiatur dispendium, ut non supersit ei congrua ad vitam honestè sustentandam portio. Tertia, si in judicio, vel extra de jure litigioso circa Beneficium fuerit transactum, reservata pensione ad bonum pacis ac redimendam vexationem, cap. *De cætero*, de transaction. cap. *Nisi essent* 21. de præbend.

IV. Sapienter

IV. Sapienter admonet Toletus lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 83. tria requiri ad hoc ut licitè constituatur pensio super Beneficio. Primùm quidem dispensationem Summi Pontificis. Secundò justam causam, sine qua, ut aiunt Toletus loc. cit. Lessius lib. 2. de just. cap. 34. dub. 38. n. 204. ex communi Theologorum sententia graviter peccarent & Summus Pontifex, & impetrantes, sicut malè res domini sui dispensans œconomus, & qui pecuniam recipit ab œconomo malè dispensante, præsertim ille qui nullum pro Ecclesiæ ministerio ac obsequio præstiterit officium. Tertiò modum pensionis, ne per eam fructus alioqui proviso debiti exhauriantur, néve ita accumuletur hoc onus, ut congruam excedat Clerici pensionarii sustentationem, aut Beneficiarii diminuatur.

V. Certis quibusdam casibus permittitur Episcopis Ecclesias quasdam & Beneficia certis pensionibus onerare. Sic enim Concilium Tridentinum Episcopis providè permittit absque ullo ad Apostolicam Sedem recursu Seminaria instituere ad educationem & institutionem Clericorum, & vocatis quibus opus est, illorum expensis, sustentationi, aliisque oneribus providere, assignando ex Beneficiis ac Ecclesiis suæ Diœcesis certas annuas contributiones & pensiones ad Seminarii subsistentiam. Concilium Trident. sess. 23. de reform. cap. 18. * Istam Concilii Tridentini sanctionem, quâ potestas datur Episcopis ad fundanda Seminaria deducendi ex beneficiis suæ collationis pensiones aliquot, confirmant Regiæ constitutiones comprehensæ in Codice Henriceo sub tit. de Archiepiscopis & Episc. lib. 2. ubi Rex ipse statuit ordinari per beneficiorum aut pensionum attributionem Seminaria, jubetque suis Officialibus & Curiis hæc constituta tueri ac confirmare.] Potest etiam propriâ auhoritate Episcopus pensionem de Beneficio quod ab aliquo illiterato, vel etiam valetudine animi aut corporis impedito possidetur, reservare ad providendum victui coadjutoris pro illo exercentis, can. *Quicumque*, 26. quæst. 5. & can. *Inventum*, 16. quæst. 7. & Clement. *Multorum*, de pœnis. Concilium Trident. sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 14. Idemque sancitur in Concordatis Bononiensibus approbatis in ultimo Lateranensi Concilio. Potest etiam Episcopus admittere, propriaque authoritate inter Partes dissidentes ad bonum pacis approbare transactionem, ut altera Partium Beneficio fruatur sub onere solvendi censum, seu pensionem alteri collitiganti, cap. *De cætero*, de transaction. cap. *Nisi essent*, de præbend.

VI. Certi exploratique juris est, Romanum Pontificem posse super beneficiis pensiones imponere. Jam hîc quæritur, an deductis causis superiore art. 5. expressis, id pariter potestatis habeant cæteri à Papa Episcopi? Dissentiunt inter se Canonistæ, quibusdam asserentibus, aliis negantibus. Communior resolutio est affirmativa, quam tuentur Gigas de pensionib. quæst. 6. Petrus Ancharanus consil. 279. Ant. Butrius in cap. *Audivimus*, de colluf. deteg. Decius consil. 439. Caccialupus de pensionib. quæst. 5.

Gambar. de offic. & poteſt. Legat. lib.2. num.77. & ſeqq. idque probat ex cap. *Niſi*, de præbend. Item Azorius part.2. lib. 8. cap. 6. idque probat ex cap. *Ad quæſtiones*, de rer. permut. ubi in Eccleſiarum permutatione decernit Epiſcopus, eum qui opulentiorem Eccleſiam nactus eſt in permutatione, alteri compermutanti certam penſionem exſolvere ad compenſationis æqualitatem. Inſuper Gloſſ. in cap. *Audientiam*, verb. *Penſionem*, de colluſ. deteg. ſic ait: Hæc penſio conſtitui non poteſt ſine authoritate Epiſcopi, ut vitam ejus qui ſolvit, non excedat. Et ad hoc allegat textum expreſſum cap. *De cætero*, de tranſaction. ubi declaratur quod cenſus pro beneficio affectus, vitam ejus qui ſolvit, non excedat, dummodo ab Epiſcopo conſtitutus fuerit. Item cap. *Niſi*, de præbend. ſtatuit cenſum non ex colluſione partium, ſed authoritate Epiſcopi ſuper Eccleſia quadam conſtitutum ita valere, ut poſt obitum Rectoris, cui adjudicata fuerat Eccleſia, non debeat continuari in ſucceſſore illius qui fuerat penſione oneratus. Item cap. *De Rectoribus*, de Cleric. ægrotant. ſancit poſſe Epiſcopum ſibi ſubdito Clerico ægrotanti, vel alioqui impotenti, aſſignare coadjutorem cum aliqua parte proventus.

VII. Jam quæritur utrum penſio extinguatur, ſi contingat ut Clericus penſione oneratus recipiat idem Beneficium, ſuper quo conſtituta erat penſio? Sciendum verò, aliud eſſe penſionem extingui, aliud conſolidari cum Beneficio: ſicut ſolet uſusfructus aliquando, ſuperveniente in uſufructuarium proprietate. Quo ſuppoſito præclarè reſpondet Gigas de penſionib. quæſt. 49. ſic diſtinguens: Vel enim penſionarius adepto Beneficio ipſum dimittit ex cauſa neceſſaria, aut quia aliquis alter prætendens in id Beneficium potius jus, ipſum evincit; tunc enim penſionis jus non extinguitur, ſed poteſt qui erat anteà penſione proviſus penſionem à novo beneficiario exigere, quemadmodum uſufructuarius ab eo qui proprietatem ſibi aſcivit, poteſt uſumfructum ſibi vendicare, l. *Dominus*, D. de uſufr. & quemadmodum quis utatur: ubi habetur, ſi uſufructuario proprietas fundi legata fuerit, & demùm uſufructuarius, alio evincente, proprietatem amiſerit, adhuc penes ipſum manere priſtinum uſumfructum. Simile quid edicit lex *Si maritus tuus*, C. de inoffic. teſtam. adjudicans viduæ hæredi inſtitutæ priſtina ejus jura poſtquam hæreditatem amiſit per querelam inofficioſi teſtamenti à filia defuncti intentatam. Ex diverſo ſi Clericus jus habens penſionis ad Beneficium, ſpontaneè Beneficium recuperatum dimittat, jus penſionis pariter amittet; quia in ſimili caſu uſusfructus amittitur, abdicata vel alienata ſponte proprietate, quæ ipſo actu ceſſat conſolidari cum uſufructu, l. *Cùm filius*, §. *Dominus*, D. de legat. 2. Ratioque paritatis eſt, quia penſio beneficiaria de fructibus ipſius Beneficii deducitur. Itaque penſio extinguitur ſi Beneficium cui conſolidata fuit, ſponte abdicetur, alioqui autem perdurat.

VIII. Ut verò proſequamur quæſtionem, an Epiſcopis aliis à Papa competa

competat potestas stabiliendi beneficiarias pensiones, cùm paulò antè testimonia & rationes Doctorum id affirmantium produxerim suprà art. 6. ne quid desit in hujus quæstionis elucidatione, referendi sunt Doctores hanc Episcopis potestatem amoventes. Inter hos spectabilis est Cardinalis Toletus, hæc docens lib. 5. cap. 83. Tres sunt conditiones, quibus omnibus, aut earum una deficiente, non potest aliquis pensionem habere. Prima est dispensatio: hæc autem non pertinet ad ullum Prælatum, nisi ad solum Papam; quanvis hoc ex Jure scripto non constat, sed ex consuetudine sola. Idem sentit Cajetanus tom. 1. tract. 17. & 31. quæst. 10. Hæc autem consuetudo inolevit in universo ferè Galliæ Regno, quod scitu operæ pretium est. Appellatur enim ut ab abusu ab omnibus aliunde concessis pensionibus, exceptis illis quas ex necessitate Ordinarii provident coadjutoribus in casu ægrotationis vel impotentiæ Rectoris, ne plebs fidelis fraudetur debitis sibi ministeriis: magnaque nasceretur animarum pernicies, si in oppositum via litibus aperiretur, cap. *Ex parte*, de Cleric. ægrot. Hæc unanimes docent Gallicani Jurisconsulti, Corrasius part. 1. cap. 4. Chopinus lib. 3. de sacra Polit. cap. 32. Louetus & Brodeus litera *C*, art. 40. Concilium insuper Tridentinum non modò hoc Episcopis jus competere, quacumque appellatione, vel exemptione remota, ut provideant Ecclesiis de coadjutoribus, propter corporis, vel animi impotentiam Rectorum Beneficii, vel etiam quando suspenduntur ab exercitio propter insciti am, vel ob suas culpas ad aliquod tempus, decernit sess. 21. cap. 6. de reformat. Hæc eadem omnia Prælatis præscribit Rex Carolus IX. in Comitiis Aurelianensibus, cum assignatione convenientis pensionis pro coadjutore.]

IX. Quod attinet ad pensionis modum, taxatur nonnunquam in Romana Curia ad fructuum medietatem, ut constat ex Joannis extravag. *Suscepti*, de election. & ex communi Extrav. unica, ne Sede vacante. Sed in Galliæ Regno quando pensio videtur excessiva, reducitur sæpè ad tertiam fructuum partem, propter istam canonicam rationem: Quando privilegium concessum vergit in damnum, reducendum est ad convenientiorem modum, cap. *Suggestum*, de decimis. Rebuffus Praxis 1. p. tit. de reservationib. num. 17. Verùm in causa resignationis non solent pensiones reduci, quia odiosum judicatur si resignatarius qui consentit certam annuatim pensionem exsolvere, & hac lege fruitur resignato sibi Beneficio, mox adversùs pactum & approbatam in Romana Curia fidem à se præstitam benefactorem suum eludere, & frustrare promissis non erubescat. Brodeus ad Louetum lit. *P*, cap. 30. Citra verò resignationis ex mutuo concordato causam facilè in Gallia reducuntur pensiones Ecclesiasticæ ad tertiam fructuum.

X. Pensiones Ecclesiasticæ aliquando extinguuntur per solutionem quæ semel fit abundantioris pecuniæ. Cave tamen ne hac in re Toleto

consentias dicenti lib. 5. instit. Sacerd. cap. 92. pensiones super Beneficio posse per resignatarium redimi propriâ authoritate absque simoniæ labe, dummodò redimantur solutione facta quinque annatarum ad summum: hoc est si pensio sit (exempli gratiâ) viginti aureorum annuorum, non esse redimendam ultra centum aureorum semel factam solutionem; quinquies enim multiplicatus vicenarius numerus pertingit ad centesimum. Sed bonâ pace duorum præstantissimorum & optimè de Ecclesia meritorum Cardinalium Toleti, & quem sequutus est in hoc ducem, Cajetani tom. 1. opusc. tract. 31. hoc licitè citra Papæ dispensationem fieri nequit, aut factum tenere, ut melius docent Gigas de pensionib. quæst. 45. & 87. Martinus Navarra consil. 59. num. 1. de simonia. Bonacina tract. de simonia, disp. 1. quæst. 4. §. 13. num. 7. Fagnanus in cap. *Ad audientiam* 31. de rescript. * Flaminius de resignationib. lib. 6. quæst. 2. num. 128. Rebuffus de pacific. possessor. num. 134. Navarra consil. 52. Forget tract. de pension. num. 30. Blainianus de pensionib. beneficiar. num. 16.] & alii communiter.

XI. Extinctio itaque, seu redemptio beneficiariæ pensionis duplicem prærequirit Romana ex Curia sumptam dispensationem, quæ tamen utraque uno tenore potest ab initio impetrari. Prima est ipsa pensionis constitutio: secunda est jus ac potestas ipsius extinguendæ pensionis; quod jus aliquoties conceditur in solutione quinque annatarum, aliquando verò plurium. Sæpe enim Romana Curia assignat sex, septem, & aliquando octo annatas, rariùs novem, & rarissimè decem. Hæc enim fieri taxatio consuevit secundùm præsentem pensionarii, quæ probanda est, ætatem; quia quo junior est, eo major decurrendarum annatarum numerus præsumitur, & econtrà minor, quo senior est & provectior pensionarius.

* XII. Quæsitum est, possitne Legatus à Latere pensiones beneficiarias imponere intra provinciam suæ delegationis? Et posse affirmat Gigas quæst. 6. num. 19. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 6. qui scribit solere Papam Legato potestatem facere constituendi pensiones super beneficiis per resignationem dimissis, ea tamen conditione ut tertiam fructuum partem non excedant. Quin etiam refert Bonifacius in Collectione Senatusconsultorum Curiæ Aquensis, judicatum die 19. Octobris anno 1658. in causa Boquii Arelatensis & Crosetti, nullum fuisse abusum in constitutione pensionis super beneficio resignato concessæ à Vicelegato Avenionensi; fuisseque appellantem beneficiarium repulsum cum onere expensarum. In Gallia quidem non admittuntur resignationes in favorem in manus Vicelegati, teste Sanlegerio part. 2. cap. 3. §. 6. num. 18. Sed validitate nituntur factæ & admissæ coram Vicelegato cum onere pensionis, idque confirmavit Romana Rota decis. Cavallicensi 108. & 109. in novis: ita testatur Sanlegerius ibid. num. 31. Bulla quoque Sixti V. quarto Kalend. Maii 1584. firmat eidem provisiones beneficiorum inæqualium permutatorum cum

supple

ſupplemento penſionis, ibid. num.29. Poteſt inſuper Vicelegatus derogare juri patronatus Eccleſiaſtici ac Clericalis: ibid. num.27. Quod idem docent pariter Gigas, Covarruvias, Rebuffus in Praxi, 3. part. Signaturæ, verb. *Necnon juriſpatronatus*, cap. *Dilectus*, de offic. Leg. & cap. *Cùm dilectus*, de jurepatr. Sanlegerius loc.cit. num.27.]

XIII. Dubitatur, utrum ſucceſſor in Beneficio penſione onerato ſit obligatus reliqua penſionum ſolvere, quæ decurrerunt tempore prædeceſſoris, qui eas decurrentes ſolvere non curavit? Obligatum eſſe ſucceſſorem ſcribit Garcias 1. p. cap. 25. & probat ex juris analogia & conformitate, quo novus poſſeſſor vectigalia temporis anteacti pendere tenetur, l. *Imperatores*, D. de publicanis. Et quia ſucceſſor in Beneficio debita prædeceſſoris præſtare tenetur, quæ prædeceſſor in Eccleſiæ utilitatem contraxit, cap. 1. de ſolutionib. Attamen prævalet ſententia quæ Beneficii ſucceſſorem anteacti temporis ſolutione penſionum liberat, dum alius poſſidebat. Ratio eſt quia penſionarius non habet jus in Beneficio, ſed in ſolis Beneficii fructibus. Cùm igitur ſucceſſor neque jus, neque proprietatem, neque uſum habuerit fructuum qui ſuam Beneficii poſſeſſionem præceſſerunt, nullâ poteſt obligatione circa iſtiuſmodi fructuum ac penſionum reliqua adſtringi, quanvis ex poſtfacto beneficium poſſideat. Louetus litera *A*, cap. 15. Faber C. de ſacroſ. Eccleſ. defin. 86. Neque obſiſtit dicta lex *Imperatores*, cùm loquatur de realibus oneribus: at hîc agitur de perſonali conjunctim & reali onere, quod utique non aliter perſonam afficit, niſi quatenus rem poſſidet. Nec magis obſtat dictum cap. 1. quia debitum iſtud penſionum eſt tantùm ad utilitatem privatæ perſonæ, & non Eccleſiæ, ut in d. cap. 1. At utilitas Eccleſiæ majorem quàm privatæ perſonæ favorem demeretur. Verumtamen oppoſitæ iſtæ opiniones ita conciliandæ ſunt, ut primò quidem hæres ad præteritas illas penſiones teneatur, nec detur recurſus ad Beneficii ſucceſſorem, niſi poſtquam diſcuſſus hæres evidenter ſolvendo non eſt; penſiones enim illæ non ſunt pro Eccleſiæ utilitate, ſed pro privato unius perſonæ commodo aut indemnitate. Si verò ageretur de contracta pro Eccleſiæ neceſſitate vel utilitate à defuncto obligatione, ſucceſſor Beneficii primariò ad ſolvendum teneretur, juxta cap. 1. de ſolution.

* XIV. Jam hîc quæritur, an regreſſus ad beneficium reſignanti concedatur, in cujus gratiam Papa conceſſit penſionem ſuper reſignato beneficio, per conſuetam in Romana Curia clauſulam iſtam: *Necnon reſignatario, necnon ejus ſucceſſore in ſolutione dictæ penſionis deficiente, ſeu illam ad minorem ſummam reduci petente, liceat eidem penſionario liberum habere regreſſum ad idem beneficium, ipſius corporalem poſſeſſionem propria authoritate per ſe, vel per alium liberè apprehendere.* Reſpondendum hujuſmodi regreſſui locum ex propria penſionarii authoritate nullum indulgeri toto Galliæ regno, ut admonent Mandoſius in praxi Signaturæ Gratiæ, in verbo *Regreſſus*,

Regressus, sub finem, Azorius part.2.lib.7. cap.14. quæst.8. aliique Canonistæ. Etenim in Gallia nemini licitum est se in alicujus rei possessionem propria ingerere authoritate, priusque de pensionis securitate experiundum judicio est, quàm lis de Beneficio intentetur, si fortè pertinax adversùs rem judicatam rebellio, aut adhibita vis pœnam istam regressus mereatur. Sanè postquàm constiterit de resignatarii negligentia vel mala fide in solvenda pensione beneficiaria, ratio justa erit in vim clausulæ hujus Pontificiæ aperiendi regressum, non utique sola conquerentis authoritate, sed in vim novi judicii, citatâ parte.]

XV. Nunc dispiciendum quibusnam modis pensiones istæ extinguantur. Primò finiuntur naturali morte pensionarii, quemadmodum & usufructus morte usufructuarii, & cæteræ personales servitutes. Neque unquam in Regno Galliæ transfertur pensio Beneficii in alteram personam, licèt intra alias regiones per dispositionem Papæ transferri soleat in aliam quoque personam. Rebuffus 1.p.Praxis, tit.de reservationib.tam general. quàm special. num.20. Verumtamen non finitur pensio morte Beneficiarii hac onerati, sed ad ejus transit successores ejus solvendæ obligatio dum vivit pensionarius. Gloss.& Doctores in cap.*Nisi*, de Præbendis.

XVI. Secundò perimitur pensio capitis diminutione pensionarii, si degradetur. In quo differt pensio beneficialis à temporali pensione constituta pro alimentis, quæ non deperit per capitis diminutionem, sed relinquitur ipsis deportatis, l.*Is qui*, D. de alim. & cib. legat. Quod discrimen inde procedit, quia pensio beneficiaria est jus spirituale & clericale, qualium jurium inducitur in degradatis plena incapacitas. Gigas de pension. cap. 13. Navarra consil.63. de simon. Garcias 1. p. quæst.5. Quin etiam non restituuntur hæ pensiones, quanvis degradatus, aut capite minutus Clericus fuerit restitutus à Principe, seu rehabilitatus à Papa, uti judicatum in hac Provincia Narbonensi Aquisextiis refert Pastor lib.3. de Benef. cap.12. num.20. contra Sacerdotem qui post suam in integrum restitutionem, beneficio Regis obtentam ex condemnatione ad triremes, & obtentis etiam à Summo Pontifice Literis rehabilitationis, submotus est ab intentata petitione pensionis sibi olim ante omnem criminis accusationem super Parochiali Beneficio oppidi Gardanæ constitutam. Cujus judicii ratio est, quia restitutio non tollit jus possessori quæsitum per consolidationem aut liberationem, l.*Quod si minor*, §.*Scævola*, D. de minorib. & l. fin. C. de sentent. passis.

XVII. Tertiò extinguitur pensio per delictum hæresis, cap.*Ad abolendam*, de hæret. Item læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ, cap.*Felicis*, de pœnis in 6. Item si quis percusserit Cardinalem,d.c.*Felicis*: aut Episcopum in cujus diœcesi pensionem habeat,Clement.1.de pœnis. Per cætera delicta pensio antè constituta non extinguitur, ne quidem per homicidium, nisi accesserit sententia condemnationis. Riccius in Praxi irregularitatis,decis.524.

XVIII. Quartò

XVIII. Quartò per Matrimonium, aut per professionem Religionis in Ordine Mendicantium. Gigas de pension. quæst. 54. & 57. Garcias 1. p. cap. 5. Etsi verò vacet Beneficium per adeptionem Episcopatus, non tamen pensio, quæ isto casu non venit comprehensa nomine Beneficii.

XIX. Quintò per consolidationem, si pensionarius idem sic oneratum Beneficium adipiscatur. Nam res sua nemini servit, l. *Utifrui*, D. usufructuar. quemad. caveat. & l. *Si tibi fundi*, D. quib. mod. ususfruct. amittitur. Sed si Beneficium evincatur sine pensionarii dolo, pensio de novo exurgit, quæ priore intervallo sopita fuerat, & Pensionario redintegratur. Gigas de pension. quæst. 49. Pastor lib. 3. tit. 12. n. 23. Sicuti actiones activæ restituuntur hæredi, hæreditate evicta, quæ per aditionem confusæ, extinctæque videbantur, l. *Debitor*, D. ad Trebellian.

XX. Sextò pensio desinit quum interposita Papæ auctoritate debitor liberatur, sicut fieri paulò antè dixi per annatarum à Papa præscriptarum semel factam solutionem.

XXI. Septimò extinguitur, vel minuitur pensio interitu rei, si jura, aut prædia Ecclesiæ evicta sint, aut incendio, ruinâ, vel inundatione perierint. Sed si postmodùm augeantur Ecclesiæ proventus, pensio quæ vel minuta fuerat, vel prorsus extincta, redintegratur, ut de censu emphyteutico sancitur l. 1. C. de jure emphyt. Rebuffus tract. de pacificis possessorib. num. 123.

XXII. Denique fit pensionis remissio iisdem ex causis propter quas facienda est remissio mercedis in locatione, ut si calamitosa tempestas in fructibus acciderit, l. *Licèt*, & l. *Ex conducto*, D. de locat. his enim casibus & locationis merces, & pensionis quantitas minuenda est, cap. *Propter sterilitatem*, de locat. & conduct.

XXIII. Quando Beneficii possessor privatur juridicè fructibus Beneficii, tunc ipsa Ecclesia, cui fructus applicantur, pensionis solvendæ onere astringitur, quemadmodum de cæteris fructuum oneribus Leges disponunt, ob rationis paritatem in utrisque, l. *Si ut proponis*, C. de bonis proscript. l. penult. C. de sentent. pass. & restitut. l. unica, C. pœnis fiscalib. creditor. præf. Nunquam enim præsumendum est, Papam voluisse obligare Beneficii possessorem, ut pensionem de suo solvat, si fructibus Beneficii frustretur. Riccius in praxi, decis. 334. Garcias 1. p. cap. 5. n. 226.

XXIV. Si Beneficii possessor resignet, transfert pensionis onus ad successorem, quia pensio Beneficiaria non aliter personam astringit, nisi quatenus rem ipsam possidet. Resque obligata, ad quemcunque deveniat, transit cum onere, l. *Si debitor*, C. de distract. pign. l. *Alienatio*, D. de contrahend. empt. cap. *Ex literis*, de pignoribus.

XXV. Scire permultùm refert, quâ parte anni solvendæ sint pensiones. Et quidem ubi non fuerit expressum, sive à Partibus in mutua conventione, sive per Superioris decretum, inspicitur generaliter caput anni,

l. *Nec semel*, §. 1. D. quando dies legat. ced. Sed quia utplurimùm constituuntur pensiones in fructibus, eo casu terminus intelligendus est, quo fructus Beneficii recipiuntur, juxta l. *Firmio*, §. *Pater*, D. quando dies legat. ced. Annus autem pensionis incipit ab adepta per resignatarium possessione, vel à die intimationis rescripti, quo pensio constituitur, factæ possessori Beneficii; non verò absolutè à Calendis Januarii, ne pensionarius qui anteà cesserit, frustretur jure suo.

XXVI. Quod si in conventione vel in rescripto pensionis adjecta sit dies, distinguendum sic est. Aut enim dies adjicitur ad præcisam obligationem; & sic mortuo pensionario ante diem, non debetur pensio hæredibus illius, ob defectum conditionis non impletæ, mortuo ante illum diem pensionario: vel dies adjicitur differendæ solutionis causâ, ne possessor Beneficii initio sui ingressus, nondum perceptis fructibus aut exactis redditibus, ad solutionem cogatur; atque isto casu, mortuo ante solutionis terminum pensionario, solvenda est pensio hæredibus ejus pro rata temporis ejusdem quo vixit anni: & integra debetur pensio, si post terminum interierit, ut docet Gigas. At si pensio divisa sit in duas solutiones per semestria, mortuo post primum semestre pensionario, debetur hæredibus ejus integra illius semestris pensio: alterius verò semestris portio debetur hæredibus eisdem pro rata temporis quo pensionarius intra illud posterius semestre vixit; si mense uno, sexta pars; si duobus mensibus, tertia pars; si tribus mensibus, dimidia. At verò si dies non fuerit adjecta, tunc dies cedit initio cujuslibet anni (ut dixi) à die possessionis Beneficii computandi, & pensio integra hæredibus debetur totius anni, tametsi ante finem anni pensionarius excesserit è vita, ut dicitur de annuis legatis in l. *A vobis*, & in l. *In singulos*, & l. *Filiæ meæ*, D. de annuis leg.

XXVII. Pensiones Beneficiariæ olim quidem habebantur pro re temporali, sed eas in spiritualem statum Pius V. erexit. Nec enim earum voluit esse capaces, nisi Clericos non excommunicatos, neque irregulares. Et qui non aliunde astringuntur Ecclesiastico Officio, persolvere præcepit singulis diebus parvum B. V. Mariæ Officium. Pii V. Bullam refert Navarra Manual. cap. 25. n. 122. Cujus omissione pensionarii non faciunt fructus suos, & restituere tenentur quos indebitè perceperint.

XXVIII. Non tenetur pensionarius ad onera procurationum Episcopis pro visitatione debitarum. Gigas de pension. quæst. 38. Sed eodem teste quæst. 28. n. 19. & Fagnano in cap. *Ad audientiam* 31. de rescript. aliisque communiter, obligatus manet pensionarius ad charitativum subsidium contribuendum pro modo pensionis; itemque annatæ in nova provisione partem, & universim quamcunque collectam ex Beneficiorum fructibus solvendam, ut sunt decimæ, quas Regi vel spontaneè, vel Summi Pontificis jussione Clerus Regni persolvit, aliaque etiam temporalia, quæ pro-

pro modo fructuum subsidia contribuuntur ab Ecclesiasticis, juxta Rebuffum tract. de pacif. possess. num. 138. & 139. Paponem lib. 3. tit. 5. Ratio communis est, quia cùm pensio pars sit fructuum beneficialium, subjicitur hoc ipso contributionibus ex fructibus Beneficiorum colligendis. Conciliumque Tridentinum sess. 23. cap. 18. Pensionarios simul cum Beneficiariis obnoxios facit contributionibus ab Episcopo taxandis pro constructione & stabilimento Clericalis Seminarii.

XXIX. Alexander Papa III. cap. *Audivimus*, de colluf. deteg. collusionem illam damnat ut flagitiosam, per quam ex mutuo partium consensu movetur lis super Beneficio, hoc fine ut per litis occasionem transactio fiat, per quam una pars pacificè Beneficium possideat, alteri verò pensio ex eodem Beneficio constituatur: jubetque Episcopo ut utramque Partium spoliet Beneficio & pensione.

XXX. Novissimè in Gallia, rogantibus plerisque Præsulibus, Ludovicus XIV. mense Octobri, anno 1670. ad multos resecandos abusus edixit de pensionibus super Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut etiam Collegiatarum aut Parochialium, seu super Beneficiis Curatis, hæc tria. Primum, ne liceat resignanti ullam sibi reservare pensionem, nisi postquam solidis quindecim annis Beneficio deservierit, aut saltem infirmitate laboret, quanvis breviori tempore deservierit, ob quam nequeat ulteriùs deservire. Secundò, ne pensio ulla tertiam fructuum partem possit excedere. Tertiò, ut deductâ pensione, adhuc supersit proviso solidus trecentarum librarum proventus, non computatis in hoc emolumentis casualibus, & deductis cunctis Beneficii oneribus. Nec tantùm providet circa futuras, sed etiam circà jam antè constitutas pensiones, ut ad triplicem hanc Sanctionem reducantur: uno tamen excepto casu, si is qui olim resignaverat, eâ premátur inopiâ, ut ei nec Ecclesiasticæ, nec patrimoniales opes suppetant ad sufficientem victum.

*CAPUT XV.

Edictum Regium de Pensionibus beneficiariis.

LUDOVICUS Dei gratiâ Rex Franciæ & Navarræ, præsentes Literas inspecturis Salutem. Fideli relatione accepimus complures Ecclesiasticos satagere sibi provideri de Beneficiis curæ animarum annexis animo lucra capessendi inde provenientia, simulque semetipsos oneribus & laboribus eximendi per resignationes in favorem, retentis sibi opimis pensionibus, quarum ope deinceps

otio indulgeant : unde contingit ut resignatariis onera sustinentibus congrui redditus minimè suppetant ; quo contigit ut huic damno tum Episcopi, tum Curiæ Regni nostri, pro locorum & temporum diversitate diversis remediis & judiciis mederi studuerint. Quia tamen Antistites & Consiliarii nostro Regno passim dispersi rogarunt nos, ut uniformi lege per universam nostram Ditionem usque adeò noxios abusus resecaremus ; illorum supplicibus monitionibus inclinati, & soliciti providere ut Divinus cultus à sacris Ecclesiarum Ministris convenienti decore, & dignitate celebretur, præsenti Edicto in perpetuum valituro decernimus, neminem præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, aut etiam Curis animarum provisum ullatenus posse præbendas aut Curas resignare cum pensionis reservatione, nisi postquam eisdem annos quindecim ad minus deservierint, aut certè in eum infirmitatis gradum corruerint, ut deinceps talibus Curis aut Præbendis ministrare ampliùs nequeant. Quibus etiam casibus resignantes nihil ampliùs sibi titulo pensionis reservare poterunt quàm tertiam fructuum partem : hac etiam adhibita præcautione, ut resignatariis ac titularibus trecentæ annuæ libræ ad minus supersint integræ ad victum, emolumentis casualibus in his minimè comprehensis, deductis etiam quibuscunque oneribus Parocho incumbentibus. Statuimus pariter ut etiam antehac constitutæ Ecclesiasticæ pensiones ad hanc quoque præsentem formam reducantur ; hac tamen adhibita exceptione, ut teneant pensionum obligationes quandocumque anteriores resignantes illis deficientibus eò redigerentur, ut eis victus necessarius non posset suppetere, sive ex aliis Ecclesiæ proventibus, sive ex patrimonialibus bonis. Districtè autem præcipimus omnibus quibus in nostris Ditionibus officium jurisdictionis incumbit, ut præsentis Edicti observationi solicitè invigilent. Datum Sangermani ad Nemus, 4. Octobris die, anno post millesimum sexcentesimo septuagesimo.]

*CAPUT XVI.

Prosequutio beneficiariarum Pensionum, in primis secundùm Gallicanas consuetudines, deinde secundùm Jus commune Canonicum.

IN primis pensionum Ecclesiasticarum super Beneficiis renunciatis Jura Gallicana conformantur Ludovici XIV. paulò antè commemoratæ Constitutioni.

I. Secundò Curiæ Regiæ nullam admittunt beneficiariam pensionem, nisi

nisi ex Summi Pontificis authoritate dimanarit : easque omnes obliterant & pro simoniacis habent , quas locorum Ordinarii constituunt , solis exceptis quas Episcopi Vicariis à se constitutis assignant , ut vicibus fungantur Præbendatorum aut Curatorum , qui sive ob delictum , sive ob imperitiam , sive ob ingruentem morbum , vel irregularitatem , vel dementiam suspensi sunt ab exercitio Ecclesiastico. Cùm enim hujusmodi casus sint inevitabiles , nec remedium aliunde quàm ab ordinariis locorum Prælatis adhiberi possit , absolutæ necessitatis est hanc saltem jurisdictionis partem illis conservari , cap. *De Rectoribus*, & cap. *Tua nos* , de Cler. ægrot. & cap. *Quanvis triste* , 7. quæst. 1. At verò cæteras omnes pensiones ab Episcopis constitutas pro irritis & simoniacis habent Curiæ Gallicanæ , ut scribunt Rebuffus in Praxi , part. 1. tit. de reservat. tam generali , quàm speciali , num. 28. & 29. Chopin. lib. 3. de Sacra Politia, tit. 2. num. 17. Louetus & Brodeus litera *C* , num. 40. aliique Gallicani. Idque contigisse scribit Rebuffus ex ignoratione Juris Canonici.

II. Doctores Gallicani qui ante promulgationem Edicti paulò antè memorati de pensionibus conscripserunt , docuerunt unanimes hunc esse Curiarum Regiarum usum , ut nunquam admittant reductionem earum pensionum , quas se exsoluturos resignatori in sui favorem polliciti sunt resignatarii , quandiu vivet ; hæc enim petita reductio judicabatur odiosa, vitioque laborans ingratitudinis & perfidiæ. Solumque admittebant ejus posse postulari reductionem & diminutionem , eo mortuo , adversus illius hæredem vel successorem adusque tertiam reddituum partem , ex Jure Gallicano ; sic enim non infringi datam fidem , sublato ex vivis resignatore, cui soli de Beneficio erat obstrictus. Hoc docent Louetus & Brodeus lit. *P*, tit. 30. & Gigas tract. de Pensionib. quæst. 9. Anneus Robertus lib. 1. rer. judicat. cap. 7. Imbertus in Praxi , tit. *Pensio* : Chopinus lib. de Sacra Polit. tit. 2. num. 15. & seqq. At verò novum Edictum sancit & jubet ob publicum Ecclesiæ bonum , ut cunctæ etiam quæ præcesserunt de pensionibus beneficiariis conventiones ad tertiam fructuum portionem reducantur , deductis etiam Titularium oneribus & impensis , ut scilicet prævaleat Ecclesiæ sacra & communis disciplina oppositis privatorum noxiisque pactionibus : nisi quis insistat id officium à Legislatore injungi solis Judicibus & publicis Requisitoribus , sed non resignatariis , illo adhuc superstite , cui est obstricta fides.

III. Quandoquidem sola hæc viget in Galliæ Regno consuetudo , ut non alia recipiatur per Episcopum constituta pensio Beneficii Ecclesiastici diminutionem inducens , sola hac excepta , quam exigit necessitas instituendi per Episcopum Vicarii , qui onera suppleat provisi Titularis , qui ob impedimentum canonicum illa exequi prohibeatur : quæstio inter Canonum Professores in cæteris Christianis provinciis ventilari solet , utrum constitutæ ab Episcopis pensiones transeant ad Beneficii successorem , vi-

vente adhuc pensionario ; an verò extinguantur morte illius cui primùm imposita fuit solvendæ pensionis obligatio ? Et istius quidem morte desinere : possitque solus Papa ejusmodi pensiones decernere, quæ transeant ad Beneficii successorem, nec nisi morte pensionarii extinguantur. Negant istam Episcopis competere potestatem transmittendæ ad Beneficiarium successorem Ecclesiasticæ pensionis Glossa simul & Imola in cap. *Nisi essent*, de præbend. in quo Summus Pontifex approbat quidem factum judicium pacis conciliandæ gratiâ, ut inter duos de uno Prioratu contendentes unus eorum de Prioratu provideatur cum onere solvendæ pensionis quadraginta librarum suo competitori ; prohibet tamen illius pensionis onus extendi ultra vitam provisi de Prioratu illo, & Beneficium ipsum afficere, sed tantummodò personam primi Titularis, etiamsi pensionarius supervivat. Idem docent Anan. in cap. *Audivimus*, de colluf. deteg. Azorius part.2. lib.8. cap.6. quæst.1.

IV. Oppositа verò sententia suos quoque graves habet Authores, posse nimirum ab Episcopo constitui pensionem, cujus onus in Beneficii quoque successores derivetur, superstite pensionario. Idque docet Gambarus lib.6. de offic. & potest. Legati, num.385. & Parisius lib.1. de resignat. quæst. 8. num.44. Garcias num.182. & Bonacina tract. de iis quæ ad Divin. Offic. in Choro publ. recit. pertin. quæst.6. punct.3. num.15. ubi quoque profert Rotæ Romanæ decisionem 699. num.1. part.1. diversor. suumque intentum hac ratione probat : Quia pensiones super Beneficiis, cùm sint onera realia fundata super fructibus & distributionibus, subsistunt quandiu vivit pensionarius, & obligant quoscunque Titulares qui fructus ejusmodi percipiunt. Suadere pariter videtur æquitas, ne Episcopi interventu & suasione is qui suum jus ad beneficium sub onere pensionis resignaverit, decedente mox resignatario videat se simul & Beneficio & pensione excidisse. Disertè statuitur id cap. *Præterea*, de censib. *Præterea illi qui* EPISCOPO IGNORANTE, *authoritate sua pensionem annuam de Ecclesiis quadam illusione solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis non sunt aliquatenus audiendi, si Pontificis, aut alterius qui de jure facere potuerit, authoritatem & assensum super hoc non interveniſſe constiterit. Non enim simplices Sacerdotes vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, authoritate sua, præsertim post decessum suum, efficere censuales.* Unde ritè infert Gambarus : Si igitur consensisset Episcopus, potuerat facere illam Ecclesiam, etiam post suum obitum, censualem. Et canon perspicuè supponit, ideò post obitum illorum qui propriam Ecclesiam servituti census subjecerant, non posse censum impositum continuari, quia nulla intervenerat Episcopi authoritas, vel approbatio. Sanlegerius qui magna laude Avenione tum Jus dicendo, tum de Jure respondendo consenuit, parte 2. Quæstionum Beneficialium, cap.1. §. 4. num.7. oppositas Canonistarum sententias simul approbat & conciliat his verbis : *Inter pensionem authoritate Summi Pontificis*

Pontificis impositam, & illam quæ authoritate Episcopi nititur, hæc est notabilis differentia, quod illa quæ fit authoritate Pontificis, etiam successores in Beneficio ligat: quæ autem fit approbatione Episcopi, successores in Beneficio non ligat, neque afficit. Limita, nisi pensio imposita & creata fuisset ab Episcopo pro bono pacis, & ad sedandas lites; quia tunc etiam afficit Beneficii successores, quantumvis solius Episcopi authoritas in illius creatione intervenerit. Allegatque ad hoc Ebatianum discept. forens. cap. 17. n. 16. Quæ sanè Pontificiorum doctrina mihi admodum arridet; hoc enim præstat ut Episcopalis solicitudo utiliter adhibeatur ad sopiendas Clericorum subditorum lites: quæ solicitudo iners & inanis esset, si census conventus esset desiturus proxima resignantis morte. Scitè namque & prudenter alius quidam admonet canon: *Nullâ enim ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium multis fortè expensis & laboribus acquisitum, quo sustentari debet, facilè, sine causa sua magna, sponte resignet:* atque ita illud abdicet in commutationem pensionis, quæ fortassis post paucos dies, unius interitu caduca sibi, & infructuosa sit futura, cap. *Super hoc*, de renunciat.

V. Communes autem qui ab Episcopis, aut ab inferioribus Prælatis census ac pensiones in re beneficiaria constitui permittunt sacri Canones (etsi in Gallia non vigeant) ne tamen quidquam Juris communis ignoretur, istos huc sclegi.

Can. *Nisi essent*, de præbend. possunt Judices arbitrarii, in quos duo electi compromiserunt, adjudicare uni quidem Prioratum cum onere pensionis annuæ alteri electo persolvendæ: *Sic tamen ut non assignetur census ipsi Prioratui, sed soli personæ Prioris*; quo demùm vitâ functo, successor ejus nulli præstationi teneatur obnoxius.

Can. *De cætero*, de transact. si pro bono pacis Judex delegatus censum imponat alteri litigantium, Episcopus sine quo transactum fuerit, poterit transactionem approbare sine se factam: *Sic tamen ut census annuus vitam ejus qui solverit non excedat.*

Can. *Ad quæstiones*, de rer. permut. decernit Episcopum approbantem aliquam commutationem coram se factam, confirmare posse cum hac obligatione, ut ei qui locupletius Beneficium dimictit, persolvatur pecuniæ summa, quæ excessum dimissi opimioris Beneficii compenset.

Can. *Cùm veniissent*, de restit. spoliat. de authoritate Eborensis Episcopi Rector cujusdam Ecclesiæ solvebat alteri Ecclesiæ certam pensionem quamdiu viveret: quod factum isto canone approbatur.

Can. *Constitutus*, de religios. domib. Episcopus remittendo jura Episcopalia cuidam Ecclesiæ, potest sibi censum super eadem Ecclesia reservare.

Can. *De Rectoribus*, & cap. *Tua nos*, de Cler. ægrot. & debilit. legitima propriaque authoritate assignat Coadjutori à se constituto propter ægritudinem Clerici non valentis suum exequi ministerium, pensionem super præbenda Clerici invalidi sive corpore, sive mente. Quæ dispositio Episco-

palis

palis eousque necessaria & inevitabilis est, ut ea deficiente Divinum ministerium, Sacramentorum collationem, Populi fidelis instructionem, Ecclesiarum cultum deficere necesse sit, ovesque Christi in apertum ruere interitum.

VI. Jam quæritur utrum regressus ad Beneficium resignanti concedatur, in cujus gratiam Papa constituit pensionem super resignato Beneficio per consuetam in Curia Romana clausulam istam : *Necnon resignatario, necnon ejus in eodem Beneficio successore in solutione pensionis deficiente, seu illam ad minorem summam reduci petente, liceat eidem pensionario liberum habere regressum ad idem Beneficium, ipsiusque corporalem possessionem propria authoritate, per se vel per alium apprehendere?* Respondendum, quidquid in aliis servetur regionibus, illam propria authoritate sumptionem possessionis alienam esse ab usu Gallicano, qui & partium auditionem, & in judicio litis contestationem, & Judicis sententiam prærequirit. Servatis autem judiciorum formis locus erit regressus adjudicandi contra contumacem ac perfidum debitorem.

VII. Movetur quæstio, utrùm Legatus possit admittere resignationem Beneficii sub onere pensionis ? Id fieri posse negat Rebuffus. Quatenus enim in sua Praxi, tit. de resignatione conditionali, num. 1. & seqq. negat Legato Pontificio hanc potestatem competere admittendi resignationes conditionatas, nisi specialem à Papa obtinuerit potestatem, inde infertur, ex mera & generali Legationis concessione hoc jure uti non posse. Sed omnis amovetur difficultas si Literæ Delegationis specialem illi authoritatem istam indulgeant : istud quippe perspicuè sancitur cap. *Præterea*, de offic. jud. deleg. Atque ita judicavit Suprema Curia Aquensis die Octobris 10. anno 1658. in gratiam Brochii Arelatensis contra Grossetum, qui abusionem prætexebat in admissione renunciationis Beneficii cujusdam sub reservatione pensionis apud Vicelegatum Avenionensem facta : quam tamen Senatus expertem omnis abusionis pronunciavit. Id refert Bonifacius tom. 1. Senatusconsultorum Provincialium, pag. 115. Haud certò scitur, utrum Diploma Pontificiæ tunc Legationis hanc singularem potestatem explicuisset, an verò implicitè dumtaxat. Casus autem dicti capitis *Præterea*, non explicitè quidem, sed implicitè in literis Pontificiis delegatam jurisdictionem mandantibus involvebatur, ut cuivis legenti liquet.

VIII. Canonicæ approbandi beneficiarias pensiones causæ Gallicano usu approbatæ, atque in solis Romanorum Pontificum, non verò in Prælatorum inferiorum provisionibus approbatæ, tres numero recensentur à Rebuffo in Praxi, lib. 1. tit. de reservationibus, cæterisque passim Gallicanis Jurisconsultis. Prima causa est ob bonum pacis & sedandas lites inter Clericos, cap. *Nisi*, de præbend. Secunda ne resignans nimium sustineat dispendium, cap. *Super hoc*, de renunciat. Tertia in permutatione Beneficiorum, quorum redditus sunt inæquales, ut ubertas unius præ alio assignatione pensionis compensetur, cap. *Ad quæstiones*, de rerum permut.]

CAPUT

CAPUT XVII.

De Beneficiorum permutatione.

BONIFACIUS VIII. cap. unico de rerum permut. in 6. non modò approbat Beneficiorum permutationes fieri coram Episcopis locorum, in quibus sita sunt Beneficia, sed etiam præfert jura sic permutantium omnibus Expectativis aliorum ab Apostolica Sede impetratis. Et Clement. unica eodem tit. irritas facit quascumque Beneficiorum commutatorum collationes in præjudicium compermutantium factas. Possunt itaque Episcopi, eorumque Vicarii, dummodò habeant speciale ab Episcopo Beneficia conferendi mandatum, hasce permutationes admittere, & pro permutantium voluntate eisdem mutuò & respectivè conferre: reliqui autem inferiores Prælati carentes Episcopali authoritate, non possunt in favorem compermutantium conferre. Poterunt nihilominus, si hoc jus præscriptione adepti fuerint. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. de permutatione, num. 20. Bellamera tract. de permutatione, cap. *Tertiò quæritur*.

II. Si compermutanda Beneficia in diversis Diœcesibus sita sint, necesse erit intervenire utriusque Episcopi authoritatem: sed ad majus commodum & facilitatem alter eorum poterit vicem suam & potestatem admittendi & conferendi alteri Episcopo committere, ut omnia procedant coram uno eodemque collatore. Gloss. in cap. unico, de rer. permut. in 6.

III. Propriâ authoritate Beneficia permutantes eadem amittunt ipso jure, cap. *Cum olim*, de rer. permut. Itaque tanquam vacantia possunt statim ab aliis impetrari.

IV. Præter Prælati interventum Episcopalem authoritatem habentis, quæ est prima à nobis jam examinata conditio, requiritur secundò illorum notitia ad quos spectat vel electio, vel præsentatio Beneficiorum quæ permutantur: aliàs enim invalida erit permutatio. Gloss. in d. Clement. unica de rer. permut. Qui debitè interpellati si consentire sine justa causa recusant, tunc eis invitis, si permutatio nullo impediatur canonico obstaculo, poterit Collator eam admittere & conferre. Abbas in cap. *Nullus*, de jurepatron. Federicus tract. de permut. Benef. quæst. 24. Rebuffus d. tit. de permut. num. 22. asserens hunc esse communem Galliæ usum circa Patronos Ecclesiasticos: sed Laïcorum Patronorum prorsus esse consensum necessarium, alioqui fore irritam permutationem, asserit ibid. num. 31.

Quod idem censendum de necessario Regis consensu, si Beneficium Regiæ nominationis permutetur.

V. Tertiò requiritur ut permutatio fiat rerum ejusdem generis, spiritualium cum spiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem; sic enim mutare non licet mandatum vel nominationem ad Beneficium cum præsenti Beneficio, cap. fin. de rerum permut. Federicus in d. tract. de permut. benef. q. 13. Matthæus de Afflictis decis. Neapol. q. 17. Neque mens hæc Papæ fuit, ut literæ suæ & mandata extendantur ad aliam quàm quæ ibi designatur personam. Neque etiam aliquis decimas vel jus patronatus cum Beneficio validè permutaverit, juxta Doctores ad d. cap. fin. de rer. permut. & Rebuffum loc. cit. num. 24. Plura tamen Beneficia cum uno Beneficio possunt & validè, & licitè permutari, argumento legis *Cùm Prætor*, D. de judic. sunt enim res ejusdem naturæ, neque Jus ullibi prohibet. Ratio verò æqualitatis, quæ justas reddit permutationes, locum hîc habere potest: plura enim minoris proventus Beneficia æquivalent unico opulentiori. Federicus loc. cit. quæst. 12. Rebuffus d. tit. de permut. num. 40.

VI. Quartò requiritur, si fiat permutatio coram Summo Pontifice, ut cætera simul compermutantium Beneficia sigillatim exprimantur, ut à Romana Rota judicatum, & à pluribus Doctoribus traditum refert Rebuffus ibid. num. 34. quanvis Federicus loco cit. quæst. 18. neget id esse necessarium in permutationibus. Saltem tutius est contra litigatores Beneficiorum avidissimos aut cuncta exprimere, aut clausulam referre, ut tacita pro expressis habeantur.

VII. Valida Beneficiorum permutatio est non modò inter se conformium, sed etiam difformium, exempli causâ Dignitatum cum Personatibus, simplicium cum curatis, Commendarum ad vitam cum titularibus; quia Commenda perpetua vicem habet Tituli. Panormitanus in cap. *Cùm olim*, de rerum permut. Federicus loco cit. quæst. 6. & seqq. Rebuffus num. 51.

VIII. Admissa resignatione ex causa permutationis, Beneficia non aliis possunt quàm permutantibus conferri, d. cap. unico, de rer. permut. in 6. & Clem. unic. eod. tit. Et si secus fiat, invalidè conferuntur; quia non aliàs aut aliter intendunt permutantes resignare, nisi ad hunc permutationis finem.

IX. Si evinci contingat Beneficium permutatione quæsitum, datur regressus ad alterum dimissum, ratione tacitæ conditionis in illa dimissione inclusæ, si permutatum Beneficium non fuerit evictum: sine qua nemo proprium dimitteret Beneficium. Rota decis. 9. in antiquis. Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 145. Papo lib. 2. Placitorum, tit. 7. num. 2. Faber Cod. de sacros. Eccles. defin. 53. Et apertè favet cap. *Si beneficia* 20. de præbend. in 6. Atque conceditur iste regressus sine nova provisione,

&

& sine nova in possessionem immissione. Requiritur tamen in hoc Regno sententia declaratoria apertionis regressus per Regios Judices, qui sibi possessoria Beneficiorum judicia ita vindicant, ut sine horum cognitione & decreto vacaturum procul dubio sit Beneficium, & alienæ impetrationi aditus aperiatur. Papo lib.2. Placitorum, tit.7.num.2. Faber Cod.de sacros. Eccles. defin.53. Duarenus lib.8. de Benef. cap.3. Regressus etiam locum habet mortuo compermutante, adeò ut hujus Beneficium tanquam per obitum vacans non possit impetrari ab alio in præjudicium illius qui jus habet regressus in illud. Rebuffus d. tit. de permutat. num.13. ubi sæpe ita decisum se vidisse affirmat. Charondas lib.1. Responsorum, cap.24. & idem lib.1.Pandect. cap.10.& 11. Despeisseus tract.de Benef.Eccles. tit.11. sect.2. artic. 4. num. 4. quibus etiam locis iidem asserunt, non esse opus ad hunc regressum nova collatione, sed necessariam esse Regii Judicis sententiam in causa possessorii.

X. Ex eo quod admissâ resignatione ex causa permutationis non possint Beneficia aliis quàm permutantibus conferri, juxta Clement. unicam de permutat. inferunt Rebuffus p.3. praxis, tit. de permutatione, num. 28. Louetus lit. *B*, num.13. aliique, quod admissâ per Episcopum resignatione in causa permutationis, si uni fuerit collatum Beneficium antequam ejusdem permutantis fuerit admissa resignatio, ejusque vicissim Beneficium alteri compermutanti collatum fuerit, & inter has moras iste compermutans moriatur, jus accrescere superstiti, ut utrumque Beneficium retineat. Non enim priore excidit quod pridem possidebat, quia adhuc illud tenet, cùm non resignaverit: manet itaque in pristina ejus possessione; & aliunde socii compermutantis debetur ei Beneficium, quia non vacat per socii obitum, quandoquidem ante ejus mortem jam fuerat resignatum, & legitimè superstiti socio collatum.

XI. In permutandis Beneficiis aliisque spiritualibus rebus pacta quædam aliquoties apponuntur illicita. Ejusmodi est conventio, ut permutatum Beneficium alicui tertio conferatur non habenti jus in illo, vel etiam ut ei pensio assignetur. Non possunt hæc fieri, neque conveniri coram Ordinario, quia quæcunque in resignatione adhibita conditio censetur simoniaca, saltem Jure Canonico: quod simoniæ genus cùm non vetetur Divino Jure, à Summo Pontifice ex potestatis plenitudine purgari potest. Navarra Manual. cap.23. num.107. Lessius lib.2. de just. cap.35. dub.14. num.87. Nec legitur in toto jure Papam aut Concilium indulsisse potestatem Ordinariis purgandi conditiones resignationibus appositas, nisi in sola Beneficiorum permutatione. Est verò generalis prohibitio cap.ult.de pactis: *Pactiones* (inquit) *factæ à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omninò cessare, nullius penitus sunt momenti.*

XII. Ista quoque pactio in permutatione pravitate simoniacâ fœdatur,

cùm promittitur aut permutatur fundatum Beneficium cum Beneficio fundando ; quo enim tempore ita convenitur, unicum existit Beneficium, simulque pecunia, quæ res est merè temporalis & profana, quanvis futuro alicui Beneficio destinetur quod actu non existit. Itaque præter defectum illum generaliter prohibitum pactionis circa spiritualia, cap. ult. de pact. gravior hîc defectus intervenit simoniæ à jure Naturali Divinoque, simulque à Concilio generali Chalcedonensi can. 2. prohibitæ, ne pecunia detur, accipiatur aut promittatur pro sacris Ordinationibus, aut pro Ecclesiasticis ministeriis : & habetur in can. *Si quis Episcopus*, 1. q. 1. Expressior etiam est ad hunc casum can. *Ex multis*, 1. q. 3. damnans simoniacæ pravitatis eos qui pro Beneficiis acquirendis paciscuntur fundationes Ecclesiarum à se faciendas, aut donaria Ecclesiis aut pauperibus contribuenda. Huc etiam spectat cap. *Tua nos*, de simon. declarans simoniam committi, si quis de bonis suis conferat ad novi Beneficii fundationem, eâ conditione, ut sibi id Beneficium, aut alicui suorum conferatur. Et sic judicavit Aquisextiensis Senatus. Cùm enim Parochus Ecclesiæ Oliolensis in Tolonensi Diœcesi curam suam dimisisset ex causa permutationis pro Capellæ Rectoria, quam resignatarius se spoponderat fundaturum cum jure patronatus, & super ista fundatione impetratum fuisset Apostolici Legati rescriptum, Præbenda illa Parochialis adjudicata fuit devolutario, qui illam ut vacantem per simoniam impetraverat contra resignatarium, & à rescripti executione tanquam ab abusu appellaverat, ut refert Pastor lib. 3. de benef. tit. 11. n. 7.

XIII. Pacta quædam recensentur in hisce permutationibus apponi solita, sed non aliter valida, nisi Summi Pontificis dispensatione roborentur, ut si conveniant permutantes de solvendo alieno ære contracto propter Beneficium compermutatum ; alioquin enim successor in Beneficio solvere tenetur nomina seu debita contracta pro Ecclesiæ necessitate ab antecessore suo, cap. 1. de solution. Expensas verò quas præcessor Beneficii fecit, non in Ecclesiæ, sed in propriam utilitatem, pacisci à successore prorsus est simoniacum : item de solvendis Bullarum seu expeditionum impensis. Navarra consil. 7. & 14. de simonia.

XIV. Si verò Beneficiorum permutatio fiat in periculo mortis, aut in decrepita senectute ; item si fiat cum consanguineo, proximo aut familiari, aut si citra inæqualitatem Beneficiorum reservetur pensio, aut si uterque sibi pensionem reservet, aut si conveniatur de pensione in gratiam tertiæ personæ, istis casibus permutatio ac reservatio fieri præsumitur in fraudem, vel animo negotiandi ; & talis reprobatur permutatio. Idemque præsumendum & damnandum, si pensio super alio quàm compermutato Beneficio constituatur, & si sit magna Beneficiorum sine ulla compensatione inæqualitas, aut si fiat permutatio cum ficto Beneficio, quia propria bona sine aliqua urgente causa disperdere velle nemo præsumitur, l. *Cùm*

da-

de indebito, D. de probation. Nullaque ratione verisimile fit, ut quisquam Beneficium multis fortè expensis, & laboribus acquisitum, quo sustentandus est, sine aliqua gravi causa sponte resignet, ut dicit cap. *Super hoc*, de renunciatione. Præterea dolus præsumitur, si quis post resignationem in ejusdem à se resignati Beneficii possessione perseveret. Hæc docet Rebuffus d. tit. de permutatione, n. 42. & seqq. & in glos. ad Concordata, tit. de collationibus, §. *Volumus*, glos. ult.

XV. Denique in casu permutationis Beneficiorum, quemadmodum & in aliis resignationibus, servanda regula est de publicandis resignationibus, de qua inferiùs tractabitur hoc ipso lib. 2. cap. 18. Hoc denique tenendum, certissimam esse regulam, si remittatur Beneficium, ad cujus compensationem promittatur titulo permutationis aliud indefinitè Beneficium similis ac paris proventus, id non censeri permutationem, sed nudam & inefficacem pollicitationem, quam nunquam confirmat Papa, neque licet Ordinariis admittere. Undè si alter à quo resignatum ex ea causa fuerit Beneficium, moriatur, vacabit Beneficium per obitum. Ita Mornacius ad l. *Rebus*, C. de rerum permut. Permutationes enim esse debent de certo & determinato Beneficio ad aliud peræquè certum & determinatum.

CAPUT XVIII.

De jure Regressus.

I. GENERALIS regula Canonici Juris hæc est, eum qui semel Beneficio suo renunciavit, non posse illud repetere, cap. *Ex transmissa*, cap. *Super hoc*, & cap. *In præsenti*, de renunciat. Ideò revocatio semel admissæ resignationis nulla & irrita est, etiamsi successor possessionem abdicati ab alio Beneficii nondum sumpserit. Sic judicatum Parisiis refert Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 21. Idemque juris est etiam cùm resignatarius reperitur incapax Beneficii, ut aliis Supremarum Curiarum judiciis confirmat Brodeus in Loustum lit. *B*, cap. 13. Neque resumi Beneficium potest, quanvis conditio in renunciatione illius addita fuerit, ut si vivo resignante vacaverit sive per cessum, sive per decessum resignatarii, revertatur Beneficium ad resignantem absque nova provisione. Istiusmodi namque provisiones sub forma regressus obtentas jubet esse irritas Carolus IX. in Aurelianensibus Comitiis, art. 22. Verumtamen si accedat nova ejusdem Beneficii collatio in gratiam resignantis, poterit idem resumere, non ex illa conditione regressus,

sed ex vi novæ provisionis, quanvis juraſſet se idem Beneficium non repetiturum, ut dicit expresè cap. *Cùm inter*, de renunciat.

II. Regressus porrò ad idem Beneficium conceditur resignanti. In primis in mutua compermutatione, si contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci. Nam is qui istud sic amisit, jus habet resumendi abdicatum à se in causa permutationis Beneficium, ut proximè superiori capite, num. 9. dictum est, etiam citra novam provisionem; non tamen in hoc Regno citra Regii Judicis declarationem, cui in his attribuitur judicium possessorium. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. de permutation. num. 11. 12. 13. & 16.

III. Regressus pariter admittitur ubicumque aliquis suo pristino renunciavit Beneficio ad novi Beneficii suscipiendam collationem, vel quia ambo simul sunt incompatibilia, vel quia noluit plura simul tenere Beneficia contra Ecclesiasticos Canones, vel quia noluit Collator aliter conferre, nisi prius dimitteretur, aut alia ex causa. Si ergo contingat istud novissimè collatum Beneficium evinci, is qui pristinum Beneficium pro hoc secundo capessendo dimiserat, jus habet regrediendi ad primum Beneficium, quanvis fuerit alteri collatum & possessioni datum, cap. *Si Beneficia* 20. de præbend. in 6.

IV. Tertiò etiam conceditur regressus, si contingat unum ex permutatis Beneficiis vel nova pensione onerari, vel etiam veteri pensione, modò id quando permutavit ignoraverit, ut plurimis tum Senatusconsultis, tum Regii Consilii Placitis judicatum refert Papo lib. 2. tit. de permutatione Beneficiorum 7. art. 4. & 5. Etiam excludendo possessorem, qui per resignatarii obitum impetraverat, ut solenni omnium Camerarum convocatione in Purpureis Togis decidit Parisiensis Senatus die 7. Decembris anno 1565. teste Charonda lib. 1. responsorum, cap. 24. & lib. 1. Pandectarum, cap. 11.

V. Quartò admittitur regressus, si resignatarius conventam & à Papa approbatam pensionem non solvat, modò saltem clausula regressus fuerit apposita in literis Papæ, quibus ista constituta fuit pensio. Gigas de pensionib. quæst. 99. n. 18. Azorius p. 2. lib. 8. cap. 9. quæst. 4. In Gallia clausula regressus, licèt non apposita, subintelligitur ad regressum adjudicandum contra resignatarium non solventem pensionem. Brodeus in Louetum lit. *B*, num. 13. Bonifacius lib. 2. tom. 1. Senatusconsultorum Provinciæ, tit. 10. cap. 6.

VI. Quintò in toto Galliæ Regno ei qui in infirmitate gravi constitutus resignaverit, datur regressus post valetudinem recuperatam, aut periculi cessationem, sive purè resignaverit, sive in favorem, sive simpliciter, sive sub pensionis reservatione, sive coram Legato, sive coram Ordinario, ut declaratur Edicto Ludovici VIII. anni 1638. art. 20. nec tantùm contra suum resignatarium, sed etiam contra resignatarii successorem, ut

declaravit

declaravit Toloſana Curia in gratiam Ganſardi Præcentoris Eccleſiæ Aquiſextienſis, qui metu mortis Præcentoriam cum reſervatione penſionis reſignaverat in favorem, cujus reſignatarius mox ſe eodem Beneficio abdicaverat in alterius tertii favorem. Paſtor lib. 3. tit. 9. num. 2. Quum enim aliquis non ſponte renunciavit, Clemens Papa III. concedit ei regreſſum ad Beneficium. *Nulla enim ratio* (inquit) *hoc veriſimile reddit, ut quiſquam Beneficium multis fortè expenſis & laboribus quæſitum, quo ſuſtentari debet, facilè ſine magna cauſa, ſua ſponte reſignet*: cap. *Super hoc*, de renunciat. Et formido urgentis in ægritudine mortis, ſi non adimit, ſaltem valdè minuit hominis libertatem, & adigit ad ea quæ nunquam alioqui in animum induceret, cap. *Literaturam*, de voto. Prætereà cùm omnis qui in ægritudine periculoſa renunciat, nequaquam hoc faceret ſi ſciret ſe ex illa infirmitate convaliturum, omnis quæ tunc fit renunciatio hanc ſecum tacitam involvit conditionem jure præſumptam, Niſi de hoc morbo convaluero. Prætereà rationabilior eſt cauſa ſuccurrendi ſic reſignanti quàm ei qui in ſimili conſtitutus infirmitate vovit; hic enim vovens intendit promiſſum exequi ſi convaleſcat: reſignans autem non intendit renunciare ſi convaleſcat; & nullatenus renunciaret, ſi ſe convaliturum ſciret. Et tamen d. cap. *Literaturam*, de voto, illam remittit promiſſionem expreſſis verbis Deo nuncupatam in illo qui ægritudine decumbens, mortis pavore Religionem vovit, ſi ſoſpes exurgeret. Multò ergo magis videtur remittenda reſignatio quæ nullatenus fieret, ſi quis mortem ſe ſciret evaſurum. Bonifacius tamen d. tom. 1. lib. 2. tit. 10. cap. 2. refert aliquando judicatum, non eſſe regreſſui locum, ſi fuerit reſignatum coram Ordinario: ſed communis ſententia hoc etiam extendit ad Ordinarium; licèt enim liberè conferat, non tamen confert vivente Beneficiario, niſi hic liberè reſignet: atque ita manet hîc etiam communis & fudamentalis ratio regreſſus, quod ſcilicet non reſignaſſet æger, ſi ſe ſuperſtitem & convaliturum præſciviſſet.

VII. Sexta juſti regreſſus cauſa eſt criminis capitalis accuſatio, cujus incerti ſucceſſus formidine aliquis proprium Beneficium abdicat, quod repetendi jus habet poſtquam judicium condemnationis evaſerit. Sed ne repetitionibus indulgeam, conſulito quæ hac de re accuratè pertractavi hoc ipſo lib. 2. cap. 10. num. 1. 2. 3. tam de reſignatione quæ fit pendente criminis lite, quàm quæ fit poſt condemnationis ſententiam, ſed appellatione ſuſpenſam.

VIII. Olim ad regreſſum novâ ab Ordinario proviſione opus erat, ſed hodiernâ praxi res ita geritur. Regredi volens in Regno Galliæ Judicem Regium oblato libello convenit, ejuſque decreto reſignatarium citari curat, infirmitatem præteritam Medicorum atteſtatione probat, aliamve cauſam propter quam regreſſum petit. Demùm auditis partibus & examinatis probationibus, Judex cui more Gallicano judicium poſſeſſorium attributum.

butum est, resignatarium possessione per sententiam dejicit, eamque petenti regressum adjudicat. Hic verò Ordinarium adit, à quo admittatur in pristina quibus ante resignationem potitus erat jura ordinis & sessionis & vocis in Capitulo, sine ullo retrocessu aut diminutione fructuum, atque ministerii, perinde ac si nunquam renunciasset; neque tenetur ullum pro novo ingressu vectigal Capitulo exsolvere. Louetus lit. *B*, num. 13. nec ullatenus ullâ provisione aut collatione opus habet. Oliva lib. 1. Placitorum, cap. 19. Despeisseus tract. de Benefic. tit. 11. sect. 2. art. 6. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. *Ratione personæ & rei vitiatur resignatio*, num. 19. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 8. num. 8. aliique communiter. His suffragatur lex *Qui ad tempus*, §. *Restitutus*, D. de decurion. ubi statuitur restitutum Decurionem tenere ordinem, non quasi nunc primùm nanciscatur, sed quem pridem habuit. Neque verò his obstat cap. *Ex transmissa*, de renunciat. dum sic ait: *Illum non tanquam unum de Ecclesia, sed quasi de novo recipiant in socium & fratrem.* Respondetur enim illum de novo mandari recipiendum à Papa, non ex jure, sed ex liberali gratia & pura commiseratione; quia diuturno elapso post suam renunciationem tempore eandem confirmaverat, dum ea quæ liberaliter illi Ecclesiæ contulerat, repetere, atque per insignem atque indebitam indulgentiam sibi solo pacis studio relaxata, sibi resumere non erubuit, ut ibidem dicitur.

IX. Resignatio vi aut metu extorta nulla est, cap. *Super hoc*, de renunciat. Ideoque datur resignanti regressus in Beneficii dimissi possessionem, cap. *Abbas*, & cap. *Ad aures*, & cap. *Ad audientiam*, de his quæ vi metusve causa fiunt. Si tamen metus causa levis fuerit, nec cadens in virum constantem, resignatio facta stabit, cap. *Cùm dilectus*, eod. tit. Et si qui metu adactus fuerat liberè postmodùm consenserit, reconvalescet resignatio. Rebuffus tit. de resignat. metu extort. n. 7. 8. 9. & 10.

X. Idem juris est in resignatione, cui fraus aut dolus causam dedit. Ratio est, quia illa resignatio non potest censeri voluntaria. Voluntarium enim, ut ab Aristotele definitur, est quod proficiscitur à principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio. Ea verò cognitio non potest esse in animo cui fraus aliena per mendacium aut fictionem illusit. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. de causis resignat. irritant. à num. 1. ad 12. In his causis opus ei qui resignavit incumbit probandi vim, metum aut dolum, d. cap. *Super hoc*, de renunc. Atque his casibus resignatio adeò nulla censetur ex defectu consensus, ut nec literis opus sit in integrum restitutionis; sed resignans obtinet tamen in judicio possessorio literas Regias, quibus Judici mandatur, ut si probetur vis aut metus, aut dolus qui causam resignationi dederint, nulla ejus resignationis habitâ ratione, confirmet in possessione Beneficii resignantem, aut eundem in possessionem vindicet, si fuerat spoliatus. Sed literæ istæ non sunt rescissionis, neque hîc agitur rescissorio judicio, sed perinde ac si nulla fuisset resignatio facta, cùm sit

ipso

ipso jure nulla & inanis. Rebuffus d.tit.de caus.resignat.irritant. n.11.& 12. Despeisseus tit.11. sect.2.art.5.num.8.

XI. Renunciatio à minore annis vigintiquinque facta, non est quidem hoc ipso invalida, sed cassa fiet per restitutionem in integrum, si velit resignans ab ea resilire. Rebuffus d. tit. *Ratione person. & rei vitiat. resignat.* num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Papo lib. 3. Placitorum, tit. de restitution. major. & min. in re benefic.11. art.1. Charondas lib.1.Pandect. cap.10. Louetus cum Brodeo litera *B*, cap. 7. Despeisseus art.5. num.10. penes quos hæc adstruuntur quamplurimis Senatusconsultis. Neque his obstat cap. *Si annum*, de judiciis in 6. statuens puberem posse in causis beneficialibus perinde ac si major esset annis vigintiquinque, admitti in judicio. Hoc enim cesso restat adhuc ei restitutionis beneficium, & donec obtinuerit, res per eum actæ valebunt. Si enim per se nullæ ac irritæ forent, superflua esset restitutio, sicut paulò antè monui non opus esse restitutione aut rescissione contra resignationem vi, metu, dolove extortam, quia talis resignatio per se nulla & irrita est. Et hæc quidem de jure communi, sed non de jure Francico, in quo prævalet istud effatum forense, *Nullitas in Gallia locum non habet*, sed quæcumque illa sit, reparanda est per Regias restitutionis Literas.

* XII. In actis Cleri Gallicani, tom.2. tit.22. commemoratur Supremæ Parisiensis Curiæ Senatusconsultum, ut sit norma & specimen tum juris regressus in Regno Galliæ recepti, tum resumptionis jurium omnium capitularium succedentium post resignationem ejus qui per regressum restituitur, ita ut regrediens præferatur in ordine sessionis & jure optandi, cæterisque privilegiis, prævaleatque cæteris qui post resignationem in idem Collegium recepti fuere. Ipsum verò factum est hujusmodi. Franciscus Verjusius Cathedralis Ecclesiæ Matisconensis Canonicus periculosa ægritudine conflictatus, purè & simpliciter Præbendam suam abdicavit in manus Capituli sui, quod jure veteris consuetudinis, & juxta cap. *Cùm Ecclesia Vulterana*, de elect. potitur privilegio Præbendas Canonicas conferendi. Consensu autem communi Capitulum resignatam præbendam contulit resignantis nepoti Philiberto Verjusio. Sed transactis aliquot mensibus, Franciscus ex gravi morbo convalescens abdicatam à se præbendam resumit. Cúmque post ejus in morbo resignationem alii de novo fuissent diversis provisi Canonicatibus antequam Franciscus fuisset ad pristinum Canonicatum regressus, eidem Francisco in causa contradictoria idem Senatus adversus quatuor contendentes Canonicos intermedio tempore admissos, & præsessionem, & vocis prærogativam, & jus optandi, omnemque aliam prærogativam adjudicavit perinde ac si nunquam se Canonicatu demisisset.]

CAPUT XIX.

Ad regulam, De infirmis resignantibus.

I. PLERÆQUE sunt circa rem beneficiariam regulæ Cancellariæ. Nos hîc præcipuas exequemur, quæ usu vigent in Galliæ Regno. Sunt verò istæ. 1. De infirmis resignantibus. 2. De triennali possessore. 3. De annali possessore. 4. De publicandis resignationibus. 5. De non tollendo jure alteri quæsito. 6. De verosimili notitia.

II. Regula de infirmis resignantibus his verbis concipitur: *Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis dum esset sanus signatæ, posteà infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit, ac ipsum Beneficium quavis authoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsumque Beneficium nihilominus per mortem censeatur vacare.*

III. Ut autem certa habeatur notitia diei obitus, providit Franciscus I. Edicto anni 1539. artic. 50. & 51. dum jubet in Ecclesiarum registro conscribi diem sepulturæ Beneficiarii defuncti, ipsius Parochi manu, aut alterius qui tunc existat illius Ecclesiæ Superior; necnon subscriptio adjungatur publici Notarii ad subscriptionem Parochi vel alterius Superioris. Jubet præterea art. 54. domesticis Beneficiarii defuncti sub pœna corporali, ut veniant notificatum sincerè dictis Ecclesiis prædicti obitus diem. Ipsis verò corporis defuncti recelatoribus laïcis pœnam mortis indicit, Clericis verò omnimodam exclusionem à Beneficiis defuncti, & præterea graves pecuniarias mulctas Judicis arbitrio infligendas, art. 55. Quod si ad hunc finem corpus exenteraverint, incurrunt per Extrav. 2. de sepultur. in communib. in locis in quibus hæc extravagans recepta est, excommunicationem Papæ reservatam, nec solùm facientes, sed etiam efficaciter fieri mandantes aut consulentes. In hoc Regno, aliisque pluribus locis ea pœna non est recepta: passim enim & citra scrupulum exenterantur etiam à timoratis personis defunctorum corpora, hoc est viscera eorum eruuntur, ne corpus tam citò fœteat & corrumpatur, possitque commodiùs aliò transferri. ἔντερα vox Græca nihil aliud significat, quàm viscera & intestina: Græcumque ἐξεντερίζειν nihil est quàm intestina de animali eximere, & metaphoricè medullam de planta eruere. Et ait Raphaël Tobiæ 6. *Exenterа*, hoc est, eviscera hunc piscem.

IV. Istam

IV. Istam de infirmis resignantibus regulam primus ediderat Innocentius Papa VIII. cum hac clausula, *Resignaverit sive simpliciter, sive ex causa permutationis*. Sed eam Julius III. obliteravit. Nihilominus tradit Rebuffus p. 3. tit. de infirmis resignantib. glos. 4. valere hanc regulam in casibus etiam resignationum, quæ fiunt ad permutanda mutuò Beneficia; sicque judicatum in Curia Parisiensi die Julii 12. anno 1578. refert Lepreſtre centur. 2. cap. 39. Bengeus item tract. de canonicis institutionum conditionibus, §. 10. num. 9. asserit pariter valere hanc regulam in casu etiam permutationis Beneficiorum. Addit Rebuffus loco cit. eum qui permutavit Beneficium cum ægro qui intra viginti dies excessit, non habere jus pristinum Beneficium suum recuperandi, hac ratione, quia qui cum graviter ægrotante sic permutat, præsumitur fraudem moliri in præjudicium expectantium & Ordinariorum: neque jura intendere quempiam in vitæ confinio de Beneficiis Ecclesiæ tanquam de hæreditaria portione ac successione disponere, can. *Episcopo* 1. & 2. & can. *Plerique*, & can. *Moyses*, 8. quæst. 1. Præterea huic istâ occasione permutanti imputandum est quod se ultrò huic periculo exposuerit, siquidem cogitare debuit fore, ut hic moreretur quem videbat ægritudine laborare. Itaque cap. 2. in fine, de renunciat. in 6. de renunciantibus ac permutantibus in fraudem his verbis edicit, *Ut & habita præbenda, & ambita simul omninò careant.*

V. Non sunt Doctores unanimes, valeatne regula de infirmis resignantibus, quando in resignatione clausula ista inserta fuit, *vel aliàs quovis modo vacet?* Et remedio hujus clausulæ cessare regulam istam, & resignatario jus acquiri, quanvis intra viginti dies resignans de eadem infirmitate moriatur, docet Gomesius ad regulam de verosimili notitia, num. 54. & Pastor lib. 3. de benef. tit. 2. num. 6. dummodò per fraudem non fuerit cadaver occultatum ad antevertendos omnes per obitum impetraturos. Ex adverso nullatenus per illam clausulam impediri hujus regulæ effectum, docet Rebuffus d. tit. glos. 14. num. 13. & Charondas, qui libro 1. Pandect. cap. 10. ita fuisse judicatum refert à Senatu Parisiensi: & Mainardus, qui lib. 1. cap. 59. simile profert Senatusconsultum Curiæ Tolosanæ. His accedit ratio. Cùm enim tempore resignationis non vacaret beneficium per obitum, præsumi non potest voluisse Papam conferre Beneficium per obitum dum vivit resignans, aut voluisse conferre Beneficium vacaturum, sed tantùm actu & de præsenti vacans per solam resignationem. Aliud quidem juris esset, si post mortem resignantis Papa resignatarium illum de eodem Beneficio provideret tanquam per mortem vacante, dummodò jus alteri non fuerit anteà quæsitum; sic enim fieret ut taliter provisus vero titulo niteretur, & non irritæ & caducæ resignationis.

VI. In Regno Galliæ illi viginti dies non solent computari à die præstiti per resignatorem consensus, ut vult ista regula; sed à die admissæ per Collatorem resignationis. Atque ita sæpiùs in Supremis Regni

Curiis judicatum testantur Boërius quæst. 358. & Rebuffus d. tit. glos. 10. num. 10.

VII. Quid si sanus aliquis resignaverit, & post resignationem in morbum inciderit, cujus vi decesserit intra viginti dies ab ipsa resignatione computatos? Isto casu non est huic locus regulæ expressis verbis dicenti: *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit.* Valebit itaque resignatio. Rebuffus d. tit. glos. 2. n. 2. & 14.

VIII. Regula ista etsi expressè dicat, *Si Beneficium quavis authoritate conferatur per resignationem sic factam*, non admittitur intra Regnum Galliæ in resignationibus quæ fiunt coram Ordinariis, sed ad eas solas restringitur quæ fiunt coram Papa vel Legato. Idque firmatur innumeris Supremarum Galliæ Curiarum judiciis, quibus ab Ordinario in vim resignationis provisus excluſit provisum per obitum qui contigerat intra viginti dies factæ in morbo resignationis. Sic tradunt Gallicani Authores Papo lib. 3. Placitorum, tit. de infirmis resign. 2. art. 2. Imbertus in Enchiridio, verb. *Regula Cancel. de 20. dieb.* Duarenus lib. 8. de Benef. cap. 2. §. 5. Chopinus de sacra Politia, lib. 1. tit. 6. num. 3. Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 19. & lib. 1. Pandect. cap. 10. Peleus lib. 2. action. forens. cap. 10. Louetus lit. *I*, cap. 5. Ratio differentiæ hac in re inter Papam & Ordinarios hæc est, quia plus est suspicionis fraudis coram Papa in remotis agente, nec locorum Clericos cognoscente, quàm coram Ordinariis exactiorem notitiam habentibus & rerum & Beneficiorum & Clericorum suæ Diœcesis. Quæ eadem causa est, cur non sit necessaria in Ordinariorum collationibus expressio cæterorum, quæ provisus possidet, Beneficiorum; quæ tamen omissio collationem quæ à Papa fit, invalidaret.

IX. Eadem regula nihil obest resignationibus à Rege Galliæ admissis, quando contulit jure Regaliæ. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 1. Louetus lit. *R*, cap. 47.

X. Eidem regulæ non est locus in morte civili, seu capitis diminutione resignantis. Rebuffus ad hanc regul. glos. 11.

XI. Observanda sunt verba Regulæ, *De ipsa infirmitate decesserit.* Si enim in infirmitate resignans novo occurrente casu decesserit, sive gladio, sive veneno, sive laqueo, sive ruina aliqua post paucos dies, ipsa valebit resignatio, quia de ipsa infirmitate non decessit. Itaque duo probanda sunt ad excludendum resignationis effectum: primò defunctum resignasse tempore infirmitatis suæ: secundò de eadem infirmitate interiisse intra vigesimum ab admissa resignatione diem. Rebuffus dict. glos. 11.

XII. Quid verò juris, si resignatum fuerit dum febris intermittebat, ut fit in tertianis & quartanis febribus? Ritè declarat Rebuffus glos. 2. num. 6. ad hanc regul. hanc procedere regulam, sive febris continua sit, sive intermittens ac interpolata: licèt enim accessus intermiserit, perdurat tamen habitus morbi quandiu morbificus humor persistit intra corpus.

Neque

Neque refert si tempore resignationis fuerit levis febricula, quæ non existimabatur periculosa; sufficit enim si secundùm verba regulæ decedat ex ea infirmitate: & plerumque mors sequitur ex infirmitate quæ principio levis, deinde ingravescit. Ibid. num. 5.

XIII. Summus Pontifex potest huic regulæ derogare, idque facere solet ad resignatarii petitionem, ita ut in Galliæ quoque Regno istiusmodi admittatur ob Papæ derogationem resignatio. Rebuffus ibid. glos. 2. à num. 24. ad 27. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 12. Etiam in mensibus Graduatorum nominatorum. Rebuffus d. glos. 2. à num. 27. ad fin. Charondas lib. 1. Respons. cap. 20. & lib. 1. Pandect. cap. 12. Papo d. tit. de infirm. resignant. 2. art. 5. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 5. num. 5. Quin etiam valet derogatio ista in præjudicium Indultariorum Curiæ Parisiensis, ut ex multis supremis Judiciis affirmat Bengeus de canonicis institutionum conditionib. §. 10. num. 14. Omnis enim res per quas causas constituitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de regul. jur. Ejusque est dissolvere cujus est & ligare, l. *Si puellæ*, D. de sponsalib. Et nihil tam naturale, quàm eodem genere quodcunque dissolvere, quo colligatum est, l. *Nihil tam naturale*, D. de regul. jur. Igitur cùm Papa jus condiderit, potest etiam circa idem jus ex æquitate dispensare.

XIV. Circa hoc tamen sciendum est, non esse locum derogationi aut dispensationi regulæ de viginti diebus in præjudicium ejus Ordinarii qui Cardinalitiâ dignitate præeminet. Docent enim Louetus litera *C*, cap. 15. Bengeus de canonicis institutionum conditionibus, §. 10. num. 17. & 18. & tit. de variis mod. acquir. benef. §. 10. num. 22. & 23. initum fuisse inter Paulum Papam IV. & Cardinales, ut in eorum ordinariæ collationis præjudicium neque Papa, neque Legatus dispensare valeant circa regulam istam. Iidemque affirmant indultum istud ac privilegium Cardinalium admissum fuisse & insinuatum in Magno Regio Consilio. Etenim immunitate digni sunt quos lateris Supremi Principis comitatus exornat, l. unica, Cod. de Præpos. labor.

CAPUT XX.

Prosequutio caterarum Regularum Cancellariæ in Gallia vigentium.

I. VIM habet pariter in Regno regula de publicandis resignationibus, sic statuens: *Item Dominus sic statuit & ordinavit, quod quæcumque Beneficia Ecclesiastica, sive in Romana Curia, sive extra eam resignata (nisi de illis factæ resignationes, si in eadem Curia, intra*

sex menses à data supplicationis, & non præstiti consensus computandos, si verò extra dictam Curiam factæ sint, intra mensem, ex tunc ubi talia Beneficia consistunt, publicatæ fuerint, vel possessio illorum ab eis quos id contingit, petita fuerit) si resignantes ita postmodum in eorundem Beneficiorum resignatorum possessione decesserint, non per resignationem, sed per obitum hujusmodi vacare censeantur. Collationes quoque, & aliæ quævis dispositiones illis tanquam per resignationem vacantibus factæ, & inde sequuta nullius sint roboris, vel momenti. Observa cum Flaminio lib. 2. de resignationib. quæst. 2. num. 12. & cum Azorio part. 2. lib. 7. cap. 24. quæst. 4. verba ista, *A data supplicationis, & non præstiti consensus computandos*, fuisse huic regulæ ex postfacto addita per authoritatem Pii IV. & Pii V. & Gregorii XIII. Antea enim concertabatur inter Doctores, undenam esset istud semestre inchoandum: de qua re apud Gomesium longissima extat disputatio, antequam verba illa essent huic regulæ addita.

II. Ratio regulæ istius est, ut evitetur multiplex collatio, quæ fieri posset ex ignoratione præcedentis, de qua agitur, resignationis & collationis. Prætereà ut populo innotescat quis sit ejus Pastor, aut quis Ecclesiæ Minister, ad quem ubi fuerit, recurratur. Est enim utrimque mutuæ cognitionis officium, ut pastor suas oves agnoscat, juxta illud Proverb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui:* & oves pastorem simul agnoscant & sequantur, dicente Domino nostro, Joan. 10. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, & sequuntur me.* Alia item regulæ hujus causa est, ut evitentur illæ resignationes, quæ ideò occultè fiebant, ut resignanti facilis esset ad dimissum Beneficium regressus. Huic dispositioni conformantur subsequutæ Constitutiones Pii IV. & Pii V. in Gallia receptæ contra simoniacam confidentiam.

III. In Gallia tempus sex mensium, aut unius mensis hac regula præfinitum computatur à die admissæ resignationis, & non à die præstiti à resignante consensus. Papo lib. 3. tit. *Ad regul. de publicand. resign.* 1. art. 4. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 12. Potest verò id tempus à Papa prorogari ad partis petitionem, etiam in Galliis. Boërius decis. 312. Papo dict. tit. art. 5.

IV. Quia verò dum Rex Franciæ confert per Regaliam, confert tanquam Ordinarius, provisiones ab eo concessæ publicandæ sunt intra mensem, ut sæpissimè judicatum fuit à Magno Consilio Regio. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 12. Resignatio quoque à Legato admissa publicanda similiter est intra mensem. Charondas lib. 1. responsorum, cap. 18.

V. Liquet ex illis regulæ verbis, *ubi talia Beneficia consistunt*, fieri debere publicationem in loco Beneficii, sive fiat in ipsa Ecclesia, præsente populo, sive in foro, sive in publico auditorio, ad præsentiam sive Clericorum, sive Magistratuum, sive Ædituorum, quos vulgus Matricularios & *Marguilliers* appellat, sive multorum de plebe: has enim singulas publicandi

blicandi formas admittit & probat Rebuffus p.3. tit. *Ad regul. de public. resignat.* glos.10. Et si sit impedimentum ex peste, bello, aut ex ipsius oppositæ Partis factione, vel ex justo metu, fieri potest publicatio in vicinia, juxta cap. *Quosdam*, & cap. *Quanto*, de præsumption. Rebuffus d. loco, num. 9. Ritus & forma publicationis hæc est communior & certior, si Notarius convenienti & publico in loco, præsertim (si fieri commodè potest) in Ecclesia, spectante & audiente multitudine, voce elata dicat, resignationem talis Beneficii à tali factam fuisse admissam à Papa, vel Legato, vel Ordinario, qui talem de hoc Beneficio providit; idque scripto constare, quod habet ad manum. Deinde publicationis istius actum expedit sua manu & duorum saltem testium subsignatione communitum.

VI. Non est huic regulæ locus si resignatarius suam purgaverit moram, ipsamque resignationem publicaverit etiam post semestre, vivente adhuc tamen resignante. Papo loco cit. art. 6. Charondas lib. 1. re[illegible]sorum, cap.21. Bengeus de canonicis institutionum conditionibus, §.10. num.23. & 24. Ad hoc verò requiritur ut ista publicatio diem mortis resignantis præcesserit. Licèt enim ante obitum facta sit publicatio moræ purgativa, si tamen eodem die facta sit primùm publicatio, & mox insequuta fuerit mors ipsa resignantis, nihil proderit talis publicatio, & invalida censebitur, juxta Charondam loco cit. & Rebuffum ad tit. de publicand. resignat. glos.13. num.10. & 11. Quod si aliter quàm per resignationem Beneficium vacet, non est necessaria ista publicationis solennitas, quam jus requirit in solis resignationibus ut necessariam.

VII. Quæritur utrum huic r[illegible]ulæ locus sit, non solùm in simplici resignatione, verùm etiam in Bene[illegible]orum permutatione? Probabilior est apud Doctores Gomesii responsio affirmativa, & apud Doctores Gallicanos receptior: cui evidens ratio suffragatur, quia permutatio nihil est aliud, quàm geminata & reciproca Beneficiorum resignatio. Quod autem in uno præscribitur, idem peræquè in pluribus statuendum, l. *Singularia*, D. si cert. pet. Secundò, quia regulam istam patet ideò esse sancitam, ut occurratur fraudibus, quæ in resignationes clandestinas irrepunt, ne scilicet resignantes post admissam resignationem in Beneficium resignatum se denuò ingerant, & ne faciliùs minimè ad se pertinentis Beneficii munia & fructus sibi vendicent, néve Prælati in dignoscendis subditarum Ecclesiarum Ministris decipiantur ac errent; & ne circumveniantur plebes in recipiendis Sacramentis ac ministeriis Beneficio annexis. Fit etiam fraus habentibus Expectativas, dum expectato in quod jus habent Beneficio frustrantur, quod proprietarii obitu jam vacare potuit, dum intrusus illud occupat. At verò eadem, imò majora emergunt incommoda, utpote duplicata, in permutationibus clandestinis.

VIII. Quæritur utrum hæc eadem procedat regula in Beneficiis pariter commendatis?

commendatis ? Approbamus Gomesii responsionem quæsit. 4. distinguentis inter commendas ad tempus certum limitatas , & eas quæ concessæ sunt ad vitam, seu perpetuas. Primæ sunt ad Ecclesiæ utilitatem institutæ : secundæ non ad Ecclesiæ , sed Commendatarii emolumentum. Istæ titulis æquiparantur , & publicandæ sunt ; non verò primæ.

IX. Præterea quæritur , an eadem regula vim habeat in Consistorialibus Beneficiis ? Placet negativa Gomesii responsio quæsit. 5. Cùm enim istius generis Beneficia in Consistorio ad præsentiam Principis renuntientur , satis ea ratione publicantur , argumento legis *Omnium* , C. de testam. *Omnium* , inquit , *testamentorum solennitatem superare videtur, quod insertum merâ fide precibus , inter tot nobiles , probatasque personas , etiam conscientiam Principis tenet.*

X. Quanvis autem regulæ contextus loquatur disjunctivè , *si resignationes publicatæ fuerint,vel possessio ab eis quos id contingit, petita fuerit* ; quæ causa est ut Gomesius comment. in hanc regul. affirmet alterum ex his duobus sufficere: Praxis tamen Gallicana hoc exigit, ut utrumque sejunctim fiat , scilicet publicatio resignationis , & sumptio possessionis , ut admonent Rebuffus in suis ad hanc regulam commentariis , & cum eo Bengeus loco citato. Et utique in Regno Galliæ tempus præfixum ad sumendam possessionem non est unius mensis aut semestris , sicut ad publicandam resignationem , sed triennii. Publicatio itaque fit per publicam literarum exhibitionem , atque insinuationem apud acta publica , & petitionem possessionis Beneficii , ut ibidem Rebuffus observat. Sed si ad publicandum aut exhibendum in loco ubi situm est Beneficium , non sit tutus accessus, aut apud Ordinarium , aut si Capitulum nolit admittere , sufficiet eo casu publicatio & protestatio facta apud Notarium cum duobus aut tribus testibus , quæ in tabulas publicas redigatur.Ita statuit Gallicum Edictum de parvis Datis , art.13. juxta Rebuffum ad hanc regul. glos. 9. aliosque Gallicanos Jurisconsultos.

XI. Agendum nunc de Regula Cancellariæ de annali possessore , sic statuente : *Item sanctus Dominus noster , ut improbi motus lites exquirentium reprimantur , voluit & ordinavit , quod quicumque Beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum,& quod certo modo vacare prætendit, deinceps impetraverit, nomen , gradum & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis ipse possedit,& specificam & determinatam, ex qua clarè cōstare possit quod nullum ipsi possessori in dicto Beneficio jus competat,causam in hujusmodi impetratione exprimere,& intra sex menses ipsum possessorem in judicium evocari facere,causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi debeat & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde sequuta nullius extent firmitatis , & idem impetrans de damnis & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere sit adstrictus.* Regula ista nullum annali possessori jus attribuit, vel titulum, nec

eundem

eundem à peccato (si quod contraxit) eximit: sed ei tantùm suppeditat exceptionem adversus actorem, atque repulsam, si quæ hîc mandantur non servaverit. In quo differt à regula de pacifica triennali possessione, quæ novum jus ac titulum impertit, ne quis deinceps litibus divexari possit, cùm annalis possessor hoc unum habeat, ut non ei lis intentetur, nisi servatis ab actore præfatis conditionibus.

XII. Regula hæc procedit in collationibus à Papa vel à Legato factis, non autem ab Ordinariis, ut docet Gomesius in hanc regulam, q. 9. & Azorius p.2. lib. 7. cap. 34. quæst. 5. Huic quoque regulæ Pa_ & Legatus derogare possunt per has clausulas: Quod verus vacationis modus pro expresso habeatur: aut, Quod major expressio non obstante dicta regula suppleatur.

XIII. Quod verò eadem Regula statuit, ut intra sex menses possessor in jus vocetur, & ut intra annum lis terminetur usque ad sententiam definitivam, diversa his est Gallicana Praxis ex Caroli IX. Edicto Aurelianensi, art.4. & Henrici III. Edicto Blesensi, art.46. itemque Melodunensi, art.17. Scilicet ut contra devolutarium lis intentetur intra tres ab adepta possessione menses, electo priùs ab actore domicilio, & data, consignatave pro litis sumptibus satisdatione: atque ut intra biennium lis instruatur, alioquin repellatur actor. Qui tamen excusabitur si legitimum intervenerit in prosequenda lite impedimentum, aut si reus non petierit satisdari ante litis contestationem. Hæc enim exceptio, sicut reliquæ dilatoriæ aut declinatoriæ, in ipso litis limine apponenda est, l. final. C. de exceptionib.

XIV. Exploranda nunc est Regula de triennali possessore: *Voluit & ordinavit Dominus noster, ut si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex Apostolica vel Ordinaria collatione per triennium pacificè possederit, si se non intruserit, super hujusmodi Beneficiis molestari nequeat, necnon impetrationes de Beneficiis sic possessis factas, irritas & inanes censeri decrevit.*

XV. Hæc ipsa Juris dispositio habetur pariter in Concordatis initis inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Galliæ Regem, tit. de pacificis possessoribus. Cæterùm non juvatur hoc privilegio Regularis Clericus qui seculare Beneficium triennio pacificè possederit. Illa namque triennii possessio non potest statum & incompatibilitatem mut. e Beneficii, ut multis & solennioribus Senatusconsultis judicatum refe_nt Montolonus cap.122. Brodeus ad Louetum lit. *B*, cap.12. Pastor lib.3. tit. ult. num.25. Despeisseus tit.11. sect. 3. num. 6. Idemque statuendum de Seculari, qui triennio regulare Beneficium possederit in titulum, nisi status Beneficii fuerit annorum quadraginta præscriptione mutatus, cap. *Cùm de Beneficio*, de Præbend. in 6.

XVI. Olim jus Regaliæ ab hac Regula liberum erat; reservatio enim

vacantis in Regalia Beneficii durabat annos triginta, ſecundùm Conſtitutionem Ludovici XII. atque ita docent veteres Francici Juriſconſulti Rebuffus, Papo, & alii. Verùm ſucceſſit Edictum Henrici IV. anni 1606. quo Regula iſta ad Regaliam extenditur, & declaratur proviſum quemque poſt triennii poſſeſſionem tutum eſſe contra Regaliſtas. Vide Brodeum ad Louetum lit. *V*, num. 2.

XVII. Ad triennium iſtud pacificæ poſſeſſionis non poteſt conjungi tempus præceſſoris cum tempore ſucceſſoris; ut ſi hic biennio poſſedit, non poteſt confe. ad ſuum biennium annum poſſeſſionis præceſſoris ſui: quanvis in poſſeſſionibus rerum profanarum conjungi ſoleant ex juris diſpoſitione tempora duorum ſucceſſivè poſſidentium, ad complendam præſcriptionem. Ratio hujus differentiæ in promptu eſt, quia in materia profana poſſeſſor jus habet à ſuo authore, ideóque utitur acceſſione temporis ejus, l. *Pomponius*, §. *Cùm quid*, D. de acquir. poſſeſſ. At in Beneficiis poſſeſſor jus habet non à præceſſore, ſed à Collatore; ideoque amborum tempora jungi non poſſunt. Ita docent Gloſſa Pragmaticæ Sanctionis, tit. de pacif. poſſeſſ. Gomeſius in regulam iſtam, quæſt. 13. Mainardus lib. 1. cap. 64. Rebuffus tract. de pacif. poſſeſſ. num. 321.

XVIII. Qui ſimoniacè Beneficium accepit, non juvatur iſtâ Regulâ, cùm expreſsè talem excludat. Imò verò qui per alterius ſimoniam, quam ignorabat, proviſus fuit, ſtatim atque reſciverit, tenetur ſic acquiſito Beneficio ſe abdicare, can. *Præſentium*, 1. quæſt. 5. cap. *Ex inſinuatione*, de ſimon. Attamen Gomeſius ad hanc regul. quæſt. 12. & Rebuffus tract. de pacif. poſſeſſ. num. 243. Loccius deciſ. 225. affirmant ſimoniacè proviſum ſine ſua notitia vel culpa gaudere privilegio triennalis poſſeſſoris, cùm habeat cum bona fide titulum coloratum. Cæterùm cùm ipſa regula generaliter & indiſtinctè excludat ſimoniacum ingreſſum, crediderim potiùs non poſſe juvari niſi decennii poſſeſſione, ſecundùm Mainardum lib. 1. cap. 58. Charondam in ſuis obſervat. ad regul. Cancel. ad verbum *Beneficium*, & lib. 1. reſponſorum, cap. 44.

XIX. Si quis ob juſtum impedimentum, cùm vellet, non potuerit iſtam interrumpere triennalem poſſeſſionem, quale eſt tempus hoſtilitatis, captivitatis, epidemiæ, diutini morbi; ei tamen ſubvenitur ut triennalem poſſeſſorem poſſit judicio convenire, dummodo triennio illo vel ſemel de ſuo jure & intention proteſtatus ſit eo modo quo potuit, ſive coram ipſa Parte, ſive coram Judice loci per Notarium cum duobus teſtibus: quæ proteſtatio ipſi Parti intimanda eſt, niſi publica impediat calamitas; alioqui enim non interrumperetur triennalis præſcriptio, cap. *Cauſam*, de elect. & l. *Cùm quidam*, D. de appellation. His ſuffragantur Bononienſia Concordata, tit. de pacif. poſſeſſ.

XX. Si quis à me permutatum Beneficium evincat, potero alterum à me per commutationem abdicatum Beneficium, etiam à triennali pacifico

cifico possessore repetere, juxta cap. *Si Beneficia*, 20. de præbend. in 6. Duarenus de Benef. lib. 7. cap. 12.

XXI. Sine titulo saltem colorato præscriptio ista triennalis jus nullum tribuere valet, juxta concordata Bononiensia, tit. de pacif. possess. His consonat cap. 1. de regul. jur. in 6. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institutione obtineri. Possessio itaque illa triennalis non attribuit titulum, sed illum roborat, qui alioquin invalidus esset. Titulus verò coloratus est, qui speciem habet justi & canonici tituli; sed tamen per se inutilis est, & inefficax ad juris attributionem, propter aliquod juris impedimentum. Et sine titulo, vel justo & canonico, vel saltem colorato, triennalis possessor habetur pro intruso. Papo lib. 8. placitorum, tit. 9. Antonius Faber in suo Codice, lib. 1. tit. 2. definit. 5. Ut discernatur titulus coloratus à non colorato, qui sanè ad hujus Regulæ beneficium non pertineret, Gomesius ad hanc regulam, quæst. 27. sapienter asserit, possessionem illam titulo niti colorato, ubicumque defectus non inest in conferente; sed si conferens caret potestate, nullum fore titulum coloratum, sed prorsus irritum ac inanem, ut si conferens sit laïcus, aut si sit Episcopus alienus, tunc ab illo provisus censebitur intrusus, neque poterit istius Regulæ præsidio juvari. Idem docet Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 45. * In summa Rebuffus tract. de pacif. possessor. num. 206. & seqq. docet, spurium, laïcum, fœminam, digamum, conjugio alligatum, hæreticum, corpore vitiatum, Clericum sæcularem regulari, aut regularem sæculari Beneficio provisum, homicidam, excommunicatum, aliosque irregulares non posse juvari regulis sive annalis, sive triennalis possessionis pacificæ. Non enim jura Ecclesiastica illos intendunt favoribus prosequi, & à gravioribus irregularitatibus eximere, quas eadem jura iis qui graviorum delictorum rei sunt inflixere. Hæc eadem docet pariter Azorius part. 2. lib. 7. cap. 35. Et prorsus indignum ac perniciosum esset, si Prælati cum gravissimo Ecclesiarum scandalo tolerare cogerentur quoscumque procaces, irregulares, scandalosos & incorrigibiles, in ipsis etiam sacratioribus Sanctæ Ecclesiæ ministeriis.]

XXII. Alia receptissima, utpote manifestam referens æquitatem & justitiam, Regula Cancellariæ est de non tollendo jure alteri quæsito: quâ sancitur, ut si Papa aliquam Præbendam à se alicui adhuc viventi collatam alteri de novo conferat, nec ille cui priori contulit, fuerit juridicè depositus, secunda ista collatio prorsus irrita sit. Et conformatur juri communi, quo rescriptum secundum ab aliquo in uno eodemque negotio obtentum in præjudicium antecedentis rescripti ab altero obtenti, invalidum sit, & præsumatur indubitanter subreptitium, cap. *Cæterùm*, de rescript. cap. *Cùm olim*, de sent. & re judic.

XXIII. His subjungimus in Gallia quoque receptam Cancellariæ Regulam de verosimili notitia, quæ collationem vacantis per obitum Beneficii

neficii reddit invalidam, si inter obitum & collationem non interfuerit sufficiens intervallum ad habendam obitus notitiam, eamque collatori notificandam. Et procedit hæc Regula in quibuscumque collationibus, tum Apostolicis, tum Ordinariorum. Deselva 3. p. quæst. 46. Renatus Chopinus libro de sacra Politia, cap. 3. num. 16. & Philippus Decius consil. 398. Alioqui nulla est collatio: & valet Regula ista non solùm in vacatione per obitum, sed etiam in vacatione per sententiam depositionis aut privationis: à qua sententia, quemadmodum & à momento obitus, decurrere incipit tempus verosimilis notitiæ, habita ratione locorum distantiæ.

XXIV. Ne fraus ulla huic Regulæ fiat, cautum fuit Edicto Francisci I. anno 1539. ut in Ecclesiæ tabulario conscribatur dies sepulturæ defuncti Beneficiarii, cui subscribat Parochus, aliusve Superior Ecclesiæ, necnon Publicus Notarius, art. 50. & 51. Jubet insuper art. 54. domesticis defuncti Beneficiarii sub pœna corpori infligenda, ut Ecclesiæ sincerè significent diem ac horam obitus. Ac ipsis corporis recelatoribus laïcis pœnam mortis indicit. Clericos autem cadaveris recelatores, aut recelationis cooperatores & conscios excludit penitus à quibuscumque defuncti Beneficiis, mandatque Judicibus ut mulctas pecuniarias eisdem infligant, art. 55.

*CAPUT XXI.

De jure Præventionis: de partibus Supplicationis beneficialis, & de Signaturis.

I. POTESTATE gaudet Summus Pontifex in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum quoslibet Ordinarios præveniendi; adeò ut si ambiguum sit quænam fuerit prior provisio, an Papæ, an Ordinarii circa idem pluribus collatum Beneficium, præferendus quidem ille sit qui prior inivit possessionem. Sed si hoc quoque ipsum sit ambiguum, aut si neuter possessionem adivit, præferendus ille sit, qui à Majori, hoc est Apostolica Sede provisionem habuit, cap. *Si à Sede Apostolica*, de præbend. in 6. Jus istud omne aboleverat Concilium Basileense, & in eo procusa Sanctio Pragmatica, tit. de collation. §. *Item circa*, eo quòd omnia referret ad electionem, & non ad unius arbitrium. Sed per Concordatum jus istud præventionis revixit, tit. de Mandatis Apostolicis, §. *Declarantes*.

II. Hoc idem jus Ordinarios præveniendi competit pariter Legatis Apostolicis in provinciis sibi commissis, d. cap. *Si à Sede Apostolica*. Sed non

non extenditur ad Nuncios Apostolicos, nisi mittantur cum potestate Legatorum à latere. Gloss. in d. cap. *Si à Sede Apostolica.*

III. Cessat præventio si coram Ordinario res inchoata sit, quanvis nondum integra; ut si coram eo Beneficium resignatum sit, necdum collatum; aut si ab eo collatum sit Beneficium vacans, sed is cui collatum est, sive per absentiam, sive alia ex causa, nondum acceptaverit, cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. Debet verò intra tempus ab Ordinario præfixum acceptare, sed non ultra semestre, alioqui jus devolvitur ad Superiorem. Et si ab Ordinario intra sex menses collatum fuerit incapaci Beneficium, vel contra formas juris, non recurritur ad Papam, neque ad Legatum, jure præventionis, sed ad proximum Superiorem jure devoluto.

IV. Patronus Laicus intra tempus præsentandi præveniri non potest, sed potest à Papa præveniri Ecclesiasticus Patronus cum derogatione pro illa vice. Tempus præfixum Patrono Laico ad præsentandum est quadrimestre, Ecclesiastico autem semestre, cap. unico de jurepatron. in 6. Sed si Patronus intra debitum tempus Ordinario præsentaverit, non admittitur ulla præventio, quanvis sit jusPatronatus Ecclesiasticum, cui potest Papa vel Legatus derogare. Summa ratio est, quia præventio non procedit quando jam res fuit inchoata, quanvis nondum integra, seu ad perfectum adducta. Louetus lit. *P, num.* 15.

V. Graduati etiam postquam insinuaverint, nondum tamen Beneficium vacans petierint ac requisierint, possunt à Papa præveniri. Rebuffus in Concordatum, tit. de Mandatis Apostolicis, §. *Statuimus*, Brodeus ad Louetum lit. *P*, num. 43. Sed postquam Graduatus requisiverit coram Ordinario, nullus est præventioni locus, ut sanxit Ludovicus XII. Edicto anni 1498. artic. 14. Quia scilicet res alibi jam inchoata fuit. Requisitio porrò fieri debet à Graduato intra semestre, quo elapso non ampliùs audietur. Rebuffus tract. Nominationum, quæst. 17. num. 3.

VI. Indultarii eodem jure potiuntur quo Graduati; à summo enim Pontifice præveniri possunt etiam post insinuationem indulti sui, sed nullatenus postquam Beneficium vacans requisierint. Debet verò Indultarius Beneficium vacans requirere intra mensem à die notitiæ vacationis, ut præventionem excludat. Clement. unica, de concess. præbend. quo loco Gloss. in verb. *Intra mensem*, dicit terminum mensis invaluisse de stylo, & more Curiæ. Papo lib. 2. placitorum, tit. 6. Conceditur tamen semestre ad conferendum.

VII. Ordinarii collatores, si Cardinalitia dignitate præfulgeant, non possunt à Papa vel Legato præveniri, juxta Indultum eis privilegium à Paulo IV. quod fuit in Magno Regio Consilio Lutetiæ publicatum & receptum, ut scribit Louetus lit. *C*, num. 15. Chopinus de sacra Politia, lib. 2. cap. 6. num. 1. Hujus Indulti verba latè se extendunt. *Non possunt*, inquit, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præveniri in Beneficiis ad collationem*

eorum conjunctim vel divisim, nominationem, electionem, præsentationem, institutionem, & aliam quamcunque dispositionem pertinentibus. Ex his itaque infertur, quod à præventione servatur juspatronatus etiam Ecclesiasticum, ubicumque Cardinalis potest instituere. Item quod Capitulis & Monasteriis quibuscumque servatur immune à præventione jus eligendi & conferendi, quoties idem cum eis conjunctim jus competit Cardinali. Atque in his magis dignum trahit ad se minùs dignum, suoque roborat & exornat privilegio, cap. *Quod in dubiis*, de consecr. Eccles. & l. *Quæ religiosis*, D. de rei vindicat. & l. *Quæritur*, D. de stat. hom. * Istud verò Eminentissimorum Cardinalium privilegium, ut in collatione Beneficiorum præveniri non possint, hoc ipso quo hæc scribo anno 1684. judicio Amplissimi Regii Consilii confirmatum fuit, vacante per Curionis obitum Pelissana Parochia. Abbas Montis Majoris ad eam Ecclesiam tanquam Patronus primùm nominavit Moriesum Sacerdotem, deinde Jacobum Michaëlem. Moriesus nominationis suæ schedulam Vicelegato Avenionensi obtulit, Michaël verò Aquisextiensi Archiepiscopo Hieronymo Grimaldo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui ipsum conjunctim cum Metropolitano instituit; Moriesus autem à Vicelegato Literas retulit collationis ejusdem Parochiæ. Inde inter ambos lite mota coram Supremo Regis Consilio, adjudicata est Michaëli Parochia Pelissana, Moriesus autem in omnes expensas damnatus die 25. Septembris, anno 1684. hac addita ratione, quia intra sex annos vacans Beneficium, adversùs indultum Cardinalibus privilegium præveniri non potest, etiam coram Papa, sive Cardinalis solus conferat, sive cum Capitulo conjunctim; minùs enim dignum à digniore secum conjuncto trahitur & elevatur.]

VIII. Non admittitur præventio tam Papæ quàm inferiorum collatorum, ubi statuto, consuetudine, vel privilegio jus conferendi divisum est inter Episcopum, vel Abbatem & Capitulum, vel inter Papam & Episcopum aut Abbatem; & alternatim, aut per turnum, ut dicunt, seu per vices fit collatio, ut est usus in Britannia Armorica provincia Gallicana, ubi Papa collatione Beneficiorum potitur solus, quæ mensibus octo vacare contingit; Ordinarii verò conferunt reliquis quatuor anni ejusdem mensibus, ut ait Chopinus lib. 1. de sacra Politia, tit. 7. num. 21. Similes quædam mensium anni partitiones circa collationes Beneficiorum aliis quibusdam in locis vigent inter Papam & Ordinarios, ita ut sese invicem prævenire non possint. Gonzalez ad regul. de alternativa, glos. 10. n. 30. Mohedanus decis. 72. de Præbendis.

* IX. Plerumque fit, ut Clericus dum extrema conflictatur ægritudine successorem sibi quærat, beneficium in illius favorem resignando apud Papam vel Legatum, & deinde moriatur necdum expletis viginti à renunciatione diebus: interim verò provideat Ordinarius de eodem Beneficio per obitum; sed non multò post perlatis à suprema Sede provisionibus

in

in favorem resignatarii, cum dispensatione à regula viginti dierum, nascatur litigium inter resignatarium & provisum per obitum, utri ex duobus sit Beneficium adjudicandum ? Joannes quidem Papo lib. 2. Placitorum, tit. 8. art. 15. Pastor lib. 2. tit. 17. num. 4. Rebuffus in Praxi Benefic. ad regul. de infirm. resignant. gloss. 14. num. 6. & 7. idemque tract. de pacific. possessor. num. 391. unanimes adstruunt præferendum esse resignatarium à Papa, Legatove provisum, ob superioris Sedis prærogativam, conformiter ad cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. His additipulantur pleraque Senatusconsulta; Rebuffus enim profert in tract. de pacific. possessor. Parisiense anni 1542. in vigilia Sancti Matthæi Apostoli, quanvis in illa causa provisum per obitum ab Episcopo constaret eam retulisse provisionem horâ sextâ matutinâ, eodemque die (sed nihil de hora constaret) resignatarius fuisset à Summo Pontifice promotus. Papo quoque tribus aliis nititur Senatusconsultis, uno Tolosanæ Curiæ, duobusque aliis Curiæ Burdigalensis, uno quidem Maii 23. anno 1514. altero Februarii 1. anno 1532. Sanè ubicumque certò non constat admissam esse à Summo Pontifice resignationem mortuo resignante, jura præsumunt fuisse ab eodem admissam, illo adhuc vivente.

X. Cæterùm ubi liquidò constaret de oppositò, nulla esset habenda ratio Pontificiæ provisionis, quantumvis in ejus Literis apposita foret clausula, *Vel aliter quocumque modo vacet Beneficium*; sed prævaleret provisio per obitum ab Ordinario facta, ut rectè docet Rebuffus in Praxi, loco cit. num. 13. hac ratione, quia tempore resignationis Beneficium non vacabat per obitum : ergo non videtur, neque præsumitur, Papam per obitum contulisse, qui nondum contigerat; aut intendisse Beneficium conferre vacaturum, sed tantummodò vacans, juxta cap. 1. de concess. præbend. quo viventis Beneficium conferri prohibetur : totaque illius clausulæ vis ad eum dumtaxat extenderetur effectum, quo prætenderetur incapacitas ad id Beneficium in persona resignantis ob contractam excommunicationem, irregularitatem, aliudve impedimentum.]

XI. Sive jure præfato præventionis, sive jure devoluti, sive ex necessitate dispensandi recurratur ad Papam aut Legatum in causis beneficiariis, contexenda primùm est in scriptis supplicatio, in qua desideratur Collatoris aut dispensatoris signatura. Primùm quidem in supplicatione fit rei, de qua Collator certificandus est, narratio; proponitur deinde supplicis desiderium, & subjiciuntur demùm clausulæ ad effectum gratiæ quæ postulatur necessariæ. Collatori ante omnia notificatur supplicis persona nomine proprio & cognomine, loco originis, diœcesisque, & Clericaturæ ac Ordinum, si quos habet, designata. Hoc tamen ultimum de Ordinibus non est semper necessarium, ut neque Nobilitatis, aut Gradus Doctoratus, alteriusve licentiæ expressio, nisi fortè petitum Beneficium hujusmodi qualitates requirat.

XII. Hoc

XII. Hoc tamen in genere præmonendum duco, quod error nominis, aut falsa demonstratio, quæ contingere facilè in supplicationibus possunt, non officiunt, modò satis de re, vel persona constet, cap. *Significante*, de rescript. & l. *Falsa demonstratio*, D. de condition. & demonstr. l. *Patronus*, §. 2. D. de legat. 3. & l. *In venditionibus*, D. de contrahend. empt.

XIII. Si petitur rescriptum in forma gratiosa, non verò in forma pauperum, debent necessariò in supplicatione sigillatim exprimi cætera Beneficia, quibus supplicans est provisus; dignitasque, & valor eorum, quantulacunque sint, cap. *Ad aures*, de rescript. cap. *Si motu proprio*, de præbend. in 6. Glossa Pragmaticæ Sanctionis, tit. de collation. §. *Item quod universitas*, Rebuffus in Praxi, tit. *Forma novæ provisionis*, Louetus lit. *B*, num. 3. sive orator de Beneficiis illis provisus sit in titulum, sive in perpetuam commendam; non est enim necesse exprimere commendam ad tempus, cap. *Postulasti*, de rescript. Insuper necesse est ut exprimat orator Beneficia sibi collata, quorum provisionem nondum acceptavit, nisi eum probabilis ignorantia facti excuset. Debet pariter Beneficia quibus spoliatus fuit, exprimere, si spes ei affulget postliminii; sed non ea, quibus per Judicis sententiam depositus fuit, si sententiæ acquieverit. Felinus in cap. *In nostra*, de rescript. alioqui subsequens collatio impugnari poterit ut obreptitia.

XIV. Præstimonia verò, si qua habet, non tenetur exprimere, neque pensiones Ecclesiasticas quas habet etiam ad vitam; hæc enim propriâ Beneficiorum appellatione minimè comprehenduntur. Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 133. Nec etiam tenetur exprimere Nominationes, Expectativas, aut Indulta, per quæ jus habet ad Beneficium acquirendum; hæc enim non attribuunt jus in re, sed solùm ad rem, neque Beneficii appellatione censentur. Neque obstat, quod istorum expressione potest fieri difficilior Collator ad annuendum; non enim omnia quis tenetur exprimere quæ remoram aliquam possent ingerere, sed sola illa quorum reticentia invehit juris impedimentum.

XV. Sed si rescriptum, vel signatura petitur in forma pauperum, debent non solùm exprimi sigillatim quæcumque aliquis habet Beneficia, sicut requiritur in forma gratiosa communi, sed præterea quæcumque pensiones, præstimonia, Beneficia manualia, hoc est, quæ ad nutum Superioris adimi, & in alios transferri possunt: itemque Indulta, Nominationes, præsentationes ad futura Beneficia. Præterea ipsum oratoris patrimonium exprimi necesse est; alioquin erit obreptitium rescriptum, utpote contra formam privilegii & Collatoris intentionem obtentum, cap. *In nostra*, & cap. *Postulasti*, de rescript.

XVI. Multis tamen casibus etiam in gratiosa concessione non exigitur Beneficiorum expressio, aut certè omissa suppletur. Primò si collatio

fiat

fiat à Papa motu proprio, ac sine prævia supplicatione, cap. *Si motu* 23. de præbend. in 6. & Clement. *Si Romanus*, eod. tit. Quæ enim Papa per se ac motu proprio largitur, arguunt ejus propensum & benevolum animum dispensandi super formis Juris, & ut concessum sponte à se Beneficium sit permansurum, cap. *Decet*, de regul. jur. in 6. Verumtamen si per concessionem factam motu proprio Papæ concurrant duo simul incompatibilia Beneficia, non censebitur voluisse in isto canonico impedimento dispensare. Neque etiam quando provisus est inhabilis, dispensari præsumitur ab inhabilitate per istiusmodi proprium motum. Ancharanus consil. 137. Decius in cap. *Ad aures*, de rescript. Rota decis. 112. in novis.

XVII. Secundò in collationibus Ordinariorum Prælatorum Papâ & Legato inferiorum non exigitur aliorum Beneficiorum expressio. Clement. unica, de offic. jud. ordin. Quia præsumunt Jura de Ordinariis, quod Clericos sibi subditos, & sibi subjectarum Ecclesiarum statum accuratè cognoscant. Id verò non præsumitur de Papa vel Legato, ob ipsorum districtûs amplitudinem.

XVIII. Tertiò si collatio fiat à Rege jure Regaliæ, non desideratur aliorum Beneficiorum expressio. Rex enim his regulis non adstringitur. Joan. Galli quæst. 170.

XIX. Quartò si Beneficium petatur ex causa permutationis, reticentia cæterorum Beneficiorum nihil nocet impetranti. Joan. Galli ibid. Quia cùm præcedenti Beneficio se abdicet, non augetur numerosiore quàm anteà Beneficio apud Papam. Tutiùs tamen sibi consulet, si cætera recenseat Beneficia, ad præcavendum etiam cavillationes & injusta litigia.

XX. Si clausula apponatur in Signatura, quod obstantia oratori habeantur pro expressis, poterit omissio ista suppleri in Bullis, modò jus non sit alteri quæsitum. Et ista clausula de stylo Curiæ in Signaturis apponi solet.

XXI. Sextò justa & probabilis ignorantia facti impetrantem excusat, ut si Beneficium tacuerit quod nondum acceptaverat, & sibi collatum ignorabat. Id exprimit cap. *Gratia*, de rescript. in 6. Juris autem ignorantia, & procuratoris culpa minimè excusant. Gloss. in cap. *Si motu proprio*, de præbend. in 6.

XXII. Septimò Beneficium alteri Beneficio unitum, ut est Præbenda Canonicatui unita. Expressò enim principali veniunt accessoria. Rota decis. 319. in antiquis. Rebuffus in Concord. tit. de collationib. §. 1. Deselva p. 3. quæst. 17.

XXIII. In supplicatione debent explicari qualitates vacantis quod petitur Beneficii, locus, diœcesis, titulus, redditus annui, si Beneficium sit curatum, aut non, si Dignitas, si Personatus, si sit Ecclesiæ Cathedralis, cap. *Ad aures*, de rescript. cap. *Quanvis*, de præbend. in 6. Erronea tamen annui valoris expressio nihil nocet, & juxta stylum Curiæ sufficit

expreſſio communis valoris. Idque præſertim obtinet in Gallia, ubi Regula de exprimendo valore creditur introducta ad taxandas annatas, quæ non recipiuntur in Galliæ Regno, niſi quoad ſola Beneficia Conſiſtorialia. Si dixerit orator eſſe Beneficium curatum, quod tamen eſt ſimplex, non obſtabit hic error; quia Papa illud faciliùs contuliſſet ut ſimplex, cùm contulerit ut curatum. Rota deciſ. 563. in antiquis.

XXIV. Quando Beneficium eſt juriſpatronatus, id exprimi in ſupplicatione neceſſe eſt, ſive ſit juriſpatronatus Eccleſiaſtici ac Clericalis, ſive Laïcalis. Ratioque eſt, quia juri laïcali Papa non derogat, can. *Decernimus*, 16. quæſt. 7. Juri verò Clericali non præſumitur velle derogare, niſi hoc fuerit in ſupplicatione expreſſum & poſtulatum, cap. *Dilectus*, de offic. Legat.

XXV. Mentio quoque facienda eſt obſtantis conſuetudinis, Statuti, Indulti, & ſi Beneficium ſit electivum aut reſervatum, ſive generali, ſive particulari reſervatione. Rota deciſ. 257. in antiquis. Alioqui enim Papa non cenſetur his voluiſſe derogare, cap. *Cùm in illis*, de præbend. & cap. *Cùm in aliquibus*, de reſcript. in 6. Item ſi Beneficium pertineat ad familiarem Papæ vel Cardinalis, id neceſſe eſt exprimi, quia Cardinalibus indultum eſt ut de Beneficiis familiarium ſuorum provideant. At Papa non cenſetur velle derogare reſervationibus, indultis, aliiſve privilegiis, niſi fuerit expreſſum.

XXVI. Si Beneficium datum ſit in commendam, facienda eſt oratori qui petit de eo provideri, Commendæ mentio, ſive illa ſit ad tempus, ſive ad vitam. Alioqui non cenſetur Collator velle commendam revocare, & Commendatario præjudicare. Deſelva p. 3. quæſt. 11. num. 14.

XXVII. Si petitum Beneficium ſit regulare, & ſupplicator ſit Secularis; aut ex adverſo, ſi Regularis petat Beneficium ſeculare, hoc diſcrimen eſt neceſſariò in ſupplicatione exprimendum. Cùm enim hæc ambo Canonibus prohibeantur, nunquam cenſebitur Collator his voluiſſe derogare, niſi contrarium per diſertam horum impedimentorum expreſſionem comprobetur. Idemque ſtatuendum, ſi Regularis regulare quidem Beneficium, ſed diverſi à ſuo Ordinis ac inſtituti, ſibi poſtulet conferri, cap. *Cùm de beneficio* 5. & cap. *Cùm ſingula* 32. § *Prohibemus*, de præbend. in 6. Non enim confundenda ſunt diverſorum Ordinum aut Monaſteriorum jura, & ſinguli Monachi ſuis Monaſteriis ſunt adſcripti.

XXVIII. Ordinarii provident Eccleſiis nullâ ſupplicatione porrectâ. Papæ verò, vel Legato neceſſe eſt fieri in ſcriptis ſupplicationem. Ordinarii item provident expeditione Literarum, in quibus præmiſſo proprio nomine & dignitate, ſalutant nominatim Clericum proviſum cum ſuis qualitatibus deſignatum: ejus bonos mores & habilitatem commendant, quibus meritis adducti Beneficium ſeu Eccleſiam expreſſione tituli & loci & modi quo vacat, deſignatam prænominato conferunt cum ſuis omnibus juribus

&

& pertinentiis. Quapropter omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, necnon publicis Notariis & Tabellionibus mandant ut præfatum provisum facto accessu ad eandem Ecclesiam inducant in Beneficii possessionem, amoto quolibet injusto detentore. Denique clauduntur Literæ clausulâ istâ: *In quorum omnium & singulorum fidem præsentes literas collationis & provisionis fieri, & per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi & publicari fecimus ac mandavimus, nostrique sigilli magni jussimus appensione muniri. Datum Aquisextiis, die 6. Martii, anno 1650. præsentibus testibus Joanne Lutro Presbytero, & Petro Rutino mercatore, vocatis testibus ad præmissa. Ludovicus Bretellus Archiepiscopus Aquensis. De mandato Illustrissimi Domini Archiepiscopi: Jacobus Faber Secretarius.*

XXIX. At verò apud Papam vel Legatum circa Gallicana Beneficia jus solâ Signaturâ quæritur, quæ ad supplicationem apponitur, & scribitur in papyro sine ullius sigilli appositione. Cæteris verò in locis servanda est Cancellariæ regula 28. declarans Signaturam sine Bulla nullam facere fidem. Ipsa verò Bulla scribitur in membrana, & sigillo munitur. Sed in Gallia non recurritur ad Bullas post obtentam Signaturam, quæ sufficit apud nos ad Beneficii possessionem impetrandam, & sic evitantur magni sumptus. Verumtamen ad Consistorialia Galliæ Beneficia Bullæ necessariæ sunt.

XXX. Ad evitandam falsitatem vel fraudem novissimè constitutum fuit Edicto Ludovici XIV. mensis Aprilis anni 1667. ut nulla fides habeatur Signaturis, Bullis, aliisve Romanæ Curiæ expeditionibus, nisi verificatæ sint duorum Nummulariorum, sive Expeditionariorum certificatione ad ipsum originale scripta, tit. 15. art. 8. ejusdem Edicti.

XXXI. In Gallicano foro istud usu receptum est, ut si Datarius latitet, aut librum Datarum exhibere recuset, neque velit parvam datam postulanti concedere, ipsa ejus evasio & negatio pro Data sumatur, modò de recusatione illius constet per assertionem sive Apostolici, sive Regii Notarii, duobus testibus roboratam. Pastor libro 2. de Benefic. tit. 1. num. 5.

XXXII. Jus verò illud per Datam quæsitum conditioni subjacet, Si impetrans intra præfinitum tempus oblatâ supplicatione, signaturam Collatoris, & gratiam obtineat; cujus conditionis defectu fit caducum. Id tempus olim mense finiebatur apud Legatum, & quatuor mensibus apud Sanctissimum. Sed hodie in Gallia non nisi bimestri desinit apud Legatum, & semestri apud Papam, juxta Regis Henrici II. Constitutionem, quâ tempus insinuationis Literarum Beneficialium eodem spatio circumscribitur. Rebuffus lib. 1. Praxis, tit. de parva data, num. 3.

XXXIII. Insuper caduca fit Data morte impetrantis, aut capitis diminutione, quæ est juridica infamia, aut superveniente excommunicatione. Data quippe ipsa nihil attribuit juris in re, sed tantùm ad rem,

quemadmodum ſimplex electio, aut Patroni præſentatio. Idcircò ante ſignaturam obtentam impetrator Datæ nihil prorſus agit cedendo, aut in alterius gratiam renuntiando. At verò morte Papæ aut Legati, Datæ ab his conceſſæ non fiunt caducæ, quia Dignitas nunquam deperit, cap. *Quoniam*, de offic. judic. deleg. & l. *Quod Principi*, D. de legat. 3. Sed ſolent literæ à ſucceſſore expediri, commemoratione facta Datæ anterioris, à qua tempore retroacto vires ſumunt: quemadmodum Papâ aut Legato mortuo poſt Signaturam conceſſam, literæ ſolent à ſucceſſore expediri juxta tenorem Signaturæ, in forma, *Rationi congruit.*

CAPUT XXII.

Recenſentur ea quæ poſt proviſionem Beneficii facienda ſunt.

I. POST habitam de Beneficio proviſionem debet curare proviſus, ſive à Papa vel Legato, ſive ab Ordinario, ut hæc proviſio inſeratur in Acta publica apud Tabularia illa, quæ Gallicè vocantur *Greffes des inſinuations*, ſtabilita ab Epiſcopis intra ſuas Diœceſes, juxta Edictum Henrici II. anni 1553. art. 1. Et ſiquando iiſdem proviſionibus duo pluráve diverſis in Diœceſibus ſita Beneficia collata fuerint, fieri debet inſinuatio, Gallicè *l'Enregiſtrement*, in tabulariis totidem diœceſum, quot fuere collata diſſita hujuſmodi Beneficia, ut ibid. edicitur, art. 2. Hæc verò inſinuatio, ſi proviſio fuerit expedita in Romana Curia, facienda eſt intra ſex menſes à die proviſionum computandos, d. art. 2. Sed ſi facta ſit proviſio per Legatum, vel Ordinarium, debet inſinuari intra duos menſes, art. 4. ejuſdem Edicti. Sed ſi proviſum fuerit de Beneficio in ipſo loco ubi conſtitutum eſt illud inſinuationum Tabularium, neceſſe eſt fieri hanc inſinuationem intra dies octo ab ipſius proviſionis data, d. art. 4. Theveneus ſcribens in hoc Henrici II. Edictum ſapienter admonet, non ideò vacare Beneficium, ſi intra præſcriptos illos temporum terminos omiſſa fuerit inſinuatio, ſed facilè iſtam purgari moram depromendo ex Cancellaria Regias reſtitutionis Literas adverſus temporum lapſum.

II. Secundo loco curandum eſt, ut publicetur reſignatio facta in Curia Romana intra ſex menſes, facta verò extra Curiam Romanam intra unum menſem à die reſignationis admiſſæ, ſecundùm Galliæ Praxim, quanvis alibi, juxta quod exprimitur in Regula de publicandis reſignationibus, computandum ſit utrumque, & menſis, & ſemeſtris tempus à die, ſeu à Data ipſius

ipsius supplicationis, ut suprà monui, cap. 20. num. 3. Si verò extra Curiam Romanam facta sit resignatio, computandum est spatium unius mensis, quemadmodum & in collationibus quæ à Rege fiunt per resignationem tempore Regaliæ, aut quocumque tempore quoad illa Beneficia quæ Rex pleno jure confert. At verò si aliter quàm per resignationem Beneficium vacet, sive per mortem, sive propter delictum, sive per defectum promotionis ad Ordinem requisitum, sive alio quovis diverso à resignatione modo, nullus erit huic publicationi locus.

III. Tertiò is qui provisionem Beneficii impetravit, tenetur antequam possessionem adeat, se proprio Prælato præsentare, ut est Episcopus, aut hoc absente Vicarius Generalis, ad subeundum examen, & obtinendum quod vocant *Visa*, vel Annexam. Testatur Oliva lib. 1. placitorum, cap. 16. & ex eo Despeisseus, fuisse declaratam irritam Beneficii provisionem in eo, qui hac neglecta obligatione possessionem Beneficii adiverat. Ibidem Oliva scribit, & post eum Despeisseus, judicio supremi Tolosani Senatus fuisse decretum eum, quem alibi provisum, putà in Romana Curia, noluit Ordinarius suus admittere ad examen, aut concedere *Visa*, posse recurrere ad quemvis Episcopum, ad evitandas graviores impensas, neque adstringi ad recurrendum ad Superiorem, putà Metropolitanum aut Primatem. Verumtamen foret hæc licentia pessimi exempli, omnemque hierarchicum ordinem susdeque everteret. Quis enim talem contulit potestatem alieno Episcopo erga Clericum sibi non subditum? Quidquid verò sit de illo unico Tolosano Senatusconsulto, nullateuus illud trahi debet ad jura & consuetudinem, sive Regni, sive Tolosani districtus; neque fas est Catholico & sapienti viro tantam perversionem approbare, aut in exemplum proponere. Idque perinde esset ac si actor, cui suus immediatus Judex superiori tribunali subalternus non satisfaceret, cùm ex Juris ordine posset ad Tolosanum Senatum appellare, prætexeret longiores moras & impensas, eoque prætextu attentaret provocare ad alterum sibi commodiorem Judicem subalternum, qui neque in ipsum actorem, neque in Judicem, de quo conqueritur actor, ulla polleret jurisdictione. Adeò necesse est, ut cum magna discussione & maturitate, præsertim verò in Ecclesiasticis causis judicia procedant. Porrò examinis ad provisionem Beneficiorum tanta est necessitas, ut Edictum Molinense Caroli IX. anni 1566. jubeat articulo 5. ipsos quoque Graduatos ab Universitatibus nominatos, in quibus illi Gradus susceperunt, examinari ab Ordinariis antequam de beneficiis provideantur. Ista processus pars dicitur *Visa*, quia ex officio testatur Prælatus visum à se atque examinatum Beneficii impetratorem aut petitorem. Et si contingat istum à Prælato rejici ut incapacem, nec iste velit huic repulsæ acquiescere, debet provisus à Papa vel Legato, aut etiam is qui petit à suo Ordinario de aliquo Beneficio provideri, actum repulsæ ab eodem petere, ut sibi per appellationem provideatur. Debetque Ordinarius

petitum actum concedere, causasque suæ repulsæ allegare speciatim, ut Superior ad quem provocatur, causas repulsæ agnoscat, & his discussis de appellatione pronunciet. Id sancitur Edicto Blesensi ab Henrico III. artic. 13. Sed quum Ordinarius proprio motu aliquem promovet ad Beneficium, non opus est examine, neque id fert consuetudo; non enim nisi benè notos & probatos eligit ad regimina Ecclesiarum, ut non sit opus eos de novo discutere.

IV. Quartò edenda est à proviso professio fidei in manus Ordinarii, quæ postmodùm in actis publicis insinuetur. Et si agatur de Dignitate, Personatu, Officio, vel Præbenda Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, iteranda erit similis professio fidei coram Capitulo. Hæc præcipit Concilium Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. & memorata Constitutio Blesensis art. 10. Facienda verò est ista fidei professio à præsente ante aditam possessionem, ab absente autem duobus saltem mensibus post sumptam possessionem.

V. Quintò provisus debet solenniter in possessionem mitti, alioqui nulla erit & irrita provisio, juxta Edictum Henrici II. anni 1550. art. 13. Quicumque vi Regiæ Nominationis obtinuere provisionem in Romana Curia, non possunt in possessionem mitti Beneficiorum istiusmodi Consistorialium in vim Bullæ Pontificiæ, sed necesse habent præterea obtinere Literas magni Sigilli Regii, mandantes Judici Regio loci, aut cui alii ibi designato, ut provisum in possessionem inducat. Qua ex causa vulgò dicitur in Gallia, Plumbum nihil valere sine cera. Hæc verò commissio non antè decernitur, quàm ex quo Regio Consilio constiterit, Bullam provisionis nihil oppositum continere Regis intentioni aut Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis. Hæc verò solennis aditio possessionis necessaria est, quanvis Prælatus provisum investierit per traditionem pilei aut pennæ: quod genus investituræ est quidem initium possessionis, quæ postmodò publicè compleri debet. Rebuffus in Praxi, p. 1. tit. de collationibus, n. 10. & 11. & tit. de mission. in possess. num. 6.

VI. Missio in possessionem fieri debet per Clericum ejusdem Diœcesis, adjuncto Notario cum duobus tribusve testibus, qui fidem scripto faciant, juxta Henrici IV. constitutionem. Eaque fit per ingressum in Ecclesiam, sumptionem aquæ benedictæ, osculum ad Altare majus, contactum Missalis, sessionem in stallo, sonitum campanæ, quanvis aliquæ ex his solennitatibus sufficere queant, nec omnes simul requirantur. Ubi verò non conceditur ingressus Ecclesiæ, sufficit contactus seræ vel forium. Rebuffus in Praxi, tit. de mission. in possess. passim. Quod verò attinet ad Beneficia quæ ad Capitula vel Collegia nullatenus pertinent, publicari solet possessio ad Missam Parochialem, vel etiam in foro, in platea publica, in causarum publico auditorio, quorum unum sufficit præsente Clerico Diœcesis, qui in possessionem immittat cum Notario & testibus, adhibitâ scriptu-

turâ

turâ debitè ſubſcriptâ. Acta porrò poſſeſſionis ſunt inſinuanda ac referenda in Archivum Eccleſiaſticum, juxta memoratum Henrici II. Edictum anni 1550. art.6. 13. & 14.

VII. Cùm verò aditio poſſeſſionis non ſit actus perſonalis, indifferens eſt ut fiat aut per proviſum, aut per procuratorem. Rebuffus d. tit. de miſſion. in poſſeſſ. num.44. Atque abſenti conferri poſſeſſio Beneficii vel Eccleſiæ poteſt, cap. *Accedens*, de præbend. Quin etiam jure civili acquiri poſſeſſio per alterum poteſt, non modò abſenti, verùm etiam ignoranti, l.1. C. de acquir. vel retin. poſſeſſ.

VIII. Si obtenta proviſio vitietur aliquo defectu, ob quem reddi poſſet inutilis, impetrandum tunc eſt à Papa reſcriptum *Perinde valere*, quo proviſio invaleſcit perinde ac ſi non interveniſſet ille defectus. Ejus enim reſcripti vis retrotrahitur etiam ad geſta præcedentia, eiſque valorem conciliat. Rebuffus in Praxi, p. 2. tit. de reſcripto Etiam, & Perinde valere, num.2. & 3. Hoc tamen reſcriptum non aliis, quàm iis quos expreſſit, defectibus medetur. Itaque reſcriptum ab eo obtentum qui minor eſt, & illegitimè natus, ſi ſolùm exprimit natalium defectum, non verò minorem ætatem ejus qui proſequitur curatum Beneficium, nequaquam reparabit defectum minoritatis. Rebuffus d. tit. num.38.& 39. Et ſi occurrant alii defectus, ut cæcitas, dementia, nequaquam hoc reſcripto reſarcientur, ibid. num.14.

IX. Si plures de eodem Beneficio proviſi fuerint, & lis inter eos agitetur, impetrari poſſunt Literæ ſubrogationis, ut alter in alterius locum & jura ſubrogetur per ceſſum aut deceſſum utriuſlibet horum, ex Cancellariæ regula 27. ad ſuccidendas lites excogitata, quæ ab exurgentibus novis adverſariis poſſent in infinitum creſcere & propagari. Hac Regula reſervatur Beneficium collitiganti conditionaliter, ſi petat ſubrogari intra menſem numerandum à die mortis, ſi Beneficium vacat per obitum: ſi verò vacat per ceſſum, à die præſtiti conſenſus. Quo fit ut ſi aliquis tertius intra id tempus proviſus fuerit de eodem Beneficio per ceſſum vel deceſſum poſſeſſoris, vel inſtitutus fuerit ad patroni præſentationem, atque intra idem tempus collitigans petierit ſubrogari, hujus ſubrogatione proviſio tertii irrita fiat ipſo jure; adeò ut neque poſſit convaleſcere morte, vel ceſſione, vel depoſitione ſubrogati. Quia obſtat regula iſta, *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convaleſcit.* Gomeſius ad Regul. de ſubrog. collitigant. quæſt.10. & 13. Collitigantium ſubrogatio non ab alio fieri poteſt quàm à Papa vel à Legato, à quibus tam in ſignatura, quàm in reſcriptis clauſula ſubrogationis inſeritur. Huic Regulæ 27. Cancellariæ ſuffragatur cap.1. & cap.2. ut lite pend. nihil innov. in 6.

X. Hæc Regula ſic intelligenda eſt, teſte Rebuffo in Praxi, p. 2. gloſ.3. in regul. de ſubrogand. collitig. quod ſi collitigans intra menſem à die quo alter collitigans ceſſit vel deceſſit, petierit in jura cedentis, vel defuncti

defuncti ſubrogari, ſit omnibus aliis præferendus, tametſi alii impetrantes fuerint in Data priores. Idemque tit. de ſubrogationib. num. 13. docet conſuetudinem receptam hanc eſſe, ut Regula iſta prodeſſe indifferenter valeat tam actori, quàm reo ſeu defenſori: quanvis cap. 2. ut lite pendent. in 6. prohibeat ne in jus petitoris aliquis ſubrogetur, ſed tantùm defenſoris.

XI. Et licèt vindiciæ, ſeu poſſeſſio Beneficii fuiſſet defuncto adjudicata, tamen ſaltem in Gallia poſſeſſio illa non continuatur ad ſubrogatum, juxta legem *Cùm hæredes*, D. de acquir. poſſeſſ. quæ luculenter dicit jura omnia defuncti ad hæredem tranſire, ſed non poſſeſſionem, quia hæc ſimul cum defuncto interit; & ſic opus eſſe ut hæres adeat de novo poſſeſſionem hæreditatis. Rebuffus d. tit. de ſubrog. collitigant. num. 27. Qui idem num. 28. teſtatur hanc eſſe in Gallia praxim, ut poſt ſubrogationem reſcripto Summi Pontificis obtentam intra menſem, impetrentur quoque intra annum literæ Regiæ ad ineundam poſſeſſionem jure ſubrogationis: hac ratione, quia Rex & Regii Judices cognoſcunt in Gallia de omni poſſeſſorio; & quia aliunde Interdicta poſſeſſoria anno terminantur ac perimuntur, l. 1. in princ. D. uti poſſidetis: & l. *In honorariis*, D. de obligat. & action. Et ſi quis per Literas Regias non petierit & proſequutus fuerit intra annum hanc in Beneficio ſubrogationem & poſſeſſionem, nullâ poterit reſtitutione adverſus hunc anni lapſum juvari, ut multis Gallicanis Senatuſconſultis probat Papo lib. 8. placitorum, tit. 7. §. 3. 4. & 5. Hinc annus decurrere incipit à die notitiæ proviſionis; ſed ſi non probetur anterior notitia, computabitur ſaltem à die initæ poſſeſſionis: ibid. §. 5.

XII. Quando duo proviſi ſunt de eodem Beneficio, poteſt alter horum novam prov[illegible] impetrare in clauſula & forma iſta: *Si alteri jus non ſit quæſitum.* [illegible]enim impedit plures titulos accumulare, ut unus alteri ſuppleat. At[illegible]h hac forma neceſſè eſt ab oratore in ſupplicatione exprimi litigantium nomina, ſtatum & qualitatem Beneficii, ſtatum quoque ipſius cauſæ, cum vacationis modo. Felinus in cap. *Noſtra*, verb. *Titulus*, de reſcript.

XIII. Sed ſi inter duos, pluresve collitigantes novus adverſarius exurgat, poterit etiam admitti ſub clauſula iſta: *Si neutri*, vel *Si nulli jus ſit quæſitum.* Adeò ut his causâ cadentibus, Tertius iſte ſubrogetur; ſed ſi quid juris habent, Tertius iſte ſubmoveatur. Non enim reſcriptis ſuis intendit Papa quæſito alterius juri præjudicare, cap. *Quanvis*, de reſcript. in 6.

CAPUT

CAPUT XXIII.

Diversi quidam vacationis Beneficiorum modi discutiuntur.

I. EXPENDIMUS hujus libri capite 8. spectabiliora Beneficii acquirendi impedimenta : isto nunc capite tractationem suscipimus præcipuarum causarum, quæ vacationem Beneficiorum inducunt, quarum una est subsequens matrimonium. Ex quo enim provisus de Beneficio matrimonium contraxit, vacat Beneficium ipso jure & facto, cap. 1. & cap. *Diversis*, & cap. *Cùm decorem*, de Cler. conjug. Nec obstat quod isti Canones dicunt, Clericos qui uxores duxerunt, esse compellendos ad Beneficia dimittenda ; id enim de dimittenda possessione dicitur, non de dimittendo Beneficio jam per matrimonium contractum dimisso.

II. Ut huic vacandi modo locus sit, debet esse matrimonium per verba de præsenti contractum, quod Ratum vocant ; non enim sufficiunt sponsalia de futuro : Canones enim loquuntur de uxoribus ductis, & matrimoniis contractis. Nec requiritur ut nuptiæ fuerint consummatæ, cùm id Canones minimè requirant. Ranchinus decisionum p. 5. concluſ. 96. & 463. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. *Requis. ad collat. bon.* n. 55. & p. 3. tit. *Regula de public. resignat.* glos. 18. n. 45.

III. Vacant præterea ipso jure beneficia ejus, qui in Episcopum electus & confirmatus, & in possessionem missus, tandemque consecratus est, aut saltem tempus exegit, quod Jus ad consecrationem requirit, cap. *Cùm in cunctis* 7. §. *Cùm verò*, de election. Tempus autem illud ad consecrationem Episcopi requisitum est trium mensium, can. *Quoniam*, dist. 100. Concilium Trident. sess. 23. cap. 2. Hæc autem vacatio de quibuscumque Beneficiis intelligitur, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Beneficiis curatis, simplicibus, in Titulum, in Commendam. Quin etiam hoc jus ad pensiones extendunt Garcias p. 11. cap. 6. & Gigas de pensionib. quæst. 56. Sed hoc minùs probabile est : pensiones enim non comprehenduntur nomine Beneficiorum, de quibus solis loquitur dictum cap. *Cùm in cunctis*. Potest autem Papa cum novo Episcopo dispensare super ista præcedentium Beneficiorum vacatione. Gloss. in can. *Si quis*, verb. *Translatus*, 21. q. 2.

IV. Vacant præterea ipso jure Beneficia ejus, qui per solemnia Religionis vota professionem legitimam emittit, nimirum liberè, & legitima ætate, & post annum probationis, & coram legitimo Superiore, cap.

Beneficium, de Regularib. in 6. Non enim licitum est cuiquam duplici fungi militia, & duobus cingulis ac stipendiis mereri, l. *His quidem*, C. qui milit. non poss. lib. 12. Nec sufficit ad Beneficiorum vacationem sumptio & gestatio religiosi habitus citra veram professionem. Quin etiam in Gallia non sufficit tacita professio, sed requiritur expressa, & in scripturam ab ipso professo subscriptam redacta. Cùm enim Constitutio Molinensis sub Carolo IX. art. 55. nullam admittat religiosam professionem etiam testibus & plurium annorum habitus gestatione probatam, nisi de eadem per scripturam à professo subsignatam constet, monachus in Regno Franciæ professus non excidit juribus pristinis quoad forum externum circa possessa beneficia & successiones, nisi scripto ejus professio completa fuerit. Brodeus in Louetum lit. *B.* cap. 12. Despeisius tract. de Benefic. tit. 11. sect. 5. num. 2.

V. Quæritur si professus Regularis ad sæculum redeat, an possit dimissa Beneficia recuperare? Distinguendum hîc est; si enim post legitimam & validam professionem, etiamsi postea cum eo Papa dispensaverit, etiam ob causam legitimam, qualis est notabilis infirmitas, exeat licitè de monasterio, non potest nihilominus antea liberè dimissa Beneficia recuperare: quin etiam inhabilis manet ad quævis sæcularia Beneficia aut pensiones super illis obtinendas, nisi ad hæc etiam fuerit expressè per Papam rehabilitatus. Rebuffus tit. de dispensatione cum Regularib. Existit enim verè Religiosus, & ita incapax est Beneficii secularis, imò & regularis alterius Ordinis quàm ubi professus fuit, cap. *Cùm singula*, §. *Prohibemus*, de præbend. in 6. Atque hoc statuendum ad primum distinctionis membrum.

VI. Si verò redeat professus ad seculum ob nullitatem seu invaliditatem suæ professionis juridicè probatam & declaratam, eo casu si alia non obstent impedimenta, capax est suscipiendi Beneficia & pensiones, potestque bona temporalia & pristina Beneficia, pensiones, aliaque spiritualia jura quæ per invalidam professionem abdicasse visus fuerat, resumere, saltem obtentis in integrum restitutionis Literis. Sanè obstare huic potest exceptio pacificæ triennalis possessionis; talis enim possessor juvatur titulo, neque potest ipsi vis, aut intrusio, aut simonia objectari, quibus solis frustrari potest triennii pacifici privilegium. Sed si non interceſſit triennium, haud dubiè invalidè professo competit jus regressus ad pristinum Beneficium; nullitatem enim professionis comitatur nullitas renunciationis Beneficiorum, pensionum, & bonorum temporalium; cùm omnis hæc abdicatio fundetur in sola professione, quæ prorsus irrita & nulla fuit; sublatâ enim causâ tollitur effectus, & subverso fundamento corruit omne superstructum. Confirmatur etiam hæc decisio his Concilii Tridentini verbis sess. 25. de Regular. cap. 16. *Nulla renunciatio effectum intelligatur sortiri, nisi sequutâ professione.* Igitur cùm nulla fuerit renunciationem

consequut

consequuta professio, nullam habet vim præcedens renunciatio. Præterea in collationibus factis ex causa vacationis Beneficiorum ob religiosam professionem, ista juris conditio necessariò involvitur, Si sit valida professio. Huc etiam spectant juris dispositiones & rationes quæ habentur D. de condictione causa data & causa non sequuta, & D. de condictione sine causa,& l. ultima, C. de revocand. donation.

VII. Hoc tamen constanter tenendum, quod si quis invalidè professus redeat in Clerum secularem, & inopiâ laboret, poterit Ordinarius detrahere de fructibus Beneficii pristini, unde per exceptionem triennii pacifici repellitur, moderatam pensionem ad ipsius sustentationem. Pastor lib. 3. tit. 17. num. 6. ad fin.

VIII. Vacat pariter Beneficium Sacerdotio annexum, si provisus ad Sacerdotium integro anno non curaverit promoveri, cap. *Cùm in cunctis*, §. *Inferiora*, de election. & cap. 1. de ætat. & qual. & ord. præficiend. & cap. *Ei qui*, de præbend. in 6. & Clement. *Ut ii*, de ætat. & qual. præfic. & Concilium Trident. sess. 22. cap. 4. & sess. 24. de reform. cap. 12. §. *Neminem*. His conforme est Edictum Henrici IV. anni 1606. mensis Decembris, art. 1. Itaque electus aut provisus de Beneficio curato, non est necesse ut jam sit actu Presbyter, sed ut possit esse Presbyter intra ipsum annum. Idem juris est circa beneficia quævis Diaconatum, aut Subdiaconatum requirentia. Tridentinum sic statuit in d. §. Neminem. *Neminem etiam ad dignitatem, Canonicatum aut portionem recipiant Collatores, nisi qui aut eo Ordine sacro sit initiatus, quem illa Dignitas, aut Præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate sit, ut intra tempus à jure & ab hac Sacra Synodo statutum initiari valeat.* Quibus ex verbis perspicue infertur, posse aliquem inchoato ætatis anno vigesimoquarto provideri de Beneficio curato, cùm ex Tridentino Concilio duo ista constent, & anno inchoato vigesimoquinto posse aliquem ordinari Sacerdotio, & insuper tale illi Beneficium conferri qui possit intra eundem annum Sacerdos fieri: & ex consequenti conferri posse tale beneficium illi qui jam annum ætatis vigesimumquartum incœpit. Enimverò sess. 24. cap. 12. §. *Nemo*, sic decernunt Tridentini Patres: *Nemo ad Dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimumquartum ætatis annum attigerit.*

IX. Vel igitur Beneficio annexi sunt Ordines simpliciter & absolutè, & tunc satis est ut qui providetur in ea sit ætate, ut ad requisitum Ordinem promoveri intra annum possit: aut certè Ordines sunt Præbendis annexi, ut conferri Præbendæ non aliis possint, nisi illis qui jam actu eosdem Ordines susceperint, sive jure id exigente, sive speciali statuto, sive consuetudine, sive fundatione; & isto casu talis conferri Præbenda non potest, nisi illi qui jam actu requisitum Ordinem susceperit. Prosper Fagnanus in cap. 1. de ætat. & qual. & ord. num. 52. refert sacram Congregationem Concilii judicasse & declarasse, si ex fundatione Capellaniæ

cautum sit ut Rector, seu Capellanus per se Missas celebret, id non obstare quominus conferri simplici Clerico possit, modò in ea sit ætate ut intra annum fieri Sacerdos possit; sed tamen hoc impedire ne conferri Clerico quatuordecim annorum possit, quæ ætas requiritur à Tridentino Concilio ad minora Beneficia simplicia: adjungo, neque in Gallia Clerico septenni, qui minorum simpliciorum Beneficiorum & Capellaniarum in hoc Regno capax est, dummodò provideatur ut servitium & onus per virum debito Ordine initiatum exerceatur; quatenus qui per alium facit, per seipsum facere videtur, ex regul. juris in d. cap. *Qui facit.*

X. Verumtamen in Gallia annus iste promotionis ad Ordinem non incipit dinumerari nisi post annum pacificæ possessionis, adeò ut post sumptam Beneficii collati possessionem duo anni excurrant. Sic enim Edictis Blesensibus art. 9. sancivit Henricus III. de Abbatiis & de Conventualibus Prioratibus, ut his provisi se ad Sacerdotium promoveri faciant intra annum. Et mox subjungit: *Et ubi illi post biennium non fuerint Sacerdotio initiati, eo ipso vacabunt, & ab aliis impetrari ejusmodi beneficia poterunt: illi verò tenebuntur fructus omnes perceptos restituere ad pias causas applicandos.* Confirmatur quoque Henrici IV. Edicto anni 1606. art. 1. in fine, his verbis: *Ut habentes Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus teneantur sub pœna amissionis earum promoveri ad Sacerdotium intra annum à die pacificæ possessionis inchoandum.* Præterea Clement. *Ut ii qui*, de ætat. & qual. & ordin. præfic. prærequirit expressis verbis ante annum promotionis ad Ordinem pacificam possessionem. Idque æquitati consentaneum est, ne si contingat Beneficium evinci, is qui possederat, adstrictus hac occasione Ordini sacro cogatur inops, cum status Ecclesiastici dedecore, famelicus, lacerus & mendicans vitam degere; quod evitandum esse docet can. *Diaconi*, dist. 93. Itaque in Galliæ Regno primus annus possessionis Beneficii non connumeratur cum anno ad Ordinis sacri promotionem requisito, eoque duorum annorum spatio decurso vacat confestim Beneficium ejus, qui requisitum Ordinem sumere neglexit. Ita docent ex juribus citatis, & ex quamplurimis Gallicanis Senatusconsultis Rebuffus tit. de non promotis intra annum, num. 44. & 45. Papo lib. 3. Placitorum, tit. 15. Bochellus in praxi benef. vers. *An de promotion.* Pastor lib. 3. tit. 16. num. 3. Despeisseus tract. de benef. tit. 9. sect. 8. num. 6. Hinc sequitur, Curatum necdum Sacerdotem posse ad finem anni sibi ad sumendum Sacerdotium indulti suam illam Curatam Ecclesiam cum alio Beneficio permutare, ut docet ibid. Rebuffus num. 37. & 38. quia scilicet habet plenum jus etiam nunc in Beneficio, donec integer annus exspiraverit. Idem docet Bengeus tit. quibus mod. vacent vel amittantur benef. §. 3. num. 31. & 32. In omnibus enim temporalibus actionibus, nisi noviſſimus totus dies impleatur, jus integrum perdurat, nec finitur obligatio, l. *In omnibus* 1. D. de action. & obligat.

XI. Excusat-

XI. Excusat tamen ab hac ad Ordinem Sacrum intrà annum promotione legitima impossibilitas, ut adversa valetudo, pestis, bellum, captivitas: item dispensatio, quæ potest etiam ex rationabili causa concedi non modò à Papa, sed etiam ab Ordinario. Vide ad hæc d. art. 9. Edicti Blesensis. Hæc eadem tradit Rebuffus p. 2. praxis, tit. de dispensation. de non promovendo, num. 1. & 2. & Despeisseus d. tit. 9. sect. 8. num. 10. Quin etiam diserte cap. *Licèt canon*, §. *Super residentia*, de elect. in 6. istam in hac ipsa materia specifica dispensandi potestatem Episcopis attribuit, simulque provide admonet, debere ab eisdem provideri de Vicario, qui hoc temporis intervallo assignatâ sibi de proventibus Beneficii congruente portione, Curæ ministerium exequatur.

XII. Alius vacationis Beneficiorum modus est incompatibilitas cum altero Beneficio. Quisquis igitur de Beneficio provisus novum postea Beneficium acquirit cum priori incompatibile, alterum horum amittat necesse est. Primitus quidem statuerat Lateranense sub Alexandro III. Concilium, ut taliter provisus amitteret posteriùs acquisitum Beneficium, cap. *Quia nonnulli*, de Cler. non resid. Sed posterior juris dispositio, quæ nunc viget, satius duxit ut privetur priùs acquisito Beneficio, cap. *De multa*, de præbend. Clement. *Si plures*, & Clement. fin. eod. tit. & demùm Concilium Trident. sess. 7. cap. 4. de reform. Potest ipso jure Episcopus prius illud, utpote ipso jure vacans, alteri conferre, d. cap. *De multa*, & cap. *Licèt Episcopus*, de præbend. in 6. Ab ista tamen Beneficii vacatione Papa dispensare potest, d. cap. *De multa*, de præbend. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensat. ad plura benef. à num. 26. usque ad num. 35. quo loco docet, posse quoque Episcopum ex rationabili causa dispensare ad plura simplicia Beneficia, sed non ad curata. Invalida porrò est Papæ dispensatio, cujus impetrator omiserit vel unum tenue Beneficium exprimere quod possidet, cap. *Non potest*, in princ. de præbend. in 6. Verumtamen electus in Episcopum, etsi adeptus fuerit novi Episcopatus possessionem, non tamen statim excidit antè habitis Beneficiis etiam incompatibilibus cum Episcopatu, nisi post consecrationem, cap. *Cùm in cunctis*, §. *Cùm verò*, de election. In aliis verò Dignitatibus aut Beneficiis fit jactura ex incompatibilitate secundùm jus commune statim ab indepta corporali possessione; secundùm autem Galliæ praxim, finito pacificæ possessionis anno, neque opus est ut Collator ad conferendum Beneficium ex incompatibilitate vacans requirat, vel citet ejus possessorem; sic enim docent Joan. Andr. in cap. *De multa*, de præbend. num. 10. & Prosper Fagnanus ibid. num. 16. probantque ex hisce Canonis verbis, *Liberè conferat*, idest sine ulla admonitione. Quod idem servari potest in omnibus aliis quoque casibus, ubicumque beneficium quodvis ipso jure vacat, teste Innocentio in d. cap. *De multa*, num. 3. & Fagnano ibid. num. 16. Si quæras utrum Regula de triennali possessore faveat huic incompatibilia possidenti? Nego

cum Fagnano ibid. num. 48. & seqq. eo quòd scienter promotus ad incompatibilia habeatur pro intruso, quem verba Regulæ excludunt à Beneficii triennalis possessione: atque ita refert judicatum à Sacra Congregatione Concilii, & approbatum à Papa hoc judicium die 28. Januarii an. 1587. Quoad porrò alteram Regulam de annali possessore, docet ibid. Fagnanus hac juvari possessorem incompatibilium. Ratio est, quia Regula ista nihil intendit, quàm exclusionem novi impetrantis negligentis adimplere, quæ Regula eidem facienda præscribit: neque tamen jus ullum præbet illegitimæ possessioni; quâ sumptâ, statim locum esse vacationi incompatibilium docet Gloss. in d. cap. *De multa*, quæ voces, *post receptionem alterius*, exponit corporalem possessionem. Quin etiam hoc idem disertè sancitur cap. *Licèt Episcopus*, de præbend. in 6. & consentit Fagnanus in d. cap. *De multa*, num. 9.

XIII. Beneficia incompatibilia sunt duæ Dignitates, duo Personatus, duo Officia quæ residentiam requirunt, duo etiam Curata Beneficia, duo conformia intra eandem Ecclesiam Beneficia, ut duo Canonicatus; item duæ Vicariæ perpetuæ, regulare quoque Beneficium cum altero seculari. Potest tamen unus & idem simul esse Canonicus & Curatus in eadem Ecclesia. Ista omnia fusè tractat & probat Rebuffus p. 2. tit. de dispensation. ration. ætat. in verb. *Incompatibilia*. Usus denique generalis obtinuit, ut duæ sub eodem tecto, seu Ecclesia teneri possint Capellaniæ simul.

XIV. Ab hisce incompatibilitatibus excipiuntur Beneficia unita, cap. *Dudum*, de election. cap. *Eam te*, de æt. & qual. & ord. præfic. Excipiuntur pariter commendata Beneficia ad tempus, scilicet sex mensium. Istudque genus Commendæ potest Episcopus conferre ex justa causa, ut est necessitas, aut evidens utilitas, cap. *Nemo deinceps*, de election. in 6. Rebuffus p. 1. praxis, tit. de commend. num. 29. 30. & 31. Commendam verò perpetuam, seu ad vitam solus conferre summus Pontifex potest. Et in universum Commendatum Beneficium, sive ad semestre, sive ad omnem vitam, non est incompatibile cum alio quovis in titulum collato Beneficio, can. *Qui plures*, 21. quæst. 1.

XV. De pluribus Beneficiis simplicibus Doctores in cap. *Extirpandæ*, §. *Qui verò*, de præbend. communiter affirmant simul teneri posse per Episcopi dispensationem; quanvis nullam prorsus requiri ob contrariam ubique usitatam consuetudinem, tradat Rebuffus p. 2. tit. de dispensat. ad plur. benef. num. 29.

XVI. Observandum est, etiamsi possessione Beneficiorum incompatibilium vacet primum ipso jure, non tamen prohiberi his provisum resignare alterum horum, dummodo jus non fuerit alicui tertio quæsitum. Nam si ex illa secundùm jura vacatione Papa vel Ordinarius alteri de primùm adepto Beneficio providisset, jam non relinqueretur resignationi locus.

locus. Aliud verò est vacare Beneficium jure ipso duntaxat, & aliud vacare idem ipso facto. Ubi enim vacat solo jure, potest adhuc Beneficii possessor ipsi renunciare, sive simpliciter, sive in favorem, re adhuc integra, si alius nemo impetraverit. Et hac ratione potest unum resignare, qui plura possidet incompatibilia; potestque similiter resignare re adhuc integra is qui ad Ordines requisitos non est toto anno promotus. Et Episcopus pariter resignare potest beneficia ante Episcopatum adepta. Ubi verò Beneficium vacat ipso facto, non relinquitur novæ renunciationi locus. Vacat verò ipso facto Beneficium per cessum aut decessum, per matrimonium, per religiosam professionem. His enim casibus involvitur vel expressa, vel tacita renunciatio juris & possessionis præhabiti Beneficii.

XVII. Plura de incompatibilibus Beneficiis, & quandonam unius accessu alterum vacet, sive ex jure communi, sive ex jure Gallicano, require superiùs in hujusce libri titulo *De resignationibus in favorem*, art. 8. ad finem.

XVIII. Vacationem quoque Beneficii nonnunquam inducunt censuræ, aliæque pœnæ Ecclesiasticæ, necnòn permulti canonici defectus. Sed de his inferiùs peculiari libro disseretur.

XIX. Quando quis sive per resignationem, sive jure devoluto Beneficium impetrare cupit, consultissimum est ut clausulam ad titulum quem proponit, superaddat istam: *Sive quocumque alio modo Beneficium vacet.* Fortassis enim alius petitor consurget, qui propter alium quemcunque defectum, aut incapacitatem possidentis, sibi Beneficium hoc idem deposcat, contendatque, neque potuisse ab illo possideri, neque ab eodem in alterum transmitti; cùm nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habet, cap. *Nemo potest*, de reg. jur. in 6. & l. *Nemo plus juris*, D. eod. ut si erat illegitimè natus, aut aliter irregularis, vel excommunicatus, nec dispensatus quando Beneficium adivit. Nihil autem inhibet ad pleniorem securitatem jura plura accumulare: & quando plures eandem in rem concurrere possunt actiones, una alteram non excludit, & una deficiente, altera jus quæsitum roborat, §. ult. Instit. si quadrup. pauper. fec. dicat. & l. penult. D. de obligat. & actionib. & cap. *Nullus pluribus*, de regul. jur. in 6.

CAPUT

*CAPUT XXIV.

De Electione, simulque de Capituli jure & potestate.

I. CAPITULORUM jura singularia neque prosequi velim, neque si vellem possim, cùm sæpenumero contrariis statutis & oppositis consuetudinibus regantur. Sed ea sola attingere mens est, quæ sunt communis juris. Electio facienda est omnibus vocatis & præsentibus, qui possunt commodè interesse. Et si unus, aut alter jus habens suffragii vocatus non sit, ad ejus prosequutionem irrita fiet electio etiam confirmata. Sed eadem valida erit, si non vocatus eidem studio pacis acquierit, cap. *Quod sicut* 28. de election. Hic ergo casus excipitur ab illa regula juris, *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit*, leg. *Quod initio*, D. de regul. jur. Et, *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*: cap. *Non firmatur*, eod. tit. in 6. Cessat hîc etiam alia regula: *Ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum*, cap. *Ratum*, eod. in 6. Similiter in Jure Civili testamentum patris alioqui irritum & inofficiosum valet, si filius præteritus non conqueratur, l. *Filio præterito*, D. de injust. rupto vel irrito testam.

II. Absens legitimè impeditus ne possit Capitulo interesse, procuratorem constituere potest de corpore ipsius Capituli in negotio electionis, cap. *Quia propter*, §. *Illud autem*, de election. & cap. *Cupientes*, §. *Insuper*, & §. *Electos*, eod. tit. in 6. & cap. *Si quis justo impedimento*, eod. in 6. Valetque hîc illa juris regula: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, cap. *Potest quis*, de reg. jur. in 6. Quanvis fuerit olim Galliæ consuetudo, ut absentes vocandi essent ad Capitulum de toto Regno, ut testatur cap. *In Genesi*, de election. Illa tamen consuetudo prorsus antiquata est, nec ullibi servatur, adeò ut non vocentur nisi soli qui sunt in civitate vel oppido, in quo Capitulum convocatur: & si secus agendum esset, excideret sæpe Capitulum juribus suis, & per ejus moram aperiretur locus aut præventioni Papæ vel Legati, aut devolutioni ad Superiorem, maximè cùm in electione Vicarii Generalis Sede vacante Capitulum non habeat plusquam octo dies, ut infrà docebimus, num. 18.

III. In Capitulis sive Cathedralibus, sive Collegialibus, sive Regularibus virorum nemo vocem ac suffragium habere potest, qui non sit Subdiaconus, ut statuit Concilium Viennense in Clement. *Ut ii qui in divinis*

divinis, de ætat. & qual. & ord. & Concilium Trident. sess. 22. cap. 4. de reform.

IV. Triplicem canonicæ electionis formam proponit caput *Quia propter*, de elect. desumptum ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. scilicet per Scrutinium, ut præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, aut major & sanior pars Capituli consenserit: vel per Compromissum, quo potestas eligendi aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium provideant & eligant: vel per Inspirationem, quum sine fraude & vitio omnes communi sensu conveniunt in unam personam, & sic eam eligunt.

V. Cæterùm prædictam scrutinii formam quia non satis secreta erat, Concilium Tridentinum abrogavit sess. 25. de Regul. cap. 6. sanciens *fieri deinceps per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Vetat Præterea voces & suffragia absentium suppleri. Et addit: *Si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.*

VI. Circa electionem Abbatissarum idem Tridentinum sess. 25. cap. 7. sic providet: *Abbatissa, & Priorissa, & quocunque nomine præfecta vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente eligatur. Duobus vero monasteriis nulla præficiatur.* Et paulò post: *Is verò qui electioni præest Episcopus, sive alius Superior, claustra monasterii non ingrediatur sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel excipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum vel Monasteriorum constitutiones.*

VII. Ex his liquet, Concilium in hoc maximè intendere, ut electiones liberæ omninò sint & secretæ quoad eligentium personas ac nomina, & ut si secus fiat, pro nullis habeantur. Et Suarez tom. 4. de religione, lib. 2. cap. 5. n. 12. refert & sequitur declarationes Congregationis Cardinalium, necnon decisiones Romanæ Rotæ, quibus statuitur nullam fore electionem, si vel unius vocalium nomen etiam fortuitò innotuerit. Paria scribit etiam Barbosa ad citata paulò antè Tridentini loca.

VIII. Suffragiorum libertati suffragatur Concilium Lugdunense, cui præsedit Gregorius X. & refertur in cap. *Ubi periculum*, §. *Cæterùm*, de elect. in 6. *Quum arbitrium* (inquit) *vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi.* Et districtè prohibetur illis qui electionibus præsunt, ne

libertatem eligentium restringant ad unum de duobus vel tribus, quos proposuerint, eligendum, cap. *Cùm terra*, de election. Quo loco Panormitanus ait consuetudinem illam nullâ temporum præscriptione valere posse, quâ Capitulum eligat aliquem ad alterius nutum, nec sit in plena libertate electorum electio ipsa; nam libertas est de electionis essentia. Sylvester hoc idem astruit verb. *Electio* 1. n. 26. Rodericus in quæstionibus regularibus, art. 10. allegat Pii V. Bullam anni 1571. quæ constituit, ut si Commissarius, aliusve qui præest electioni, convictus fuerit quocumque modo impediviſſe libertatem eligentium, removeatur ab officio. Idemque Rodericus art. 11. scribit se vidisse tres electiones annullatas, eo quòd ii qui illis præsederant, eas restrinxissent ad tres, aut quatuor personas eligendas.

IX. Et certè cùm Sacri Canones electionem irritam & nullam declarent, in qua vel unus vocalium neglectus fuerit appellari, cap. *Quod sicut*, de elect. quantò major erit invaliditatis causa, si plures habentes jus passivæ vocis simul excludantur, ut duo tresve duntaxat ad idem jus admittantur passivi suffragii, & omnium simul vocalium jus & libertas activi suffragii adimatur quoad reliquorum omnium electionem, ut restringatur ad duos, vel tres tantummodò eligendos? Navarra etiam lib. 1. consil. cap. 5. & Manual. cap. 22. n. 51. docet ex metu reverentiali erga personam quæ polleat authoritate supra vocales, non minùs irritam fieri electionem, quàm matrimonium ex solo reverentiali metu contractum. Constitutiones Ordinis Prædicatorum dist. 2. cap. 2. §. 4. prohibent in electionibus proponi à Superioribus certas personas eligendas, & jubent acceptari indifferenter aliarum personarum electiones, si sint idoneæ & suffragii passivi capaces. Rodericus verò Ordinis Franciscanorum loco cit. refert istam sui Ordinis Constitutionem, quod nulla electio possit coarctari; & si fuerit ad certum eligendorum numerum coarctata, sit irrita & nulla, nisi fortè ceciderit electio in aliam non propositam personam.

X. Quod attinet ad electionem per compromissum, tenentur compromittentes electum à compromissario acceptare, si sit idoneus, cap. *Causam*, de election. in quo agitur de quadam electione quam Moniales in Episcopum compromiserant.

XI. Procuratores, quales sunt deputati singulorum Conventuum ad Capitulum, sive Generale, sive Provinciale, quantumvis habeant generale mandatum, non possunt compromittere, neque transigere sine speciali mandato, cap. *Per tuas literas*, & ibi Glossa, de arbitris: l. *Mandato*, D. de procurat. l. *Transactionis*, C. de transact. Rebuffus in Concordata, ad fin. tit. de electionis derogatione, refert quadragintaseptem casus, ad quos non potest generale mandatum extendi, atque in his refert compromissum & transactionem. Additque generaliter in omni occursu difficili & gravis momenti requiri in procuratore speciale mandatum, idque multis testimoniis confirmat.

XII. In

XII. In omni electione quæ fit per compromissum, duo hæc necessariò requiruntur. Primò necesse est omnes & singulos vocales consentire ad compromissum, nemine excepto, alioqui nihil agitur, cap. *Quia propter*, §. *Vel saltem*, & ibi Glossa vers. *Vice omnium*, de election. Rodericus in quæstionibus de Regularib. quæst. 54. art. 12. asserit omnes Doctores in hac re consentire. Secundò post factam & publicatam ex compromisso electionem interponendum est aliquod tempus ad explorandum num electæ à compromissariis personæ sint idoneæ. Non enim compromittentes tenentur electos à compromissariis acceptare, nisi sub hac conditione, cap. *Causam quæ*, de election. cap. *Cùm dilectus*, eod. cap. *Cùm olim*, de arbitris, & cap. *Si compromissarius*, §. *Si verò*, de elect. in 6. habentque compromittentes idem jus quod habet Superior antequam admittat & confirmet præsentatam sibi ab inferioribus electionem, cap. *Postquam*, de elect.

XIII. Is qui non est professus, non potest eligi in Abbatem, cap. *Cùm in magistrum*, & cap. *Cùm causam*, & cap. *Cùm ad nostram*, de elect. Miserum enim est, eum fieri magistrum qui formam discipuli non assumpsit, can. *Miserum*, 61. dist. & d. cap. *Cùm in magistrum.*

XIV. Observandum ubi jus requirit majorem & saniorem Capituli seu eligentium partem, ut in d. cap. *Quia propter*, partem minùs sanam non aliter intelligendam esse, nisi si eligat, vel statuat contra Sacrorum Canonum præscripta. Exempli causâ, si major Capituli pars sit interdicta vel suspensa, aut si major Capituli pars consentiat in electionem personæ secundùm jura incapacis & inhabilis; tunc enim jus eligendi ad minorem partem, quæ sanior est, devolvitur, cap. *Gratum*, de postulat. Prælat. Hæc est doctrina Glossæ in cap. *Ea noscitur*, vers. *Majori & saniori*, de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit. Præclaréque dicit cap. *Indemnitati*, §. *Ut autem*, de elect. in 6. in electione non zeli ad zelum, neque meriti ad meritum, sed numeri ad numerum faciendam esse collationem. Et utique si aliter res esset, injiceretur inter vocales pomum discordiæ amaricantis zeli, mutuarum accusationum & contumeliarum, & implacabilis odii fomenta, si merita vel demerita essent exploranda, & invicem comparanda vocalium.

XV. Invalida prorsus est rei Ecclesiæ alienatio per Episcopum facta sine Capituli consensu, cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capituli. Neque debet Episcopus negotia Ecclesiæ tractare, statuere, immutare, corrigere sine consilio Capituli, cap. *Novit*, & cap. *Quantò*, eod. tit. Ibique ait Panormitanus, Capitulum esse hoc idem respectu Episcopi, quod Cardinales Ecclesiæ Romanæ respectu Papæ, ut sic Canonici sint Senatus Assessores, & Consiliarii ipsius Episcopi. Addit ibidem, Episcopum non posse inconsulto Capitulo nova statuta condere. Similiter Abbates & Abbatissæ nihil possunt de monasterii temporalibus alienare sine Capituli proprii consensu, cap. 2. eod. tit. In alienatione quoque rerum

Ecclesiæ quilibet de Capitulo jus habet contradicendi cæteris omnibus vocalibus,& alienationem solus impedire, aut factam revocare potest, cap. *Si quis*, de reb. Eccl. non alien. Atque hîc valet juris regula : *In re communi potior est conditio prohibentis*, cap. *In re communi*, de regul. jur. in 6.

XVI. Istud hîc in primis sciendum, valdè differre consilium à consensu. Multa enim potest Episcopus sine consensu Capituli, quæ tamen non posset irrequisito Capituli consilio. Et Capitulum habet plerumque jus consultivæ vocis, & non decisivæ : plerumque etiam habet jus simul consultivæ & decisivæ vocis cum Episcopo. Quando igitur jura præscribunt Episcopo ut agat cum consensu Capituli, non potest Episcopus à Capitulo dissentire, ut diximus in alienatione rerum Ecclesiæ, quam facere non potest Episcopus, nisi cum Capituli consensu. Ubi verò jus exigit Capituli consilium ab Episcopo exquiri, ut in cap. *Novit*, & cap. *Quanto*, de his quæ fiunt à Prælat. sufficit si Episcopus Capitulo proponat, ejusque consilium exquirat, quod tamen sequi minimè tenetur. Ad hæc textus est expressus in cap. *Cùm olim*, de arbitris : & Gloss. in cap. *Si pro te*, verb. *Assensus*, de rescript. in 6. & in cap. unico, §. *Cùm verò*, in verb. *Assensum*, ne Sede vacant.

XVII. Si collatio ad Episcopum & Capitulum conjunctim pertinet, cùm primùm vacabit Sedes Episcopalis, jus Episcopi Capitulo accrescet, non verò si collatio pertineat ad Episcopum cum consilio Capituli : quo casu vacante Sede non poterit Capitulum conferre. Rebuffus in praxi,tit.de devolut. num. 4. Zerola praxis Episcopalis p. 1. verb. *Capitulum*, quæst. 5. Idque ipsum clarè decidit cap. unic. ne Sed. vacant. in 6. quo pariter statuitur, ut si consuetudine, aut particulari statuto Capitulum conferre debeat cum consilio Episcopi, & contingat Episcopum mori, aut impediri per ejus in remotis partibus absentiam, aut etiam esse suspensum, istis casibus totum conferendi jus accrescat Capitulo.

XVIII. Sede vacante Capitulum intra dies octo debet de Vicario Generali, & de Officiali viduatæ Ecclesiæ de novo providere, aut priùs existentem, cujus jurisdictio simul cum Episcopo interiit, confirmare de novo. Si istud officium à Capitulo negligitur, transacto octiduo jus hoc ad Metropolitanum devolvitur. At si viduata sit Ecclesia Metropolitana aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Ecclesia de Vicario & Officiali debet providere. Concilium Trident. sess. 24. de reform. cap. 16.

XIX. Electio ejus qui assumendus est ad Præbendam Theologalem, & similiter ejus qui providendus est ad Præbendam Præceptorialem, pertinet ad Episcopum, adhibito tamen Capituli consilio, ut statuit Concilium Trident. quoad utramque Præbendam sess. 5. de reform. cap. 1. §. *Ecclesiæ verò*, ubi per hæc verba, *Ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum*, dilucidiùs explicat id quod statuerat pridem Concilium Lateranense

in

in cap. *Quia nonnulli*, de Magistris, hisce verbis : *A Prælato cum Capitulo, seu majori & saniori parte Capituli eligendus.* De istis quoque constituendis Præbendis sancivere Gallicana Edicta Comitiorum Aurelianensium art. 8. sub Carolo IX. & Blesensium sub Henrico III. art. 33. & 34. statuentia debere Theologum ab Episcopo, vel à Capitulo provideri. Id verò quoad Capitulum necesse est intelligi de electione, quandoquidem jure communi, & seclusis particularibus statutis, vel usibus, Capitula vivente præsertim Episcopo jus non habent Beneficia conferendi, cap. *Illa*, ne Sede vacant. & cap. 1. de institutionibus in 6. Quia verò dicente Apostolo, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi*, abusus passim in hoc Regno invaluit, ut his provisi Præbendis eas vel cum aliis commutent, vel cum onere pensionum resignent in eorum favorem, qui munia docendi & prædicandi vel nunquam, vel rarissimè persolvent : Meminerint quicunque sic agunt, aut agentibus favent & opitulantur, quale judicium apud Christum Ecclesiæ sponsum & animarum tremendo sanguine redemptarum zelatorem his immineat, qui sanctissimas œcumenicorum Conciliorum provisiones circa Cleri & Christianæ plebis per divini verbi prædicationem & sacrarum literarum expositionem eludunt & abolent, solo retento Theologalis Canonici nomine & stipendiis, sine spirituali usu aut fructu.

XX. Quod verò attinet ad Pœnitentiarium Ecclesiæ, ejus electio & institutio à solo dependet Episcopo, nec ullus Capituli consensus requiritur, ut censuit sacra Cardinalium Congregatio declaratione 479. quam refert & sequitur Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. *Pœnitentiarius*, quæst. 3.

XXI. Sunt aliqui in Cathedralibus Ecclesiis Beneficiarii, quos Gregorius IX. cap. *Cum ad hoc*, de Cler. non resident. vocat Assisios, & à Canonicis distinguit. Ibi verò Glossa dicit Assisios esse quosdam Beneficiarios non Canonicos, sed tamen adstrictos Ecclesiæ quotidiano ministerio: non tamen vocantur ad deliberationes Capituli. Hi præterea vocantur Mansionarii. Porrò genus hoc Beneficiariorum eligi solet à solo Capitulo, & si interveniat ibi Episcopus, nil amplius habet quàm unius vocalis seu Canonici suffragium. De his providè statuit Synodus Provincialis Aquensis anno habita 1585. tit. de beneficiatis, seu mansionariis. *Beneficiaturæ seu Mansionariæ prædictæ, tam Ecclesiarum Cathedralium quàm Collegiatarum dictæ Provinciæ, antiquioribus, & in cæremoniis & musica peritioribus Clericis Ecclesiæ & Capitulo inservientibus, adinstar Metropolitanæ Ecclesiæ, tantùm conferantur.* Et quanvis sit ita provisum antiquissimis singularum Ecclesiarum statutis perpetua consuetudine firmatis, & speciatim Ecclesiæ Metropolitanæ Aquisextiensis, etiam roboratis per Bullas Martini V. & Leonis X. Pontificum, & per diploma Regis Francisci I. mensis Novembris anni 1533. contigit tamen aliquando, ut aliqui Mansionarii

affectu adducti carnis & sanguinis, suas Mansionarias in favorem coram Papa vel Legato resignare voluerint. Attamen injustæ istæ prætensiones protinus repressæ sunt Supremarum Curiarum judiciis, scilicet Senatus Provinciæ die Martii 18. an. 1552. item ultima die Junii an. 1632. præterea Maii 21. an. 1635. insuper mense Junio an. 1646. Cumque cavillandi & tergiversandi studio contra postremum istud Senatusconsultum sumptis literis in forma civilis libelli, ut vocant, *par lettres de Requeste civile*, reclamassent, fuissetque causa ista commissa Sanctiori Regis Consilio, subsequutum est supremum post Partium contestationem Judicium, quo declaratum & sancitum est, istiusmodi Beneficia dependere omninò ab electione Capituli, neque ullum in his locum esse præventionibus. Præterea decisum, non solùm astringi Mansionarios Divinis in choro Officiis, sed etiam quibusvis aliis intra Ecclesiam præstari solitis ministeriis & musicis cantibus. Simulque repulsi sunt à petito stipendiorum annuorum solitorum augmento.

XXII. Jure communi quando Beneficii collatio spectat ad Episcopum & ejus Capitulum, sive conjunctim, sive divisim, altero horum negligente quod sui officii est, devolvitur collatio ad alterum, scilicet à Capitulo ad Episcopum, & ab hoc ad Capitulum, cap. 2. de concess. præbend. & cap. unico, ne Sede vacant. in 6. Jus verò conferendi semper devolvitur elapso semestri, sive quia nullatenus provisum fuit, sive quia provisum de incapaci, d. 2. cap. In Gallia tamen nulla admittitur devolutio ab Episcopo ad Capitulum, sed solùm à Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo verò ad Metropolitanum solum, ut monet Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de devolutionib. n. 22. & 23.

XXIII. Sede vacante Capitulum Episcopo succedit, non in Ordine, sed in jurisdictione, exceptis tamen quibusdam à Jure reservatis, qualis est Beneficiorum collatio, & literarum dimissoriarum expeditio.

XXIV. Antiquitus Sede vacante poterat absolutè Capitulum literas ad Ordines dimissorias concedere, cap. *Cùm nullus*, §. *Episcopo*, de tempor. ordinat. in 6. Sed aliter providet Concilium Trident. sess. 7. cap. 10. de ref. nimirum ut anno à vacatione Sedis numerando non liceat Capitulo Dimissorias cuiquam concedere, nisi hoc solo casu, cùm quis Beneficii Ecclesiastici, sive recepti, sive jam recipiendi occasione arctatur ad Ordinem aliquem recipiendum. Elapso autem vacationis anno, & necdum repleta Sede, potest deinceps Capitulum ejusmodi licentias & dimissorias literas concedere indifferenter.

XXV. Sedes verò vacat donec novus Episcopus adeptus fuerit possessionem, ut post Ostiensem, Felinum & Pisanum tradit Rebuffus in praxi, 1. p. tit. de devolutionibus, n. 72.

XXVI. Insuper Sede vacante non potest Capitulum Beneficia conferre, nec usquam invenitur cautum in Jure, quod Capitulum Sede vacante

cante fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum, ut loquitur & decidit cap. *Illa*, ne Sede vacant. etiamsi essent de genere Beneficiorum, quorum collatio spectat ad solum Episcopum cum consilio & assensu Capituli, cap. *Uno*, §. *Cùm verò*, ne Sed. vac. in 6. Rebuffus loco citato, n. 71. Hinc excipiuntur institutiones præsentatorum à Patronis, cap. 1. de institution. & collationes Beneficiorum quæ conjunctim ad collationem pertinebant Episcopi & Capituli; tunc enim per Sedis vacationem jus Capitulo accrescit. Multò magis retinet Capitulum jus conferendi Beneficia, quod ei soli competebat vivente Episcopo. Potest etiam vacante Sede conferre Beneficia quæ sunt præsentis necessitatis, atque ita Mandatariis & Graduatis conferre, & nominum insinuationes, quæ per quadragesimales dies fiunt, suscipere. Quod jus collationis etiam curatarum Ecclesiarum vacante Sede Capitulis asserunt in hoc Regno Chenutius & Bengeus ex multis quæ proferunt Senatusconsultis, ut pleniùs retuli hujus lib. 2. cap. 2. n. 10. & 11.

XXVII. Comperti juris est, ubi collatio simul spectaret ad Episcopum & Capitulum, posse à Capitulo conferri, si contigerit obiisse, aut depositum vel excommunicatum fuisse Episcopum, sive debuisset Episcopus interesse ut Prælatus, sive ut Canonicus in Capitulo, cap. unico, ne Sede vac. in 6. Rebuffus d. tit. de devolution. n. 74. Zerola p. 1. verb. *Capitulum*, q. 5. Conferre quoque potest Capitulum vacante Sede, si collatio spectet ad Capitulum cum consensu Episcopi, d. cap. unico, in fine, ne Sed. vacant. in 6. Præterea Capitulum, dum vacat Sedes, potest Beneficia conferre quæ ad Episcopum devolverentur propter culpam aut negligentiam inferioris Collatoris. Zerola ibid. Ratio est, quia Jus non permittit devolvi jus collationis, nisi ad proximum & immediatum Superiorem, qualis non est isto casu Metropolitanus. Id ergo competit Capitulo immediatè. Insuper multùm interest Ecclesiæ, ne diu Beneficia vacent, ut contingeret si esset expectandus futurus in Episcopatu successor, cap. unico, in fin. ne Sed. vacant. in 6.

XXVIII. Pari ratione appellationes, de quibus Episcopus jure ordinario cognoscceret, devolvuntur Sede vacante ad Capitulum, atque ita ab ipsis Episcoporum suffraganeorum judiciis provocatur ad Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ viduatæ. Cujus summa & generalis ratio est, quia Capitulum vacante Sede Episcopo succedit in his quæ sunt jurisdictionis, solis exceptis casibus expressò jure prohibitis. Federicus consil. 30. Panormitanus in cap. *Cùm olim*, de majorit. & obed. Panuinus tract. de Capituli potest. Sed. vac. p. 1. q. 1. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de devolution. n. 58. & Joannes Andreas in d. cap. *Cùm olim*, testatur hunc esse communem Doctorum sensum.

XXIX. Sede vacante Capitulum confirmat, vel infirmat electiones, sicut posset Episcopus, d. cap. *Cùm olim*, de majorit. & obed,

XXX. Simi-

XXX. Similiter potest Capitulum Sede vacante præsentatos à Patronis Clericos admittere & instituere, sicut posset per se Episcopus, ac sine Capituli consilio, cap. 1. de institution. in 6. Si quæras discriminis causam, cur possit Capitulum instituere præsentatos, & confirmare electos ad Beneficia, cùm tamen non possit idem Beneficia conferre? Respondet Gloss. & Panormitanus in d. cap. *Cùm olim*, causam hanc esse, quia conferre est liberæ voluntatis, sed instituere præsentatum, aut confirmare electum, est necessitatis; non enim potest Episcopus rejicere præsentatos aut electos, modò non sint incapaces.

XXXI. Etsi non succedat Capitulum Episcopo in iis quæ sunt Ordinis, sed in sola jurisdictione, potest tamen Episcopo committere intra viduatam diœcesim ea quæ sunt Ordinis: nam committere alteri est solius jurisdictionis, non Ordinis actus. Panuinus 1. p. q. 3. Azorius tom. 2. lib. 3. cap. 37. quæst. 8.

XXXII. Potest item Capitulum Sede vacante admittere mutuas Beneficiorum permutationes & resignationes. Rebuffus d. tit. de devolution. num. 95. Zerola p. 2. verb. *Capitulum*, quæst. 7. Ratio est, quia quanvis non possit Capitulum resignationes liberè recipere & conferre, cap. unico, §. *Cùm verò*, ne Sede vac. in 6. potest tamen recipere & conferre in iis quæ sunt necessitatis, ut est Beneficiorum permutatio, ad quam admittendam ipse astringeretur Episcopus, nec posset alteri conferre: sicut paulò antè dixi de instituendis præsentatis, ob eandem necessitatis rationem, & de confirmandis electis.

XXXIII. Spectat etiam ad Capitulum dum vacat Sedes, dare Ecclesiam seu Beneficium in Commendam temporalem ad sex menses, quos etiam poterit ex justa causa prorogare, donec provisus fuerit, & in possessionem missus Episcopus. Ita Panormit. in d. cap. *Cùm olim*, de majorit. Innocentius in cap. *Illa*, ne Sede vacant. Ancharanus & Joan. Andreas in cap. 1. eod. tit. in 6. Rebuffus tit. de devolution. num. 77. & 78.

XXXIV. Pertinet quoque ad Capitulum Beneficiariorum depositio, seu privatio à Beneficiis. Panuinus d. tract. de Capit. potest. Sed. vac. p. 2. quæst. 6. num. 1. & 2. Testatur affirmativam sententiam esse communem Azorius 2. p. lib. 3. cap. 38. q. 11. quia jurisdictionem habet Episcopalem ad puniendum facinorosos Clericos, & inquirendum.

XXXV. Potestate etiam potitur Capitulum vacante Sede dispensandi cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium simplex habendum. Navarra consil. 7. de fil. presbyt. Zerola p. 2. verb. *Capitulum*, q. 3. Ratioque est, quia Capitulum Episcopo succedit in iis quæ spectant ad jurisdictionem ordinariam & voluntariam, nisi Canone quid excipiatur: at exceptio talis in Jure non legitur.

XXXVI. Capitulum Sede vacante supplet Episcopi vices in his quæ sunt necessitatis; ideoque insinuationes nominum Graduatorum Clericorum

rum recipit, & Graduatis & Mandatariis affectata ipsis Beneficia confert. Probus in pragmat. Sanction. tit. de collationib. §. *Item voluit*, in verb. *Vicario:* Ranchinus 3. p. conclus. 73.

XXXVII. Dum vacat Sedes, potest Capitulum eosdem omnes à casibus & censuris reservatis, sive ab homine, sive à jure solvere, quos posset vivens Episcopus absolvere, cap. unico, de major. & obed. in 6. Potest similiter excommunicare, suspendere & interdicere, quos posset Episcopus, cujus vicem gerit in rebus jurisdictionis. Panuinus loco cit. atque communiter.

XXXVIII. Sede vacante potest & debet Capitulum intra dies octo Vicarium Generalem creare, qui in Theologia vel in Jure Canonico Doctor sit, vel saltem Licentiatus. Concilium Trident. sess. 24. cap. 16. de reform. Eadem præscribuntur Edicto Blesensium sub Henrico III. Comitiorum, quæ hoc adjungunt, Generalem Vicarium oportere esse Sacerdotem. Transactis diebus octo devolvitur hæc potestas & officium ad Metropolitanum.

XXXIX. Licèt Capitulum Sede vacante potestate polleat circa canonicas pœnas per universam Diœcesim, nihil tamen habet hujusmodi potestatis Episcopo superstite, ne in ipsos quidem, qui de suo corpore sunt, Canonicos, neque in inferiores ejusdem Ecclesiæ Beneficiarios, aut deservientes. Verumtamen jus habet prædictorum excessus corrigendi, dum id fiat sine strepitu, vel forma judicii. Atque ita potest administros contumaces expellere: quinimò de suo corpore Canonicos, aliosve suæ Ecclesiæ Beneficiarios ex justa causa ad certum & definitum tempus distributionibus privare, & ab officio Ecclesiæ citra judiciarias censurarum formas, & citra effectum irregularitatum, quæ contumaces censurâ notatos afficiunt, suspendere, cap. *Irrefragabili*, de offic. Ordinarii, maximè ubi sic dicit: *Excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum.* Hoc etiam addens: *Executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus excesserint observandam.* Conformatur cap. *Ad nostram*, de appellation. Censuras verò cuiquam infligere dum vivit Episcopus, Capitulum non potest, nisi ubi Capitulum consuetudine jam præscriptâ, vel aliquâ indulgentiâ aut concessione acquisierit in personas deservientes jurisdictionem, aut potestatem censurarum Ecclesiasticarum, ut statuitur cap. *Cùm contingat*, de foro compet. In quod caput scribens Panormitanus astruit in Capitulis generatim prædictum jus moderatæ citra jurisdictionem correctionis, quale habent parentes, tutores, magistri, qui tamen jurisdictione carent. Hac ratione apud Paponem lib. 1. placitorum, tit. 3. sect. 4. Parisiensi Senatusconsulto Decanus ipse Carnotensis Ecclesiæ, qui ob contumeliam uni de Canonicis intra Capitulum illatam, fuerat ab eodem Capitulo distributionibus per dies octo privatus, & appellaverat quasi ab abusu, remissus fuit, ejusque sub-

mota, rejectaque appellatio. Non potest tamen Capitulum procedere ad incarcerationem, sed solus Ordinarius: docetque ibidem Papo sect. 3. Clericum qui ab incarceratione per Capitulum decreta appellaverat, fuisse Senatusconsulto remissum ad carceres Episcopales & Episcopi judicium.

XL. Hoc denique tenendum circa res Capituli, majorem Capituli partem, quæ in omnibus deliberationibus prævalere debet, sumendam esse (nisi contraria invaluerit alicubi consuetudo) non per comparationem ad minores partes, sed ad totum ipsum, juxta Panormitanum in cap. *Quia propter*, de election. & in cap. 1. de his quæ fiunt à major. part. Capitul. & Bellameram decis. 275. & Zerolam p. 1. verb. *Capitulum*, quæst. 13. & Boërium decis. 3. Exempli gratiâ Capitulum constat ex duodecim Canonicis suffragii jus habentibus; horum tres eligunt Caium, alii tres Titium, reliqui sex Sempronium: nulla ex his tribus censeri potest major pars, sed ut talis sit, necesse est in unam partem consentire septem vocales. Idque ritè colligitur ex cap. *Cùm in Genesi*, & cap. *Ecclesia*, de elect. Id verò locum non habet in pluribus Patronis, sive Clericis, sive laïcis præsentantibus, in quibus pars major spectari debet non per comparationem ad totum, sed ad singulas partes, ut ait ibid. Zerola cum multis Authoribus, quos allegat & sequitur.

CAPUT XXV.

De Capitulari Beneficiorum provisione, Sede non vacante: & de simultanea Episcopi cum Capitulo provisione.

I. JURE ordinario, neque contraria consuetudine loci, vel statutis specialibus, aut concordatis, aut particularibus fundationibus abrogato, Capitula non modò Cathedralia, sed etiam Collegiata providere solent de præbendis quæ sunt de ipsorum gremio, aliquando conjunctim cum Episcopo, & aliquando divisim ab illo. Secundùm has diversitates diversos quoque Canones legimus in corpore Juris. Innocentius Papa III. in cap. *Cùm Ecclesia Vulterana*, de election. refert in Tuscia generalem vigere consuetudinem, ut in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum, irrequisito Episcopo, Canonicos eligendi potestatem habeat. Præterea cap. *In cunctis*, §. *Clerici*, eod. tit. loquitur de solo Capitulo eligente. Insuper Celestinus Papa III. cap. *Proposuit*, de concess. præbend. mandatum de providenda Præbenda direxit ad

ad solum Præpositum & Capitulum Cameracense. Quandoque jus devolvitur à Capitulo negligente ad Episcopum, ut provideat; & ex opposito, ab Episcopo negligente providere, ad Capitulum, cap. *Nulla*, de concess. præbend. Aliquando alternatim, seu (ut aiunt) per turnum, provisio spectat nunc ad Episcopum, nunc ad Capitulum, cap. *Cùm in illis*, de præbend. in 6. Aliàs etiam jus istud soli reservatur Episcopo, cap. *Omnes Basilicæ*, & cap. *Nullus omninò*, 16. q. 7.

II. Ad quemcunque, sive ad Episcopum, sive ad Capitulum pertineat jus istud providendi, exercetur generaliter circa Canonicatus, d. cap. *Cùm Ecclesia Vulterana*, de election. quinimò circa Dignitates Capituli quæ vacant, qualis est Præpositura, cap. *Dudum ad audientiam*, de election. Et utique communi nomine Præbendæ involvi Dignitates, Personatus & Canonicatus, docent Cujacius super rubrica de præbend. Lotterius lib. 2. de re benefic. q. 21. ubi & alios plerosque Doctores profert: item Pastor lib. 1. de benefic. tit. 9. n. 2.

III. Si quæris de Capitulorum Præbendis, ad quem jure communi pertineat earum vacantium provisio, præcisis & seclusis particularibus, sive consuetudinibus, sive fundationibus, sive statutis? Respondemus juris communis dispositionem hanc esse, ut hæc potestas ad Episcopum simul & Capitulum Cathedrale, cujus Præbenda vacat, pertineat, juxta cap. finale, de supplend. neglig. Prælat. & cap. *Postulastis*, & cap. *Nulla*, de concess. præbend. & cap. *A collatione*, de appellation. in 6. Atque hoc expressè tenet Glossa in d. cap. *Cùm Ecclesia Vulterana*, de elect. & Glossa in d. cap. fin. de supplend. neglig. Prælat. item Rebuffus consil. 70. & Garcias de Beneficiis p. 5. cap. 4. n. 42. Lotterius loco cit. aliique. Summa horum ratio est, quia Præbendæ præsumuntur ex communibus Ecclesiæ bonis institutæ. At nomine Ecclesiæ comprehenduntur simul Episcopus, qui capitis; & Capitulum, quod corporis vice fungitur, ut ait præclarè cap. *Novit*, de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Cap.

IV. Hinc deducitur hæc resolutio, ut si Episcopus & Capitulum ita dissideant, ut eandem Præbendam diversis Clericis conferant, neutri ex illis jus quæratur, & gesta utrimque corruant. Ita Federicus consil. 232. & Joan. Andreas in cap. *A collatione*, de appellat. in 6. Adeo ut si interim Papa, vel Legatus jure concursus provideat, teneat ista provisio, ut latè disputat & decidit Probus, & qui eum sequitur Lotterius d. lib. 2. q. 21. num. 41.

V. Docet præterea Garcias loco cit. ubi collatio Præbendarum communis est inter Episcopum & Capitulum, valere factam seorsim ab uno ex duobus, altero horum per sex menses non contradicente: pluresque ad hoc Doctores profert. Est enim semestre terminus devolutionis ab uno ad alterum Collatorem, cap. *Nulla*, & cap. *Postulastis*, de concess. præbend.

VI. In Collegiatis verò Ecclesiis inferioribus à Cathedrali, quia in

his non est tanta communio, ut constituant cum Episcopo unum corpus unumque Senatum, collatio illa simultanea prætendi non potest. Proinde soli competit Capitulo collegiato jus præsentandi, seu eligendi ad Præbendas, quæ de suo gremio sunt. Ad Episcopum verò pertinet jus instituendi, seu confirmandi. Ita docent Joan. de Lignario, & Abbas in cap. *Cùm Ecclesia Vulterana*, n.8. de election. & Rota Romana sic decidit apud Cassadorum decis.22. n.2. & 3. de præbend. & Lotterius d. q.21. n.135. Sanè si tale Capitulum eligere intra semestre neglexerit, aut si incapacem elegerit, Episcopus tum demùm jure devoluti, prout sibi visum fuerit, providebit.

VII. A Capitulo cui interfuit Episcopus tanquam unus ex Canonicis, appellari potest ad ipsum Episcopum, sed non si interfuit ut Episcopus, cap. *Postulastis*, de concess. præb. & cap. *A collatione*, de appellation. in 6. ubi Glossa sapienter admonet interesse tanquam Canonicum, si statutum id præscribat, quanvis honoratiore loco sedeat: hoc enim defertur ejus dignitati. Sed ubi statutum nihil decernit, censebitur interfuisse ut Episcopus, ex honoratiore sessionis loco. * Sed si Episcopus sedeat, vel subscribat sub Archidiacono aut alio Capituli Præside, Glossa ibidem asserit Episcopum interesse tanquam unum ex Canonicis.

VIII. Duos eventus hìc adnoto, quibus Capitulum jus suum non amisit, à quo tamen excidisse videbatur. Primus est in cap. *Ecclesia*, de institutionib. ubi Capitulum Canonicorum aliquod vacans Beneficium, in quod ei competebat jus vel patronatûs, vel collationis, personæ laïcæ contulit. Super quo admonuit Papa, ut dejecto cui contulerant laïco, provideant de Clerico. Alter eventus est in cap. *Transmissæ*, de jurepatr. Ibi patronus laïcus, aut etiam Capitulum contulerat Beneficium cujus habebat patronatum alicui Clerico: sed postmodùm meliore judicio (quatenus advertit se conferendi potestate carere) Clericum alterum Episcopo præsentavit. Quanvis Clericus ille, cui præter jus contulerat, à posteriore Capituli deliberatione appellasset, prævaluit tamen posterior Capituli deliberatio, quam Summus Pontifex suo rescripto roboravit. Unde collige, Capitulum per utramque indebitam deliberationem jus suum non amisisse, eo quòd quamprimùm agnitum errorem sponte ac ultrò purgaverit, & correxerit. Non enim præstat impedimentum (ut ibid. dicit Glossa) quod de jure non sortitur effectum.]

CAPUT

CAPUT XXVI.

Beneficiariorum hæredes aut successores ad quid teneantur.

I. EXAMINANDÆ primùm hîc sunt obligationes ejus qui in Beneficium successit, deinde hæredum Beneficiarii. Sciendum in primis, successorem qui super suo Beneficio inquietatur propter defectum vel incapacitatem ejus cui successit, non teneri sui præcessoris jus tueri, ejusve titulum exhibere, nisi dolus & collusio inter utrumque probaretur, aut de jure præsumeretur, qualis præsumitur si post litem contestatam præcessor resignaverit. Sed citra fraudem non tenetur succedens Beneficiarius de præcessoris defectu, licèt talis fuisset, ut potuisset ejus Beneficium canonicè impetrari dum possidebat. Felinus in cap. *Venerabilem*, de exception. Laurentius Bouchellus in praxi benef. verb. *Permutatio*. Ratio fundamentalis est, quia non per resignationem, sed per collationem jus in Beneficio attribuitur, cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. & Clement. unica, §. *Porrò*, de præbend. Itaque provisus non habet jus suum à resignante cui succedit, sed ab ipso collatore.

II. Verumtamen successor in Beneficio tenetur illa præcessoris sui debita solvere, quæ pro Ecclesiæ necessitate contraxit, ut decernit cap. *Ad hoc*, de solution. Sicut enim hæres succedit in universum jus defuncti, l. *Hæreditas*, D. de regul. jur. ita successor præcessori succedit in universum Ecclesiæ seu Beneficii jus, cap. *Relatum*, il 2. §. *Nomine*, de testam. & similiter æquiparantur quoad solvenda debita (sicut hæres & defunctus) à præcessore contracta, ut ibid. dicitur. In his tamen notanda hæc differentia, quia hæres tenetur defuncti debita exsolvere qualitercunque contracta: sed succedens in Beneficium non ad alia tenetur, quàm quæ contraxit præcessor pro Ecclesiæ necessitate, aut utilitate. Licèt autem Innocentius in d. cap. *Ad hoc*, requirat præterea ut probetur versum esse in Ecclesiæ utilitatem, textus tamen id unum requirit, ut contractum fuerit debitum in Ecclesiæ necessitatem. Et Ostiensis in tit. de solution. num. 3. & Prosper Fagnanus in d. cap. *Ad hoc*, meliùs dicunt, non requiri ut reipsa versum sit in utilitatem Ecclesiæ: atque à paritate rationis probari potest per legem *Lucius*, D. de exercitor. act. Allegatque Fagnanus complures hujus sententiæ Doctores, additque hanc oppositam Innocentio sententiam esse inter Canonistas communem.

III. His adjunge, quod si Prælatus debita quædam pro sui sustentatione contraxit, tenetur successor illa persolvere, cùm teneatur Ecclesia Prælato suo alimenta suppeditare, cap. *Cùm secundùm Apostolum*, de præbend. Ita post Panormitanum, aliosque permultos docet Fagnanus, addens hoc ita judicatum in Romana Rota fuisse in causa Caurensis Episcopi, quem damnavit ad similem solutionem pro prædecessore Episcopo.

IV. Successor itidem in Beneficio solvere tenetur pensiones tempore prædecessoris decursas, nec tamen solutas, d. cap. *Ad hoc*, & ibi Fagnanus n. 12. & seqq. modò pensionarius probet diligentias à se contra prædecessorem factas, ejusque hæredes; & modò remaneat successori congrua portio, quæ in primis & ante omnia deduci debet. Eadem docet Pastor lib. 3. tit. 12. & Garcias 1. p. cap. 25. Sic enim novus possessor vectigalia quoque temporis anteacti præstare compellitur, l. *Imperatores*, D. de publicanis, & cap. 1. de solution. Sed si hæredes solvendo sint, hi primariò tenentur, ut superiùs jam notavi.

V. Quod verò attinet ad Beneficiarii hæredes, receptum jus est, ut fructus Beneficii, sive jam percepti, sive percipiendi, dividantur inter hæredes simul & successores in Beneficio, eadem ratione quâ Jus Civile constituit dividi fructus dotales inter maritum & uxorem, soluto matrimonio, eorumque amborum hæredes. Ut nimirum fructus ultimi anni ea sola parte marito adjudicentur ejusque hæredi, quæ parti anni æquiparatur quâ ipse sustinuit onera matrimonii; reliquum autem uxori, l. *Fructus*, D. solut. matrim. quemad. dos pet. Est quippe insignis convenientia inter conjugium corporale & spirituale, & inter amborum onera, cap. 2. de translat. Episc. Sic igitur fructus ultimi anni possessi Beneficii competunt inter successorem Beneficii, & hæredem defuncti, pro rata temporis intra eundem annum computati, quo defunctus onera sustinuit Beneficii. Reliquum verò, etiamsi jam ab hærede perceptum esset, restituendum est successori Beneficii. Itaque si defunctus possedit Beneficium ejusque onera sustinuit quarta parte postremi anni, hæres ejus reportabit quartam fructuum ejusdem anni partem, reliquum verò fructuum successor in Beneficio sibi vindicabit. Alioqui enim hoc iniquum sequeretur, ut qui de Beneficio fuisset provisus, & in possessionem immissus mense Junio, & sequentibus mensibus omnes ejusdem anni proventus & decimas percepisset, eisque perceptis, si mense Octobris decederet, cogeretur ejus successor eodem Octobris mense per obitum, aliterve provisus toto anni residuo deservire sine ullis fructibus, cùm ejus præcessor, qui ne anni quidem medietate deservisset, totius anni fructibus potitus esset, quibus ejus etiam hæredes indebitè potirentur. Bleinianus in praxi benef. tit. de patrimon. Eccles. permultas ad hoc firmandum authoritates, & Tribunalium decisiones allegat. Idemque docent Covarruvias lib. 1. var. resolut. cap. 15. num. 12. Chopinus lib. 3. de sacra politia, cap. 1. n. 33.

Louetus

Louetus lit. *F*, num. 12. Joan. Baquet tract. de just. & jure, cap. 15. num. 60.

VI. Rursus quæritur in dividendis illis pro rata temporis fructibus, à quo tempore annus sit inchoandus ? Respondeo à mense Januario, ut ex multis Senatusconsultis docent & probant Chopinus, Louetus, & Baquet locis citatis, & Bengeus tit. de peculio Clericorum, §. 19. num. 9. 10. 11. Annæus Robertus lib. 3. rerum judicatarum, cap. 4. Papo lib. 18. placitorum, tit. 4. art. 11. At verò jus commune statuit ut œconomus constituatur, qui vacantis Ecclesiæ fructus percipiat, eosque futuro successori reservet, cap. *Cùm vos*, de offic. jud. ordin.

VII. Opponet aliquis, Beneficiarium quæ de fructibus supersunt teneri non modò ex charitatis officio, sed etiam ex lege justitiæ ad pias causas erogare. Unde sequitur omnes fructus qui post ejus obitum supersunt, non posse ad hæredes transmitti, sed ad Ecclesiam vel pauperes dumtaxat, & oppositam consuetudinem meram esse corruptelam : quod etiam constanter affirmat Navarra in suo libello de redditibus Eccles. tota quæst. 3. His respondendum cum Azorio p. 2. lib. 7. cap. 9. hanc legem non esse Divino aut Naturali Jure introductam, sed Ecclesiastico, ac proinde posse ac potuisse contraria consuetudine aut Ecclesiæ dispensatione solvi ac remitti : Neque verum esse quod scribit Navarra, oriri hanc obligationem ex pacto vel obligatione cum fundatoribus inita, ut subductis ad Clerici modestum victum necessariis, reliquum omne in Ecclesiam vel egenos impenderetur. Non enim convinci potest aliquid tale à fundatoribus fuisse vel cogitatum, nedum in pactionem adductum. Præsumendum quidem est, noluisse illos, ut fundationum redditus luxui Clericorum inservirent ; non tamen voluisse adstringere ad hoc officium ulla obligatione nova, vel conventione supra Dei legem communem : quemadmodum testator nequaquam intendit ab hærede suo dissipari opes hæreditatis ; si tamen contingat eas ab hærede per luxum dissipari, non ideò peccat hæres contra justitiam, nec restituere dissipata tenetur ; quia scilicet illa testatoris præsumpta intentio non fuit in pactum aut conditionem deducta. Minimè tamen excusandi sunt Beneficiarii sic abutentes à mortali delicto, & damnationis apud Deum reatu. Esto enim sint redditiuum Ecclesiasticorum domini, attamen hujus dominii usus debet ex pietatis & charitatis obligatione regulari, tametsi non lege (ut objiciebatur) justitiæ, aut mutuæ conventionis cum fundatoribus initæ : & qui in superflua impendit, indubiè violat Dei intentionem, quatenus à nobis officia charitatis exigit ; quemadmodum in Divite epulone observat Chrysostomus, eum fuisse damnatum, non quia aliena usurpaverit contra justitiam, sed quia suas opes malè impendit, nec pauperibus opem tulit, contra charitatem. Et insuper peccat talis Beneficiarius contra intentionem præsumptam fundatorum, & contra Ecclesiæ sacros Canones ; & tantò gravius peccat quàm

quàm Dives epulo, quia iſte profanas opes, Beneficiarius autem diſſolutus aut avarus ſacras opes malè expendit, aut malè retinet, & adeptis ſibi per Eccleſiæ beneficium bonis, contra ipſius Eccleſiæ intentionem abutitur. Sic verò abutentis valida quidem eſt ſecundùm juſtitiam diſpoſitio, propter dominium; ſed tamen illicita & damnabilis ſic abutenti: ſicut laïcus in luxum opes ſuas prodigens validè alienat, nec tamen immunis eſt à peccato & damnatione.

VIII. An igitur peccent hæredes dum oblatos ſibi, ſive jure conſuetudinis ab inteſtato, ſive ex Beneficiarii teſtamento fructus iſtiuſmodi recipiunt? Reſpondeo, ſi ipſi teſtatorem ad hoc induxerint, non eſt dubium peccaſſe, dum rem ſuaſerunt illicitam, quam ille teſtator ſine mortali culpa exequi non potuit. Sed ſi iidem ſponte oblata recipiunt, ante trecentos & amplius annos conſuetudine conſtanti obſervabantur Canones, qui vetant Clericis de bonis ex Beneficiis acquiſitis, ſive inter vivos, ſive per ultimas voluntates aliter quàm ad pias cauſas diſponere. At ſubſequutâ diſciplinæ ſacræ relaxatione factum eſt, ut promiſcuè Clerici de his ſive inter vivos, ſive teſtamento diſponant ad libitum, perinde ac de patrimonialibus: quinimò ut ſi inteſtati decedant, vocentur proximi agnati ad hujuſmodi bonorum ſucceſſionem. Cui praxi ſeſe accommodantes Summiſtæ, fatentur quidem Clericum ſic diſponentem peccare mortaliter, nec licitum eſſe agnatis eoſdem ad ſic diſponendum ſolicitare, quia hoc agentes ſuadent Clericis ut mortaliter peccent, quod æterna & indiſpenſabili lege vetitum eſt. Hæc docent Covarruvias de teſtamentis in cap. *Cùm in officiis*, num.9. Leſſius lib.2. de juſtitia, cap.19. dub.4. num.44. & ſeqq. Bonacina de contractib. diſp.3. q.17. punct.2. num.4. aliique communiter. His tamen adverſantur Sacri Canones, qui opes & proventus Eccleſiaſticos non aliis quàm pietati, ſive ad Dei cultum, ſive ad inopum ſuſtentationem, deductis Clericorum victui neceſſariis, impendi licere aſſeverant. Vide in Decreto cauſam 12. per totam. Et ſapienter dicit S. Auguſtinus epiſt.50. ad Bonifacium Comitem: *Si privatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus, non illa noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis damnabili uſurpatione vendicamus.* Atque in Decretalibus vide cap.1. cap. *Filius*, cap. *Cum in officiis*, cap. *Quia nos*, de teſtamentis. Secundò quia quæ fuerunt onera & obligationes defuncti, tranſeunt ad hæredes, & in ejuſmodi una & eadem perſona cenſentur defunctus & hæres, idemque jus ſubire compelluntur; & is qui in jus ſuccedit alterius, eodem quoque jure uti debet, cap. *Is qui*, de reg. jur. in 6. & l. *Qui in jus*, D. eod. Igitur quæ obligatio adſtringit Clericum Eccleſiaſticos fructus impendere ad officia pietatis, eadem adſtringit ejus hæredem. Tertiò quia res quælibet ad quamcunque perſonam tranſeant, ſimul cum ſuo onere tranſeunt, cap. *Ex literis*, de pignorib. & l. *Si debitor*, C. de diſtract. pign. & l. *Alienatio*, D. de contrah. empt. At fructibus Eccleſiæ

cohæret

cohæret destinatio ad pietatis opera : igitur eadem transmittitur destinatio & onus ad hæredes, quemadmodum obligatio restituendi, quæ usurario inhærebat, transit ad ejus hæredem, in quantum ad ipsum de bonis defuncti pervenerit, cap. *Tua nos*, de usur. Concludendum itaque, posse quidem hæredes ad quos fructus Beneficii pervenerint, illa retinere, quæ defunctus Clericus poterat ex Canonum permissu ad suos hæredes transmittere, sive ex titulo retenta rationabilis compensationis sibi Clerico debitæ, aut officiosæ mercedis intuitu, aut etiam titulo pietatis & eleemosynæ, si hæredes eorumque familia egestate premantur. Potest insuper, quanvis commodus & dives hæres, sibi illa retinere, quæ defunctus parciori victu, cùm licuisset plura inculpatè expendere, sibi coacervaverat, aut quæ intuitu laboris proprii suo dominio, suæque liberæ dispositioni comparaverat, ut sunt emolumenta distributionum, Anniversariorum, Missarum, administrationis Sacramentorum, aut verbi Dei. At reliquos extantes fructus Ecclesiasticos tenetur hæres lege conscientiæ ad pietatis opera providè distribuere, obligatione si non justitiæ, certè charitatis. Nec tamen dixerim hæredem statim debere exequi istas omnes ad pietatis opera distributiones, alioqui enim sese gravi rerum propriarum damno exponeret, quando ex postfacto repeterentur ab eo diversa defuncti debita quæ ignorabat, & sic post effusas in Ecclesiam & pauperes facultates hæreditatis, novas expensas de propriis bonis sustinere cogeretur circa postmodùm emergentes hæreditatis lites & impensas litium. Igitur hac in re neque sibi adblandiendo, neque etiam sibi damna indebita arcessendo, quod sanè iniquius esset, potest hæres sibi cavere judicio probi & prudentis consiliarii, atque aliquas cæteroqui debitas ad pia opera distributiones in tempus futurum differre.

IX. Quænam verò sit Angelici Doctoris sententia, perspicuum est 2. 2. quæst. 185. art. 7. ubi duplicem adducit bonorum, quæ Episcopus habere potest, distinctionem, scilicet bonorum propriorum, & bonorum Ecclesiasticorum : de propriis seu patrimonialibus dici posse Episcopum illa sibi retinere, vel aliis pro libito elargiri. De bonis autem Ecclesiasticis sic distinguit, facta divisione quatuor partium reddituum Ecclesiasticorum, qui juxta can. *De redditibus Ecclesiæ*, 12. quæst. 2. debent unà cum oblationibus Fidelium distribui in quatuor, scilicet in partem Episcopi, in alimoniam ministrorum Ecclesiæ, in fabricam & cultum Ecclesiæ, & in alimoniam pauperum : & eo casu si Episcopus retineat sibi aliquid de iis quæ destinata erant ad tres reliquas partes, concludit S. Thomas, Episcopum & peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem : vel tres aliæ partes legitimè, & sine fraude fuerunt iis quibus debebantur attributæ, ita ut Episcopo nihil amplius supersit ultra debitam sibi Ecclesiasticam portionem ; & huic membro distinctionis S. Thomas immediatè subjungit hæc verba : *De his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem*

ratio quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Cùm verò omnis distinctio fieri debeat per oppositas differentias, non alia hîc intelligi potest differentia quàm oppositum membri contradistincti, in quo Episcopus sibi contra justitiam usurpat de portionibus quæ aliis Clericis sibi inferioribus ac subditis, & fabricæ atque cultui Ecclesiæ, & pauperum subventioni destinatæ erant: ad quod membrum dixit S. Thomas, Episcopum peccare contra bonam fidem, quod idem est ac contra justitiam: in hoc autem altero membro ait S. Thomas, peccare contra charitatem. Item in illo deteriore & oppositio bonæ fidei membro dicit, Episcopum ad restitutionem teneri. Ergo in hoc altero minùs culpabili membro, in quo dixit Episcopum peccare contra debitum charitatis, inferendum necessariò est istud oppositum, quod eo casu Episcopus non teneatur obligatione restituendi; quod etiam satis significatur his ejus verbis: *Sicut requirit debitum charitatis.* Certum enim est, obligationem restituendi non sequi debitum charitatis, sed tantùm debitum justitiæ. Ejusdem Doctoris Angelici mens non minùs limpidè effulget ibid. in resp. ad 2. his verbis: *Et ideò si de eo quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodo illud fiat moderatè.* Illa verò sibi facta subtractio, de qua loquitur, non est intelligenda de superfluis reddituum Ecclesiasticorum; constanter enim tenendum ex ipsius Ecclesiæ mente & communi omnium Orthodoxorum Doctorum sensu, peccare damnabiliter Clericum, qui de ejusmodi superfluis aliter quàm ad pias causas disponit, quanvis restituere non teneatur. Sed iste Sancti Thomæ locus intelligendus est de eo quod Clericus suo congruo & decenti victui subtraxit parciùs vivendo, cùm liceret ei sine labe saltem mortalis culpæ circa se impendere.

X. Hæredes tenentur primariò pensiones Ecclesiasticas exsolvere, quas debuit, & non solvit defunctus Beneficiarius, ut tradunt Louetus lit. *A*, num. 15. Faber Cod. de Sacrosanct. Eccles. definit. 86. aliique communiter contra Garciam 1. part. cap. 25. Prima ratio est, quia pensionarius non habet jus ullum in Beneficio, sed in solis fructibus Beneficii. At verò successor in Beneficio nullam contraxit obligationem circa pensiones quæ suam provisionem antecesserunt, neque (ut alibi probavimus) suum mutuatur jus ad Beneficium à suo prædecessore, qui tantummodò potuit se abdicare Beneficio, sed nullatenus in alterum transferre, sicut potuit suam transferre hæreditatem. Itaque successor non aliunde jus in Beneficio habet quàm à Collatore, neque tenetur ad præcedentia sui præcessoris debita, quæ non fuere ad Ecclesiæ utilitatem contracta, cap. 1. de solution. Secunda ratio est, quia quælibet actio ad hæredem & adversùs hæredem transmittitur, l. *Veteris*, & l. ult. Cod. de contrahend. & commit. stipulat. & l. unica, Cod.

Cod. ut actiones ab hæred. & contra hæred. incipiant. Præterea ex defuncti contractu vel quasi contractu hæres indistinctè tenetur, l. *Ex depositi*, Cod. de action. & obligat. & l. *Ad ea*, §. *In Contractibus*, D. de re judic. Frustra verò Garcias adducit legem *Imperatores*, D. de publicanis, in qua novus possessor solvere cogitur vectigalia temporis anteacti. Sed ea lex loquitur de meris realibus oneribus; hîc autem quæstio agitatur de onere personali conjunctim & reali, quod non aliter personam afficit, nisi quatenus rem possidet. Præterea jura Fisci certis quibusdam privilegiis & severitatibus fulciuntur, quæ non sunt in consequentiam trahenda rerum privatarum. Nec minùs frustranea objectio erit cap. 1. de solution. quo damnatur successor in Beneficio persolvere debita prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta. Ad hoc enim est duplex responsio: & prima est, quia pensio privata nullatenus dici potest contracta pro necessitatibus, sed potiùs in detrimentum Ecclesiæ, quæ sic oneratur. Secundò, quia tempore illius Canonis nulli poterant esse defuncti Beneficiarii hæredes circa bona de Ecclesia percepta, nisi ipsamet Ecclesia, ut paulò ante ostensum est: nunc verò succedunt ubique hæredes cognati, tam ab intestato, quàm ex testamento, in ipsas etiam facultates ac opes, quas Beneficiarius ex propriis Beneficiis consequutus fuit; & in hoc ipso tota fundatur præsens quæstio, an hæredes teneantur, an successor in Beneficio? Hæredum tamen defectu poterit intentari adversùs successorem Beneficiarium subsidiaria actio.

XI. Ob eandem pariter rationem tenentur hæredes reparationibus & ornamentis Ecclesiæ, quæ contribuere debuit, & neglexit defunctus Beneficiarius; ad hæc enim hypothecæ subjiciuntur bona defuncti ad suos translata hæredes. Quod jus firmatum fuit Senatusconsultis à Loueto & Scholiaste Brodeo relatis lit. *K*, num. 5.

XII. Quanvis Glossa in cap. fin. ne Prælati vices suas, scribat successorem in Beneficio non teneri stare locationi præcessoris sui, æquius tamen esse docet Renatus Chopinus lib. 3. de sacra Politia, cap. 7. num. 6. ut teneatur stare, modò exinde nihil damni sustineat. Idque confirmat placito Curiæ Parisiensis die 14. Augusti 1574. itemque authoritate Baldi in l. *Jubemus*, Cod. de sacrosanct. Eccles. Et verò qui in alterius locum succedit, eodem jure, quo ille, uti debet, cap. *Is qui in jus*, de regul. jur. in 6. & l. *Qui in jus*, D. eod. tit. Idemque Chopinus num. 7. contra Ruzeum opinantem in lib. Privilegiorum Regaliæ, privil. 30. Ecclesiasticas locationes à defuncto Episcopo contractas rescindi posse ab Oeconomo Regaliæ, propugnat in oppositum, non posse rescindi: Oeconomus enim constante Regaliâ debet custodire, sed non immutare sacræ œconomiæ statum, cùm sit instar curatoris bonis dati, cui pactitiam fundi conductionem non licet convellere, nisi fraudulenter contractam esse appareat: profertque Parisiense Senatusconsultum mensis Augusti anni 1568. secundùm

conductorem Episcopalem molendini Divi Clodoaldi. Aliàs enim deciperentur conductores authoritate Juris : quod fieri iniquum est, l. 1.Cod. de his qui veniam ætatis impetr. Traditque Rebuffus de alienatione rerum Ecclesiæ, num.62. veteres colonos, ubi Ecclesia nihil damni sustinet, novis esse præferendos : idque firmat Senatusconsulto Parisiensi anni 1528. die 26.Martii.

CAPUT XXVII.

De Ecclesiarum structuris & reparationibus : & de Ædituis sive Matricularis.

I. PRIMIS Ecclesiæ seculis ea viguit consuetudo, ut ex illius redditibus quarta pars Episcopo cederet, ipsius personæ & familiæ, atque hospitalitatis officiis impendenda : altera pars inter Clericos ad victum distribueretur : pars alia in pauperes & viduas erogaretur : altera demùm portio fabricis & decori Ecclesiarum destinaretur, can. *Concesso*, can.*Quatuor*, can.*De redditibus*, can.*Cognovimus*, & can. *Mos est*, 12. quæst.2. Nunc verò pro locorum diversitate variæ consuetudines circa obligationes contribuendi ad fabricam Ecclesiæ invaluerunt.

II. Laurentius Bochellus Scholiastes magnæ Collationis Constitutionum Regum Franciæ, ad lib.1. Collationis, tit.5. §.24. scribit usu esse receptum in Gallia, ut non solùm Episcopi & Abbates propriis Ecclesiis, sed ipsi etiam Parochi & Rectores teneantur singuli contribuere ad propriarum Ecclesiarum fabricam & reparationem, si modò ipsi quoque redditus copiosos percipiant : & ad hoc multa profert Curiarum Regni Judicata. Id confirmant prisca Constitutione Caroli Magni, inserta in dicto lib.1. Collationum, tit.5. §.9. desumpta ex ejusdem Capitularii libro 5. cap.146. ubi statuitur, debere Beneficiarios qui decimas de frugibus aut animalibus percipiunt, aut qui censibus Ecclesiæ perfruuntur, contribuere suarum Ecclesiarum operi & instaurationi. His conforme est Jus Commune in cap.1. de Eccles. ædificand. *Quicunque Ecclesiasticum Beneficium habent, omninò adjuvent ad tecta Ecclesia restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas.* Item cap. *De his*,eod.tit. *De his,qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem & institutionem Ecclesiarum cogi debent quum opus fuerit,de bonis quæ sunt ipsius Ecclesiæ,si eis supersint,conferre, ut earum exemplo cæteri invitentur.* Hìc observa verba ista, *Si eis supersint*; quia si Parochi solam habeant congruam portionem, aut parum quid ultra eam

eam, nullatenus tenentur. Denique in Concilio Arelatensi sub Leone Papa III. regnante Carolo Magno, statuitur can.25. ut Beneficium Ecclesiasticum habens, ad tecta ipsius Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omninò adjuvet. Denique hoc idem sancivit Henricus III. Edicto anni 1586.

III. Nec verò soli Beneficiarii, sed etiam ipsi Parochiani, quorum utilitati consulitur, in partem horum contribuere tenentur, ut decernit Concilium Trident. sess.21. de reformat. cap.7. Idque innumeris judicatum est Galliæ Senatusconsultis, quæ referunt Charondas, Mornacius, Expillius & Despeisseus de Benef. Eccles. tit.9. sect.12. Quin etiam præfatum Henrici III. Edictum eximit Beneficiarios à majoribus Ecclesiarum reparationibus & structuris, nisi ipsorum culpâ & notabili negligentiâ ruinæ contigissent.

IV. Communior Gallicani Regni usus multis Judiciis confirmatus, quæ referunt Charondas lib.1. Responsorum, cap.57. Antonius Bleinianus lib.1. Prax. Benef. tit.1. ad fin. hic est, ut Ecclesiæ chorus, ubi sunt Clericorum sedilia, ab ipsis Clericis; navis autem à laicis debeat instaurari, nisi fortè alicubi diversa vigeat consuetudo vel statutum. Et quia plures esse possunt, quorum interest Ecclesiam vel ejus chorum reparari, docet ibi Bleinianus incipiendum esse à Curatis seu Rectoribus percipientibus fructus decimarum, ut pro rata reddituum contribuant, nisi sint Curati, aut Vicarii amovibiles, aut tenues eorum redditus congruam sustentationem non excedant: his discussis, Prælatos quibus illæ subjiciuntur Ecclesiæ, esse secundo loco compellendos; qui enim sentiunt emolumentum, onus pariter sentire debent. Denique tertio loco Parochianos, aut oppidi communitatem, quoties largæ requiruntur expensæ, sive ad ædificandam, sive ad reparandam Ecclesiæ structuram: ad minores autem impensas laici non sunt adigendi. Multis locis, atque adeò in hac Narbonensi provincia consuetudo habetur, ut Ecclesiæ ædificandæ & instaurandæ tertiam partem contribuant Ecclesiastici, reliquas duas Populus. Hic usus aliquatenus accommodatur usui, quo structura vel reparatio chori spectat ad Clerum; navis autem, quæ utplurimùm duplo chorum excedit, ad Populum.

V. Structura quoque & instauratio domus habitationis Parochi ad Populum spectat, cujus interest, quique participat Sacramentis, ut plerisque statutum fuit Senatusconsultis apud Expillium, Chenutium & Despeisseum dicta sect.12.

VI. Ad Ecclesiarum fabricam & cultum pertinent Æditui, quos vulgus Matricularios vocat, quorum confraternitates & sodalitia potestati ac directioni Ordinariorum subjiciuntur. Pecunia quippe quam Fideles pro Ecclesia contribuunt, sacra est, & à profanis impensis aliena. De hac mentio fit lib.4. Regum, cap.12. & 22. & lib.2. Machabæorum, cap.3.

& apud Sozomenum lib.8. Eccleſ. Hiſtor. cap.12. Concilium Tridentinum ſeſſ.22. de reformat. cap.9. ſtatuit hujus pecuniæ rationes coram Ordinario, aut eo quem Ordinarius commiſerit, eſſe reddendas. Idemque ſancitum Francicis Edictis Caroli IX. Bleſis 3.Octobris an.1571. & Henrici IV. 16. Martii an.1609. & Ludovici XIII. Turonibus 4.Septembris an.1619. quo etiam Edicto diſtrictè vetatur Judicibus Regiis, ne ſe his rationibus immiſceant. Tria Regia hæc Edicta inſerta ſunt integra ad finem Codicis Henricei.

CAPUT XXVIII.

Beneficiariæ aliquot quæſtiones elucidantur.

I. IN primis quæritur, quibus in impetrationibus neceſſe ſit mentionem facere omnium Beneficiorum, quæ quis poſſidet? Reſpondeo faciendam eſſe coram Papa aut Legato, quoties aliquis intendit obtinere reſcriptum ad aliquod Beneficium: alioqui reſcripta, utpote obreptitia, erunt invalida, cap. *Si proponente*, de reſcript. in 6. Quin etiam ab ipſis in Curia Romana permutantibus Beneficia mentio fieri debet aliorum omnium Beneficiorum quæ permutantes poſſident, juxta Rotæ deciſ.15. de reſcriptis, aliàs 622. in antiquis. Atque ita in Galliis pluries judicatum referunt Joannes Galli, Louetus & Bleinianus lib.3. prax. benef. cap.1. num.32. Hujuſmodi porrò Beneficiorum expreſſiones non exiguntur apud Ordinarios, Clement.2. de offic. Ordinar. Ratio eſt, quia Ordinarius ex officio ſcire debet Diœceſis ſuæ Beneficia, & à quibus poſſideantur. Idem cenſendum de Patrono. Atque in univerſum in aliis quibuſcumque, excepto Papâ & Legato, non eſt neceſſe reliquorum Beneficiorum in impetrationibus meminiſſe. Quinimò neque apud Papam & Legatum, quoties ipſi non ex præcedenti ſupplicatione, ſed motu proprio conferunt, cap. *Si motu*, de præbend. in 6. Hunc tamen expreſſionis debitæ defectum reparare poteſt appoſita in reſcripto clauſula: *Alia quæcumque Beneficia pro expreſſis habentes.*

II. Quæritur præterea, utrum penſiones Eccleſiaſticæ Beneficiis impoſitæ pro Beneficiis habeantur, ita ut harum quoque neceſſaria ſit expreſſio? Reſpondeo, ſi penſio ſit perpetua, id eſt ad vitam penſionarii, diverſimodè ſentiunt Doctores. Rebuffus ſibi ipſi oppoſitus tract. de pacif. poſſeſſ. num. 133. hanc ponit concluſionem: De penſione quæ finitur cum perſona, non eſt ponenda mentio in Beneficii impetratione; ſecus ſi penſio transferatur de perſona in perſonam, hoc eſt, ſi à Papa ſic decernente

nente (qui est in Romana Curia usus non infrequens) mortuo pensionario transferatur ea pensio in alium superstitem Clericum ; quia eo casu pensio videtur naturam induere beneficii. Et tamen ibid. addit , quamlibet pensionem , quæ est ad vitam suscipientis , vicem tenere Beneficii , ideoque faciendam esse illius mentionem in impetratione Beneficii , nisi hic defectus suppleatur in literis per clausulam istam , *pro expressis habentes*. Plerique Doctores tradunt pensionem non modò non esse nomine Beneficii comprehendendam , sed esse jus temporale & profanum : quam opinionem esse omnibus Juris Canonici Interpretibus communem , asserit Azorius p. 2. lib. 8. cap. 5. quæst. 4. & 6. & Gambarus lib. 6. de officio & potest. Legati, num. 633. qui & testatur sæpiùs in Rota judicatum fuisse , pensionem rem esse profanam. Idque constat ex Rotæ decis. 425. in novis , p. 1. Item Ancharanus , Cardinalis Imola in Clem. 1. de supplend. neglig. Prælat. Gigas quoque de pensionibus , quæst. 7. num. 2. & quæst. 16. num. 1. & quæst. 99. num. 7. pro quo allegat Baldum , Felinum , & alios. Item Aufrerius in decisionibus Capellæ Tolosanæ , quæst. 472. Cæterùm Azorius loco cit. censet in fine , verum esse , quod pensio sit jus rei spirituali annexum : tum quia ex Beneficii fructibus deducitur : tum quia solis Clericis indulgetur : tum quia ad eam requiritur Papæ approbatio , sive ut constituatur , sive ut redimatur ac extinguatur , sive ut transferatur in alium : tum quia per subsequens matrimonium extinguitur : tum quia de pensione quoque solvitur annata: tum quia ubicumque recepta est Bulla Pii V. pensionarius , si aliunde non est adstrictus magno Breviarii officio , tenetur recitare quotidie parvum Beatissimæ Virginis Officium , cujus omissione non facit fructus suos. Quid juris olim de pensionibus fuerit , nihil moror. Sed post Pii V. Bullam editam anno 1571. quæ incipit *Ex proximo* , quæ in Galliæ Regno usu viget , censeo pensiones clericales , tametsi propriè Beneficia non sint , esse tamen sacras ac spirituales , & sufficientem simoniæ materiam ob supradictas rationes. Ita Suarez tom. 1. de religion. lib. 4. cap. 26. num. 9. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. Bonac[illegible] de simon. disp. 1. quæst. 4. §. 13. num. 4. Jacobus Graffius tom. 1. lib. [illegible]p. 50. num. 12. hoc addens, simoniam in pensione clericali non inducere excommunicationem, quia pensio non est beneficium.

III. Etsi autem pensio permulta illa , quæ dixi , communia habeat cum Beneficio , non tamen appellatione Beneficii continetur : quam sententiam amplectitur Azorius loc. cit. quæst. 4. aitque omnibus communem esse Doctoribus , quoniam sicut ususfructus est quoddam jus à proprietate distinctum , sic & pensio à Beneficio : & sicut ususfructus morte usufructuarii finitur , §. *Finitur* , Institut. de usufruct. sic & pensio morte pensionarii. Item quia Beneficium datur primariò & per se propter Divinum Officium & Sacrum Ministerium ; pensio verò in vitæ subsidium & commodum temporale , quod est quid profanum. Verumtamen ad cautiùs agendum,

agendum, & ad evitandos omnes litium anfractus & prætextus tergiversationum, consultius erit ad impetrationem Apostolici pro Beneficio rescripti, non solùm Beneficia quæ quis possidet, sed etiam pensiones super Beneficiis recensere; quanvis id secundùm Jus exactius non sit necessarium, nisi ad obtinendum rescriptum in forma pauperum; quia tunc agitur de informatione circa vitæ subsidia. Disertè ait caput *Quanvis plenissima* 4. de præbend in 6. pensionem non comprehendi sub nomine Beneficii. Nec obst aput *Ad audientiam*, il 2. de rescript. ubi is qui literas Papæ impetraverat ad aliquod Beneficium, huic renunciavit acceptâ pro Beneficio pensione: deinde alterum obtinuit rescriptum pro alio obtinendo Beneficio, à quo tamen ideò excluditur, quia in hoc secundo non fecit mentionem priorum literarum. Nec etiam obstat Glossa in cap. 1. de rescript. verb. *Mandatum*, sub finem. Nam dictum caput, & dicta Glossa invalidum dicunt secundum rescriptum, non ob reticentiam pensionis, sed ob reticentiam præcedentium literarum de conferendo Beneficio. Præterea illa obtenta pensio erat fraudulenta, & jure prohibita, & præter intentionem ipsius Papæ, ut expresè ait Glossa in d. cap. *Ad audientiam*, verb. *Pensiones*. Atque ita justa causa erat privandi pensionarium jure secundi rescripti, eo quòd abusus fuisset priore, quod tacuerat, rescripto. Quia privilegium meretur amittere is qui concessa sibi abutitur potestate, cap. *Tuarum*, de privilegiis.

IV. Itaque ubi agitur de obtinendo Beneficio per rescriptum in forma pauperum, hoc est ut impetretur à Sede Apostolica mandatum provisionis de Beneficio, fundatum super supplicantis paupertate, necesse prorsus est & pensiones, & omne quod quis habet patrimonium exprimere, ut consentiunt omnes Doctores post Panormitanum in cap. *Postulasti*, de rescript. num. 3. Præterea eadem incumbit necessitas pensionum, quas quis habet, exprimendarum volenti novæ pensionis gratiam impetrare. Boërius in decision. Burdegal. quæst. 162. Rebuffus tract. de pacific. possess. num. 142. quia non facilè præsumitur Romanus Pontifex velle novo oneri Ecclesiam subjicere jam oneratam, argum. cap. *Mandatum*, de rescript. & sic decisum in Rota refert post Cassadorum Rebuffus. His favet lex *Navis*, §. *Cum autem*, D. ad leg. Rhod. de jactu, in his verbis: *Quia non debet duplici onere onerari*. Et lex *Titia* 34. §. *Qui invita* 5. D. de legat. 2.

V. Tertiò quæritur, liceátne plura tenere Beneficia? Respondeo cum S. Thoma quodlibeto 9. art. 15. quem communiter cæteri sequuntur, Navarra Enchir. cap. 25. num. 128. Lessio lib. 2. cap. 34. dub. 27. plura quidem simul tenere Beneficia non esse intrinsecè malum, nec tamen prorsus indifferens, sed speciem quandam mali præ se ferre; quæ tamen mali species desinat ubi adhibentur debitæ circumstantiæ, aut rationabilis dispensatio, aut sine dispensatione consuetudo recepta. Nam ut ait S. Thomas, & post eum Navarra loco cit. consuetudo perinde ac dispensatio potest

humano

humano juri derogare, sed non naturali & divino. Non hîc sermo est de Beneficiis incompatibilitatem habentibus primi generis, ut sunt duo Episcopatus, duæ Ecclesiæ Parochiales, duæ Dignitates, duo Personatus, aut etiam duo simplicia ejusdem generis sub eodem tecto Beneficia, ut duo Canonicatus. De hujusmodi statuitur, quod acceptâ pacificâ posterioris possessione, primum ipso jure vacet, cap. *De multa*, de præbend. & extravag. *Execrabilis*, eod. tit. Quin etiam non hîc loquor de Beneficiis incompatibilitatem secundi generis habentibus, quanvis in istis non vacet primum per pacificam secundi Beneficii possessionem adeptam, qualia sunt duo Beneficia simplicia, quorum singula residentiam requirunt, ut sunt Dignitas in una Ecclesia, & Canonicatus in alia Ecclesia; quæ tamen in una eademque Ecclesia non haberent primi generis incompatibilitatem, quatenus sunt difformia, & non conformia, seu ejusdem generis Beneficia: neque etiam incompatibilitatem secundi generis, quia non sunt diversarum residentiarum, ut docent Navarra lib. 3. consil. 29. de præbend. & Lessius dub. 27. n. 144.

VI. De cæteris verò Beneficiis utraque incompatibilitate carentibus, si neutrum separatim sufficiat ad decentem victum, non est dubium quin utraque simul teneri possint, juxta Concilium Trident. sess. 24. cap. 17. Ubi verò singula seorsim sufficiunt ad decentem victum, ibi spectantur diversæ species mali. 1. Quia minuitur Dei cultus; Clericus enim tribus provisus Beneficiis, non nisi unum quotidianum persolvit officium, quod à tribus provisis seorsim persolvendum esset. 2. Minuuntur Ecclesiastici Operarii. 3. Fundatores sua frustrantur intentione. 4. Frustrantur subsidio alii pauperes Clerici, & forsan magis idonei ac Ecclesiæ utiliores futuri. 5. Suppeditatur materia avaritiæ, luxus, & scandalorum occasiones. Hæc aliaque damna commemorat dicta extravag. *Execrabilis*, de præbend. Quæ tamen species mali possunt compensari & cohonestari quandoque per Ecclesiæ utilitatem spectabilem, ut contingit in summis Dignitatibus & personis illustribus, quarum conditio aliquem efflagitat splendorem. Item in quibusdam viris scientiarum & virtutum dote præcellentibus, & in illis præsertim qui sanctissimè redditus Ecclesiasticos dispensant, quorum rarus est hoc infelicissimo tempore numerus præ illis qui sacris redditibus nequiter abutuntur. Ubi causæ istæ non existunt, ne justa quidem, sed abusiva est dispensatio. Verùm ubi prorsus justa causa existit, atque ipsi Ecclesiæ conducibilis, sufficit (ut loco citato docet S. Thomas & alii communiter) ipsamet consuetudo; quæ tamen nullatenus sufficeret ubi Ecclesia grave pateretur detrimentum vel scandalum, ne quidem adhibita dispensatione, quia tunc læderetur Jus Divinum, contra quod prævalere non potest consuetudo vel dispensatio Ecclesiastica. Porrò interdicta plurium Beneficiorum possessio comprehendit etiam Beneficia in Commendam concessa, ut disertis verbis exprimit Concilium Trident. d. sess. 24.

cap. 17. his verbis : *Beneficia tam ſecularia, quàm regularia quæcunque, etiam commendata.* Hoc tamen non derogat diſpoſitioni priſcorum Canonum permittentium duo ſimul poſſidere Beneficia, quorum unum ſit in Titulum, & alterum in Commendam, non perpetuam, ſed temporalem ad ſex menſes, cap. *Nemo*, de elect. in 6. can. *Qui plures*, 21. quæſt. 1.

* VII. Cæterùm quantumcunque conſuetudo plura beneficia tenendi non incompatibilia inoleverit, certum eſt huic licentiæ repugnare ſpiritum Eccleſiæ, qui non alius eſt à ſpiritu Sponſi ejus Jesu-Christi, ut conſtat ex innumeris Eccleſiæ Canonibus, & gravibus damnis paulò antè commemoratis. Et videmus eos qui plures habent præbendas, non ideò liberaliùs in eleemoſynas & opera pietatis expendere, ſed luxum & familiares expenſas adaugere, ſibique damnationem aſciſcere, quantumvis comminetur Chriſtus, Luc. 12. verſ. 21. *Sic erit omnis qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Et quidem tremenda eorum qui plures præbendas poſſederunt, exempla legimus apud Dionyſium Cartuſianum, ut mirum ſit graves & inſignes Doctores adeò negligenter in hac parte ſuæ æternitati providiſſe. Et quidem peccare etiam mortaliter eos qui plura vel poſſident ſine rationabili cauſa Beneficia, vel aliis procurant, vel conferunt, eximii Doctores aſſerunt, Navarrus in miſcellaneo 60. Gabriel Biel in 4. diſt. 15. q. 8. Joan. Major diſt. 24. quæſt. 12. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 11. Toletus lib. 5. cap. 81. Binsfeldius part. 4. cap. 3. Lopez part. 2. cap. 101. & 102. Sylvius in 2. 2. quæſt. 63. art. 2. concluſ. 9. Quia digni ſunt morte non ſolùm qui prohibita faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, Roman. 1. Ait verò Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 2. *Qui plures Eccleſias, ſive in titulum, ſive in commendam, contra præſentis decreti tenorem nunc poſſident, unâ quam maluerint retentâ, reliquas infra ſex menſes ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur : alioqui Eccleſiæ ipſæ, ultimò obtentâ dumtaxat exceptâ, eo ipſo vacare cenſeantur.* Idemque Concilium ſeſſ. 24. cap. 17. de reformat. hoc ipſum decretum ad S.R.E. Cardinales extendit.

VIII. Quartò quæritur, ubi conſtaret de certo quodam fundatarum Miſſarum numero, ſed non de Fundatoris intentione circa Miſſarum applicationem, utrum libera ſit Rectori ſeu Capellano harum Miſſarum applicatio, atque ita poſſit pro his applicandis ſtipendia recipere ? Reſpondeo, non licere illi ſtipendia alia recipere, ſed aſtringi ad applicandum pro anima Fundatoris. Etenim in obſcuris inſpici ſolet quod veriſimilius eſt, aut quod plerunque fieri ſolet, l. *In obſcuris*, D. de regul. jur. Atqui verosimilius eſt hanc fuiſſe Fundatoris mentem, ut Miſſæ ſibi applicarentur ; & eſt frequentiſſima talium Fundatorum intentio, ut Miſſæ pro ſeipſis celebrentur. Ergo hoc idem de propoſito Fundatore, ubi nihil aliud liquet, præſumi debet, ut voluerit ſibi omni meliori modo providere. Bonacina de Sacram. Euchar. diſp. 4. quæſt. ult. punct. 7. §. 2. Ulteriùs hoc confirma

confirmatur per legem *Cùm res legata*, D. de legat. 1. ubi dicitur, ibi præstandam rem esse ubi testator voluerit, vel ubi verisimilius est eum voluisse. Quibus etiam ex verbis infertur, eadem ratione Capellanum teneri celebrare præcisè in Ecclesia vel Altari quod Fundator expresè designaverit, si non excuset necessitas, vel justa admodum causa: neque sufficere Patronorum vel hæredum consensum; his enim non licet intentionem Fundatoris intervertere. Qua in re si sæpius se dispenset absque causa Capellanus, peccat mortaliter, & secundùm Graffium, Azorium, aliosque tenetur aliquam reddituum partem restituere. Alii quidam, ut Possevinus, & Bonacina, probabile judicant, non teneri restituere, si alibi Missas quas debebat, celebraverit.

IX. Quæritur quintò, utrum in casibus fundationis perpetuæ & quotidianæ Missæ sit astrictus Capellanus ad quotidie celebrandum, sive per se, sive per alium? Pro responsione approbo communem hanc Doctorum distinctionem. Vel Fundator velle se declaravit, ut provisus de Capellania sit actu Sacerdos & per se quotidie celebret; atque in hac parte consentio communi Doctorum suffragio, hunc dispensari ab isto quotidiano onere, duobus advenientibus casibus, scilicet corporis infirmitate, & speciali aliqua causa honestatis & devotionis debitæ: in utroque enim casu disertè declarat caput *Significatum*, de præbend. quotidianarum Missarum onus licitè intermitti posse. Cùm verò intermissio illa debeat certis limitibus circumscribi, qui tamen non determinantur in ipso Jure, duplex adhuc restat discutienda quæstio, scilicet quot diebus liceat intermittere quotidianum illud onus propter ægritudinem corporis; & quot etiam diebus propter honestatem & debitam devotionem? Et quidem quod spectat ad causam honestatis & devotionis, opinio multorum est, ut possit hac ex causa Capellanus Missam intermittere fundationis uno die per singulas hebdomadas. Panormitanus in d.cap. *Significatum*, Imola ibid. Sylvester verb. *Missa* 1. quæst. 7. versic. *Quintum*, Angelus verb. *Missa*, quæst. 45. Navarra consil. 7. de præbend. Zerola part. 1. verb. *Missa*, ad 9. idemque part. 2. verb. *Missa*, §. 9. Suarez in part. 3. tom. 3. disput. 86. sect. 1. col. 3. versic. *De beneficiis*, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 24. num. 31. Horum etiam aliqui, ut Navarra & Zerola, adjungunt posse ad singularum hebdomadarum diem unum interdum diem alterum superaddi. Ego tamen ut lubens quod canone illo *Significatum*, permittitur, dies aliquos intermissionis Missarum concesserim, nequaquam tamen ita frequentes, ut unus & alter dies de singulis hebdomadis eximatur: unum tamen de singulis mensibus diem demi posse, aut duodecim ex toto anno, indubitanter concesserim. Glossa quidem in d. cap. *Significatum*, exponit causam *devotionis debitæ*, contingens Sacerdoti peccatum mortale, ratione cujus debeat à Sacrificio abstinere. Ego verò latiùs istam devotionis causam exponendam duco, ut interdum etiam sacrificet ob aliam quàm fundationis causam, etsi rarissimè

id ei liceat. Duriſſimum enim & indecorum, & debitæ devotioni oppoſitum nimis eſt, ſi Sacerdos tam iniquo vinculo aſtringatur, ut totius vitæ tempore non poſſit niſi pro uno aliquo defuncto, nunquam verò pro ſeipſo, nunquam pro ſancta Eccleſia, nunquam pro urgentibus populi calamitatibus, nunquam pro parentibus aut fratribus defunctis ſacrum celebrare. Quum verò allegatur honeſtatis aut debitæ devotionis cauſa illa Canone præfato approbata, procul excluditur cauſa avaritiæ; nec enim tali Capellano licebit vel unam diem de toto anno demere ad celebrandum ſtipendii causâ pro alia quacumque intentione.

X. Nunc eſt diſcutienda altera, nimirum corporeæ ægritudinis cauſa, quæ juxta dictum caput *Significatum*, de præbend. diſpenſat à quotidianæ Miſſarum celebrationis obligatione, adeo ut opus non ſit alterius Sacerdotis ſubſtitutione. Iſtas Miſſarum inducias Summiſtæ & Canoniſtæ diverſimodè aſſignant. Qui eas ſtrictiùs reſtringunt, limitant ad decem dies, quibus exactis, ſi infirmitas duret, volunt alterum ſubrogari Sacerdotem ad Miſſarum onus. Ita ſentit Barboſa loco cit. Quod enim datum ob cauſam fuit, repetitur ſi ex recipientis infirmitate non poteſt cauſa adimpleri, l. *Si pecuniam*, in princ. D. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſequut. Qui verò latiùs has extendunt inducias, menſem ægritudinis aſſignant, Hurtadus de Sacramentis diſput. 4. Layman, & Bonacina, qui ipſe Mediolanenſis civis Concilium provinciale ſeptimum Mediolanenſe, tit. de Miſſis, in teſtimonium adducit, poſſe integrum ſtipendium à Sacerdote recipi, qui ex vera infirmitate uno menſe non celebraverit. Media denique, meoque judicio juſtior & æquior ſententia, quam tuentur Petrus Navarra lib. 2. de reſtitut. cap. 2. num. 211. & Bonacina de Sacram. Euchar. diſp. 4. quæſt. ult. punct. 8. num. 17. aliique Doctores, concedit ex morbo dierum quindecim inducias. Improbabilis eſt autem opinio Sylveſtri verb. *Miſſa* 1. quæſt. 7. num. 7. ad fin. & Azorii part. 1. lib. 10. cap. 24. quæſt. 7. teneri detentum paucorum dierum valetudine Sacerdotem ſupplere per alium, aut pro rata de ſtipendio reſtituere. His enim apertè refragatur dictum caput *Significatum*, de præbend. & naturalis æquitas reclamat, ſecundùm quam dicit Gloſſa in l. *Arboribus*, §. *De illa*, D. de uſufr. non eſſe denegandum ſalarium famulo, qui exiguo tempore ægrotavit.

XI. Prædictis quidem Miſſarum induciis abſque ſtipendii diminutione locus eſt, quando voluit Fundator celebrari Miſſas ab ipſo eodem qui de Capellania proviſus fuit, atque ita qui ſit actu Sacerdos. Sed ut reſumamus alterum primævæ diſtinctionis membrum, ſi Fundator non providerit ut teneatur Capellania ab eo ſolùm qui ſit actu Sacerdos, poterit Clericus annorum quatuordecim, aut etiam ſecundùm Galliæ uſum annorum ſeptem completorum provideri, qui teneatur per alium Miſſas perſolvere; eoque caſu non licebit ullo die Miſſas intermittere, neque valebunt ad ullas inducias prædictæ ſive corporis infirmitatis, ſive honeſtatis, aut debitæ

bitæ devotionis causæ. Ubi enim libertas relinquitur alium subrogandi per eum, qui non Sacerdos fundatione provisus fuerit, jam non admittitur excusatio, quia uno impedito, nunquam deerit Sacerdos substituendus. Hac in re unanimes sunt prælegati Doctores, Abbas, Imola, Sylvester, Angelus, Navarra, Zerola, Suarez, Barbosa.

XII. Quæritur denique, quænam requiratur expressio ad hoc ut Capellania aliqua censeri debeat Sacerdotalis, hoc est, ut non possit nisi Sacerdoti, aut saltem juxta supradicta, ei qui possit intra annum fieri Sacerdos, conferri. Idem quoque quæri potest de aliis Beneficiis cæteroquin simplicibus, si de intentione Fundatoris disceptetur. Respondeo, si statutum aut fundatio jubeat provideri de Capellano qui teneatur Missas celebrare, aut ut Capellanus ad tale Beneficium promotus toties sacrificet, nec addat ut teneatur per seipsum sacrificare, aut aliquid evidenter æquipollens, censeri debere Capellaniam non esse Sacerdotalem actu, qualis esset, si juberetur eum qui promovebitur, esse actu Sacerdotem, & per seipsum statim celebrare: neque etiam aptitudine, qualis esset si juberetur provideri de Capellano qui teneatur per seipsum celebrare: quo casu, ut paulò superiùs dixi, sufficeret provideri de Clerico non actu Sacerdote, sed qui talis esset, ut intra annum fieri Sacerdos possit, quo intervallo teneatur Missas per alium supplere. Ubi verò fundatio disertè non exprimit ut provideatur de Capellano qui teneatur Missas præscriptas per seipsum celebrare, tunc illa Capella erit simpliciter Clericalis, & ad eam promovere licebit Clericum sufficientem & idoneum, hoc est nullo præpeditum canonico impedimento, quanvis in hoc Regno septem dumtaxat ætatis annos impleverit, aut alibi quatuordecim. Hoc verò discrimen, quo dignosci possit ex verbis fundationis, quænam censenda sit Capellania Sacerdotalis, & quænam simpliciter Clericalis, tradunt unanimes Doctores, Garcias de Beneficiis part. 7. cap. 1. num. 87. & seq. Augustinus Barbosa in remissionib. ad Concil. sess. 24. cap. 12. num. 62. Emmanuel Sà verb. *Beneficium*, num. 28. Bonacina de Sacram. Euchar. disput. 4. quæst. ult. punct. 7. §. 1. n. 1. Layman lib. 4. tract. 2. cap. 14. num. 2. Hi tres ultimi allegant responsiones Congregationis Cardinalium, quibus etiam Bonacina expressas Rotæ decisiones adjungit. Porrò Sacerdotalis Capellania provisum adstringit ad residentiam, quandiu Missarum onus certo loco persolvendum est; non verò simplex, seu Clericalis, nisi substitutum Sacerdotem. Obligatio tamen residendi ad Capellaniam Sacerdotalem non est strictior quàm Parochi, cui licitum est brevi tempore abesse, relicto substituto; aut etiam longiore, ubi necessitas, vel justa causa adigit.

CAPUT XXIX.

De Decimis, & Oblationibus.

I. DECIMÆ, & Oblationes ad bona & jura Ecclesiæ pertinent. Decimarum triplex genus censetur: prædialium, quæ ex prædiis, locatione agrorum vel domorum, piscinis, lacubus, moletrinis, &c. personalium, quæ ex personarum negotiatione, famulatu, artificio, &c. mistarum, quæ ex animalium fœtu, lana, lacte, &c. educuntur; harum enim rerum fructus partim ex prædiis, partim ex hominum industriæ prodeunt. In his omnibus, tum quoad res ipsas, tum quoad taxationem spectanda est locorum consuetudo, quâ etiam pluribus in locis, præsertim in Gallia, cessarunt decimæ personales.

II. Fraudantur decimæ, si quis ad ipsas seponat fructus deteriores, quo casu mortaliter peccatur cum obligatione restituendi, quemadmodum etiam quando infra receptam taxationem præstantur. Non tamen tenetur quisque optima pro decimis seligere, sed mediocria ex bona fide, prout occurrunt. Joan. Major. in 3. Sentent. dist. 37. quæst. 36. col. 2. Navarra Manual. cap. 21. num. 31. Similiter statuit lex *Legato generaliter* 37. D. de legat. 1. legato generaliter relicto, veluti servi unius, neque optimum, neque pessimum esse accipiendum.

III. Deducendæ sunt decimæ ex integris fructibus ante omnem expensarum, censuum, tributorum & aliorum quorumcunque onerum deductionem: tum quia decimarum jura sunt antiquiora: tum etiam, quia jura Dei & Ecclesiæ humanis juribus anteferri debent, cap. *Cùm non sit*, & cap. *Tua nobis*, de decimis.

IV. Quæritur de jure decimarum, an possit Laïcis competere? Non potest Laïcis primariò competere, cùm sit jus spirituale, contractum ob Ecclesiasticum ministerium; ideóque neque posslideri, neque præscribi à Laïcis possunt, cap. *Ad hæc*, de decim. & cap. *Causam*, de præscription. Potest verò Laïcis competere jus decimarum ab illo primario exortum, quatenus potest Ecclesia jus laïcis ad fructus, prout temporales sunt, concedere, putà donatione, locatione, venditione. Hoc enim jus secundarium cùm proficiscatur ex humano contractu, temporale est. Lessius lib. 2. de just. cap. 32. dub. 4. num. 19.

V. Galliæ usus est, ut à Laïcis sine justo & probato titulo decimæ præscribi non possint, ne quidem possessione, cujus initii memoria non extet

extet, ut docet Laurentius Bochellus in Summa Beneficiaria, verb. *Decimæ*, cap. 3. num. 3. fuisse sæpissimè in Supremis Curiis judicatum conformiter ad Clotarii Regis Constitutionem in legibus Alemanorum, cujus verba sunt: *Res Ecclesiæ de laïcis absque charta nullus præsumat possidere. Et si chartam non ostenderit, quod comparasset à Pastore Ecclesiæ, possessio semper ad Ecclesiam pertineat.* Alter Galliæ usus est, ut ibidem tradit Bochellus num. 4. Charondas ad Codicem Henrici lib. 1. tit. de decimis 14. art. 1. Chenutius centuria 2. q. 6. Despeisseus de Benef. Eccles. tit. 9. sect. 1. n. 6. multa proferentes Judicata, quod decimæ à laïcis infeudatæ ante Lateranense sub Alexandro Papa III. Concilium debentur laïcis. Concilium istud anno 1180. conclusum & publicatum fuit. At verò quinque ferè ante id tempus seculis Carolus Martellus, urgente periculosissimo Saracenorum bello, qui magnam Galliarum partem invaserant, multarum Ecclesiarum decimas Ducibus exercitus sui attribuerat, ut eos in tanto Christianorum discrimine fidos & strenuos haberet hoc novo auctoramento. Atque hæ dicuntur decimæ feudales, seu infeudatæ, utpote à Principe in feudum conversæ. Præfatum Concilium decernit laïcos decimas detinentes, non posse illas in alios transferre laïcos, sed debere Ecclesiæ restituere, cap. *Prohibemus*, de decim. Idque servatur quidem in Gallia circa decimas post id Concilium infeudatas, aut quovis modo à laïcis acquisitas; sed non circa decimas ante id Concilium infeudatas, quæ solent ad hæredes aliosve laïcos transferri, sive voluntariâ, sive coactâ alienatione. Louetus lit. *D*, cap. 9.

VI. Decimæ ex novalibus procedentes pertinent ad Parochum, ejusque redditibus accrescunt, cap. *Commissum* 4. cap. *Quoniam* 13. cap. *Ex parte* 27. cap. *Cùm contingat* 29. de decim. Idque servatur in Gallia multis firmatum Senatusconsultis, quæ refert Charondas lib. 1. responsorum, cap. 18. Lepreste centur. 1. cap. 15. Bochellus Sum. Benef. verb. *Decimæ*, cap. 3. Novale hoc loco intelligimus terram nunc primùm ad fructificandum proscissam, cap. 1. §. *Novale*, & cap. *Quid per novale*, de verb. signif. quanvis alibi quoque significet terram coli solitam, sed quæ uno vel altero anno interquiescere finitur, l. *Sylva*, §. *Novalis*, D. de verb. signif. Sed si antequam novale excoleretur jam erat decimis obnoxium erga Rectorem vel Prælatum, nihil novi Parocho acquiritur. Huic tamen competet actio adversùs Rectorem vel Præbendatum ad congruæ suæ portionis augmentum, si occasione novæ culturæ curialia ei onera succrescant, ut tradit Bochellus loc. cit. & si lis in longum protelanda videatur, potest initio petere ut per provisionem tale sibi interea supplementum decernatur. Congrua enim portio cedit in alimenta & victum Parochi, quæ dilationem in jure non patiuntur, l. 1. C. de aliment. pupil. præstand. atque initio litis, & extra communem Juris ordinem petuntur & providentur, l. *Cum unus*, §. fin. D. de aliment. & cibar. legat. & l. penult. D. de his qui sunt sui vel alieni

alieni jur. Eoque jure utendum circa congruam Parochi portionem, docet quoque Rebuffus tract. de congrua portion. n. 62. Sed si Parochis suppetit ex Beneficii fructibus sufficiens victus, non eis competit jus supplementi, ac repelluntur à petitione congruæ portionis, cùm jam illam habeant. Louetus lit. *D*, cap. 8.

VII. Jure communi, quod in Gallia quoque receptum est, immunes sunt à solutione decimarum, tum Religiosi Hospitalarii ac Militares Sancti Joannis, tum Cistercienses, tum Cœlestini, cap. *Ex parte*, cap. *Licet*, cap. *Ad audientiam*, de decim. & privilegium istud Cœlestinis indulserunt Bullæ Cœlestini V. & Gregorii XI. quas roborarunt in Gallia pleraque Senatusconsulta apud Despeisseum tract. de benefic. tit. 10. sect. 3. Sed exemptiones istæ non extenduntur ad terras quas præfatæ Religiones tradunt aliis excolendas in emphyteusim, Gallicè *Bail à ferme*, vel in censum, ut tradit dictum cap. *Licèt*, de decim. Verumtamen ne horum privilegiorum occasione Ecclesiæ gravaventur, Innoc. III. in Concilio generali providè decrevit circa Cistercienses, Templarios & Hospitalarios (nondum enim erat institutus Cœlestinorum Ordo, qui posteriùs emersit) si quod prædium acquirant post idem ipsum generale Concilium, ut non hac à decimis exemptione fruatur, quanvis ab ipsis Religiosis possideatur & excolatur; sed privilegium solis inhæreat prædiis anteà quæsitis, cap. penult. de decim. Et generaliter omnes Religiosi de novalibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas solvere non tenentur, cap. *Ex parte*, eod.

VIII. Quanvis nomine Oblationum generaliter comprehendi possint quæcunque liberè, sive per dispositionem inter vivos, sive mortis causâ offeruntur Ecclesiæ; communior tamen hujus vocis ac propria usurpatio duorum genera donorum comprehendit, quorum alia vel imaginibus, vel Altaribus, vel parietib. s Templi appenduntur, vel in capsas & arcas Ecclesiæ projiciuntur: alia verò vel in celebratione Missarum, vel in Sacramentorum ministerio, vel ad manus Sacerdotis, vel in pelvim coram ipso contribuuntur. Consuetudo frequentior, & passim usitatior, testante Bochello ad Collat. Regiarum Constitut. lib. 1. tit. 6. sub fin. hæc est, ut istæ secundi generis oblationes Parochi lucro cedant: ea verò quæ appenduntur, ut dictum est, vel in capsas immittuntur, fabricæ & reparationi & ornatui Ecclesiæ destinentur; neque serventur nisi paucis in locis Edicta Henrici III. duo, scilicet Blesense art. 51. & Melodunense anni 1580. art. 21. quibus oblationum integra jura Parochis attribuuntur, cum derogatione Aurelianensis Edicti Caroli IX. quo pars aliqua Parochorum lucris subtrahebatur. Hæc Bochellus tradit, quanvis illo anterior Rebuffus tract. de decimis, q. 1. n. 29. & 30. scribat oblationes etiam ipsas quæ imaginibus aut parietibus appenduntur, deberi Ecclesiæ illius Parocho; sed si

Ecclesia

Ecclesia indigeat, esse oblationes istas judicio Episcopi impendendas ad reparationem. Zerola denique in praxi, p.2. verb. *Oblationes*, testatur oblationes quæ in Parochiali Ecclesia fiunt, pertinere ad Parochum : eas verò quæ in alia fiunt Ecclesia, pertinere ad ejus Ecclesiæ Rectorem, seu Præpositum; sed eas, quæ in parietibus affiguntur aut suspenduntur, esse ipsius Ecclesiæ.

CAPUT XXX.

De rerum Ecclesiæ alienationibus.

I. NEQUE ullus Episcopus, neque Abbas, ac ne ipse quidem Summus Pontifex rerum Ecclesiæ alienandarum potestatem habet, ut disertè dicunt can. *Monemus*, can. *Quisquis Episcopus*, can. *Non licet Papæ*, 12. q.2. neque possunt Presbyteri alienare inconsulto Episcopo, neque Episcopus inconsulta Synodo vel Capitulo prædium Ecclesiæ vendere, aut aliter alienare, can. *Placuit*, 12. q. 2. & cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. sin. cons. Capit. Neque tantùm Capituli simul & Episcopi consensus, sed eorum quoque requiritur subscriptio, can. *Sine exceptione*, 12.q.2. Decernit tamen can. *Terrulas*, 12.q.2. terrulas aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minùs utiles, aut longè positas posse Episcopum, si necessitas fuerit, sine consensu Capituli distrahere. Alienationis prohibitæ nomine comprehenditur donatio, venditio, permutatio, perpetua emphyteusis, cap. *Nulli liceat*, de reb. Eccles. non alien.

II. Clericus alienans rem Ecclesiæ, & quisquis eam recipit, excommunicatus est ipso facto : præterea Clericus remanet ipso facto privatus Beneficio & Ecclesiâ, cujus rem alienavit, cap. *Ambitiosæ*, in extrav. commun. de reb. Eccl. non alien. Talesque alienationes prorsus irritæ sunt, ibid. & cap. *Si quis*, eod. tit. & Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 11. Adeo ut res alienatæ unà cum fructibus restitui debeant, d.c. *Si quis*. Ratio est, quia præbendatus non est proprietarius, sed usufructuarius rerum Ecclesiæ. Ergo non potest nisi fructus solos alienare. Secundò, quia talis licentia res Ecclesiæ dissiparet, ipsaque Ecclesia spoliaretur suis. Tertiò, quia Deo semel dicatum non est ad humanos usus transferendum, cap. *Semel Deo*, de regul. jur. in 6.

III. Proceræ nemorum arbores ad Ecclesiam pertinentes, dejici prohibentur Edicto Henrici II. anni 1558. & Edicto Aurelianensi Caroli IX. art. 29.

IV. Tres justæ alienandi causæ recensentur per Glossam in procemio Causæ 12. quæst. 2. Ecclesiæ utilitas vel necessitas evidens, ut si fructus non sufficiant impensis Ecclesiæ, aut Clericorum sustentationi, aut debitorum solutioni, pretium verò alienationis hunc defectum compenset, can. *Hoc jus porrectum*, 10. q. 2. Secundò ad subsidium pauperum in gravi necessitate, aut redemptionem captivorum, vel ad sepulturam Fidelium, ex S. Gregorio Magno lib. 5. epist. 17. & lib. 7. epist. 4. quibus ex causis sacra Vasa frangi & distrahi approbat: aurum enim habet Ecclesia, non ut servet, sed eroget, & subveniat in necessitatibus, can. *Aurum*, 12. q. 2. Tertia causa est evitandi damni, quando Ecclesiæ prædia sterilia & inculta manerent ratione gravium pro iis reparandis impensarum, & longæ distantiæ, can. *Sine exceptione*, can. *Terrulas*, 12. q. 2. & cap. *Ad aures*, de reb. Eccl. non alien.

V. Solennitates omnes in Gallia necessarias ad validam rerum Ecclesiæ alienationem recensetChenutius tract. de alien. rerum Eccles. Prima est, ut interveniat Cleri seu Capituli consensus in scripturam redactus, cui singuli subscribant, d. can. *Sine exceptione*, 12. q. 2. Secunda solennitas est, ut ex deputatione per Capitulum certæ personæ committantur ad inquirendum de necessitate aut utilitate hujus alienationis. Eaque inquisitio deinde referri ad Capitulum debet sub forma scripta & juridica, ut de illa constet sine fraudis suspicione. Tertia, ut publicè per Parochos, tum illius, tum vicinorum locorum, & per affixas locis publicis schedulas denuncietur futura alienatio per licitationem ac subhastationem, ut qui ampliùs licitaverit & satisfederit, rem habeat. Quarta, ut accedat Episcopi aut Vicarii Generalis consensus: aut si de re agitur Monasterii vel Ecclesiæ Regularis, consentiat Abbas ac Prælatus Regularis; imò & licentia Summi Pontificis, adeo ut nec ipsa Superioris Generalis aut Provincialis authoritas sufficiat. Ubi verò agitur de bonis Secularis Ecclesiæ, non sunt receptæ in Gallia recentiorum Pontificum Sanctiones, quæ hujusmodi requirunt Supremæ Sedis dispensationem. Prædictæ verò adhiberi debent solennitates, licèt non foret alienatio perpetua, dummodò procedat ultra novennium prædii Ecclesiastici emphyteusis, ut admonet Chenutius, addens ex defectu unius harum conditionum Senatusconsultis Gallicanis multas rescissas fuisse alienationes rerum Ecclesiæ factas ab annis ampliùs centum.

VI. Observa duplicem competere actionem Ecclesiæ ad hanc rescissionem & recuperationem, scilicet actionem personalem adversùs alienatorem, si est solvendo; & actionem realem adversùs possessorem rei, argumento legis 3. & ult. C. si tutor vel curat. & can. *Apostolicos*, 12. q. 2. Sed si obtineret contra unum istorum, cessaret actio Ecclesiæ, l. 1. §. *Si plures*, D. de eo per quem fact. erit. Et si unum conveniat, non fit Ecclesiæ præjudicium quoad alterum; sola enim solutio imponit ei silentium, l. 1. §. Si

§. *Si apud*, D. depositi : & l. ult. C. Si tutor vel curat. ut docet Glossa in cap. *Si quis*, verb. *Alienata*, de reb. Eccles. alien.

VII. Denique sciendum, contra rei Ecclesiæ alienationem sufficere ut impediatur, vel ut facta revocetur, oppositionem etiam unius solius de Capitulo, contra communem reliquorum consensum, d. cap. *Si quis*, de reb. Eccles. alien. Etenim in re communi potior est conditio prohibentis, cap. *In re communi*, de reg. jur. in 6.

CAPUT XXXI.

De celebratione Festorum.

1. ADDISCIMUS ex capite 1. & cap. *Conquestus*, de feriis, opera Dominicis, festisque diebus prohibita, duplicis esse generis, scilicet servilia & mechanica, ad quæ nulla competit necessitas, vel quæ rationabili dispensatione non justificantur. Ex illis etiam quæ neque servilia, neque mechanica sunt, prohibentur juramenta publica, acta pariter Notariorum publica (exceptis tamen conventionum connubialium actis, & ultimarum voluntatum.) Vetantur insuper omnes judiciarii processus & strepitus forenses. Verumtamen privata studia & privatæ scripturæ, quanvis dirigantur ut præparatoriæ ad causas forenses, nullatenus diebus sacris prohibentur. Hæc enim neque servilia opera sunt, neque acta publica, neque strepitum judicialem præ se ferunt ullum. Merces verò quæ pro ejusmodi scriptionibus exsolvitur, cùm sit operi debita nullatenus servili, non potest esse vilis, sed potiùs honoraria.

II. Artificum delineationes in charta, quales sunt architectorum, pictorum, sculptorum, acupictorum, fabrorum lignariorum, nullatenus serviles censeri debent, quia sunt magis ingenii quàm corporis operationes: ideoque studii loco censentur, modò in charta sola exarentur; ideoque sacris diebus fieri non vetantur. Soto lib. 2. de justitia, quæst. 4. art. 4. Navarra cap. 13. num. 12. Toletus lib. 4. cap. 24. num. 7.

III. Necessitas quoque, sive publica, sive privata, remoto quoad fieri potest scandalo, facit licita diebus festis opera servilia, cap. *Licèt*, cap. *Conquestus*, in fine, de feriis.

IV. Concilium Aurelianense tertium nationale viginti & sex Episcoporum, habitum sub Vigilio Papa, regnante Childeberto, anno Domini 540. recenset quatuor species operum etiam servilium, quæ diebus etiam Dominicis licita declarat. 1. Aurigarum. 2. Coquorum & Pistorum.

3. Famulorum domum adornantium. 4. Eorum qui corpora hominum adornant. Ejus verba hæc sunt can. 2. *Quia perſuaſum eſt populo, die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaicam magis quàm ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur: Statuimus ut die Dominico quod antè fieri licuit liceat. De opere autem rurali cenſuimus abſtinendum.* Adeo periculoſum judicabant Sancti Antiſtites hominum conſcientias peccatis implicare per duriores & rigidiores præceptiones, atque doctrinas, quibus rudis populus per alienas perſuaſiones fuerat imbutus.

V. Obſerva poſt Sanctum Antoninum 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 5. verſ. *Item viatores*, & Suarez de Religione lib. 2. cap. 27. itinerationem, ſive pedibus, ſive jumento, ſive vehiculo, ſive remigio fiat, non eſſe abſolutè diebus Dominicis aut feſtis prohibitam, ſed ſolùm ratione accidentium, aut circumſtantiarum quarumdam, ut ſi abſque neceſſitate auditio Miſſæ omitteretur, aut beſtiæ onuſtæ, vel currus onerati agerentur, ac ſervilia munia in onerando & exonerando impenderentur. Sed licere feſtis diebus itinerari, beſtias onere ſolutas, vel currus vacuos agere, equites, aut curru vectos comitari, eoſque qui lectica, aut vehiculo, aut navigio deferuntur, juvare; lecticam mulis, & vehicula navigiis ſuperimponere ad trajiciendum amnem aut mare, onera ad itineris uſum neceſſaria beſtiarum dorſo imponere, atque levare. Addit his Suarez lectum Domini alicujus tranſmigrantis, ſi itinerando in hoſpitiis commodum non eſſet reperturus. Muliones quoque, & quoſcumque currus oneratos agentes, dummodò primo profectionis die non feſto iter ingreſſi fuerint, ſi poſtquam itinere provecti ſunt, dies Dominicus, aut feſtus occurrat, non teneri ſubſiſtere, quòd eis magno damno & jacturæ foret; ſed iter antea cœptum cum mulis & curribus onuſtis proſequi, modò Sacrum audire curent diligenter; adeo ut poſtquam prima diſceſſio licita fuit ob diem non feſtum, & quoque itineris proſequutio in hujuſmodi licita, occurrente Feſto: tum ob publicam neceſſitatem, quia intereſt Reipublicæ ne frugum, piſcium atque mercium comportatio retardetur: tum etiam ad grave incommodum mulionum & aurigarum evitandum, qui ob quietis expenſas jacturam incurrerent, ut non valentes arte, laboreque ſuo victitare, præſertim ſi plura Feſta, Dominicæque dies ſequerentur, neceſſe eſſet cum publico, privatorumque gravi damno prorſus ab hujuſmodi comportationibus deſiſtere. Hæc Suarez authoritatibus confirmat ſapientiſſimorum Caſuiſtarum, Cajetani, Angeli, Roſellæ, Navarri, quibus adde Sanctum Antoninum loco ſuprà laudato, cujus hæc ſunt verba: *Item vectores, tum alimentorum, tum perſonarum ad loca remota, cum aliàs non poſſent ſine gravi incommodo vitam tranſigere, creduntur exempti die Feſto.*

CAPUT

*CAPUT XXXII.

Nonnulla de Divinis Officiis recitandis, & audienda Missa.

I. DEum nobis exemplar esse vitæ activæ sex hebdomadæ diebus, quibus Mundum fabricavit; septimo autem quo ab opere creationis requievit, formam nobis & exemplum contemplativæ perhibuisse, docet Philo Judæus in suo de Decalogo tractatu, ut sive laborantes, sive quiescentes Deum imitari studeamus, diemque septimum, quem Mundi Opifex cultui suo consecravit, religiosè sacris precibus & meditationibus sanctis impendamus. Transacta verò veteris Legis nocte, atque illucescente novæ per Christum gratiæ luce, successit in locum Sabbathi subsequens feria, quæ in Evangelio nominatur prima Sabbathi, & in Apocalypsi dies Dominica, quâ Christianis ab omni opere servili feriandum est, & sacris orationibus incumbendum, præsertim autem sacrosancto Sacrificio attendendum.

II. Obligatio de audienda devotè Missa diebus Dominicis, aliisque occurrentibus per annum festis, habetur de consecrat. dist. 1. cap. *Missas*, quæ duplex ab omnibus Christianis exigit officium, ut scilicet nisi ægritudine, aliove necessario impedimento distineantur, corpore intersint, & animo intenti sint, id est ne homo aliò divagetur voluntaria mentis distractione.

III. Quæritur utrum Missæ auditioni satisfaciat, qui simul obligationi satisfacit Divini Officii recitandi, vel injunctæ à Confessario pœnitentiæ precibus? Et quanvis negativam tueantur Sylvester & Angelus, longè tamen probabiliùs affirmant Toletus lib. 6. cap. 6. & quos allegat Authores, Adrianus, Medina, Cajetanus, Navarra, Sotus, Rosella, Armilla: item Suarez, Azorius, Lopez, Bonacina de Sacram. Euchar. disp. 4. quæst. ult. num. 25. Graffius, Henriquez, Filliucius. Ratioque in promptu est, quia hîc reperitur & corporis & animi præsentia, quæ ad Missam exigitur, quoties per devotas preces mens ad Deum erigitur, ut fit in recitatione satisfactoriæ pœnitentiæ vel Divini Officii, cùm ad utramque obligationem una eademque attentio possit sufficere. Hoc idem pariter docent Adrianus tract. de satisfactione, quæst. 7. Medina tract. 2. de pœnit. injuncta, & Toletus lib. 6. cap. 6. num. 4.

IV. Quæritur etiam, utrum Missæ audiendæ præcepto satisfaciat qui tempore celebrationis Missæ peccata sua confitetur sacramentaliter? Ne-

gativa pars mihi omninò placet cum Suarez & Azorio, quos sequitur Bonacina retractans suam pristinam opinionem affirmativam tract. de Sacram. Euchar. disput. 4. quæst. ult. puncto 11. num. 26. Ratio est, quia quanvis Confessio sacramentalis sit actus religiosus, tamen talis actus cum colloquiis quæ fiunt inter Sacerdotem & pœnitentem ad explorandas peccatorum circumstantias, aliam exigit attentionem quàm quæ in Missa requiritur; attentio enim quam Missa requirit, debet esse per modum orationis, qualis non adest in perscrutandis culparum momentis & circumstantiis, & in dialogismis intervenientibus inter pœnitentem & Confessarium, & in prolixis narrationibus jurgiorum.

V. Quæritur tandem an satisfaciat qui duas Missæ medietates à duobus Sacerdotibus audiit, ut si Ecclesiam ingressus inchoatâ jam Missâ, consecrationi, & iis quæ subsequuntur interfuit, deinde sequentem Missam usque ad consecrationem audit & discedit? Satisfacere affirmant Major, Navarra, Soto: hæret Toletus super non servato partium Missæ ordine, & super diversitate Sacerdotum, non quidem secundùm speciem, sed secundùm individuum: quæ diversitas cùm sit merè accidentaria, non videtur impedire adimpletionem præcepti, ut contingere etiam posset in Missa inchoata ab uno Sacerdote, qui provectus usque ad Canonem incidit in deliquium, aut moritur, quæ unum & idem sacrificium constituit cum prosequutione quæ per succedentem alterum Sacerdotem fit, à quo Sacrum inchoatum perficitur. Nec dubium est quin is qui utrique parti sub duobus Sacerdotibus interfuit, audiendæ Missæ præcepto satisfaciat. Quapropter ipse Toletus opinionem illam Majoris, Navarræ & Soti, quos allegavit, judicat esse probabilem. Bonacina verò num. 13. cum aliis quos ibi citat Authoribus hunc scrupulum aufert.

VI. Satisfaciunt pariter qui Sacro inservientes discedunt ut deferant thus, vinum, aquam, hostiam, candelas, vel quid simile. Toletus loco cit. & alii.

VII. Disceptatur inter Summistas, quænam pars Missæ omissa pertingat usque ad mortale peccatum? Et quanquam diversi diversa sentiant, communior tamen & probabilior sententia est docentium, omissionem auditionis à principio usque ad Epistolam exclusivè, non esse partem notabilem; sed si ipsa quoque omittatur Epistola, neque ulla excuset necessitas, materiam esse mortalis delicti. Ita censent Tabiena, Navarrus, Suarez, Graffius, Henriquez, aliique quos citant & sequuntur Toletus lib. 6. cap. 7. num. 4. & Bonacina dicta disp. 4. quæst. ult. puncto. 11. num. 16. Nonnulli tamen cum Sà & Bartholomæo ab Angelo, materiam notabilem non ponunt nisi ab initio Evangelii.

VIII. De privata Missæ celebratione temporibus Officiorum Chori, Panormitanus in cap. *Cùm olim*, de sent. & re judic. num. 6. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 11. quæst. 19. Augustinus Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. num. 57.

num. 57. Bonacina tract. de his quæ ad Divini Officii recitat. pertin. disp. 2. quæst. 5. punct. 3. §. 4. num. 1. Riccius in Prax. distrib. decis. 492. num. 2. ubi etiam allegat decretum Sacræ Congreg. Cardinalium, aliique Canonum periti docent unanimes, Canonicum celebrando Missam in Ecclesia propria lucrari non posse distributiones ejus Officii quod tunc in Choro canitur, nisi hoc fiat ex rationabili causa approbata à Præfecto, putà ob supervenientem advenarum Processionem, aut sublimis dignitatis personam. Et pernicioſi quidem exempli foret, si laborantibus in Choro destinata stipendia, prætextu Missæ quæ in aliam horam remitti posset, aliò transferre fas esset, cum publici cantus diminutione, propter quem distributiones diariæ sunt institutæ.

IX. Præcipit verò Clericis Officio Divino astrictis Concilium IV. Lateranense Generale, sub obligatione sanctæ obedientiæ, *ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.* Ita cap. *Dolentes*, de celebr. Miss. Devotio porrò nulla est sine animi attentione: frustra verò quis oppoſuerit Ecclesiam nihil præcipere de internis; quandocumque enim exterior præcipitur actus secum involvens actum aut dispositionem interiorem, illa interior actio eodem præcepto continetur. Atque ita dum mandatur recitatio Divini Officii, non aliter mandatur quàm ut actus religioſus, seu ut oratio in Deum directa. Similiter lex annuæ confessionis obligationem complectitur actuum internorum pœnitentiæ, sine quibus sacrilega esset ejusmodi apud Sacerdotem confessio. Præterea dum jubet conferri aliquod Sacramentum, intendit ut minister necessariam adhibeat animi intentionem, exeratque actum humanum ac liberum, non autem eluſorium aut belluinum, qualis esse posset hominis ebrii, aut amentis vel impii, prorsusque ab Ecclesiæ intentione alieni.

X. Triplex distingui solet intentio, scilicet actualis, quâ reipsa mens cogitat eodem momento quo actus producitur externus: virtualis, quâ homo liberè actum exerit exteriorem in virtute deliberationis quæ præcessit, ut cùm quis ex vi præcedentis decreti proficiscendi Massiliam itineri se accinxit, etsi proficiscendo in alias res distrahatur, neque de Massilia cogitet: & habitualis, quâ homo ex habitu repetitis actibus aut aliter acquisito aliquid agit. Habitualis attentio neque humana verè est, neque rationem sequitur, neque sufficit ad ullum Officium: ut si quis ex habitu pridem acquisito ebrius aut mente captus baptizaret, aut si noctambulus dormiens aliquid de Canonicis Horis recitaret. Actualis autem aut virtualis sive attentio, sive intentio, sufficere seorsim ac singulæ possunt sive ad Sacramentorum, sive ad Officiorum & Orationum Divinarum ministerium. Actualis attentio habetur si quis actu exercito advertat ad verba ipsa, vel ad sensum & intelligentiam verborum, vel ad Deum ipsum aut ad Divina Mysteria. Virtualis attentio ea est, quæ ex ea, quæ paulò

antè

antè præceſſit, deliberatione actuali movetur, tametſi cogitatio illa actualis interrupta mox fuerit ſuperveniente indeliberata diſtractione animi ac divagatione mentis. Hoc enim commune habent agentia naturalia cum moralibus cauſis, ut operentur non ſolùm immediatione, ut vocant, ſuppoſiti; ut quum ignis agit in lignum ſibi conjunctum mutuo contactu: ſed etiam immediatione virtutis, ut ſi quis lignum haud procul diſtans calefaciat, aut ſi ſtupas conſumat modico intervallo diſtantes. Ita etiam cauſæ morales ſuam promovent virtutem ad aliquos diſtantes effectus; ſed tamen limitatam habent ſuæ activitatis circumferentiam, ut neque ignis in remotiora ſubjecta quidquam poſſit operari, neque expreſſa intentio animi pertingere queat multiplices, aut nimium diuturnas remotaſque interruptiones & intercapedines: quas animadvertens quiſquis Orationi vacare ſtudet, priſtinam debet intentionem revocare, ne hac indignantis Dei voce notetur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

XI. Iſtud quoque tenendum, eos qui ſunt ſimul Canonici & Conſiliarii Curiæ Parlamenti, dum Curiæ interſunt juriſdictione fungentes, potiri quidem ſuarum fructibus Præbendarum, ſed privari diſtributionibus quæ ſolis reſervantur Clericis qui Divinis interſunt Officiis. Verumtamen temporibus quibus vacat Curia, poſſunt Regii Conſiliarii canendo in Choro diſtributiones lucrari. Ad hæc confirmanda jura multa congerunt Supremæ Pariſienſis Curiæ judicia Louetus ejuſque Scholiaſtes Brodeus lit. *C*, num. 24. Simile quid obſervatur circa Regiæ Capellæ Cantores, qui poſtquam ſervitii ſui vices compleverint, ejuſque ſcriptam atteſtationem retulerint, niſi quamprimùm ad Eccleſiarum reſidentiam, quarum Præbendas poſſident, revertantur, amittunt illarum fructus, quibus tamen potiebantur quandiu præfixis ſibi vicibus Regiæ Capellæ inſervierunt, juxta Edictum Melodunenſe anni 1580. Regia Capella Regem quócumque ierit ſequitur. Sancta verò Capella Pariſiis affixa eſt.]

LIBER

LIBER TERTIUS,

In quo agitur de Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis generatim.

1. QUOD sapientissimè docet S. Dionysius lib. de Divinis Nominibus, cap. 4. Dei bonitatem atque in res à se creatas dilectionem circulum efficere admirabilem, dum extra se suam in nos effundit beneficentiam, nosque mirificæ bonitatis suavibus illecebris, quasi hamo illaqueatos trahit ad se in funiculis Adam; in vinculis charitatis, ut loquitur Propheta, pellicit ad seipsum, qui est rerum omnium principium & finis, ut ab ipso profecti per creationem, ad ipsum regrediamur per amorem & gratiam, atque in ipso æternùm conquiescamus, qui finis noster est, summumque bonum & felicitas consummata: id experimento in Divinis comprobatur Sacramentis, quorum Deus author est & institutor; per hæc enim ut sanctitatis instrumenta Deus omnipotens suum in nos Spiritum effundit, quo veluti nexu nos ad se pellicit, sibique tam feliciter copulat, ut cum eo (juxta Apostolicum testimonium) unus idemque spiritus efficiamur. *Qui enim adhæret Deo, unus spiritus est.* Idemque Apostolus alio loco dicit: *Charitas Dei diffusa est*

in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Itaque non modò per aliquam virtutem aut habitum creatum Deo conjungimur, sed insuper eodem ipso Spiritu Sancto, quo Divinæ inter se Personæ ab æterno copulantur. Sicque impletur in nobis illa Christi pro nobis ad Patrem deprecatio: *Ut sicut tu Pater in me, & ego in te; ita & ipsi in nobis unum sint,* Joan. 17. Ibidemque: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Omnia ista felicissimè complentur in nobis, ut admonet S. Augustinus tract. 111. in Joan. in fine, quatenus membra Christi efficimur, unumque cum ipso corpus constituimur: sic enim Sancto Christi Spiritu quasi membra Christi vegetamur ac vivimus, ut nos edocet Apostolus Gal. 4. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Hoc tamen subest discrimen, quia Christus Jesus verè Filius Dei est naturalis in sua etiam humanitate, quatenus in solo Verbo subsistit, ut adversùs Elipandi Urgelitani errorem definivit Ecclesia: Nos verò per Spiritus Sancti gratiam, atque ipsummet in nobis inhabitantem Spiritum Christi, promovemur in filiorum Dei adoptivorum dignitatem & conditionem.

II. Hoc enim omnibus novæ Legis Sacramentis commune est, ut vel suscipientes justificent, quod proprium exstitit Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ; vel jam præexistentem gratiam novo adaugeant incremento, quod ad cætera pertinet Sacramenta. Istam inconcussam veritatem Sacræ nos Literæ docent. De Baptismo enim legimus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Ephesior. 5. *Emundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* De Confirmatione verò, Act. 8. *Cum vidisset autem Simon, quod per impositionem manus daretur Spiritus Sanctus.* De Eucharistia, Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me.* De Pœnitentia, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema-Unctione, Jacobi 5. *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* De Ordine, 1. Timoth. 4. *Ut resuscites gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii* De Matrimonio denique Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

III. Eadem nobis prisci Ecclesiæ Doctores tradidere. In primis Tertullianus lib. de resurr. carnis: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Caro corpore Christi & sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur.* S. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. exponit ablutionem Naaman in Jordane, per quam à lepra mundatus est, præfigurasse animarum à peccatis emundationem, quam efficiunt Ecclesiæ Sacramenta. Idemque significatum ait per Spiritus Sancti descensum in specie columbæ, quando Jesus in Jordanem descendit baptizandus. Idem lib. 2. de Sacram. cap. 2. confert cum gratia Sacramentorum

sanationem

sanationem unius hominis infirmi, qui prior descendebat in piscinam; & subjungit: *Quantò major est gratia Ecclesiæ, in qua omnes salvantur quicumque descendunt.* S. Augustinus tract. 80. in Joan. in illa Christi verba, *Jam vos mundi estis propter verbum quod loquutus sum vobis*, hæc tradit: *Quare non ait, Mundi estis propter Baptismum, quo loti estis; sed ait, Propter verbum, quod loquutus sum vobis? Nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur; nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.*

IV. Neque verò requirit eo loco Augustinus, ut necessariò adhibeatur à Sacramenti ministro aliqua elementaris substantia, cui verba Sacramentum consummantia applicentur. Etsi enim hoc ipsum in aliquibus, ut in Baptismo, requiratur, non tamen in omnibus Sacramentis. Sed omnia & singula Sacramenta id requirunt, ut constituatur in eis pro materia aliquid sensibile, cujus significatio sacramentalis determinetur, sive quibusdam verbis, sive alia quapiam re sensibili, quæ verborum loco sit, & formæ vicem teneat, cujusmodi sunt in Pœnitentiæ Sacramento pœnitentis actus, qui locum tenent materiæ: & in Matrimonio signa consensus, quæ sunt loco formæ. Ita exponit hanc Augustini sententiam S. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 1.

V. Sacramenta omnia constituunt in communi genere signi. Signum definit S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 2. rem quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Sic fumus dum se oculis prodit, deducit animum in latentis ignis cognitionem. Cùm verò Sacramenta non sint naturalia signa, qualis est fumus respectu ignis, sed ex instituto Christi, propterea exigunt aliquam similitudinem externi signi cum operatione interna, quam significant. Qua ex causa idem Augustinus epist. ad Bonifacium, ait: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent.* Sic per aquam ablutio similitudinem refert ablutionis peccatorum, quam Baptismus operatur. Ideóque à Patribus Græcis Sacramenta vocari solent ἀντίτυπα, eo quòd similis sint speciei ac formæ cum re quam significant.

VI. Neque solùm gratiam interiùs productam significant, sed eandem ipsam producunt Sacramenta novæ Legis Gratiæ: quippe quæ id habent, ut sint gratiæ practica, ejusque sub genere instrumenti operativa. Quod sanè non semper verificatur secundùm actum, sed secundùm aptitudinem; ut si quis Baptismum suscipiat cum affectu, aut intentione peccati mortalis, id Sacramentum non producit pro eo tempore gratiam, ob suscipientis incapacitatem, & pravæ voluntatis obicem; sed satis est ad Sacramenti rationem, quod ex se habeat aptitudinem gratiæ productivam, quam si non

producat, id contingit per accidens ex oppoſito obice. Ex hactenus diſputatis colligitur iſta Sacramenti definitio, ut ſit Signum gratiæ ſenſibile ad noſtram ſanctificationem divinitus inſtitutum.

VII. Hoc denique memoriâ tenendum eſt, ad cujuſlibet eſſentiam Sacramenti tria exigi, materiam, & formam, & miniſtri operationem hoc facere intendentis, quod in ſimili facere conſuevit Eccleſia: quorum trium ſi vel unum deſit, nequaquam erit Sacramentum. Hæc docet ac definit Florentina Synodus in Decreto Unionis.

CAPUT II.

De Baptiſmo.

I. TRIA Sacramenta characterem indelebilem in anima imprimunt, ideoque nunquam iterari poſſunt, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio & Ordo. Sic enim ſanxit Concilium Trident. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

II. Triplex recenſetur Baptiſmi genus. Primum aquæ, qui ſolus ad Sacramentum pertinet. Secundum flaminis ac ſpiritus, qui eſt perfectus à Deo ipſo infuſus amor Dei, aut perfecta, & à Spiritu Sancto excitata contritio cordis. Tertium eſt ſanguinis ac martyrii, qualis fuit ſanctæ Emerentianæ, ſancti Geneſii & aliorum Martyrum, quos aquæ Baptiſmus non abluerat. Horum enim ſingula Baptiſmata poſſunt ad ſalutem æternam ſufficere, can. *Baptiſmi vicem*, de conſecrat. diſt. 4. modò contineant Baptiſmi Sacramentum in voto.

III. Quando probabiliter dubitatur, an fuerit aliquis baptizatus, hic erit ſub iſta conditione baptizandus: *Si baptizatus es, ego non te baptizo; ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* cap. 2. de Baptiſmo.

IV. Quanvis forma Baptiſmi, aut aliorum Sacramentorum non ad Grammatices amuſſim ex balbutie aut imperitia linguæ, alióve ex caſu pronunciaretur, ſi tamen ſervetur juxta communem intelligentiam verborum ſenſus & ſignificatio, non ideo minùs erit validum Sacramentum, neque quidquam debet iterari. Idcircò in can. *Retulerunt*, de conſecrat. diſt. 4. declaratur validus Baptiſmus, in quo fuerat ita pronunciatum: *Ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, & Spirituas ſanctas.* Proclivius tamen eſt ut irrita ſit forma Sacramenti, ſi verborum immutatio contingat in ipſo

ipso initio vel medio, quàm in fine dictionis; ut si diceretur, *In nomine Matris, & Milii, & Miritus mancli*; quia in fine non immutatur verbi substantia, sed casus; atque ita immutatio ista solùm est accidentaria, nec substantialis, juxta S. Thomam 3. p. q. 60. art. 7. ad 3.

V. Effectus Baptismi quinque recensentur: 1. Gratia sanctificans cum donis Spiritus Sancti, & virtutibus infusis ac supernaturalibus. 2. Remissio omnis culpæ, & originalis, & actualis quoad adultos suscipientes. 3. Remissio totius pœnæ quoad futuram vitam, & temporalis quæ luenda esset in purgatorio, & æternæ quæ in inferno. 4. Characteris in anima impressio. 5. Subjectio sub Ecclesiæ potestate, ad quam Baptismus quasi janua introducit.

VI. In adultis Baptizandis prærequiritur fides ad hujus Sacramenti gratiam suscipiendam, necnon voluntas Baptismi suscipiendi: item dolor de peccatis cum proposito futuræ emendationis, juxta illud Act. 2. vers. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Aitque Augustinus lib. de vera & falsa pœnit. cap. 18. *Baptismus sine pœnitentia nunquam profuit ei qui spontaneè peccavit.*

VII. Dispositioni ad Baptismum necessariæ opponitur fictio, ut idem docet Augustinus. Sicut autem dispositionum ad Baptismum quædam necessariæ sunt ad valorem Sacramenti, ut est in adulto voluntas suscipiendi Baptismum; aliæ ad effectum duntaxat & gratiam Sacramenti, ut fides, & pœnitentia: similiter fictionum aliquæ impediunt ipsam Baptismi substantiam, aliorumque Sacramentorum, ut quum aliquis ex sola dissimulatione & sine intentione interna abluitur; aliæ validitati Sacramenti minimè obstunt, sed quibusdam ejus effectibus, ut gratiæ, remissioni peccatorum, debitæque eis pœnæ; sed non characteri, aut sub Ecclesia subjectioni. Attamen cum primùm fictio ista desinet per sequentem veramque pœnitentiam, tum demùm, ut docet S. Augustinus lib. 1. de Baptismo, cap. 12. effectus omnes Sacramenti qui fuerant in suspenso, resultabunt & de novo producentur. Hoc fictionis genus consistit in defectu pœnitentiæ, aut in affectu ad aliquod lethale peccatum.

VIII. Disputat idem Sanctus Doctor de fictione, lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 11. 12. & 13. occasione objectionis Donatistarum quærentium, an per Baptismum ab ipsis Donatistis collatum remitterentur peccata, & Spiritus Sanctus daretur, an non? Si enim remittantur peccata: ergo in schismate Donatistarum fit peccatorum remissio, & confertur Spiritus Sanctus; quæ res arguit veram esse penes Donatistas fidem & Christi Ecclesiam. At si non remittuntur peccata per Donatistarum Baptismum: ergo denuò baptizandi sunt à Catholicis quotquot à Donatistis baptizati ad unitatem redeunt Catholicæ Ecclesiæ. Hoc argumentum dissolvit Augustinus cap. 12. hac responsione: Valere quidem in Donatistarum schismate collatum Baptismum, non tamen salutem operari quo

tempore confertur, sed tunc primùm duntaxat, quando sic baptizatus ad pœnitentiam & unionem Ecclesiæ Catholicæ convertetur.

IX. Utrum verò aliorum à Baptismo Sacramentorum, absque debita dispositione, atque indignè susceptorum gratia reviviscat, disputant Scholastici Theologi, atque in varias discinduntur opiniones, aliis hoc soli Baptismo proprium asserentibus ob summam ejus necessitatem, quæ aliunde reparari non possit; alii hoc extendunt ad alia duo Sacramenta quæ characterem infigunt, neque possunt iterari; alii denique id omnibus Sacramentis astruunt esse commune: ipseque S. Thomas diversis locis diversa & opposita docet; quæ causa est ut in quæstione ista discipuli ejus inter sese dissentiant. Hoc unum à cunctis citra exceptionem Catholicis asseritur, indignè susceptı Baptismi gratiam reviviscere per subsequentem pœnitentiam: in cæteris verò Sacramentis nihil de hac re indubitatum referri, sed omnia niti conjecturis & rationibus ambiguis.

X. Non modò collatus ab hæretico Baptismus valet, neque permittitur iterari, juxta editam à Sancto Stephano Pontifice & Martyre definitionem adversùm aliquot Africana Concilia, ipsosque sanctos Episcopos Cyprianum Carthaginensem, Dionysium Alexandrinum, & Firmilianum Cæsareensem ex Cappadocia, qui oppositum dogma tuebantur: sed valet etiam Baptismus à non baptizato quovis homine, etiam Judæo vel Pagano collatus, dum habuerit intentionem id faciendi quod facit Ecclesia. Sanè quæstionem istam de ministro Baptismi non baptizato ac infideli seriùs dijudicavit Ecclesia, neque hac de re quidquam asserere ausus fuit Sanctus Augustinus, sic dicens lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 13. *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine authoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit. De iis verò qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin & habeant, & dare possint.* Hactenus Sanctus Doctor. Cæterùm quæstio hæc ipsa postmodùm soluta fuit à Nicolao I. Pontifice, cap. 204. responsionis ad consulta Bulgarorum; valere scilicet Baptismum ab infideli non baptizato datum, qui cætera adhibuerit quæ sunt necessaria, ut refertur de consecrat. dist. 4. can. *A quodam Judæo.* Quod idem ante Nicolaum definiverat Concilium Compendiense articulo 9. anno Christi 757.

XI. Id quod superiore art. 3. dixi de dubio facti, an aliquis fuerit baptizatus, extendi potest ad reliqua Sacramenta, & ad Ecclesiarum consecrationes, de quibus ambigitur. Sic enim decernit Concilium Carthaginense V. can. 6. itemque Africanum generale: *Si de facto Baptismi, Confirmationis, Consecrationis dubitetur, nec possit ulla probatio inquisitione facta succurrere, perinde agendum est ac si nihil horum factum fuisset.* Citatur à Gratiano in can. *Placuit de infantibus*, dist. 1. de consecr. Concilium pariter Quinisextum can. 88. necnon Meldense can. 8. ut habetur can. *Ecclesiæ*, de consecrat.

consecrat. dist. 4. eadem tradunt : Sanctus item Leo Magnus epist. 55. ad Leonem Ravennatem, cap. 1. eadem sancit, & allegatur can. *Cum itaque*, de consecrat. dist. 4. Sanctus Gregorius lib. 12. epist. 31. ad Felicem Episcopum Siciliæ, circa med. ita scribit : *De dedicationum verò Ecclesiarum dubitatione, super qua inter cætera nos consuluistis, hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab Antecessoribus nostris traditum accepimus, id est quoties tam de Baptismo aliquorum, vel de Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, vel confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio Fidelibus ruina fiat : quoniam non monstratur iteratum, quod certis indiciis non ostenditur ritè peractum.* Eódem spectant can. *Solemnitates*, de consecr. dist. 1. & can. *Presbyteri.*, dist. 68.

CAPUT III.

De Confirmationis Sacramento.

I. QUID conferat Confirmationis Sacramentum, tradit Pontifex Melchiades can. *Spiritus Sanctus*, de consecr. dist. 5. *Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tradit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo totâ ætate victuris, inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam : in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Id commune inter se habent Ecclesiæ Sacramenta, ut dignè suscipientibus gratiam conferant habitualem, & præterea convenientibus occasionibus & temporibus gratias quasdam actuales, sive specialia quædam auxilia ad peculiares singulorum Sacramentorum fines pertinentia, quæ dici solent gratiæ Sacramentales, cujusmodi sunt in Confirmatione præ-venientia quædam, & concomitantia auxilia ad Christi fidem constanter profitendam : idque significatur per sacri unctionem Chrismatis ex oleo balsamoque compositi, quasi quæ luctatores corroboret, & cor hominis ad pugnam animet atque confortet.

II. In canone *Ut jejuni*, de consecr. dist. 5. præscribitur, ut jejuni accedant qui sunt confirmandi, & admoneantur ut priùs confiteantur delicta. Neutrum tamen est absolutè necessarium ; consuetudo enim passim invaluit ut differatur hoc Sacramentum post horas pomeridianas, atque etiam post vespertinam horam. Et præterea ille sufficienter est dispositus, qui

qui nullius est sibi conscius mortalis culpæ ; atque ubi conscius esset mortalis culpæ, sufficere potest si conteratur, quia de sola perceptione venerabilis Eucharistiæ præcipitur confessionem præmitti. Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. Ideoque d. can. *Ut jejuni*, non præcipit confessionem confirmandis, sed solùm ait esse monendos ad confessionem.

III. Jubet can. *Non plures*, 101. de consecr. dist. 4. ut unicus sit susceptor confirmati, seu vir, seu mulier. Et can. *In baptismate* 102. ibid. statuit, ut nemo suscipiat confirmandum, nisi sit ipse confirmatus. Et contrahitur à suscipiente in Confirmatione spiritualis cognatio, quæ potest esse matrimonii contrahendi impedimentum dirimens.

IV. Ordinarius Confirmationis minister est solus Episcopus, can. *De his verò*, & can. *Manus quoque*, de consecr. dist. 5. Sic definit Concilium Trident. sess. 7. de Confirm. can. 3. Probatur Act. 8. ubi ad Samaritanos dudum baptizatos mitti quosdam de Apostolis oportuit, qui baptizatis per manuum impositionem Spiritum Sanctum conferrent. Attamen simplex Sacerdos ex magna & urgente causa cum Summi Pontificis immediata delegatione conjuncta potest fieri Confirmationis minister extraordinarius: Sanctusque Pontifex Gregorius Magnus lib. 3. epist. 26. hanc permisit potestatem Presbyteris Sardiniæ: & habetur in can. *Pervenit*, dist. 95. In Decreto quoque Eugenii IV. quod est ad finem Concilii Florentini, habetur, posse aliquando per Summi Pontificis dispensationem, cum rationabili & urgente causa, simplicem Sacerdotem chrismate ab Episcopo consecrato administrare hoc Sacramentum. Idem docet S. Thomas. Allegantur ad hoc ipsum antiqui Commentatoris, sub nomine Sancti Ambrosii, verba ista in cap. 4. ad Ephes. *Apud Ægyptios confirmant Presbyteri, si non sit Episcopus.* Quidam tamen explicant hunc locum de ceremoniali Chrismatione quæ Baptismo solet adhiberi.

V. Sciendum est enim, non licuisse olim simplici Sacerdoti quemquam linire chrismate, imò neque baptizare, nisi jubente, aut procul absente Episcopo, & aliqua urgente necessitate : apertéque ait can. *Omni tempore* 24. de consecrat. dist. 4. *Presbyter verò præsente Episcopo non signet infantes, nisi ei fuerit ab Episcopo præceptum : nec liceat Presbytero prius Episcopo intrare in Baptisterium.* Et Concilium Toletanum primum can. 20. itemque Arausicanum cap. 2. & Innocentius I. epist. 1. §. 6. decernunt Presbyteros ex venia Episcopi, aut ex necessitate premente, dum Episcopus abest, posse alios chrismate inungere. Sanctus quoque Leo Papa epist. 88. sub fin. ita dicit : *Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in Baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare.* Quæ loca omnia intelligenda sunt non de Confirmationis unctione, sed de unctione baptizatorum, qui consignandi erant adhibitâ chrismatis unctione in vertice. Istam enim confirmandi potestatem solus Papa concedere Sacerdoti potest, neque ullatenus potest hoc jus alteri, qui non sit Episcopus, delegare nisi

(ut

(ut decernit Eugenius Papa IV. in Decreto Unionis) ex rationabili & urgente admodum causa.

VI. Quin etiam ne ipse quidem Papa potestatem habet committendi simplici Sacerdoti Chrismatis sacri confectionem seu consecrationem, sed necessarium est fuisse ab Episcopo confectum Chrisma, quo usurus est Sacerdos ab ipso Papa delegatus ad Confirmationis Sacramentum. Si secus fiat, nullum erit Sacramentum. Sanctus enim Papa & Martyr Fabianus tradit, Jesum Christum in ultima cœna docuisse Apostolos ritum Chrismatis conficiendi, eodemque Christi Domini instituto conficiendum ab Episcopis Chrisma esse feriâ quintâ majoris Hebdomadæ. Sanctus præterea Dionysius in sua Ecclesiastica Hierarchia ritum & confectionem exponens sacri Chrismatis, apertè tradit, esse ab Episcopo consecrandum. Concilium Toletanum I. cap. 20. statuit à solis Episcopis esse Chrisma conficiendum. Præallegatum Eugenii IV. Decretum ea quæ sunt de singulorum Sacramentorum essentia pertractans, ait Confirmationis materiam esse Chrisma ex oleo & balsamo ab Episcopo benedictum. Et subinde monens, fuisse nonnunquam ab Apostolica Sede urgente ex causa dispensatum, ut posset Sacerdos confirmare, eo tamen ipso casu exigit ut adhibeatur Chrisma ab Episcopo Benedictum. Quam Episcopalem Chrismatis consecrationem esse de Confirmationis essentia, asserit S. Thomas 3. p. q. 72. art. 3. & cum eo communis Doctorum consensus. Existimant tamen nonnulli, balsami admixtionem non requiri ad hujus Sacramenti essentiam, sed esse tantùm de præc[illegible], adducti præcipuè authoritate cap. 1. de sacra unct. ubi interrogatus Innocentius Papa III. de illo qui fuerat in Confirmatione non Chrismate, sed oleo solo delibutus, respondet nihil ibi iterandum esse, sed cautè supplendum id quod fuerat incautè prætermissum. Ita censent Cajetanus in d. q. 72. Sancti Thomæ, & Navarra Manual. cap. 22. num. 8.

VII. Formam Confirmationis istam tradit præallegatum Eugenii ad Armenos Decretum: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Multorum persuasio est, Apostolum vel ad formam, vel ad effectum Sacramenti hujus alludere 2. Cor. 1. ubi dicit: *Qui autem confirmat nos in Christo vobiscum, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

VIII. Quæstionem movet S. Thomas d. quæst. 72. art. 8. utrum debeat hoc Sacramentum omnibus fidelibus conferri? Et affirmativè respondet. 1. Quia Actuum 2. omnes qui erant in eadem cum Apostolis domo accepere Spiritum Sanctum: per eam verò domum Ecclesia significabatur. 2. Quia sicut natura quos generat intendit ad perfectum statum deducere, ita Deus & Ecclesia quos genuerunt per Baptismum, intendunt per Confirmationem ad statum perfectum adducere: quod fit per Confirmationem, attestante Urbano Papa I. can. 1. de consecrat. dist. 5. his verbis: *Omnes fideles*

per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur. Ex multis sanè veterum testimoniis compertum habemus, quoties citra urgentem necessitatem solenniter baptizabantur catechumeni, morem fuisse, ut statim à Baptismo confirmarentur per impositionem manus ab Episcopo; & subinde Sacramento Eucharistiæ communicarent, etiam infantes ipsi recèns baptizati, ut ex S. Cypriano liquet in libro de lapsis.

IX. Quâ verò ætate conveniens sit baptizatos confirmari, præstat audire, & sequi monitum Catechismi Romani sic docentis: *Illud etiam observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minùs tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum differre hoc Sacramentum maximè convenit.* Catechismo astipulatur ratio, quia facilè contingit ut plerumque infantes, quin etiam ipsi eorum parentes susceptí hujus Sacramenti recordationem nullam habeant post aliquot annorum decursum, nutentque inter duo pericula, vel non providendi de hoc suscipiendo Sacramento, vel illud per oblivionem iterandi, quod nullatenus fas est iterare. Non enim solent Confirmationes in acta referri, ut solent Baptismi & Matrimonia, quia major obstat difficultas in promiscuo multorum confirmandorum concursu.

X. Cùm dicat Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de reform. *Primâ Tonsurâ non initientur qui Confirmationem non susceperint*; quærunt Doctores, an si secus fiat, incurratur mortalis culpa? Et quidem communiter negant de mortali, & concedunt de veniali, quia nullum hîc verbum exprimitur, quo strictum præceptum imponatur. Ita quoque ulteriùs sentiunt, etiam ulteriùs progrediendo ad Ordinum collationes, modò contemptus absit, Navarra cap. 22. num. 9. Candelabrum Aureum de Confirmatione num. 41. Victoria de Sacramento Ordinis num. 232. Suarez in 3. p. quæst. 72. art. 8. disp. 38. sect. 1. Coninch de Confirmatione art. 8. num. 90. & 91.

CAPUT IV.

De venerabili Eucharistiæ Sacramento.

I. EUCHARISTIA duplicem habet rationem, & Sacramenti, & Sacrificii; sed non constituitur sub ratione Sacramenti nisi per Sacrificium: ut enim existat hoc Sacramentum, prærequiritur consecratio; ipsa verò consecratio est ipsummet Sacrificium, quo Christus immolatur

immolatur, ut docet S. Thomas q. 83. art. 1. Sciendum porrò utrumque, & Sacramentum, & Sacrificium censeri nomine signi externi & sensibilis, diverso tamen respectu: Sacramentum enim est signum gratiæ quam Deus confert suscipienti; Sacrificium verò est signum exterius ejus cultus interioris, quem Deo deferimus spectato tanquam rerum omnium supremo Domino. Quâ ratione sapienter dicit S. Augustinus lib. 10. de civit. Dei, cap. 4. *Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera: ita tamen ut quibus ea deferuntur, homines habeantur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem iis multùm additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Nec verò stat tota Sacrificii ratio in illa supremi dominii recognitione, cùm possit illa recognitio dominii supremi fieri à nobis per simplices protestationes, orationes, aliosque diversos à Sacrificio actus. Aliquid aliud igitur requirit Sacrificii ratio, ejus specificæ differentiæ constitutivum. Istud porrò est alicujus creaturæ religiosa destructio facta in signum & protestationem supremi dominii & excellentiæ Dei valentis destruere quæcunque creavit, & pro cujus gloria nulla creatura est quæ destrui non debeat, si sit opus, aut si Deus ita velit; sive sit illa destructio realis & physica, qualis contigit humanitatis Christi in crucis Sacrificio cruento; sive sit destructio ac immolatio mystica, qualis evenit in Sacrificio Eucharistiæ incruento, mortis Christi cruentæ commemorativo.

II. Antiqui Ecclesiæ Sanctæ Patres istud mysterium simpliciùs speculantes, non aliam in Sacrificio Eucharistiæ sacratissimæ prædicant immolationem Christi, quàm illam quæ facta fuit in cruce, cujus exhibet commemorationem sacra Eucharistia. Horum menti adhæret S. Thomas 3. p. q. 83. art. 1. cujus hæc est inscriptio, *Utrum in hoc Sacramento Christus immoletur?* Cui affirmativè respondet, duasque profert responsionis suæ rationes. Primam quidem, quia hujus celebratio Sacramenti, imago quædam est passionis Christi: solent verò imagines earum rerum nominibus appellari, quas repræsentant. Secundam verò rationem subjungit, quia per istud Sacramentum participamus fructibus passionis Christi. Authoritateque subnititur Sanctorum Augustini & Ambrosii. Ait enim S. Augustinus apud Prosperum in libro Sentent. *Semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in Sacramento.* Qui locus desumptus est ex Augustini epist. ad Bonifacium, & habetur in can. *Semel immolatus*, de consecrat. dist. 2. Ambrosius verò, seu potiùs Commentator epistolarum Pauli, qui nomine Ambrosii circumfertur, sic ait in cap. 10. ad Hebr. *In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens: quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis ejus.* Denique allegat S. Thomas Ecclesiæ Collectam Dominicalem dicentem: *Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Et

quia instare quis posset, Sacramenti immolationem quam memorat, esse tantùm secundùm imaginem, & non secundùm rem; rectè ibid. respondet, hostiam Sacramenti esse realiter & in individuo eandem ipsam hostiam, quæ immolata fuit in Cruce: & sic quod ubique immolatur in Ecclesia, esse idem corpus cum immolato & oblato in Cruce, & non diversa corpora; atque ita esse unam eandemque victimam & sacrificium in Altaribus, commemorativum Sacrificii Crucis, eadem præsente victima.

III. Placet admodum Gabriel Vasquez disp. 222. cap. 7. 8. & 9. iisdem cum veteribus Sanctis Patribus & Angelico Doctore vestigiis insistens. Nam cap. 8. in princ. duplex distinguit sacrificium: unum quidem absolutum, aliud commemorativum. Porrò absolutum, quale fuit in Cruce, requirere ait realem hostiæ immutationem, seu destructionem; non verò commemorativum, quale est eharisticum, quod Christus de se obtulit in ultima cœna, in memoriam instantis passionis suæ, & quod offert quotidie Ecclesia in memoriam ejusdem præteritæ passionis. Addit subinde Vasquez, non satis esse ad rationem sacrificii, quod fiat commemoratio mortis, sed insuper necesse esse, ut interveniat eadem numero victima; alioqui enim non fore sacrificium, sed tantùm signum & quasi larvam sacrificii: sic enim non offerretur Deo res eadem, cujus mors repræsentaretur. Itaque si vera esset hæreticorum opinio, quod Christi corpus non contineatur sub speciebus, posset quidem fieri commemoratio mortis Christi in tali Sacramento, ut ipsi fatentur; sed nullatenus sacrificium verum. Itaque sacrificia veteris Legis, per quæ etiam fiebat aliqua sacrificii Christi futuri commemoratio, non ideo erant vera sacrificia per illam commemorationem, eo quòd aliam haberent hostiam quàm Christi corpus: sicque illa mystica commemoratio, seu repræsentatio non erat nisi accidentaria Legis veteris sacrificiis, quæ in hac sola re veri sacrificii rationem ac essentiam habebant, quia realiter immutabatur ac destruebatur res oblata, sive per mactationem & occisionem, ut in pecudibus; sive per crematìonem, ut in panibus; sive per effusionem, ut in liquoribus. Idemque Vasquez cap. 7. veterum Patrum pleraque profert testimonia, non aliam veri in Eucharistica oblatione sacrificii rationem agnoscentium, quàm quatenus idem in Ecclesia offertur Christi corpus, quod repræsentat factam sui in Cruce immolationem, cujus est memoriale sacrificium Eucharistia.

IV. Recentiores Scholastici conantes argutiùs Sanctis Patribus & Thomâ hanc indagare quæstionem, diversis inter se sententiis dissident. Quidam, ut Suarez, absolutè negant esse de ratione sacrificii, ut res oblata realiter immutetur. Alii collocant immolationem in verbis consecrationis, quatenus Corpus & Sanguis seorsim ponuntur, quatenus mysticè fieri potest ex verbis consecrationis, quæ solius corporis meminerunt super

hostia,

hostia, & solius sanguinis super calice; adeo ut nisi obsisteret necessaria concomitantia, reipsa corpus & sanguis separarentur sicut in cruce. Hos verò refellens Bellarminus instat, concomitantiam dum impedit illam separationem, impedire hoc ipso immolationem. Quemadmodum nullum fuisset sacrificium si Sacerdos Aaronicus, dum intentabat ictum, qui tauro mactando sufficiebat, fuisset superveniente casu ictus aversus, ita ut eum taurus non excepisset; illa utique ictus destinatio non suffeciset ad sacrificium aut mactationem.

V. Ipse verò Bellarminus lib. 1. de Sacrificio Missæ, cap. ult. circa fin. assignans in ipso consecrandi actu Eucharisticum Sacrificium, fundat immutationem quæ est Sacrificio essentialis, in horum trium concursu. Primùm quatenus res profanæ panis & vinum mutantur in res sacras carnem & sanguinem Christi. Secundò quia per eandem consecrationem res istæ Deo offeruntur. Tertiò quia per hanc ipsam consecrationem res oblatæ ad veram, & externam destructionem ordinantur, quatenus accipiendo formam cibi & potus destinantur ad manducationem & potionem. Quanvis enim Christus per hanc manducationem non amittat suum esse naturale, amittit tamen suum esse sacramentale, desinitque esse cibus sensibilis. Alii Doctores collocant Christi Eucharisticam destructionem in eo, quod etsi vitam non amittat, amittit tamen vitæ usum dum alligatur Sacramento: non enim potest in illo statu seipsum movere, neque videre, neque audire, neque tangere, neque alias exercere operationes, ad quas eliciendas necessariæ sunt species sensibiles, quæ divisibile spatium efflagitant; cùm tamen Christus in Sacramento contineatur modo prorsus indivisibili. Alii recurrunt ad Eucharisticam manducationem, neque admittunt rationem sacrificii in consecratione, nisi inchoativè & imperfectè. Alii recurrunt ad verba oblationis, quæ post consecrationem proferuntur in Missa. Nec desunt qui pro ipsa immolatione assignant specierum hostiæ fractionem, quæ fit ante consumptionem. Alii, his explosis, alias comminiscuntur immutationum in Eucharistia formas. Nobis sufficiat immutatio quam solam agnovere prisci Ecclesiæ Patres & Sancti Doctores, quibus suffragatur S. Thomas, scilicet facta olim in Cruce immolatio, quam in Altari commemoramus per oblationem ejusdem numero victimæ, quæ litata est pro nobis in Cruce.

CAPUT V.

Quænam requiratur præparatio ad Sacræ Eucharistiæ communionem.

I. ALIA requiritur circa Eucharistiæ perceptionem quoad animam, alia præparatio quoad corpus. Quoad animam præcipitur ut communicaturi sibi conscii, vel ambigui admissi alicujus mortiferi peccati, non antè ad Communionem accedant, quàm peccata expiaverint per Sacramentalem Confessionem, ut sancit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. declarans sic esse intelligenda Apostoli monita 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Circa ipsius dispositionem animæ ad hoc requisitam, ne quis indignè communicet, tres sequentes regulæ servandæ sunt. Prima, ut quis habeat moralem quasi certitudinem se in statu gratiæ esse, qualem habere censetur qui post diligens examen nullum advertit mortale peccatum à se commissum, quod non confessione expiaverit. Huic regulæ non obstat scrupulorum anxietas, quando mens judicat vel proprio lumine, vel ex alterius sapienti directione, nequaquam esse his scrupulis attendendum. Secunda regula, ut qui advertit aliquam in se mortalem culpam, non accedat ad Communionem, quantumvis contritus sibi videatur, nisi præmissa Confessione sacramentali. Tertia, ut qui officio celebrandi urgetur, nec tamen Confessarii copiam habet, præmittat contritionem, & post celebrationem quamprimùm poterit confiteatur. Hæc præcipit d. cap. 7. Tridentinæ sess. 13. Loquitur verò speciatim de celebrantibus ex officio, ubi non est Confessarii copia, quia rarò evenire potest in simpliciter communicantibus, cùm facilè possint & debeant à Communione abstinere, si Confessarii copia desit.

II. Itaque necessitas communicandi sine confessione potest occurrere quando Sacerdos tenetur ex officio celebrare. Præterea quando Sacerdos non potest citra scandalum vel infamiam omittere Sacrum, etiamsi ad hoc non teneatur ex officio, ut si Sacerdos pluribus notificasset mox à se Missam celebrandam; præsertim verò ubi huic rationi altera accederet ex circumstantia diei festi, vel Dominicæ, & circumstantia loci, in quo non superfit alia Missa. Item si Sacerdos in publico inchoasset Sacerdotalibus vestibus se induere, ibique veniret ei in mentem recordatio peccati mortalis, nec habens Confessarii copiam, grave murmur excitaret, criminisque

que suspicionem pareret exuendo se & abscedendo. Insuper si sacris operans, factaque consecratione recordetur criminis à se admissi, quanvis copiam habere possit Confessarii, non tenetur accersere : quia indecens est tunc interrumpi Sacrificium, tametsi nulla sequeretur Sacerdotis accersentis nota. Ita Sylvester verb. *Eucharistia* 2. num.9. Soto in 4. dist. 12. art.9. Navarra Manual. cap.21.num.4.Suarez ad 3.p.q.80. disp.66.sect.4. & alii communiter. Sed si ante consecrationem Sacerdos recordetur ad Altare peccati mortalis, tenetur confiteri, si fieri sine nota possit, ut quando privatim celebrat. Alioqui sufficiet si conteratur, ad notam vel infamiam declinandam. Si quæras, utrum teneatur ante consecrationem discedere, dum fieri potest absque nota, nec præsto est Confessarius ? Respondet S. Bonaventura in 4. dist. 13. Soto ibid. q. 2. art. 6. Victoria de Eucharistia n. 79. Navarra cap. 25. num. 76. non teneri post inceptam Missam discedere. S. verò Thomas p. 3. q. 83. art.6. ad 2. dicit esse tutius eo casu Missam cœptam deserere, non tamen esse necessarium.

III. Porrò non est assentiendum Cajetano in 3. p. quæst. 80. art. 4. dicenti cum quibusdam aliis, nullum ad suam usque ætatem extitisse præceptum iis qui sibi conscii sunt culpæ mortalis, confessionem præmittendi ante sacram Communionem, dummodo aliunde [illegible] sint ; atque præmissionem confessionis non esse in hoc casu de præcepto, sed de consilio. Etiamsi enim nullum scriptum præceptum hac de re supereresset, tamen constans & universalis Fidelium consuetudo hæc fuit, ut non nisi confessi auderent ad sacram accedere Communionem, quoties lethalis noxæ sibi conscii erant. Et apertè declarat Concilium Trident. hunc esse sensum præcepti divini apud Apostolum, *Probet autem seipsum homo*. Et, *Qui manducat & bibit indigne*.

IV. Quæritur de pollutionibus nocturnis,an impediant sacram Communionem ? S. Thomas quæst. 80. art.7. sic distinguendo resolvit. Vel illa pollutio quæ per somnium accidit, procedit à causa mortali, vel non : si à causa mortali, ut sunt antecedentes cogitationes turpes, quibus se vigilans oblectavit, consequens nocturna impuritas impedit à Communione ex necessitate, quanvis interveniat pœnitentia subsequens pollutionem, & præcedens Communionem : sed si culpa nulla fuerit causa ejus pollutionis, aut etiam si fuerit quidem,sed venialis, non impedit Communionem ex necessitate, sed ex decentia. Quæ decentia abstinendi fundatur tum in fœditate corporis, tum in evagatione animi, quæ pollutionem sequi solet. Hæc tamen decentia postponenda est necessitati communicandi, aut Sacrum celebrandi, ut in die festo, ubi alius deest Sacerdos qui celebret.

V. Sed si comperiatur causari pollutiones ex malitia diaboli, ut per hoc arceat aliquem à Communione, non est deferenda Communio propter talem infestationem, modò quis se à peccato custodiat, ut ex collationibus Patrum adducto exemplo probat ibidem S. Thomas.

VI. Idem

VI. Idemque ad secundum argumentum de congressu conjugum ait juxta S. Gregorii responsionem ad Augustinum, quæ habetur in can. *Vir cum propria*, 33. q. 4. si non voluptatis causâ, sed prolis generandæ, vel debitum reddendi conjugale petenti id factum sit, non alia ratione Communionem impediri, quàm sicut dictum est de pollutione quæ contigit alicui sine peccato: hoc est, non ex necessitate, sed ex decentia, propter corporis immunditiam & animi distractionem rectè aliquem à Communione abstinere, dicente S. Hieronymo: *Si panes Propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis qui de cœlo descendit, non potest ab illis qui conjugalibus paulò antè hæsere complexibus, violari atque contingi? Et vult Apostolus* (1. Cor. 7.) *conjugatos abstinere à complexu ad tempus, ut vacent orationi, quantò magis ut comedant carnes Agni immaculati, debent à carnalibus operibus abstinere?* Sed quia hoc secundùm congruitatem (ait S. Thom.) & non secundùm necessitatem; ex consilio, & non ex præcepto est intelligendum, S. Gregorius dicit quod talis suo judicio est relinquendus. Si verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (ut ibidem Gregorius subjungit) tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc Sacramentum. Hæc S. Thomas.

VII. Altera requiritur in communicaturo dispositio, ut sit perfectè jejunus, hoc est, nihil cibi aut potus à media nocte in stomachum trajecerit. Sic enim decernunt Concilii Carthaginensis quinti canon 29. & Africani canon 9. *Ut Sacramenta Altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur.* Habetur in can. *Sacramenta Altaris*, de consecrat. dist. 1. Cui suffragatur S. Augustinus epist. 118. ad Januarium: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi.* Ibidemque dicit: *Per universum orbem mos iste servatur, ut corpus Christi à jejunis sumatur.* Idque statutum ab Ecclesia est, tum in Eucharistiæ sacratissimæ venerationem, tum etiam ad eliminandas omnes occasiones vomitus aut intemperantiæ. Reliquiæ tamen cibi hesterni in ore remanentes, si casu post mediam noctem deglutiantur, non impediunt hanc Communionem, quia non per modum cibi, sed salivæ trajiciuntur in stomachum. Eademque ratio est, si dum os aquâ alióve liquore abluitur, aliquæ guttæ deglutiantur, dum sit parva earum quantitas, ut ait S. Thom. ad 4. argum. Eadem ratio est de sanguine qui ex cerebro vel ex gingivis salivæ permixtus in stomachum defluit, neque consultò deglutitur.

VIII. Secus existimandum de iis qui ut faucium raucedinem, aut pectoris tussim, aut defluentium ex cerebro humorum acrimoniam leniant, antequam somnum capessant, ori imponunt saccarum aliamve materiam, quam paulatim liquefactam deglutiunt: his enim non licet postridie communicare, nisi certum habeant, omnem illam electuarii substantiam fuisse in stomachum trajectam ante mediam noctem. Nec refert si objicias, deglutitas

glutitas post mediam noctem cibi reliquias, quæ dentibus hæserant vel gingivis, non impedire sacram hanc Communionem: In hoc enim differunt, quia illæ reliquiæ cibi non intenduntur tanquam nova refectio, sed fortuitò hæserunt, & post completam, quæ præcessit, refectionem trajectæ sunt: At verò electuarium sponte sumitur tanquam refectio, vel tanquam medicina, cujus in stomachum trajectio ex intentione sumentis vel perduravit, vel perdurasse dubitatur ultra mediam noctem. Atque hic est generalis Summistarum consensus.

IX. Non jejunus potest communicare, si urgeat periculum mortis. Tenetur namque in extremis communicare ex divino præcepto, quod est gravius momenti quàm Ecclesiæ lex, ne communicet aliquis non jejunus. Licet verò ex Ecclesiæ usu, eam non intendere ut abstineat à Viatico qui non est jejunus, ubi periculum est decedendi sine Viatico, & fruistrandi tanto præsidio Fidelem in extremo certamine. Sanè æger dum commodè potest, debet curare ut jejunus communicet; non debet tamen propterea suas vires in discrimen adducere, neque in posterum diem ea de causa Communionem differre, si sit rationabilis metus ne præmoriatur, aut accedente nova seu animi, seu corporis infirmitate exequi non possit quod distulerat: quæ sanè res majoris sunt momenti quàm circumstantia illa jejunii. Pia enim Mater Ecclesia cupit liberis suis in discrimine mortis constitutis quacunque ratione opem ferre, & oppositas difficultates amovere.

X. Quæres, utrum in eadem ægritudine liceat sæpiùs non jejuno communicare? In primis certum est, non licere, absolutè loquendo: sed tamen licere duobus his casibus. Primò, quum sæpiùs occurrit ægrum constitui in mortis discrimine præsenti, si nempe nunc remittat, & nunc ad extremum periculum ingruat vis ægritudinis. Secundò, quando quis eundem aut diversum in morbum successivè incidit, cùm ferè convaluisset. Attamen necesse est intervallum plurium dierum intercedere, ut quis pluries eodem lecto detentus communicet non jejunus, quale assignant communiter Summistæ trium hebdomadarum, aut unius mensis intervallum.

XI. Celebrare non jejunum ut infirmus communicetur, non est licitum, essetque sacrilega occasio gravis irreverentiæ. Et in hoc omnes ferè conveniunt Doctores. Neque obstat divinum de communicando præceptum in vitæ discrimine. Deum enim respondemus pleraque præcepisse non ita absolutè, quin reliquerit præceptorum suorum modificationem in iis quæ sunt positivi juris prudentiæ Ecclesiæ, in casibus aut periculis vel circumstantiis gravium incommodorum, quæ ex rigidiore præcepti observatione nascerentur: præsertim si talium incommodorum evitatio spectet quoque ad Jus Divinum in materia diversa. Exemplo sit illa Dei prohibitio, ne quis nisi sit Sacerdos, panes Propositionis comedere audeat. Levit. 24.

Levit. 24. vers. 8. & tamen Matth. 12. Christus Dominus modificationem hujus divinæ prohibitionis, admissam à summo Sacerdote Achimelech, approbat, quando deficientibus laïcis panibus, Davidem ejusque comites, quos premebat fames, sacris illis panibus vesci indulsit. Et in lege Gratiæ postquam ex divino instituto fuerant abolitæ veteris legis ceremoniæ, reliquit tamen Deus Apostolorum providentiæ earum usum vel permittere, vel damnare; adeo ut licuerit Paulo Apostolo, Act. 16. Timotheum cum rationabili causa circumcidere; qui tamen alibi justè Petrum Antiochiæ reprehendit ritus Mosaïcos observantem, neque ullatenus permittere voluit Titum circumcidi, Gal. 2. Una enim eademque discretionis lex dictabat esse uno eodemque tempore ritus legales Jerosolymis, ubi stabat Judaïcum Templum, Summumque Sacerdotium Legale, & summum Legis Concilium; non verò Antiochiæ extra Judæam sitæ, in qua urbe pauci Judæi, & innumerabiles Gentiles habitabant. Idem censendum de obligatione communicandi instante mortis periculo, quam Christus Ecclesiæ directioni commisit quoad executionis circumstantias, præsertim eas quarum neglectus gravem plerumque contemptum & scandalum pareret, quod utique aliunde violaret primarium ac præcipuum Divini Juris mandatum. Circumstantiæ namque Divinæ Eucharistiæ celebrandæ omnes ferè sunt Ecclesiasticæ præceptionis ac institutionis, fundamentum habentes venerationis tantis debitæ mysteriis secundùm Jus Divinum. Esto enim nulla adhibeatur circumstantiarum Ecclesiasticarum remora, ubi urget fidelis jam moribundi communicatio, facilè continget ut Sacerdos semiebrius, post opiparam cœnam de periculo admonitus, sine animi præparatione, sine sacris vestibus, sine precibus, panem vulgarem præcipitanter consecret in eadem profana mensa, & post ciborum & verborum dissolutionem, post haustam vini aut cervisiæ immodicam copiam tremendum Sacrificium semiebrius conficiat, & præcipitanter deferat ad ægrotum cum morte luctantem.

XII. Aliis pluribus casibus potest non jejunus hoc sumere Sacramentum, ut si contingat loco vini fuisse fusam in calicem meram aquam, & post hostiæ communionem de calice haustam, quod facilè potest ex inadvertentia evenire. Tunc enim debet Sacerdos vinum in calicem infundere & consecrare incipiendo à verbis, *Simili modo*; deinde illud bibere postquam dixerit, *Sanguis Domini nostri Jesu Christi, &c.* Præterea si post consecrationem recordetur Sacerdos se non esse jejunum, debet nihilo secius perficere sacrificium & communicare. Est enim procul dubio strictior obligatio perficiendi cœptum Sacrificium & communicandi, quàm jejunum sumendi hoc Sacramentum. Sed si ante consecrationem Sacerdos meminerit se ad Altare accessisse non jejunum, docet S. Thomas 3. p. q. 83. art. 6. ad 2. tutius esse ut desistat à Sacrificio, si fieri citra scandalum possit; non tamen affirmat ad hoc teneri. Unde colligo Sacerdotem clam & semotis

ſemotis arbitris celebrantem poſſe ab Altari diſcedere ante conſecrationem, ſed non convenire ut diſcedat, ſi publicè & coram pluribus celebret: ſic enim ſcandalo erit, & infamiam ſibi accerſet.

XIII. Si celebrans poſt conſecrationem, ſive unius ſpeciei, ſive duarum, cordis deliquium pateretur, ut proſequi non poſſet, ſi nullus præſto ſit Sacerdos jejunus, debet non jejunus Sacerdos perficere Sacrum & communicare, propter majorem & antiquiorem divini præcepti obligationem perficiendi Sacrificium, præ Eccleſiaſtica prohibitione non communicandi, ſi quis non eſt jejunus, can. *Nihil*, 7. quæſt. 1.

XIV. Si Sacerdos ante communionem offendat in Altari particulam aliquam conſecratam, aut de qua dubitet an ſit talis, debet illam ſumere ſtatim atque Sanguinem ſumpſerit, ne ſe exponat periculo communicandi non jejunum, ſi particulam ſumat ante Calicem, aut poſt ablutionem. Sed ſi particulam poſt ablutionem advertat, debet eam etiam poſt ablutionem ſumere, eique nonniſi poſt Calicis ſumptionem advertenti indulgetur ad particulæ ſumptionem totum tempus quo ſtat ad Altare. Sic enim cenſetur unum totum, unaque Communio quidquid diverſis vicibus ſubit dum ſtat ad ſacrum Altare, ut ait Cajetanus tom. 2. opuſcul. tract. 3. quæſt. 1.

XV. Sacerdos qui inter celebrandum debet purgare Ciborium, in quo multæ ſuperſunt exiguæ particulæ, debet primùm eas in Calicem in quo ſacratiſſimus Sanguis continetur, infundere poſt ſumptionem ſacratiſſimæ Hoſtiæ, ut particulas ſimul cum ſanguine ſumat. Et quia non poſſunt aliquando omnes ſimul cum ſanguine hauriri, debet vini novam ablutionem toties infundere in Calicem, ſacris etiam digitis particulas diſperſas in unum Calicis locum colligentibus, donec omnes illas reliquias ipſe Sacerdos hauſerit. Eaque eſt generalis Eccleſiæ praxis & præceptio.

XVI. Si quando hoſtia conſecrata palato communicantis adhæſerit, nec poſſit per linguam ſeparari, toties multiplicandæ ſunt intra palatum ablutiones, donec hoſtia ſejungatur, & cum ablutionibus integrè deglutiatur.

XVII. Denique ſi periculum impendet ne Sacramentum irruptione ſacrilegorum in eorum incidat manus, debet etiam à non jejunis reverenter ſumi, ſi jejuni præſentes non occurrant: aliter enim ſe gerens non averteret ac impediret, prout jure naturæ tenetur, injuriam Diviniſſimi Sacramenti. Non enim exponendum eſt Sanctum canibus, nec margaritæ projiciendæ ante porcos.

CAPUT VI.

Utrum carentes rationis usu capaces sint istius Sacramenti.

I. HANC tractat disputationem S. Thomas art. 9. & optimè concludit cum distinctione. Aliqui dicuntur non habere rationis usum dupliciter: uno modo, quia debilem habent rationis usum; & quia tales possunt aliquam hujus Sacramenti devotionem concipere, non est eis denegandum hoc Sacramentum. Alii verò nullum prorsus habent rationis usum; & hi quidem aut nullum rationis usum habuerunt, sed sic à nativitate permanserunt: & istiusmodi hominibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in his nulla præcessit Sacramenti devotio. Aut verò aliquando rationis compotes fuerunt, & tunc si quando erant rationis compotes, apparuerit in eis hujus Sacramenti devotio, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus vel exspuitionis; hoc enim conformatur canoni 76. Concilii Carthaginensis IV. quo decernitur, ut is qui pœnitentiam in infirmitate petiit, & mox infirmitate oppressus obmutuit, vel in phrenesim incidit, accipiat à Sacerdote pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Habetur iste canon 26. quæst. 6. can. *Is qui pœnitentiam.* His adde caput *Majores*, §. ult. de Baptismo, quo statuitur, dormientes & amentes validè baptizari, dummodò antea Baptismi suscipiendi propositum habuerint, & non aliter.

II. Infantibus olim tribuebat Ecclesia Eucharisticam Communionem. Id compertum est ex Sancti Cypriani tractatu de lapsis, in quo miraculum refert circa puellulam, cui post sumpta idolothyta, quæ nutrix Gentilis ei procuraverat, data fuit in Ecclesia de sacro Calice communio. Itemque ex S. Dionysio Eccles. Hierarch. cap. 3. dicente: *Illud verò quod pueri quoque, qui non possunt intelligere divina, sacri Baptismatis, altissimorumque Communionis sacrosancta signorum participes fiant, &c.* Concilium pariter Trident. sess. 21. cap. 4. expresè docet, antiquis sæculis in more positum fuisse, ut quibusdam locis parvulis rationis usu carentibus sacramentalis Communio daretur, & sanctissimos illorum temporum Patres rationabilem facti sui causam habuisse, quanvis nullâ salutis necessitate id fecerint, quoniam parvuli per lavacrum Baptismi regenerati, adeptam in ea regeneratione gratiam amittere in illa ætate non possunt. Prodesse quidem

eis

eis posset Eucharistia ad gratiæ augmentum, sed eam illis subtrahere satius esse duxit præsentium temporum Ecclesia, magis prospiciens tanti Sacramenti venerationi. Quod verò Christus protestatur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. imponit quidem adultis necessitatem præcepti, nemini verò necessitatem medii, qualis est Baptismi, sine quo ne infantes quidem salvantur.

III. Ecclesia illis qui prorsus amentes sunt, non solet sacram largiri Communionem, nisi in articulo mortis, & hoc rarissimè, ob necessarias præcautiones, ne sit exspuitionis aut vomitus periculum, alteriusve gravis irreverentiæ & contemptus; sitque admodum probabile, hominem non esse in mortali culpa, commissa dum olim esset compos mentis, ut post S. Thomam admonet Coninch in d. art. 9. Cæterùm Ecclesiæ receptior consuetudo est, ut amentibus sacrum Viaticum denegetur, si nulla in eis supersit rationis scintillula, nec ullus saltem exiguus pietatis sensus. Sed si tantisper aliqua advertitur erga Sacramentum devotio, quantumvis rationis usus sit imminutus, si non est justus metus præcedentis mortalis culpæ, cujus eum non pœnituerit, minimè privandus est æger salutifero Viatico.

IV. Utrum arreptitii, seu energumeni Communione sint privandi, ambigi potest. Diversa fuit olim variis locis & temporibus observatio in Ecclesiis. S. Dionysius Eccles. Hier. cap. 3. apertè docet tum catechumenos, tum energumenos, tum publicè pœnitentes à sacris Mysteriis fuisse exclusos. Itaque videtur improbabilis responsio ista S. Thomæ, sermonem ibi esse de solis energumenis non baptizatis. In oppositum autem decernit Concilium Arausicanum I. cap. 14. admittendos esse ad Eucharistiæ communionem energumenos, si se Clericorum solicitudini tradant, & obtemperent muniendi virtute Sacramenti adversùs dæmonum insultus. Hoc idem censuerunt olim sancti veteres per Ægyptum aliasque regiones dispersi Abbates apud Cassianum, quem refert & sequitur S. Thomas d. art. 9. ad 2. *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, Communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.* Et utique non sunt hoc tanto præsidio privandi energumeni, si agnoscantur ad hoc suscipiendum dispositi. Ubi namque majus periculum intenditur, ibi pleniùs est consulendum, cap. *Ubi periculum*, de election. in 6.

CAPUT VII.

Utrum Sacerdos debeat denegare Corpus Christi peccatori petenti.

I. HANC movet quæstionem S. Thomas quæst. 80. art. 6. Tota hæc difficultas tribus regulis dijudicanda est. Harum prima sit: Publico peccatori, sivè publicè, sive privatim hoc Sacramentum petenti prorsus denegandum est. Ratio est, quia Sacerdotes (ut dicit Apostolus) sunt dispensatores mysteriorum Dei: debet autem esse fidelis dispensator, eodem subjungente: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, 1. Cor. 4. Atque ita cavere tenetur, ne bona quæ dispensanda recepit, dissipet in immeritos & indignos. Vetatur enim Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Notatu dignus in primis est locus S. Cypriani epist. 10. *Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus & mago illo, qui apud vos constitutus adhuc in artis suæ dedecore perseverat, an talibus sacra Communio cum cæteris Christianis dari debeat? Puto nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Refertur in can. *Pro dilectione*, de consecr. distinct. 2.

II. Secunda regula hæc est: Peccatori occulto non est deneganda Communio coram illis, quibus ignotum est ejus peccatum. Ita post S. Thomam communiter Doctores sentiunt. Rationem tradit S. Thomas, quia quilibet Christianus ex hoc ipso quod est baptizatus, admissus fuit ad Dominicam Cœnam, ita ut jus suum illi adimi non possit, nisi ex aliqua manifesta causa. Alii verò has rationes adjungunt, quia non est diffamandus peccator occultus; & quia secus agendo gravia nascerentur scandala. Alii quidam totam rationem ad Christi voluntatem referunt ab Apostolis ad nos usque traditione transmissam, ipso etiam Christi facto roboratam, qui Judæ tunc occulto peccatori suum dedit in ultima cœna corpus & sanguinem. Ait denique S. Augustinus: *Non prohibeat dispensator pingues terræ, id est peccatores, in mensa Domini manducare, sed exactorem moneat timere.* Id habetur de consecrat. dist. 2. can. *Non prohibeat*, quo loco Glossa adjungit, *Si occulti sint.*

III. Ut autem sciatur, quinam publici, & quinam occulti peccatores habendi sint, dicit D. Thomas loc. cit. eos esse manifestos peccatores, quorum peccata innotuerunt per evidentiam facti, quales sunt publici usurarii,

rarii, publici concubinarii, publici raptores : vel quorum innotuerunt peccata per publicum sive Ecclesiasticum, sive seculare judicium. His adjungitur tertium notorietatis genus, quando ipse peccator de suo se crimine jactat, & passim ac manifestè illud confitetur. Si ergo unâ aliquâ de tribus notorietatibus peccator factus fuerit manifestus ac diffamatus apud majorem civitatis partem, neganda est ei Communio, etiam coram illis qui ejus crimen ignorant. Cùm enim famam eo loco amiserit, non habet jus ullum ampliùs ut suum delictum ibi celetur : & exigui momenti est si unus aut alter id ignoret, qui ex aliorum relatione facilè cogniturus erat. Quin etiam Suarez disp. 67. sect. 5. concluf. 3. quem sequitur Coninch q. 80. art. 16. n. 28. asserit ei qui alicubi per judicis sententiam declaratus est criminis reus, denegandam esse communionem, etiam in alio dissito loco, in quo id penitus ignoretur. Sed hanc sententiam sequi valdè inconveniens & periculosum foret, etiam supposita illa communiori opinione, quam tradunt & probant Cajetanus opusc. 31. resp. 9. Navarra Manual. cap. 18. n. 26. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 13. n. 75. quod licet in alio loco, in quo ignoratur delictum, revelare hoc idem quod in aliqua alia civitate publicè innotuerit per unam aliquam ex tribus notorietatibus prædictis : suppositis enim hujus opinionis veritate, potest nihilominus homo ex eo tempore quo infamiam alibi incurrit, suam emendasse vitam, & vetus peccatum per veram pœnitentiam diluisse, præsertim cùm transmigratio loci conversionem pristinæ vitæ valde facilitet, pristinasque malæ consuetudinis occasiones rescindat. Præterea ex tali repulsa (cujus causa in eo loco prorsus ignoratur) eadem omnia detrimenta & scandala nascentur, quorum evitandorum causâ illicitum est Sacerdoti occultum peccatorem à sacra Communione repellere : & præter turbas & scandala inde nascentia, Sacerdos ipse plus sibi vituperii & odii apud Christianum populum, quàm infamiæ peccatori repulso, qui probus existimabatur, accerseret.

IV. Difficilior quæstio ventilatur, an sit deneganda Communio peccatori occulto illam occultè postulanti ? Sanctus quidem Thomas in Summa suam hac de re mentem non aperit, quanvis evidens occasio se in hoc art. 6. offerret : ex quo convinci potest, non existimasse sibi persistendum esse in opinione quam tradiderat in 4. dist. 9. art. 5. ad 1. ubi absolutè concludit esse occulto peccatori occultè petenti recusandam communionem, quanvis Sacerdos id occultum crimen non sciat aliter, quàm per ejusdem sacramentalem Confessionem. Sotus tamen oppositam tuetur opinionem, quando non alia habetur notitia, quàm ex sacramentali Confessione, in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. existimans & scribens S. Thomam ab illa sua pristina sententia descivisse, dum Summam Theologicam conscriberet. At cæteri Thomistæ communiter tuentur illam, quam tradit S. Thomas in librum 4. Sent. eo quòd nihil directè contrarium scripsisse appareat. Cæterùm communis

munis est, eaque justa & vera Summistarum consensio, tam esse strictam sigilli Confessionis obligationem, ut nulla ex causa liceat Confessario peccatum sibi confessum aperire pœnitenti extra confessionem, sine expressa pœnitentis licentia, nisi quantum aliunde extra confessionem potuerit ejus habere notitiam, ne confessio reddatur odiosa, si vel ipsi pœnitenti extra confessionem improperetur eo invito. Igitur in hac quæstione ita distinguendum cum communi. Vel Sacerdos occultum peccatum Communionem occultè petentis cognoscit per ipsius solam Confessionem, eoque casu non debet ei denegare, propter sigilli religionem: Vel aliunde notitiam ejus habet: quo casu, si ea notitia certa ac indubitata sit, debet ei occultè petenti denegare, eidemque causam notitiæ suæ sine cujusquam, à quo acceperit, designatione significare; modò audienti constet eam quam significat notitiam, habitam extra sacramentalem Confessionem fuisse.

V. Tertia demùm statuatur regula: Sacerdos, sive Pastoris fungatur officio, sive non, qui scit extra Confessionem occultum petentis Communionem delictum, tenetur eidem petenti abnegare; si verò sciat per solam petentis Confessionem sacramentalem, tenetur ei petenti concedere, quantumvis occultissimè petat. Ita Gabriel Biel in 4. dist. 9. q. 2. art. 3. dub. 1. Paludanus ibid. q. 2. concluſ. 3. Navarra cap. 21. n. 55. Primæ partis hujus conclusionis ratio est, quia ille postulans nullum habet jus Communionem petendi, cessantque hîc omnia incommoda, quorum evitandorum causâ admitteretur accedens publicè ad Communionem: Ideoque ligat Sacerdotem illa prohibitio Christi in isto petitionis occultæ casu, *Nolite Sanctum dare canibus.* Ratio porrò secundæ partis est illud inviolabile & indispensabile secretum Confessionis, de quo loquitur can. *Sacerdos*, de pœnit. dist. 6. & canon *Omnis utriusque*, in fin. de pœnit. & remission. Sacerdos enim negando Communionem, indirectè commemoraret atque exprobraret auditum in confessione illius peccatum, quod est penitus Divino Jure, eoque duplici, nimirum naturali & positivo illicitum. Et quanvis alias fortasse causas Sacerdos prætexeret, ille tamen qui petit, facilè adverteret repulsæ causam esse peccatum in confessione expositum.

VI. Deinde observandum ex S. Thoma in corp. art. 6. posse Sacerdotem habentem criminis aliunde quàm ex Confessione sacramentali notitiam, occultè admonere peccatorem occultum, vel etiam universos generaliter ad Communionem accedentes, ne ad mensam Domini accedant antequam peccata per veram pœnitentiam expiaverint, & Ecclesiæ, si sint excommunicati, reconciliati fuerint. Hac enim ex causa olim à Diacono inter sacratissima Mysteria proclamabatur, *Sancta sanctis*, ut refert in catechesibus mystagogicis S. Cyrillus Hierosolymitanus.

VII. Sapienter admonet Ægidius Coninch ad art. 6. num. 27. ut publico peccatori Communio publicè dari possit, necesse quidem esse, ut publicè constet ipsum emendatum esse: ut autem privatim dari possit, sufficere

cere si Sacerdoti constet, quod privatam egerit pœnitentiam. Verumtamen hoc solicitè cavendum, ne illa privata Communio deveniat in aliorum notitiam; perinde enim esset ac si ad publicam fuisset admissus. Accidit enim aliquando, ut qui post privatam pœnitentiam de publico delicto fuerat ad secretam Communionem admissus, post præstitam ab ipso secreti promissionem solicitior propriæ apud plebem existimationis quàm promissæ fidei, eodem ipso sumptæ Communionis die rem ipsam tota urbe divulgaverit. Itaque prudentius & religiosius dixerim, si is qui à publica Communione repellendus est, arceatur pariter, nullâ habitâ ratione privatæ pœnitentiæ, ab occulta communione. Sic enim præfatum sequentis manifestationis incommodum devitabitur, & is qui publici scandali author fuit, in humilitate & displicentia peccati continebitur, disciplinaque Ecclesiastica servabitur illibata.

CAPUT VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

I. POENITENTIÆ Sacramentum per modum judicii administratur. Itaque requirit causæ cognitionem, & jurisdictionem completam. Incompleta quidem jurisdictio immediatè à Christo Sacerdotibus in ipsorum ordinatione confertur, quibus ab Ordinante dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Completam verò jurisdictionem tribuunt Ecclesiæ Prælati, quando ipsis visum fuerit. In Ordinatione Sacerdotali jurisdictio datur secundùm habitum dumtaxat; Ordinatio enim non attribuit subditos erga quos possit collata ibi jurisdictio exerceri. Sed Ecclesia postmodùm per suos Prælatos attribuit Sacerdoti subditos, in quos ille judiciariam exerceat potestatem, sive pleniorem, sive restrictiorem, prout Prælatis visum fuerit; possunt enim certos casus & certas personas reservare. Hoc docet Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 15. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

II. Istud unum Concilii caput multa decreta comprehendit. In primis, neminem posse ex sola vi Sacerdotii sui Sacramentum Pœnitentiæ

miniſtrare circa mortalia peccata, ſed requiri præterea Prælati approbationem & conceſſionem, nimirum Epiſcopi, aut ejus Vicarii quoad diœcesanorum ſubditorum Confeſſiones, aut Superioris Regularis quoad Confeſſiones dumtaxat ſubditorum Regularium. Secundò, Parochos actu Sacerdotes, hoc ſolo quod eis confertur Parochialis Eccleſia, citra aliam conceſſionem poſſe ſuos Parochianos confitentes abſolvere. Tertiò, non licere Epiſcopis aliiſve Ordinariis cuiquam permittere aut delegare confeſſionum juriſdictionem, niſi ei quem idoneum ad id munus judicaverint. Neque Concilium hac in re jus ullum novum conſtituit, ſed Epiſcopos Juris Divini commonet, prohibentis quemquam ad ſacra miniſteria, & præſertim ad iſtud quod periculoſiſſimum eſt, admittere, niſi quem ipſi miniſtrum idoneum agnoverint. Quartò non ſufficere Epiſcopi tale de Presbyteri capacitate judicium, ſive interiùs formatum, ſive exteriùs ſignificatum; neque enim hoc ipſo quod Prælatus aliquem dignum judicat, confert ei miniſterii poteſtatem: ſed neceſſariam præterea eſſe approbationem, quæ nihil aliud hîc eſt quàm admiſſio ſeu ſignificatio conſenſus ſui, ut Presbyter poſſit abſolvere in foro pœnitentiali. Hanc verò conſuetudinem per omnes Eccleſias receptam cernimus, ut hoc ipſo quod Ordinarii delegant confeſſionum audiendarum poteſtatem, cenſeantur hoc ipſo citra ullam aliam expreſſionem, aut examinis formam judicium ferre de Sacerdotis capacitate. Et ſi tali non præmiſſo judicio delegant, mortaliter peccant Prælati, niſi aliqua eos ſubreptio excuſet: ſubſiſtit tamen, vireſque habet talis delegatio, neque intendit Concilium laqueis animas pœnitentium implicare, eoſque expetita abſolutione & Sacramenti gratiâ fruſtrari. Et perperam aliqui Authores novum aliquod jus comminiſcuntur à Concilio fuiſſe introductum, quod pœnitentium & Confeſſariorum delegatorum bonam fidem eludat, & irritas faciat pœnitentium confeſſiones & abſolutiones.

III. Perperam alii quidàm, ut Coninch de pœnit. diſput. 8. dub. 7. num. 50. negant poſſe ab Epiſcopo in Confeſſarium approbari eum quem ſubditum non habet, ſed neceſſe eſſe ut conferendo ei Beneficium, aut alia ratione faciat eum ſibi ſubditum antequam deleget. Gratioſæ conceſſiones non prærequirunt juriſdictionem ſtricti juris, ſed poſſunt liberè illis concedi qui ſub aliena j[illegible]dictione ſunt. Falſo itaque nititur fundamento illa Ægidii Coninch [illegible]poſitio; totaque univerſæ Eccleſiæ praxis eſt in oppoſitum. Atque ub[illegible] videmus advenas Sacerdotes, quos virtus & ſcientia commendant, aut etiam ex alienis Diœceſibus ad Eccleſiæ obeunda miniſteria, ad confitendum, prædicandum, docendum accitos, ſine ullius Beneficii præcedente collatione validè applicari Concionibus, Miſſionibus, Confeſſionibus Monialium aut populi, ſubminiſtrationibus Eccleſiarum, ſive ruralium, ſive urbanarum. Iſtæ namque ad ejuſmodi munia applicationes planè liberæ ſunt & gratioſæ, nec præcedentem exigunt

gunt in personam jurisdictionem: sufficit enim quod aliunde adveniens Clericus sit ejusmodi munia seu ministeria per delegationem obiturus intra territorium, ad quod ipse delegans habet plenam jurisdictionem. Et si secus res esset, illud expediens quod proponitur, priùs novum intra diœcesim Beneficium conferendi, eadem involveretur difficultate: cùm enim collatio ipsa Beneficii sit extra omnem controversiam actus veræ ac priè dictæ jurisdictionis, eodem Coninchii argumento asseverandum quoque esset, non posse Episcopum conferre alterius diœcesis Sacerdoti Beneficium suæ propriæ diœcesis; eo quòd collatio Beneficii, cùm sit actus jurisdictionis, non possit exerceri ab Episcopo erga Clericum, quem nondum habet jurisdictioni suæ subjectum. Nullatenus demùm præjudicatur alteri Episcopo, cui jampridem Clericus ille subditus fuit: cùm totum istud jus de novo collatum coarctetur intra fines, ac territorium Ordinarii concedentis.

IV. Viguit aliquandiu obligatio confitendi soli proprio Sacerdoti, aut alteri cuidam, sed ex proprii tamen Sacerdotis licentia, & non aliter, juxta cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. & remis. procusum in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio Papa III. Is autem proprius Sacerdos multò strictiùs quàm nunc temporis intelligebatur. Omnium enim intra fines Parochiæ, sive Sacerdotum, sive inferiorum Clericorum, sive laïcorum proprius Sacerdos, cui confiteri tenebantur, non alius erat quàm Parochus, qui vel per se confessiones audiebat, aut quem sibi libitum erat Sacerdotem deputabat. Parochorum autem proprius Sacerdos erat solus Episcopus: ipsis etiam Episcopis confiteri volentibus necesse erat recurrere ad Metropolitanum, donec Gregorius IX. cap. fin. de pœnit. indulsit eis, ut non requisitâ proprii Superioris licentiâ eligere sibi possent discretum aliquem Confessarium; cæteroqui enim id fieri non poterat, nisi cum speciali proprii Sacerdotis seu Superioris proprii licentia, d. cap. *Omnis*, & d. cap. finali. Cardinales etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ non alii confiteri poterant, nisi Papæ soli, ejusve majori Pœnitentiario, aut ei quem isti ad hoc delegassent, ut notat Fagnanus in cap. *Ne pro dilatione*, de pœnit. & remis. Sed post dicti cap. constitutionem possunt ex privilegio sibi eligere alium Confessarium, modò sit approbatus: comprehenduntur enim Cardinales sub his verbis, *Aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis*. Tres enim illæ qualitates Cardinalibus simul aptantur. Sunt enim Superiores, & Prælati, & Exempti. Nam ut Prælati jurisdictionem habent Episcopalem in Titulorum propriorum Ecclesiis: & ut Exempti Cardinales solius Papæ jurisdictioni subjiciuntur, cap. unico, de schismaticis in 6. Addit Fagnanus Presbyteros in una diœcesi approbatos, non posse absolvere ad se accedentes ex aliis diœcesibus pœnitentes, eo quòd eorum jurisdictio ab Episcopis propriis delegata nequeat extendi ad illos qui subsunt alterius Episcopi jurisdictioni. Idemque refert respectivè de

Parocho circa alienos Parochianos, nisi per specialem delegationem fuerit ampliata illius potestas. Ibidemque addit, Episcopum non obstante privilegio eligendi sibi Confessarium, dummodo iste sit à suo Ordinario approbatus, si ex aliena diœcesi sumptus sit, non modò posse illi in sua Diœcesi confiteri, cùm ibi jus habeat, utpote intra proprium territorium, confitendi potestatem delegare. Sed etiam posse in aliena diœcesi confiteri eidem Sacerdoti, qui antequam à se eligeretur, jam erat ibi ab Episcopo loci ad Confessiones approbatus: sed si Episcopus qui sibi Confessarium illum elegit, velit ulteriùs ad alias diœceses, intra quas electus ille nullam habuit approbationem, proficisci, non licere ulteriùs Episcopo peregrè eunti confiteri eidem electo à se Sacerdoti, quanvis eum secum circumducat; cùm supponatur illum Sacerdotem non esse approbatum ab Ordinariis in quorum territoriis ipse Sacerdos, & qui eum circumducit Episcopus, peregrè vadunt. Si verò E[illegible]pus suæ Diœcesis Sacerdotem approbaverit, & Confessarium eundem sibi elegerit, posse ubique locorum, & in omnibus Diœcesibus eidem confiteri, nullatenus petita Ordinariorum apud quos transit, approbatione. Idem tradit Fagnanus de Cardinali non Episcopo, qui si Romanæ Diœcesis Sacerdotem ibi approbatum eligat, potest ubique locorum confiteri, quia hic Sacerdos approbationem à Papa habet, cujus protenditur jurisdictio toto terrarum orbe. Sed si Sacerdotem alterius Diœcesis à suo Episcopo approbatum, sive Episcopus, sive Cardinalis sibi elegerit, non posse ullatenus eo uti in diœcesibus in quibus nullam specialem approbationem Sacerdos habet, nisi accedente Ordinariorum singulorum, per quorum Diœceses proficiscuntur, licentiâ: sed tamen juxta eundem Fagnanum poterunt sine alio recursu confiteri Sacerdotibus locorum ibi approbatis. Quod tamen non possent, eodem teste Fagnano, cæteri omnes non habentes privilegium eligendi sibi Confessarium, quantumvis ibi ab Ordinario approbatum.

V. Cæterùm ut jura quæ nunc temporis vigent, ab iis quæ jam inde à longo temporis tractu abolita & antiquata sunt, discernamus, ex his quæ hactenus ex diversis Canonibus & Doctoribus congessi, aliqua pristinum adhuc servant vigorem, alia prorsus abolevit contraria consuetudo, quæ ubique ferè recepta vim juris jam inde ab aliquot anteactis seculis obtinuit. Quotus enim quisque est sive pœnitens, quantumvis scrupulosus, sive Sacerdos, qui vel alienæ diœcesis homines ad se confessionis causâ accedentes hoc solo repellat, quòd sint alienigenæ, dummodo linguam ipsorum sufficienter intelligat? Quem nunc reperias eruditum & sapientem Confessarium, qui hoc fine devitandi nullitatem Sacramenti discernere satagat ab indigenis alienigenas, dummodo eo loco in quo à pœnitente extraneo compellatur, sciat se esse approbatum, nec se à pœnitente fraudulenter hoc animo conveniri, ut declinet proprii Episcopi aut Parochi jurisdictionem? Quisnam pœnitens eruditus, sive Clericus sit, sive laïcus,

cus, in eo loco ubi plures ab Ordinario delegati sunt Sacerdotes Confessarii, credat se adstrictum confiteri Parocho, nec posse alium convenire nisi de Parochi licentia? Et nonne res plena periculi foret, si peregrè euntes, qui innumeris discriminibus obnoxii sunt, latronum, fluminum, torrentium, tempestatum, præcipitiorum, aberrationis itinerum, consulentes animæ suæ & studiosi gratiæ per confessionem reparandæ, antequam incidant in tot pericula occurrentia, nemini toto peregrinationis etiam longissimæ tempore confiteri possent, eo quòd à proprio Parocho longè dissiti nullum reperire possint Sacerdotem, quantumvis à locorum Ordinariis approbatum, à quo validè absolvi possint? Hæc summa & palmaris ratio est salus animarum, quam profert cap. fin. de pœnit. & remiss. ad indulgendum Prælatis jus sibi Confessarium eligendi, quæ peræquè valet in singulis Fidelibus, sic dicens: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum.* Imò verò Prælati multò rariùs, privatæ verò personæ multò frequentiùs illis præfatis periculis opprimuntur, quia Prælati & comitantium obsequiis, & propriâ quâ præcellunt aliis prudentiâ, & majori vitæ ac salutis instâ, quam habent, solicitudine, & aliis vitæ humanæ subsidiis magis præmuniti peregrè proficisci solent quàm vulgares homines, quorum tamen æterna salus peræquè pretiosa est coram Deo. Etsi autem dictum cap. fin. solorum meminerit Prælatorum, tamen non modò paritas rationis in re tanti momenti & discriminis, sed etiam juris paritas, scripti quidem in Prælatis, longæ verò & universalis consuetudinis in privatis cæterorum Fidelium personis hanc rem adeò necessariam & salutiferam obtinuit, ut sepositâ omni fraude possit quivis Christianus per Christianorum loca incedens animæ suæ saluti æternæ consulere, & adversùs tot occurrentia vitæ pericula se præmunire per salutiferum & maximè necessarium pœnitentiæ Sacramentum.

VI. Et verò vetustioribus Ecclesiæ seculis illæ personarum distinctiones quæ remoram animarum præsertim plebeiarum saluti pernicioſissimam objiciunt, penitus erant ignotæ, quando pluribus passim existentibus Presbyteris, quos adire pro Sacramento Pœnitentiæ liberum erat, Sancti Patres hortabantur Fideles, ut inter multos quærerent, atque ex pluribus eligerent Sacerdotem scientem ligare & solvere, ut habetur in can. *Quem pœnitet*, de pœnit. dist. 1. & can. 1. dist. 6. qui Canon erutus est ex lib. 2. de vera & falsa pœnitentia. Simile quoque monitum legimus in tract. de visitatione infirmorum, qui ambo tractatus censentur inter opera Sancti Augustini. Certum verò est, non esse locum electioni, ubi aliquis est uni ex necessitate astrictus; neque posse quemquam eligere nisi inter plura eligibilia constitutum. Deterrimum verò est non modò non posse ex pluribus eligere, sed ne unum quidem posse occurrere, ad quem recurri, nisi quis actu constitutus sit in extremo discrimine, ullatenus possit; quod occurreret inter peregrinandum.

VII. Objiciet forsan aliquis, posse à peregrinantibus adiri Religiosos, quibus concessere Summi Pontifices potestatem absolvendi quoscunque, & undecunque advenientes pœnitentes. Huic argumento facilis est responsio. Primò enim in quibusque etiam minimis oppidulis obvii sunt Sacerdotes Parochiales, non autem Religiosi. Secundò, plures Religiosi ab audiendis Confessionibus ultrò se abstinent, præsertim verò respectu ignotorum & exterorum hominum. Tertiò, multis Religiosis etiam ex Ordinis instituto non permittitur aliorum quàm proprii Ordinis audire Confessiones, quales sunt Capucini, quorum Conventus sunt magis obvii proficiscentibus, utpote numerosiores. Quartò, neque verum est Regulares habere à Summo Pontifice immediatè istiusmodi absolvendi potestatem. Satis enim superque multorum Summorum Pontificum multiplicia protuli integris libri nostri primi capitulis Decreta, quibus disertissimè constituitur, nullibi posse à Regularibus absolvi seculares, nisi concessione Ordinariorum, quam isti possint prout eis visum fuerit limitare: Et præterea Religiosos, quos in una Diœcesi Ordinarius approbaverit, si se in aliam Diœcesim transferant, omni absolvendi potestate ibi carere, nisi hujus alterius Diœcesis Ordinarius hanc illis indulserit potestatem.

VIII. Objicies rursus hæc verba cap. *Si Episcopus*, de pœnit. & remiss. in 6. *Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absolvere, vel ligare.* Ergo introducta præfata consuetudo nullam habere potest juris firmitatem. Respondetur jura ista, de quibus loquitur dictum cap. *Si Episcopus*, negari non posse quin sint humana & Ecclesiastica: unde sequitur, & liquidò constat, posse contrario jure & præscriptâ consuetudine revocari, sive in toto, sive in parte. Sensus autem dicti cap. *Si Episcopus*, talis est, quamdiu permanet jus illud universale, quod tunc vigebat, non posse per alicujus particularis hominis aut loci consuetudinem aut introductionem illi communi & universali juri derogari. Secus verò si introducatur universalis & diuturna in oppositum consuetudo, quæ priorem abroget. Et aliunde constat ex cap. *Dilecti*, de arbitris, posse acquiri ex consuetudine novam jurisdictionem.

IX. Igitur quanvis tempore quoque isto subsistat obligatio & necessitas confitendi proprio Sacerdoti, tamen proprii Sacerdotis notio & significatum latiùs multò quàm olim extenditur. Quidquid enim Coninch & Fagnanus in oppositum opinati fuerint, constantissima praxis est ubique recepta, atque in eam omnes propemodùm Doctores qui post ejus introductionem floruerunt, conveniunt posse quoscumque aliarum diœcesum subditos, si se aliò transferant, confiteri apud quoscumque Sacerdotes ab Ordinariis locorum approbatos. Bonacina de pœnit. disp. 5. q. 7. punct. 2. n. 1. 4. & 5. Et multò potiori ratione possunt ipsimet diœcesani quem libuerit approbatum in eadem diœcesi Sacerdotem, cui confiteantur,

tur, eligere. Nam Episcopus non minùs est proprius per totam Diœcesim Sacerdos quàm Parochus loci. Ergo quos Episcopus delegaverit, eandem perinde quoad hoc Sacramentum potestatem habent. Indubitata quoque viget praxis ubique locorum, ut Ordinarii quilibet circa Confessionum in suis Diœcesibus auditionem approbent aliarum Diœcesum Presbyteros. Et nihil obsistit quominus idem Episcopus, qui alterius Diœcesis Sacerdotem approbat ad suorum subditorum Confessiones excipiendas, valeat seipsum eisdem Sacerdotibus subjicere, & ex eis aliquem sibi eligere Confessarium, sicut potest pro suo libito sibi Sacerdotem Diœcesis suæ indigenam eligere. Et sanè Joannes Papa XXII. inter devios à sacra doctrina errores, quos Joannes de Poliaco Universitatis Parisiensis Theologus asserebat, hanc ejus notat, & damnat propositionem: Quod confessi Sacerdotibus habentibus facultatem generalem audiendi confessiones, teneantur eadem quæ confessi fuerint peccata iterum confiteri proprio Sacerdoti, quem dicebat esse Curatum propriæ Parochiæ. Cujus erroris damnatio habetur in cap. *Vas electionis*, in Extravag. commun. de hæreticis. Ipseque Joannes de Poliaco veræ doctrinæ acquiescens suos revocavit errores. Indubitatum quoque nunc est, posse Cardinales, aliosque quoscumque Prælatos sine ulla speciali dispensatione aut licentia confiteri apud quoscumque approbatos Confessarios, sive Seculares, sive Regulares, in locis in quibus sunt approbati, sive præfati Cardinales ac Prælati in suis versentur ædibus, sive peregrinentur. Quod idem de Parochis censendum est, etiamsi olim proprius eorum Sacerdos fuerit Episcopus, nec potuissent alteri nisi de Episcopi licentia confiteri. Ex quibus consequens est, multò minùs requiri quàm antiquitus illud privilegium eligendi sibi confessarium aliquem, modò sit in eo loco approbatus.

X. Non tamen ex hactenus dictis aliquis jure possit affirmare, hujus antiqui privilegii concessionem esse penitus abolitam; quippe quæ transierit in jus commune. Id quidem potest de Secularibus affirmari, sed non de Regularibus, quos etiam nunc videmus pristina illa districtione ligari, ut non aliis quàm Superioribus, aut iis quos Superiores ad hoc designaverint ac permiserint, confiteri possint. Ideóque plurimùm juvantur utriusque sexus Regulares clausulis Jubilæorum, quibus ex antiqui styli forma Summus Pontifex indulget omnibus Fidelibus, ut citra aliam licentiam, atque insciis Superioribus possint sibi Confessarios, tam Seculares, quàm Regulares eligere pro tempore, modò sint in ipsis locis approbati ad confessiones.

XI. Potest sibi Confessarium eligere quisquis habet sola venialia peccata quæ confiteatur, aut etiam mortalia, sed jam antea bona fide confessa. Ad hæc enim Ecclesia generalem quibuscumque Confessariis, & Secularibus & Regularibus authoritatem confert erga quoscumque pœnitentes indiscriminatim seculares & regulares. Et hæc est ubique recepta & approbata

approbata consuetudo. Cajetanus in Summa, verb. *Absolutio à peccatis* 2. Suarez de pœnit. disp. 21. sect. 2. ad fin. & disp. 27. sect. 2. & 3. Bonacina de pœnit. disp. 5. quæst. 7. punct. 3. num. 1.

XII. Privilegium istud eligendi Confessarii, concedendum quoque illis est etiam Regularibus, qui in eo statu existunt, ut spes vel nulla, vel exigua sit nanciscendi Confessarium ibi habentem sive ordinariam, sive delegatam excipiendi confessiones potestatem, ut in illis occurrit qui privatâ & rigidâ custodiâ ab infenso aut infideli inimico occultè detinentur, aut in ergastulis apud infideles vel hæreticos, in iis locis, in quibus non est Confessarii approbati copia: nec dubitare licet hanc esse in tanta calamitate piæ Matris Ecclesiæ mentem. Ibi namque multò fortior urget ratio, quàm in supradictis solarum culparum venialium reis; & par occurrit necessitas cum illis quos mortis periculum premit.

XIII. Hæc ubique, nulloque contradicente consuetudo invaluit, approbantibus communiter ab annis ducentis Doctoribus, Cajetano in Sum. verb. *Absolutio à peccatis ex parte absolventis*, §. *Licentia*, ubi ait Paschalem Confessionem fieri posse à quocumque apud quemcunque Sacerdotem ab Ordinario approbatum: & addit quod ex Extravaganti Eugenii IV. potest extendi ad alias per diversas anni partes Confessiones, eoque magis cùm sint liberiores, nec præcepto adstrictæ. Franciscus Victoria in Summa Sacram. quæst. 54. Flor. Theol. in 4. Sent. tract. de confess. fol. 245. S. Antonino in Sum. 3. p. tit. 17. cap. 1. Angelo verb. *Confessio* 3. num. 3. Soto in 4. Sent. dist. 18. quæst. 4. art. 2. Bonacina de pœnit. disp. 5. quæst. 7. punct. 2. num. 1. 4. & 5. Zerola in praxi, 1. p. verb. *Confessio*, quæst. 2. ubi tamen hoc addit optandum esse, ut qui tempore Paschali confessi sunt apud alium à Parocho Sacerdotem, aut etiam citra abusum in alia Diœcesi, referrent schedulam ab eo cui confessi fuerunt Sacerdote, ut sciatur quis fuerit confessus, vel non confessus, tempore saltem Paschali. Idemque quæst. 3. post Caietan. & Flor. Theol. locis citatis asserit vagabundos posse confiteri cuicumque Sacerdoti approbato ab Ordinario illius Diœcesis in qua contingit eos versari.

XIV. Facultatem eligendi Confessarium Papa indulget aliquando pro una tantùm vice, sive publicâ, ut in Jubilæis, sive privatâ concessione. In quo quidem concessionis modo desinit facultas statim à prima electione, & data absolutione: idque habet locum in Religiosis qui ferè soli proprio Confessario secundùm rigidiorem intelligendi modum adstricti nunc videntur. Verumtamen si pœnitens oblitus sit alicujus peccati, vel circumstantiæ in sua illa privilegiata confessione, poterit eidem denuò confiteri; non enim desinit concessum privilegium, nisi ex quo actus privilegiatus fuerit perfectè completus. Ubi autem facultas fuerit indefinitè, & sine restrictione concessa alicui personæ, nullatenus desinit per primam aut ulteriorem confessionem, sed perpetuò durat etiam post concedentis mortem,

nisi

nisi interveniat revocatio; quemadmodum & aliæ quævis gratiosæ concessiones, ut dispensationum, literarum ad Ordines dimissoriarum, approbationum illimitatarum ad Confessiones audiendas, aliæque consimiles, nisi ex postfacto ab eodem Prælato vel ejus successore revocentur. Ita Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. Suarez de pœnit. disput. 26. sect. 3. num. 7. Bonacina de pœnit. disput. 5. quæst. 7. punct. 3. & plerique alii contra Sylvestrum verb. *Confessor* 1. q. 7. qui videtur limitare ad concedentis vitam.

CAPUT IX.

De Contritione.

I. Pœnitentia est genus, cujus species sunt Sacramentum Pœnitentiæ, & virtus pœnitentiæ, quæ consistit in contritione peccatorum citra realem apud approbatum Sacerdotem confessionem. Cùm verò ad Sacramenti essentiam juxta Eugenii IV. Decretum Concilio Florentino adnexum, tria necessariò requirantur, materia scilicet, forma, & Minister intendens facere ac ministrare Sacramentum; Pœnitentia quatenus spectatur ut Sacramentum, tribus his constare debet, materia, & forma, & Ministri intentione. Materia alia remotior est, quæ sunt actualia pœnitentis peccata, ad differentiam originalis culpæ, quæ Baptismo diluitur: alia est materia proximior, quam docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. consistere in his tribus pœnitentis actibus, contritione, confessione, & satisfactione: qui actus prout requiruntur in pœnitente ad integritatem Sacramenti, dicuntur partes Pœnitentiæ. Ex his contritio & confessio sunt partes essentiales, sine quibus simul junctis nullum existit Pœnitentiæ Sacramentum. At satisfactio pars est, non quidem essentialis, sed integrans: sicut digitus, vel auris non est pars essentialis nostri corporis, quod potest esse cum horum privatione; sed est pars integrans simul & substantialis, cùm sit de substantia corporis humani, pertineatque ad ejus integritatem. Ita Sacramentum Pœnitentiæ in sua constituitur essentia, quam complet absolutionis forma, tametsi nondum sit peracta satisfactio, aut etiam ex culpa, vel inadvertentia Confessarii nulla fuerit injuncta. Forma denique hujus Sacramenti, eique planè essentialis, est ipsa absolutio per approbatum Sacerdotem collata.

II. Contritio, ut definiunt Tridentini Patres d. sess. 14. cap. 4. est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Iidemque duplicem distinguunt contritionem, quæ in utravis sui

ſpecie ſufficiat ad validitatem Sacramenti hujus. Eſt igitur alia perfecta, alia imperfecta contritio. Contritio perfecta ex divino amore naſcitur, & charitate perficitur, hominemque Deo reconciliat priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur: ſed iſta perfectior contritionis ſpecies includit votum Sacramenti ſuſcipiendi, ſi non actuale, ſaltem virtuale. Contritio imperfecta nuncupari ſolet attritio, quæ (ut aiunt Tridentini Patres) communiter concipitur vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ ac pœnarum ex parte Dei metu. Iidemque hanc ad Sacramenti hujus gratiam percipiendam ſufficere declarant, ſi voluntatem peccandi excludat, & veniæ ſpem habeat: eſſe quippe donum Dei & impulſum Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quanvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento ſubſequente Pœnitentiæ impetrandam diſponit peccatorem. Hæc Trident.

III. Quia tamen præfata illa attritio imperfecta procedit ex timore Dei, non quidem filiali, qui magis pertinet ad perfectam contritionem, ſed ex ſervili; ſciendum eſt timorem ſervilem eum eſſe, quo peccator ita pœnam imminentem formidat, ut ejus vitandæ causâ deteſtetur peccatum. Oritur iſte timor ex proprio noſtri amore, quemadmodum & mercedis deſiderium. Idem namque principium, quo impellitur homo ad proſequutionem proprii commodi, inclinat pariter ad fugam proprii incommodi, ſive id principium impellens excitetur à gratia, ut in Sacramento requiritur, ſive à ſola natura. Sicut enim, ut docet S. Auguſtinus lib. 14. de civit. Dei, cap. 7. & 9. omnes affectus & paſſiones animorum ab amore prodeunt, & amor Dei efficit proſequutionem boni Deo grati, ſimulque averſionem & fugam mali Deo diſplicentis: amor ſimiliter noſtri ſpem inducit & appetitionem noſtri commodi, necnon timorem & fugam ejus quod nobis noxium & incommodum eſt.

IV. Cúmque Sanctus Dei Spiritus ſummum jus habeat & poteſtatem in omnes hominis potentias & facultates, poteſt per ſuam prævenientem ac præparantem gratiam pro ſuo libito movere ac impellere nunc iſtam, nunc illam facultatem ad finem ſupernaturalem, adeo ut harum facultatum operationes, quæ ſecundùm ſe merè naturales eſſent, fiant ex ipſius Dei motione & fine ſupernaturali à movente Spiritu Sancto intento ſupernaturales, atque ita eleventur ad ordinem divinæ gratiæ. Ita fit ut ſervilis timor, aut mercenarius amor, qui ſecundùm ſe non poſſent ad juſtificationem diſponere, prout ejuſmodi timor, vel amor in ſolius naturæ viribus ſpectantur; ad illam tamen juſtificationem accedente Sacramento diſponant, quatenus fuit ille timor proprii incommodi, aut amor proprii commodi per Spiritum Dei excitatus, propoſitis animò pœnis quas Deus peccatoribus infligit, aut bonis quibus idem juſtè & piè viventes remunera-

ratur.

ratur. Iste porrò timor quatenus à peccato deterret, semper bonus & salutaris est: ad eum quippe nos adhortatur Dominus Luc. 12. *Timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Prout verò timor iste impulsu Divini Spiritus excitatur, est ejus supernaturale donum, & justificationis principium, excludens omnem peccandi voluntatem. Quæ sanè conditiones illi timori convenire nequeunt, quo homo ex formidine æterni supplicii ita declinat à malo, ut tamen malum lubens exequi vellet, nisi metus ille obstaret; restat enim in ejus voluntate perversus affectus, quo separatur à Deo.

V. Obsistet aliquis: Quicumque peccatum hoc fine devitat, ut pœnam æternam effugiat, aversatur magis æternam pœnam quàm peccatum ipsum; etenim ordinat majus bonum, quod est fuga peccati, ad minus bonum, quod est evasio supplicii. Hoc verò ulteriùs probatur, quia finis plus amatur quàm media ad finem; nam media ideò eliguntur propter finem consequendum. Ergo illa servili metu causata peccati fuga est mala, quia inordinata, magisque amans evasionem pœnæ quàm peccati fugam. Respondetur minus quidem ibi existere bonum, nihil tamen mali, dum hæc duo absint, ne scilicet ad fugiendum malum pœnæ consentiatur in malum culpæ, &c verò quis præcisiùs moveatur in fugam pœnæ, quàm in fugam peccati, actus iste nihil habet inordinatum, quanvis sit minùs ordinatus quàm si meliore motivo excitaretur, qualis est amor Dei, aut filialis timor. Cùm enim possint plura esse ad eundem finem motiva, nemo tenetur præstantius semper eligere, dummodo præstantius motivum non excludat actu aliquo positivo: sed licitum est vel minimum motivum quod primùm animo occurrit apprehendere, ut se aliquis à peccato & tentationibus quibus impugnatur, expediat. Et facilè contingere potest homini sanctissimo, ut urgentem tentationem recordatione gehennæ elidat, ut de seipsis testantur Sancti Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, & alii; qui tamen de aliis perfectioribus motivis nihil actu cogitantes, simul temporis sic erant habitualiter ita dispositi, ut optione propositâ gehennam ignis æterni mortali culpæ prætulissent.

VI. Celebris inter Theologos quæstio agitatur, utrum ad justificationem in Sacramento consequendam sufficiat supernaturalis attritio, quam metus excitat pœnarum à justitia Dei infligendarum; aut alicujus turpitudinis consideratio, diversæ ab illa quæ spectatur in peccato quatenus est offensa Dei; an verò præterea requiratur necessariò, non quidem perfecta contritio, quam Dei amor excitat (ut aliqui imperitè præsupponunt, ex quorum errore sequeretur pœnitentiam non esse Sacramentum mortuorum, nec unquam producere justificationem, sed eam priùs acquisitam præsupponere;) sed hoc disputatur, an requiratur saltem aliquis initialis ac imperfectus Dei amor, aut dolor saltem imperfectus, ex oppo-

sitione nascens ipsius peccati adversùs Deum, quæ est præcipua peccati turpitudo. Qui hanc tradunt opinionem illam sic tuentur.

VII. Primò, quia reliqua omnia motiva, cum versentur omninò circa proprium sui ipsius amorem, nec ullum actualem ad Deum respectum habeant, nullam videntur habere proportionem seu habitudinem ad veniam ab ipso Deo impetrandam. Esto enim cogitetur Deus tanquam castigator, Deus tamen non attenditur ut finis, ob quem aliquis peccatum aversatur; sed ipsa, quam Deus infligit, pœna attenditur ut motivum ac finis peccatum fugiendi: ipsique damnati simul & pœnam quam sentiunt, & causam efficientem ejus quod patiuntur supplicii, Deum attendunt; nec tamen Deum ibi attendentes ullum dici possunt elicere religionis actum, hoc ipso quia Deum non amant.

VIII. Secundò producunt S. Augustini testimonia dicentis serm. 7. de temp. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Idemque lib. de pœnitent. cap. 17. *Oportet ut pœnitentia ad hoc fructificet, ut mortuo vitam impetret. Scriptum est enim, sine charitate neminem salvum esse. Non itaque in solo timore vivit homo. Quem verò seriò pœnitet, oportet non solùm timere Deum judicem, sed & justum diligere: non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria. Debet enim dolere de crimine & de omni ejus prædicta varietate. Credo quidem illi qui dixit, Quacunque hora peccator ingemuerit, & conversus fuerit, vitâ vivet. Dixit conversum, non tantum versum, vitâ vivere. Versum quidem puto qui dolet de crimine, conversum qui dolet de omni ejus, quam exposuimus, varietate. Vertitur à peccato qui jam vult dimittere peccatum; convertitur qui jam totus & omninò vertitur: qui jam non tantum pœnas timet, sed ad bonum Domini contendere festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione.* Hæc Augustinus relatus quoque in can. *Nullus expectet*, de pœnitent. dist. 7.

IX. Tertiò proferunt ipsam Concilii Tridentini authoritatem: cùm enim compertum sit, non minorem requiri animi pœnitentiam ad gratiam Pœnitentiæ Sacramenti, quàm ad gratiam Baptismi in ætate adulta suscipiendam; si ad istam prærequiritur aliquis Dei amor in adulto baptizando, non minùs prærequiri debet in pœnitente absolvendo. Prærequiri porrò ad Baptismum, declarare videtur Concilium sess. 6. cap. 6. ita dicens: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem* DILIGERE INCIPIUNT, AC PROPTEREA *moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam,* QUAM ANTE BAPTISMUM AGI OPORTET. *Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

X. Hâc etiam ratione probant illius sententiæ assertores: quia sicut per-

per mortalem culpam peccator indebitè avertitur à Creatore, & ejus sancto amore propter inordinatum creaturæ amorem, oportet similiter ut idem homo per ordinatum Creatoris amorem, saltem initiativè & incompletè revocetur à suo peccato.

XI. Nec ideo minùs censebuntur, tam Baptismus quàm Pœnitentia in numero Sacramentorum pro mortuis animabus præcipuè institutorum. Non enim hîc necessariam ducunt contritionem illam perfectam, quam excitat ille super omnia perfectus amor Dei, cujus ea sit efficacia, ut hominem Deo ante Sacramentum reconciliet, constituatque in vitæ supernaturalis statu, ut docet Concilium sess. 14. cap. 4. Sed eam dicunt attritionem, quæ ut aiunt ibidem Tridentini Patres, ex turpitudinis peccati consideratione concipitur. Maxima namque peccati turpitudo inde dimanat, quòd sit offensa Dei. Illa porrò Dei dilectio, quæ attritionis metas non transilit, non est talis ut actu perfecto diligatur Deus super omnia, sed in remissiore gradu consistit, sine tamen ulla actuali alicujus creaturæ prælatione supra Deum, quæ quidem esset criminosa. Istam attritionis speciem hisce verbis exponit Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 2. ubi disputat contra Sotum. *Quod contritio* (inquit) *versetur circa peccatum ut est offensa Dei, id non ita proprium est contritioni, quin conveniat etiam alicui attritioni, nempe illi quæ oritur ex dilectione Dei, tametsi non super omnia.* Idemque paulò post: *Si igitur ex parte objecti, & ex parte causæ volumus discrimen inter contritionem & attritionem assignare, rectius dicemus ex parte quidem objecti ea re differre, quòd contritio est semper de peccato ut est summè malum, atque adeò super omnia detestabile, quatenus videlicet est offensa Dei qui super omnia diligitur: Attritio non item, etiamsi non tantùm virtualiter, sed etiam actu esset de peccato, ut est offensa Dei utcumque dilecti.* Præterea Viguerius de Sacram. Pœnit. versu 10. inter species diversas attritionis recenset eam, quæ causatur non ex metu pœnæ, sed propter Deum non summè dilectum. Toletus quoque lib. 3. cap. 4. duas agnoscit species attritionis: unam ex parte causæ, quam dicit esse dolorem aliundè procedentem quàm ex motivo offensæ Dei: secundam ex parte modi, quæ detestatur peccatum ut est offensa Dei, sed non illud detestatur supra omne detestabile. Insuper Navarra cap. 1. num. 36. admittit, valere ad Sacramenti gratiam consequendam, illam pœnitentis attritionem, quam movet amor Dei, non tamen tanquam supra omnia amabilis, neque peccatum detestans ut supra universa mala detestabile: additque ad pœnitentiæ Sacramentum requiri amorem Dei, qui dolorem excitet de peccatis. Sylvius quidem hanc affirmativam opinionem non modò probabilem [illegible] majorem perfectionem inducere dicit, sed esse tutiorem & omnino [illegible]dam monet, quanvis ipse negativam dicat probabiliorem, eamque propugnet, cùm tamen neget esse certam, & fieri posse ut apud Deum vera non sit, qui Sacramentorum virtutem determinavit ab humanis opinionibus independentem.

Quocirca admonet, non esse huic negativæ confidendum, ne periculo exponatur animæ salus, præsertim cùm quis versatur in vitæ discrimine. Eadem quoque admonet Gamachæus tract. de Pœnitentia. Ego verò adductus rationibus superiùs recensitis, & authoritate decreti Tridentini circa initium divinæ dilectionis, quod expressis verbis supponit in eo qui Baptismi gratiam suscepturus est, & perspicuis etiam testimoniis Divi Augustini, hanc in sententiam propensiùs feror, quæ ad attritionem Sacramento Pœnitentiæ prævïam judicat necessarium non quidem perfectum amorem Dei, qui possit extra Sacramentum justificare, sed actum tamen divini amoris imperfectum, qui cùm per se non possit peccatorem Deo reconciliare, elevetur tamen accedente Sacramento ad habitum sanctificantis charitatis. Quin etiam adversantem opinionem oppugnat ipsius quod prætenditur munimen, ex Tridentinæ sessionis 14. cap. 4. quo decernitur necessaria voluntas non peccandi de cætero. Enimverò attritio peccandi voluntatem excludens includit necessariò pium aliquem erga Deum affectum, quatenus peccatum nihil est aliud quàm injuria in Deum facta. At verò istiusmodi attritio ex sola pœnæ formidine concepta non detestatur factam in Deum injuriam, sed solam pœnam quæ à vindice Deo proficiscitur: atque ita non excludit peccatum secundùm propriam & formalem ejusdem contra Deum malitiam, sine qua utique non subsistit, sed in qua consistit formaliter peccatum, cùm istud solummodò exhorreat propter pœnam & vindictam quam solo proprii amoris motivo expavescit. Quæ quidem pœna bona & justa est, atque peccato prorsus extrinseca; peccatum verò ex adverso totum malum & injustum est. Ista ergo attritio non excludit peccati voluntatem prout peccatum est, sed solùm refugit commeritum justumque supplicium. Nihil tamen repugnat hanc quoque excitari à Spiritu sancto, qui nostram etiam philautiam ad meliorem finem dirigit.

XII. Ipsa verò contritio est dolor de peccato super omnia cætera mala propter Deum summè dilectum, cum proposito non peccandi de cætero. Quemadmodum enim Deus est summum bonum, increatum, infinitum & perfectissimum, creatis quibuscumque bonis longè præferendum; ita peccatum, quoniam est offensa Dei, summum existit malum, cæteris quibuscumque malis longè detestabilius. Hæc contritio describitur Deuter. 4. vers. 29. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota contritione animæ tuæ.* Et Joël. 2. vers. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra.* Et Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Quibus Divinis Oraculis addiscimus Deum ex toto corde & super omnia diligendum; peccatum verò ex toto corde & super omnia fugiendum & abhorrendum, utpote Deo oppositum & injuriosum.

XIII. Non

XIII. Non tamen necesse est, quinimò impossibile est, amorem Dei aut peccati odium pertingere ad summum gradum intensivè ac physicè, sed tantùm moraliter atque appretiativè, hoc est, ut præeligat homo Deo obtemperare, quàm cæteris quibuscumque bonis perfrui; & alia potiùs quæcunque mala subire, quàm in peccatum consentire. Itaque facilè contingit, ut homo citra ullam Dei offensam ferventiùs & intensiùs diligat proprios liberos aut conjugem, quàm Deum ipsum; & tamen legi satisfaciat divini supra omnia amoris, Deum appretiativè, seu æstimativè plusquam liberos aut conjugem diligendo, ut si detur optio, orbari malit propriis liberis & conjuge, quàm Dei dilectione & gratiâ. Sapienter tamen admonent Theologi, particulares hujusmodi comparationes non esse omnibus promiscuè proponendas vel consulendas, cùm possint esse multis occasio tentationis & scandali; sed solùm in genere. Distinctionem istam amoris Dei ferventioris ac sensibilioris, ad quem non obligamur; & amoris præ reliquis omnibus secundùm æstimationem seu appretiationem, atque in eligendo præferentiam, ad quam omnes obligamur; & respectivè majoris odii, sive intensioris ac sensibilioris, sive secundùm præferentiam æstimativam, tradit S. Thomas in 4. Sent. dist. 15. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 3. itemque quodlibeto 1. quæst. 5. art. 9. item 1. 2. quæst. 109. art. 3. quàm distinctionem Theologi omnes complectuntur.

XIV. Quanvis perfecta contritio, valens statim sine Sacramenti susceptione justificare, detestetur peccatum propter Deum super omnia dilectum, non tamen semper nascitur ex charitate. Non enim possibile est causam ex suo effectu nasci; & illud quod prius est, proficisci non potest ex eo quod est posterius. Perspicuum enim est, contritionem à peccatore elicitam producere in ejus anima charitatem, quâ priùs carebat. Statuendum est igitur, contritionem quidem ab homine justo elicitam nasci ex præcedente charitate, accedentibus novis actualis gratiæ auxiliis: at verò elicitam à peccatore contritionem nasci ex motione Spiritus Sancti per gratiam ejus prævenientem, quæ vicem supplet charitatis, & est secundùm naturæ ordinem anterior charitate quam producit: sunt tamen, ac fiunt ista simul eodem instanti temporis. Sanctus quidem Thomas 1. 2. q. 113. ad 1. requirit charitatem ad justificationem peccatoris, juxta illud Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm:* & quia non oritur dolor nisi ex aliquo amore; nec potest displicere malum, nisi placeat oppositum bonum. Sed ibi S. Thomas intelligi ac exponi debet de charitate actuali, non de habituali præcedente.

CAPUT

CAPUT X.

De Confessione.

I. PECCATORUM Confessio Sacramentalis instituta Divino Jure fuit in statu novi Testamenti, & necessaria est necessitate præcepti ad impetrandam peccatorum post Baptismum commissorum remissionem, secundùm id quod ait Apostolis Dominus Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Omne autem prudens & justum judicium efflagitat plenam causæ cognitionem. Ut igitur rectum judicium circa peccata vel remittenda, vel retinenda fieri queat, necesse est ea per confessionem ejus qui absolvi cupit, manifestari. Eódem spectat 1. epist. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus Deus, ut remittat nobis peccata nostra.* Et Jacobi 5. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Istamque viguisse praxim nascente Ecclesia, testatur Actuum cap. 19. *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.* Hujus Sacramenti figura præcessit in veteri Lege jubente ut leprosi se ostenderent Sacerdoti, ad quem pertineret judicium de lepra, vel exorta, vel sanata. Levit. 13. Matth. 8. Luc. 7. Cum hac tamen insigni inter Legales & novi Testamenti Sacerdotes differentia, quam observat S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, cap. 6. quia corporis lepram non sanabant, sed utrum sanata esset judicabant Judaïci Sacerdotes: At verò, inquit, lepram animæ non sanatam judicant, vel explorant, sed prorsus sanant & emundant novæ legis Sacerdotes. Tertullianus antiquorum temporum Scriptor, & testis omni exceptione major, lib. de pœnitentia, necessitatem Confessionis his verbis astruit: *Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quàm salutis, velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia pereunt.* Et inferiùs: *Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet si quid humanæ notitiæ subtraxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeóne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latère, quàm palam absolvi.* His verbis prodit Tertullianus, confessionem istam esse ad salutem animæ necessariam, atque in ea nullum, quantumvis occultum delictum licere humanæ notitiæ subtrahere.

II. Conditiones confessionis sexdecim communiter recensentur, quarum tres tantummodò sunt necessitatis, ad easque cæteræ ferè reducuntur.

1. Ut

1. Ut sit pura, id est vera. 2. Ut sit lacrymabilis, id est adjunctam habeat contritionem, seu attritionem. 3. Ut sit integra, id est ne consultò sileatur aliquid mortalem culpam faciens circa species, numerum & mortiferas circumstantias. Ultima ista conditio præexigit examen propriæ conscientiæ, cujus neglectu certum sit fore, ut peccata mortalia memoriæ non occurrant, atque ita confessioni desit integritas. Idcircò Tridentinum sess. 14. cap. 5. prærequirit examen, dicens oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint. Ratio patet; quo enim jure aliquis ad aliquod opus obligatur, eodem pariter obligatur ad media tali operi necessaria. Ex quo sequitur, obligatum ad mortalia confitenda, esse simul obligatum ad illorum examen & discussionem.

III. Patet ex supradictis, tantam esse debere examinis diligentiam, quantùm judicio probi & prudentis viri convenit, habitâ ratione tum temporis ab ultima, quæ valida fuerit, confessione transacti; tum multitudinis culparum confitendarum, tum negotiorum gestorum, in quibus peccare quis potuerit; tum etiam occasionum plus minusve frequentium, quæ potuerint ad varia peccata impellere pœnitentem. Quo fit ut quibusdam breve possit examen sufficere, in aliis verò prolixius requiratur. Potest tamen mediocris ad supradictorum proportionem adhibita diligentia sufficere, etiamsi (inquit Bonacina disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. n. 3.) probabiliter conjiciat pœnitens, fore ut post prolixissimam perquisitionem occurrerent animo alia aliqua peccata. Quod dico ad præcautionem scrupulosorum, quibus nunquam satisfactum est, & qui animi & corporis vires exhauriunt ad superfluas disquisitiones: quibus convenit illud Proverb. 30. *Qui vehementer emungit, sanguinem elicit.* Ex opposito qui debitum & discretum suæ conscientiæ neglexit examen, si eum rusticitas & animi stupiditas non excusat (quæ sanè potest quosdam valdè simplices & per se incapaces excusare) indignè ad Sacramentum accedit, neque validè absolvi potest, nisi hunc defectum, simulque contritionis, prudens & solers Confessarius interrogando, & admonendo suppleat in charitate Dei (ut cum Apostolo loquar) & patientia Christi. Caveatque Sacerdos ne pœnitentem, sive ob ejus stupiditatem aut imperitiam, sive ob ejus etiam indiscretionem aut malam indolem, sive ob peccatorum ejus gravitatem duriùs excipiat: sed charitate & patientiâ, quasi obstetricante manu (ut verbis utar patientissimi Job) educat colubrum tortuosum, hoc est in nostro proposito, peccatorum sinceram confessionem, & pœnitentis emendationem.

IV. Integritas confessionis in tribus consistit, in declaratione omnium peccatorum mortalium, quorum memoria occurrit pœnitenti, secundùm species, numerumque, & debitas circumstantias. Hæc enim triplex

accusatio adeò necessaria est, ut horum aliqua voluntaria & culpabilis omissio non modò informem reddat confessionem, id est gratiæ effectu carentem, sed etiam nullam & Sacramenti expertem; quia pœnitens, cùm in ipsa confessione mortaliter peccet, non potest simul habere necessariam contritionem, quæ est pars essentialis, sine qua nullatenus existere potest Pœnitentiæ Sacramentum: nullaque res subsistit sine suis essentialibus. Quæ ratio cùm deficiat in illo qui habet justam alicujus peccati reticendi causam, & in quo ex consequenti illa reticentia non impedit veram attritionem, perfectè distinguit casus in quibus voluntaria peccati mortalis reticentia obsistat, vel non obsistat Sacramento pœnitentiæ, etiam quoad valorem, nedum quoad effectum, seu gratiam. Sufficere enim potest confessionis integritas formalis, ubi ex justa causa omittitur integritas materialis, de quibus tractabit proximè sequens caput.

V. In primis explicanda sunt peccata secundùm species suas, non physicas, sed morales, quibus constituuntur sub ratione transgressionis talis aut talis legis ac mandati, & oppositionis ad talem, vel talem virtutis speciem. Exempli gratiâ intendens aliquis hominem occidere, parat gladium, eo se accingit, proficiscitur ad destinatum occisioni locum, adversarium præstolatur, adoritur, gladio transfodit. Hîc multi interveniunt physicè distincti actus, & tamen si non interceserit inter eos notabilis intermissio, inest una tantùm moralis species confitenda, scilicet homicidium. Et quemadmodum in hoc exemplo sunt multi actus physicâ specie distincti, & unica tamen species moralis; ex adverso is qui furatur rem sacram, elicit unicum actum secundùm speciem physicam, qui tamen duas habet morales species, furti simul & sacrilegii. Stuprum quoque virginis Deo consecratæ, cùm sit unicus physicus actus, duplicem tamen specie distinctam involvit malitiam, unam quidem oppositam castitati, alteram religioni.

VI. Plerumque fit ut occurrant multi actus, quorum singuli seorsim spectati constituerent totidem numero peccata mortalia; sed quia serie quadam & morali quasi continuatione conjunguntur & referuntur ad unam peccati speciem, ideò non sunt sigillatim exprimendi: & ita is qui patravit homicidium, non tenetur omnes actus ad homicidii hujus finem destinatos exprimere, nisi eos in quibus inest distincta malitiæ species, qualis est, verbi gratiâ, si alterum ad ejusdem sceleris socieratem asciverit: sunt enim specie morali distinctæ res occisio animæ complicis, & occisio corporis inimici. Idem esto judicium de pluribus turpibus actibus, qui proximè præcedunt, vel comitantur completam fornicationem; non enim sunt exprimendi in accusatione consummatæ fornicationis, nisi involvant, ut dixi, alterius malitiæ speciem.

VII. Concilium Trident. *sess. 14. cap. 5.* definit omnia peccata mortalia in specie & sigillatim esse declaranda: & ibid. can. 7. omnia & singula esse confi-

confitenda. Quæ voces *sigillatim*, & *singula*, docent esse peccatorum mortalium numerum exprimendum. Ratioque est, quia alioquin Sacerdos non posset sufficienter statum pœnitentis agnoscere ad justum ferendum judicium: quantum enim discrimen est ejus qui semel, & ejus qui centies ejusdem speciei mortalem culpam commisit? Nam singulæ iterationes sunt per se ac seorsim materia hujusce Sacramenti necessaria, cùm in singulis toties de novo mortaliter Deus offendatur, novaque damnationis causa congeratur.

VIII. Itaque is qui sæpius actus odii erga proximum repetiit cum morali interruptione, tenetur numerum istorum actuum exponere; vel certum, si potest; vel verisimilem. Item is qui numerum certum expofuit, & postea recordatur alicujus actus supra numerum quem expressit, debet hunc, vel hos actus qui numerum illum excedunt, accusare in alia confessione, nisi in priore confessione numerum expresserit addendo vocem *circiter*, aut *plusminus*; hac enim vocis adjectione fit ut actus qui postea in recordationem venit, comprehendatur: sed si sint multi actus quorum fuerat oblivio, non poterit eorum numerus per vocem *plusminus*, verificari, ideoque separatim confitendi erunt. Sic qui dixit decies plusminus, & deinde recordatur fuisse duodecies, non tenetur separatim duos actus illos confiteri; sed si recordetur quinque actuum, tenebitur confiteri. Sed si majorem numerum expresserat, verbi gratiâ triginta plusminus, poterunt ibi sufficienter includi tres aut quatuor actus, quorum postea recordatus fuerit. Crescente namque numero expresso, augetur eadem proportione numerus inclusus & significatus his vocibus *circiter*, aut *plusminus*, ut fert communis hominum usus ac notio. Porrò ad ineundam rationem numeri alicujus peccati sæpiùs ex mala consuetudine aut pernicioſæ occasionis præsentia commissi, via expeditior est explorare quoties in die vel hebdomada fuerit peccatum iteratum, & quanto tempore perversa illa peccati consuetudo duraverit.

IX. Meretrix expressioni numeri satisfacit, si dicat se tanto tempore fuisse prostitutam. Sed aliquas graviores impudicitiæ species tenetur cum earum numero quoad fieri potest exprimere, nimirum sacrilegia cum adstrictis voto continentiæ, & incestus admittendo patres & filios, aut plures fratres, & coïtus quos habuit contra naturam.

X. Concubinarius pariter satisfacit dicendo se tanto tempore usum fuisse concubina, nec tenetur numerum illicitarum cum illa conjunctionum explorare. Bonacina disput. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 2. puncto 2. §. 3. difficult. 2. num. 19. & docet Suarez de pœnit. disput. 22. sect. 5. num. 37. ei qui commisit multa unius speciei peccata, nullo modo expedire ea sigillatim singula enarrare: tum quia hoc longissimi negotii est, nec ullo modo necessarium: tum quia inde seges ampla nascitur scrupulorum, quia postea semper occurrunt aliqua peccata, de quibus meritò dubitat, an sit confessus

fessus. Consentit Navar. Enchir. cap. 6. num. 15. expenditque Sancti Augustini verba hæc: *Quantum perseveraverit consideret, & desleat quod perseveranter peccaverit.* Et habentur in cap. *Consideret*, de pœnitent. distinct. 5.

XI. Denique summa ratio ac regula numerum peccatorum discernendi & confitendi, meo quidem judicio hæc est, numerum esse computandum ex multitudine actuum interruptorum, non autem actuum continuatorum, sive continuitas sit formalis, sive virtualis. Continuitas formalis censetur quandiu peccator reipsa intendit interiùs, vel aliquid agit exteriùs, quod tendit ad actum malum. Sic ille qui, ut diximus, gladium parat ad occidendum inimicum, equum conscendit, viam capessit, stat in insidiis, & tandem occidit, unicum peccatum committere censetur, quia ab initio intendit homicidium, & illos omnes actus ad id unum dirigit, & ita formaliter hi actus conjunguntur cum homicidio, ut non sit opus illos confiteri. Sed si illi præambuli ac præcedentes actus aliis ad eorum finem minimè spectantibus actibus interrumpantur, somno, confabulationibus, aliorum negotiorum gestione, tunc non formaliter continuari censentur cum homicidio intento, sed solùm virtualiter. Simili ratione is qui suis in ædibus concubinam tenet, hoc ipso habet intentionem continuandi in malo proposito cum eadem; & per illam quæ fit ad hunc finem cohabitationem, omnes actus luxuriosi, quos cum ea habet, continuantur saltem virtualiter in continuatione illius ad hunc malum finem convictûs, adeò ut non teneatur numerum illorum actuum exprimere, si tempus expresserit quo id malum perduravit, nisi ut superiùs dixi de meretrice, alios actus specie à fornicatione distinctos commiserit; hi namque sigillatim cum suo quique numero exprimendi erunt, quales sunt actus luxuriæ contra naturam.

XII. Jam hîc agendùm de peccatorum circumstantiis exprimendis à pœnitente. Circumstantiarum quadruplex est differentia; vel enim sunt augentes, seu aggravantes peccatum, ut est actus odii deliberatus unus & individuus, si duraverit per sesquihoram aut duabus continuis horis, si una eademque illicita copula brevior fuerit aut longior, si ad eam oscula quoque adhibita fuerint, necne: vel sunt circumstantiæ minuentes peccatum, ut si mulier consensit in stuprum semel requisita, aut post multas & importunas preces: vel sunt impertinentes, ut si quis longo aut brevi gladio alterum occidit, dextera manu, an sinistra, & istas nemo diffitetur esse silendas ut inutiles & superfluas: vel sunt speciem peccati mutantes, & istas affirmant omnes esse necessariò confitendas juxta præscriptum Tridentinæ Synodi sess. 14. cap. 5. his verbis: *Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quòd sine ipsis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant.* Hujusmodi verò sunt quæ peccatum mortale constituunt, quod

alio

alioqui veniale, aut etiam nullum esset: ut si quis levem & venialem culpam alterius retulit, hac tamen mente, ut infensissimum illi concitaret inimicum; ibi enim venialis alioqui detractio redditur mortalis: aut si quis laïcus manu tangat mappam Altaris, dum credit per erroneam conscientiam se hoc faciendo peccare mortaliter; sic enim actio indifferens, & ne quidem venialiter culpabilis, degenerat in mortalem culpam. Sciendum namque, ex conscientia erronea nasci peccatum in actibus etiam per se licitis, hac ratione, quia quisquis hoc agit quod judicat illicitum, determinat se, & consentit in malum, & proinde peccat. Idque confirmatur Rom. 14. his verbis: *Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Et subinde: *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Fidem hoc loco interpretantur S. Chrysostomus, S. Thomas, aliique communiter, persuasionem & dictamen conscientiæ. Speciem etiam peccati mutant circumstantiæ illæ quæ ita peccato de se mortali conjunguntur, ut per eas accedat actui alia quoque peccati mortalis species. Sic circumstantia Clerici percussi facit ut ea percussio, quæ esset mortalis in persona laïci, induat quoque sacrilegii crimen: & stuprum cum consanguinea augetur crimine incestus. Cùm verò nihil dubii sit circa circumstantias impertinentes, & circa eas quæ peccati speciem mutant in materia mortali, tota supereſt difficultas circa circumstantias intra unam eandemque speciem tantùm aggravantes, & circa circumstantias peccatum diminuentes.

XIII. Circumstantiæ minuentes non sunt necessariò exprimendæ in confessione, qualis est in eo qui metu morbi pollutionem procuravit, aut in eo qui injuriâ provocatus odium proximi concepit, aut qui consensit in crimen longa & urgente alterius persuasione & minis adactus. Sed tamen si minuens circumstantia peccati speciem immutet, faciendo veniale quod alioqui esset mortale, à pœnitente exprimenda necessariò est, ut si cui grave damnum illatum fuerit per subreptionem & imperfectam inadvertentiam; ut si quis per ludum venialiter culpabilem hominem terræ allisit, eoque casu incautè caput ei effregit; aut si quis venator telum in hominem vibravit & occîdit, credens esse feram. Quæ hactenus de circumstantiis minuentibus dixi, communi Doctorum consensu firmantur, etiam illorum qui secus judicant de aggravantibus circumstantiis, quanvis eadem utrobique videatur esse ratio non confitendi utrasque. Sanè simplicitas pœnitentis, ejusque bona fides facilè illum excusat à peccato, si has minuentes circumstantias, & speciem peccati mutantes subticuerit ignorans, & credens id sibi esse per humilitatem convenientius in statu pœnitentis constituto excusationes peccati subticere.

XIV. Circumstantias, quanvis notabiliter aggravantes, si per eas species peccatorum non mutentur, minimè necesse est confiteri, ut docet

gravior & communior Doctorum pars. Sanctus Thomas in 4. distinct. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 5. Sanctus Bonaventura ibid. dist. 17. quæst. ult. Paludanus in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 3. Durandus quæst. 4. Medina de pœnit. tract. 2. quæst. 7. Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 2. num. 6. Valentia tom. 4. disput. 7. quæst. 11. puncto 1. assertione 5. Navarra Enchir. cap. 6. num. 6. Toletus lib. 3. cap. 7. num. 7. Reginaldus lib. 6. num. 135. Bonacina de pœnit. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. puncto 2. §. 3. difficult. 3. num. 5. contra Sotum in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. conclus. 7. Suarez disp. 22. sect. 3. num. 5. Coninch disput. 7. dub. 3. num. 13. & alios. Ratio hujus conclusionis est primùm, quia Tridentinum loco cit. tradens accuratè illa quæ necessaria sunt ad Pœnitentiæ Sacramentum, non alias exigit confitendas peccatorum species, quàm quæ peccati speciem immutant. Secundò, quia consentiunt etiam adversantis sententiæ Authores, non esse necesse, ut circumstantiæ peccatum minuentes exprimantur, nisi quando speciem mutant peccati; sed non minùs inflectunt ad notitiam status pœnitentis, & rectum judicium Ministri, expressiones quibus peccatum notabiliter minuitur, quàm quibus notabiliter aggravatur. Tertiò, quia omnes ferè confessiones de validitate nutarent, & pœnitentes etiam peritiores & prudentiores inter innumeros scrupulos anxii fluctuarent, cùm nesciatur quis sit ponendus limes inter illiusmodi circumstantiarum differentias notabiliter, & non notabiliter aggravantium, neque possint certæ tales regulæ assignari, ubi nulla est specifica differentia: & si quis proprio ingenio proprios sibi limites præfigat, alius aut restrictiores, aut remotiores sibi præscribet, & à pœnitentibus exiget. Cúmque nullâ certâ nitatur regulâ, cras terminos pro humani ingenii inconstantia aliò transferet, quos heri alio loco posuerat, nihilque incertius aut vacillantius erit quàm ipsæ necessariæ, & ad Sacramenti validitatem & effectum requisitæ conditiones. Quartò denique frustra & indebitè requiruntur ad hoc Sacramentum ut necessariæ conditiones, de quibus nullum extat, aut usquam extitit, sive Christi, sive Ecclesiæ præceptum; atque ita injustè adstringitur pœnitentium libertas. Objiciunt adversarii Concilium ipsum Tridentinum d. sess. 14. cap. 5. dicere, eam peccatorum confessionem esse necessariam, quæ sufficiat ut Sacerdos de eorum gravitate rectè judicare possit. At idem locus pariter convinceret ad obligationem exprimendi quoque circumstantias notabiliter minuentes, cùm æqualiter influere possint ad ejusmodi notitiam & rectum de peccatis judicium: contrariorum enim eadem est disciplina. Sed Patrum Tridentinorum longè alia mens est, hoc enim dumtaxat intendunt, ut discernatur singulorum peccatorum gravitas ex regulis quas solas disertè ibi proponunt, nimirum quatenus cognosci potest ex confessione peccatorum secundùm illorum species, numerum & circumstantias illas, quibus eorum species immutatur. Dices inde sequi, quod sufficiat ei qui mille aureos subripuit, si solùm confiteatur se aliquid

fura

furatum in notabili quantitate, quæ tamen quantitas potest sufficere in furto unius aurei. Respondendum & hanc potuisse accusationem sufficere, nisi officium esset Sacerdotis providere restitutioni faciendæ; quam ad rem opus est ut sciatur exactiùs quantum fuerit furto ablatum, & intra quod tempus, & quibus modis exigenda sit illa restitutionis exequutio. Quin etiam ipsi adversantes nobiscum sentiunt, unicam unius fornicationis confessionem sufficere, vel homicidii, etiamsi multi actus præcesserint, qui singuli seorsim spectati sint totidem peccata mortalia, & advenire possunt sine completa fornicatione vel homicidio; & hæc vicissim sæpe adveniunt sine illis actibus præambulis: & illi quidem actus præcedentes & concomitantes fornicationem vel homicidium, magis procul dubio & à seipsis invicem, & à duobus illis consummatis multò plus differunt, quàm nummus aureus ab alio aureo, qui simul uno furto ablati supponuntur; & tamen illorum diversorum actuum inordinatorum expressionem non esse in Sacramento necessariam, omnes admittunt.

XV. Quæritur utrum confessio dubiorum peccatorum requiratur ad integritatem necessariam? Concludendum est absolutè, eum qui dubitat se peccatum aliquod commisisse, aut qui sciens quidem se commisisse, dubitat an sit mortale necne, aut eum qui ambigit utrum illud aliàs confessus fuerit, teneri illud confiteri. Stat enim in casu dubitationis possessio certa pro lege confessionis, ut omnes consentiunt,& Concilium Tridentinum dum sess. 14. cap. 5. & can. 7. excipit ab obligatione confitendi sola peccata venialia, & subdit huic obligationi peccata, de quibus an sint mortalia, dubitatur. Nec obstat illud,quod is qui dubitat se voviſse, non astringitur ad ejus impletionem: & similiter is qui anceps animi est, utrum damnum intulerit, non tenetur damnum resarcire. Id quidem verum est, quia in illis stat possessio pro libertate dubitantis, at in confessione dubiorum stat possessio pro lege confessionis. Si dicas, in dubiis meliorem esse conditionem possidentis, cap. *Ex literis*, de probationib. concedo id quidem; sed nego hunc pœnitentem possidere hanc libertatem. Ubi enim constat de præcepti obligatione, & dubitatur de exemptione seu excusatione à præcepto, subsistit possessio pro lege aut præcepto.

XVI. Cæterùm aliud censendum de eo qui probabili ratione ductus opinatur, quantumvis cum aliqua in oppositum formidine, se id peccatum non commisisse, aut à se commissum confessum fuisse, qui non astringitur ad ejus confessionem; favet enim ei sua, quam probabilem rectè judicat, opinio. Et sanè quis tam felicis memoriæ est, ut certissimè recordari possit particularis à se factæ confessionis singulorum peccatorum veterum, quæ post multos annos in mentem ejus redeunt? Hac sanè ratione via latissima aperiretur innumeris scrupulis & repetitionibus anxiis pristinarum accusationum. Is verò qui solitus fuit accuratum examen suis confessionibus anteactis præmittere, eoque magis si generales confessiones

nes quam exactissimè ediderit, causam habet admodum probabilem animo quiescendi & credendi se talem accusationem non omisisse; aut si fortè in individuo omiserit, persuadendi sibi quod eam sub specifica saltem expressione comprehenderit. Exempli causâ, si fuerit aliqua famæ alienæ detractio, quod eam saltem comprehenderit quando non tantùm includere intendens quindecim particulares detractiones, quarum sigillatim recordabatur, intendens tamen cæteras comprehendere detractiones, quarum in individuo non recordabatur, ex judicio probabili, ut fieri à cautioribus solet, numerum præfatum auxit, seque triginta detractionum accusavit: & ita de cæteris accusationibus tam numerum actualis recordationis, quàm oblitorum aliorum probabilem exprimentibus. Id enim sufficit ad oblitorum expressionem, quandoquidem talis expressio id habet omne quod à Concilio requiritur, speciem scilicet, & quoad accuratè fieri potuit, numerum peccatorum. Hanc doctrinam circa dubia & probabilia tradunt Suarez de pœnitentia, disp. 22. sect. 9. num. 6. Sanchez in Summa, lib. 1. cap. 10. num. 66. Bonacina disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 4. num. 4. & alii.

XVII. Ex parte defectuum ipsius pœnitentis requiritur iteratio confessionum, in quibus iste scienter, & citra justam causam omisit accusationem peccati alicujus, vel cogniti, vel ab eo dubitati mortalis, aut circumstantiam necessariò confitendam. Ratio est, quia ibi deficit integritas confessionis, atque bona fides pœnitentis. Item si defectu debiti examinis factum sit, ut peccata mortalia non occurrerint in mentem, quæ alioqui occurissent, si congrua perquisitio præcessisset, saltem mediocris pro ratione temporis ab ultima confessione decursi, & multitudinis ac gravitatis culparum confitendarum. Item si nullus extiterit de peccatis dolor aut propositum emendationis. In his quippe defectibus violatur id quod essentiale est huic Sacramento; bonaque fides, ipsaque confessio, & perperam acceptæ absolutionis forma vertuntur in sacrilegium. His & adjunge, si pœnitens noluit solitam ac proximam mortaliter peccandi occasionem deserere. In his confessio, utpote invalida, repetenda est.

XVIII. De omissione autem peccatorum quæ pœnitens neque credebat, neque dubitabat esse mortalia, communiter Doctores sentiunt, non involvere confessionis invaliditatem, aut eam iterandi obligationem; sed sufficere si pœnitens post discussam, quæ præcesserat, ignorantiam non affectatam, exprimat illud in altera confessione cum debitis circumstantiis, simulque peccata reliqua post confessionem ultimam commissa, absque præcedentium confessionum iteratione, in quibus & bona fides, & reliqua ad hoc Sacramentum necessaria concurrerunt. Ita Sylvester verb. *Confessio* 1. quæst. 3. Navarra cap. 9. num. 15. Toletus lib. 3. cap. 10. num. 7. Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 1. num. 7. Reginaldus lib. 9. num. 153. Bonacina de Pœnitentia quæst. 5. sect. 2. puncto 3. num. 6. Sic excusantur à confessio-

num

num reiteratione pueri & puellæ, qui quæve accedente meliori instructione agnoscunt pro mortalibus actus quosdam, in quibus nihil tale suspicabantur. Quod etiam usuvenit plerumque in adultis & provectioribus post discussam pristinam, quâ tenebantur, ignorantiam. Suprà citati Authores, aliique hoc præterea docent, quoties repetendæ sunt necessariò præcedentes confessiones apud alium Confessarium, si tamen fiat confessio secunda penes illum qui præcedentem audierat ab eodem pœnitente, nullatenus esse necessariam repetitionem, si modò recordetur gravium aliquot peccatorum in ea confessione quæ præcessit auditorum, statusque ipsius pœnitentis, saltem in confuso; & sufficere eadem simul peccata in genere, non verò sigillatim confiteri, cum expressione tamen secundùm singulas species peccatorum non antè confessorum, & numeri eorum, etiamsi Confessarius ille aliquorum mortalium anteà sibi confessorum recordationem amiserit.

XIX. Probabilissima est Doctorum sententia, qui graves omnes ac mortaliter culpabiles contumelias tradunt ejusdem esse speciei, ac proinde sufficere accusationem gravium contumeliarum, numerique expressionem generalem, non trahendo moram quoties hanc numero contumeliam, & quoties hanc aliam in individuo protulerit; quæ res innumeros pareret scrupulos, & ad tribunal Confessarii frequentes reversiones, præsertim rixosarum fœminarum, quæ solent ad iracundiam frequenter prosilire, & quidquid in buccam venerit exprobrare. Hoc docent Caietanus in S. Thomæ 2. 2. quæst. 71. art. 1. Sanchez in Selectis, disput. 6. num. 2. Sotus de Justit. lib. 3. quæst. 9. art. 1. Molina tom. 5. tract. 4. disput. 19. num. 3. seu disput. 21. num. 6. Bassæus verb. *Contumelia*, num. 4. & verb. *Peccatum* 4. num. 8. Reginaldus lib. 24. cap. 5. num. 102. nisi in aliquibus occurrat circumstantia vel personæ, vel causæ moventis, vel eventus inde consequuti aut consequuturi, aliave similis, quæ speciem immutet; ea namque necessariò erit exprimenda.

XX. Eademque ratio contumeliarum quæ proficiscuntur ab irascibili appetitu, multò fortiùs prævalet in obscœnis verbis, quæ impulsu appetitus concupiscibilis proferuntur. Et sufficit accusatio in genere verborum turpium mortaliter culpabilium, sine illorum individua expressione; hoc enim propudiosum nimis foret, adeò ut quo turpiora essent verba, eo strictior incumberet obligatio eadem, utpote gravitatem culpæ augentia, iterum ad aures Confessariorum importunè repetendi: atque ita propudiosum, impudens, & periculis innumeris obnoxium redderetur Confessionis Sacramentum, esletque sacrum Tribunal odiosum, & Prætextatorum, Fescenninorumque verborum fœdissima colluvies. Omnia itaque mortalia turpiloquia, pariterque mortifera convicia in eandem singula speciem conveniunt, & omissis individuis expressionibus, sufficit horum gravium speciem cum mutantibus speciem conditionibus confiteri cum

necessariis tantummodò circumstantiis, quæ ex singularitate personæ, vel ex perversitate intentionis, vel ex scandalo, aut aliunde ducuntur.

XXI. Idem similiter asserendum de plerisque fœdis & libidinosis cogitationibus; sufficit enim earumdem generalis ac specifica accusatio, cum numero & circumstantiis speciem mutantibus: an scilicet intervenerit consensus ad actum exteriorem, an verò sola morosa delectatio absque proposito exequutionis. Item exprimendum, si sit orta pollutio ex præcedentibus, si motiones carnis ex causa voluntaria. Designandæ quoque sunt personarum qualitates istæ, si solutæ, si ligatæ matrimonio aut voto continentiæ, si spiritualiter aut carnaliter affines, si consanguineæ, quóve in gradu. Cæteræ autem multiplices ac individuantes circumstantiæ sufficiunt sub generali expressione turpium cogitationum, desideriorum, actuum, propter Sacramenti hujus honestatem; neque plura exprimi necesse est ultra species aspectus libidinosi, tactus, osculi, coïtus. Turpia verò, quæ coïtum immediatè præcessere, consentiunt unanimes Doctores, non esse necesse confiteri, cùm sint cohærentes ad actum illum ultimum dispositiones: sicut neque qui hominem occîdit, tenetur proximos ad id homicidium apparatus exprimere, quanvis seorsim spectati sint peccata mortalia, ut armorum ad id præparatio, aliique similes actus anteriores proximè ad patratum homicidium relativi. Attamen peccata contra naturam, qualis est pollutio, cùm speciem distinctam, & majorem in seipsis nequitiam præ aliis libididinibus comprehendant, si contigerint ante coïtum, confessione sunt exprimenda.

CAPUT XI.

De causis ab integritate confessionis excusantibus.

I. CONFESSIONIS integritatem distinguunt communiter Doctores in materialem & formalem. Materialem dicunt quâ ita omnia peccata exprimuntur, quorum reus est pœnitens, ut nullum prætermittatur. Formalem verò, quâ omnia peccata sua pœnitens exprimit quæ tenetur exprimere, quanvis aliqua taceat quæ hîc & nunc non tenetur exprimere. Materialem porrò non esse præceptam ad hoc Sacramentum, sed formalem duntaxat integritatem. Cúmque verissima sit doctrina ista, restat nunc investigandum, quibus casibus sufficiat formalis integritas.

II. Primus casus contingit in oblivione peccati mortalis, aut in ejus inadvertentia vel ignorantia, vel inculpabili prorsus, vel saltem non mortaliter

taliter culpabili, qualis non esset in eo qui suæ conscientiæ examen negle-xisset ante confessionem; sic enim esset ista omissionis culpa mortalis: sed si tantùm venialis negligentia intervenerit, non frustrabitur pœnitens fructu hujus Sacramenti.

III. Secundus casus est in Sacerdote, qui non potest aliquod suum peccatum confiteri nisi manifestando peccatum & peccati authorem, cujus ipse confessionem audivit: absolutè enim tenetur illud reticere, si necessi-tate urgetur confessionis, nec habeat Confessarii copiam cui sit pœnitens ignotus: sed si non urgetur præsenti necessitate confitendi, tenetur differre, atque etiam aliò proficisci ad integrè confitendum. Tertius casus est in muto nutibus confitente Sacerdoti nutus ejus non intelligenti; nam impotentia loquendi excusat ab integritate materiali. Quartus est in extraneo, cujus idioma non satis intelligitur, modò non sit copia alterius Confessarii qui ejus linguam benè intelligat. Quintus casus est quum pœnitens ex justa ratione conjectatur vel proprium, vel Confessarii detrimentum, si defi-ciente alterius Confessarii commoditate, & urgente animæ propriæ salute confiteatur reticendo aliquod mortale peccatum, ne id inde sequatur de-trimentum: ut si justa sit metuendi causa ne Confessarius ipse ex insita ma-litia aut innata levitate, linguæque incontinentia notificet id peccatum, aut odium adversùs pœnitentem, vel vindictam concipiat, aut etiam ad turpia solicitet. His enim prævisis tenetur ipse pœnitens reticere, ne pro-priam, aut Confessarii salutem prodat. Sed ubi ratione sufficienti non nititur illud judicium aut suspicio, non potest pœnitens silere aliquod mortale peccatum.

IV. Sextus casus est quum infirmus morbo laborat contagioso, nec potest à longè confessio ejus audiri; tunc enim auditis uno aut alio pec-cato, si sit grave ex diuturniori assistentia periculum, potest à Sacerdote statim absolvi, ut docent Vasquez, Coninch, Bonacina. Septimus casus obtingit quando infirmus nimis fatigatur, adeò ut ejus vires periclitentur in exactiori peccatorum explicatione, sive ipse per se admoneat, sive id prudens Confessarius advertat. Henriquez, Bonacina. Octavus casus est in mortis imminente periculo, ut incendio, naufragio, ruina: potest enim Sacerdos audito à singulis uno peccato omnibus simul unam absolu-tionem impendere dicendo: *Ego vos absolvo*. Eadem ratio est in repentina hostium irruptione. Ubi verò instat periculosus cum hoste conflictus, possunt omnes simul ostendere signa doloris de peccatis, simulque omnes aliqua peccata confiteri, & sic simul absolvi, saltem sub conditione, si talis con-fessio valeat ad Sacramentum. Sylvester in verb. *Confessio* 1. n. 23. Angelus ibid. num. 29. Reginaldus in praxi, lib. 8. n. 23. Coninch disp. 7. dub. 9. num. 74. Item quando periculum est ne confitens subitò moriatur antequam detur absolutio.

V. Utrum verò licitum sit peccatum reticere quod exprimi aliter non

possit nisi manifestando peccatum complicis, ubi non adest alius Confessarius cui complex ipse sit ignotus; duæ sunt oppositæ sententiæ, quarum Authores utrimque damnant peccati mortalis secus facientes quàm ipsi opinantur. Obligant enim in isto casu ad particularis istius peccati silentium eum qui confitetur, Marsilius in 4. dist. 16. quæ. 12. art. 4. ad 7. Armilla verb. *Circumstantia*, num. 11. Navarrus cap. 7. num. 3. Viguerius Institut. Theolog. cap. 16. §. 4. vers. 17. Ex adverso teneri pœnitentem isto casu ad integritatem materialem, docent S. Thomas opusc. 12. q. 6. & in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. ad 4. Durandus ibid. quæst. 4. lit. *V*, item S. Antoninus, Adrianus, Suarez, Coninch. Ratio primæ sententiæ est, quia ubi concurrunt opposita præcepta, quorum unum est juris naturalis, quale est de conservanda proximi fama; alterum juris positivi, ut est materialis integritas confessionis, oportet ut naturale præceptum prævaleat positivo. Ratio autem secundæ sententiæ est, quia nullus casus occurrit obligans reum ad fatendum propriùm delictum alicui judici, qui non eundem pariter obliget ad prodendum complicem, si nequeat aliter proprium delictum manifestare sufficienter, aut si de illo juridicè interrogetur. At Confessarius est judex; & circumstantia complicis est quandoque prorsus necessaria ad competentem in interiore tribunali causæ cognitionem. Socius verò delicti se huic legi per suum crimen subjecit. Cùm itaque hac in causa jus amittat ad propriam famam, sequitur per ejus manifestationem non violari jus naturale, atque ita corruit contrariæ partis argumentum. Consentiunt tamen in hoc uno oppositi Doctores ubi est alterius Confessarii copia, qui complicem non cognoscat, astringi pœnitentem obligatione recurrendi ad illum, atque ita consulendi æstimationi complicis, simulque confessionis integritati materiali.

VI. Communis olim opinio fuit, pœnitentem reservatorum casuum reum absolvi posse ab inferiore Sacerdote, & deinde remitti ad superiorem pro reservatorum absolutione directa, cùm jam esset ab inferiore ab iisdem absolutus indirectè. Sed si primùm recurrerit ad superiorem, posse ab eo ejus audiri confessionem circa sola reservata peccata, & ab hoc absolvi, & postea ad Sacerdotem inferiorem remitti pro confessione & absolutione non reservatorum. Ita censuerunt Dominicus Soto, Caietanus, Paludanus, Joannes Major, S. Antoninus, Gabriel Biel, Durandus, Angelus, Navarrus, Graffius, Emanuel Sà verb. *Absolutio*, Toletus lib. 3. cap. 8. Sed his opponuntur communiter recentiores, qui illud primum de inferiori Sacerdote jure merito negant, eo quòd careat jurisdictione circa reservata. Secundum etiam de Superiori, quia integritas confessionis citra casum necessitatis est divini ac indispensabilis juris. Ita Suarez, Vasquez, Becanus, Coninch, Laiman, Bonacina, Filliucius, aliique. Id luculenter probant verba ista Concilii Trident. sess. 14. cap. 7. *Ex ea articulum mortis Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere*

dere nitantur, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. Verumtamen in casibus necessitatis, in quibus valeret etiam dimidiata confessio, posset Sacerdos carens potestate circa reservatos casus absolvere hos quidem casus indirectè, cætera autem non reservata peccata directè. Suarez disput. 31. sect. 3. num. 2. Henriquez lib. 6. cap. 15. num. 1. Coninch disp. 8. dub. 13. num. 101. & 103. Id etiam iidem extendunt extra casum necessitatis, quando pœnitens bona fide confitetur, etiamsi Confessarius peccaret per ignorantiam aut malam fidem.

VII. Celebris agitatur inter Doctores quæstio, utrum ille possit absolvi qui Confessorem accersiri mandavit urgente mortis periculo, & antequam Sacerdos advenerit loquelam amisit, aut mente vel sensibus destitutus repentè fuerit. Negant posse eo casu absolvi Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Lopez 1. p. cap. 18. & nonnulli alii. Sed ex adverso absolvi posse affirmant S. Antoninus 3. p. tit. 10. cap. 2. circa med. Sylvester verb. *Confessio* 3. quæst. 3. Navarra cap. 26. num. 27. Bellarminus lib. 2. de pœnitentia, cap. 7. ad finem, Suarez de pœnit. disput. 23. sect. 1. num. 5. Bonacina de pœnit. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. num. 7. Coninch de pœnit. disput. 7. dub. 10. num. 97. Toletus lib. 3. cap. 8. & plerique cæteri, quibus suffragamur. Ratio est, quia impotentia dispensat ab integritate materiali confessionis; hic autem æger confessus est ut potuit in genere, se habere peccata, deque eis dolere dum petiit Confessorem, aut signa exhibuit doloris. Adest igitur qualis exhiberi potuit materia, atque ut suppono, intentio ministri & forma. Est igitur validum Sacramentum. Præterea accusatio unius peccati in genere, cujus speciei nullatenus pœnitens recordatur, & dubitat fueritne mortale, an veniale, est materia necessaria & pœnitentem obligans ad ejus in genere confessionem, ut cum Navarra cap. 10. num. 5. tenent communiter Doctores. Ergo & ista generica accusatio per signa præcedentia ægroti, qui mox loquelam aut sensum amisit, potest esse sufficiens materia ad absolutionem. Et sicut valet confessio per interpretem, ita & ista antè exhibita pœnitentiæ signa valent ad Sacramentum, si qui tunc præsentes erant, affirment & attestentur.

VIII. His adducti rationibus præallegati Doctores, Suarez aliique sapienter affirmant, Confessorem in conscientia obligari in tanto ægroti de salute æterna periculo absolutionem ei sub conditione impendere. Urgent etiam veterum Conciliorum decreta. Nam Carthaginense quartum, cui Sanctus Augustinus, sic statuit can. 7. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium qui audierint, & accipiat pœnitentiam. Et si continò moriturus creditur, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à prædictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus quandiu Sacerdos qui pœnitentiam dederit probaverit.* Hoc idem ferè sancivit

Concilium Arausicanum primum can. 12. dicens: *Subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

IX. Argumentum adversantium hoc est: Non debet quis sacramentaliter absolvi, nisi accedat peccatorum confessio, quæ nulla hîc inest, cùm peccata non magis cognoscantur quàm antè illa edita signa; scitur enim in genere quemlibet hominem esse peccatorem. Sed facilis est responsio; adest enim confessio qualis adesse in illo eventu potest: & quanvis antè hic æger agnoscebatur ut peccator, jam agnoscitur ut peccator se accusans per petitionem confessionis, aut per signa contritionis, vel præsentia, vel à circumstantibus attestata. Et aliunde ex illo qui tenetur se accusare peccati in genere, cujus speciem oblitus est, liquet genericam confessionem esse aliquo casu sufficientem & necessariam materiam sacramentalis absolutionis. Signa quæ Sacerdos potest ab ægroto expetere loqui non valente, sunt stringere expetentis Sacerdotis manum, aut oculos vel manus sursum elevare, aut pectoris percussio, aut oblatæ crucis exosculatio. Et quanvis sufficere aliquando possit præsentium hominum attestatio, conari tamen debet Sacerdos exprimere ab ægroto signa præsentia, ut communes hujus Sacramenti leges quoad fieri potest observentur.

X. Sed ubi nulla moraliter proxima signa præcesserunt petitæ confessionis aut contritionis, neque à Sacerdote perspecta, neque à circumstantibus attestata, nullatenus debet impendi absolutio ubi nulla prorsus exhibetur materia Sacramenti. Ideoque contraria opinio nihil habet probabilitatis, sed est planè improbabil. Coninch disp. 7. num. 6. Navarra in Manuali, cap. 26. num. 27. Bonacina disp. 5. quæst. 5. sect. 2. puncto 2. num. 10. Vasquez quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 36. Henriquez lib. 6. cap. 10. num. 9.

CAPUT XII.

De illorum Confessione qui venerunt ex alia diœcesi: & de Casuum reservatione.

I. SUPPONITUR in primis quod superiùs dixi, posse quem absolvi in aliena diœcesi à Sacerdote in hac diœcesi approbato. Nunc quæstio est circa reservatos in una diœcesi casus, & non in alia: ut si Titius Massilienſis commiserit peccatum ab Episcopo Massilienſi reservatum, & profectus Aquas-Sextias ad litigandum coram supremo Senatu Provinciæ ibi residente, confiteatur

apud

apud Sacerdotem diœcesis Aquis-Sextiensis, in qua ille casus non est reservatus, an possit per eundem ab illo casu absolvi? Negant posse absolvi Sotus in 4. Sentent. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Medina lib. 1. cap. 10. Graffius lib. 4. decis. cap. 18. num. 56. Sed melùs affirmant posse absolvi Cajetanus verb. *Absolutio*, Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 9. Suarez disp. 20. sect. 1. num. 4. Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 4. ad fin. Bonacina disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 2. num. 9. Quæ affirmatio duplici ratione fundatur. Primò, quia justa causæ cognitio non est adstringenda sub conditionibus impossibilibus, sic enim judicia tollerentur: sed esset conditio impossibilis, & proinde iniqua, si Confessarius quilibet astringeretur ad sciendum omnes & singulos casus reservatos in diœcesibus eorum qui ad se confessionis causâ confluunt, cùm teneatur Confessarius scire in quibus possit, vel non possit absolvere. Secundò, quia constans usus ac regula receptissima est, in omni causa delicti judicandum esse reum secundùm jura ipsius loci in quo idem judicatur reus. Authent. *Qua in provincia*, C. ubi de crimine agi oport. & cap. *Placuit*, 6. quæst. 3.

II. Hoc tamen limitatur in excommunicationibus reservatis, sive sint à jure, sive ab homine. In his enim pœnitens indiscriminatim remittendus est ad Superiorem proprium, ut ab eo legem accipiat & absolvatur, ita ut ad ipsius arbitrium proprium satisfaciat. Et quia cùm ex Nicæni Concilii can. 5. excommunicatio per proprium Episcopum inflicta, reum alliget in quamcunque se parœciam aut diœcesim transferat, quod etiam renovatur in cap. *Curæ sit*, 11. quæst. 3. si illa sit excommunicatio ab homine seu judice, nullus alius Episcopus poterit ab ea solvere, nisi ejus judicis, à quo lata est, Superior, ut est respectu Suffraganeorum Metropolitanus, sed in solo appellationis casu; citra verò appellationem Papa, vel Legatus. Sed si censura reservata, quam pœnitens incurrit, lata sit à jure, distinctione opus est: vel enim Sacerdos judicaturus hunc alienæ diœcesis pœnitentem, habet ab Episcopo proprio, vel à Papa potestatem absolvendi à censuris, sive in ipsa diœcesi, sive generaliter ac sine præfixione reservatis; & his casibus poterit absolvere his irretitum diœcesanum alienum sibi confitentem, modò parti læsæ aut Ecclesiæ pro delicti qualitate satisfaciat, quemadmodum posset legitimè proprium condiœcesanum in pari causa solvere à censura.

III. Circa reservata hoc pariter observandum: Si contingat ut quis oblitus alicujus peccati sui reservati, absolutus in confessione ab eo fuerit qui facultatem obtinuerat absolvendi à reservatis, idem pœnitens in alia confessione poterit absolvi ab iisdem casibus reservatis per alium Sacerdotem approbatum, etiamsi facultate careat absolvendi à reservatis. Nam absolutio collata antè à Confessario facultate circa reservata munito abstulit reservationem, quatenus idem absolverat quidem directè à confessis non reservatis; sed (cùm gratia Sacramenti dimidiari non possit, simul-

que

que omnia mortalia peccata deleat) idem absolverat indirectè à non confessis, in quibus erant casus reservati. Ita docent Sanctus Antoninus, Cajetanus, Sylvester, Navarra, Suarez. Idemque communiter Doctores affirmant de illo qui reservata quidem confessus est, & cui absolutionem pronunciavit Confessarius habens ci[illegible]ervatos casus facultatem; sed ipse pœnitens sine mala sua fide erat anim[illegible]capax ad gratiam & absolutionem Sacramenti. Hic enim confitens postmodùm alteri carenti facultate circa reservata, poterit per eum validè absolvi, juxta S. Antoninum 3.p. tit.14. cap.19. Cajetanum verb. *Casus*, Angelum, Armillam eod. num. 4. Sylvestrum verb. *Confessio* 1.num.21. Suarez disp.31. sect.4. n.9. Coninch disp.8. dub.12. num.91. 92. 93. qui hoc affirmant non solùm in confessione facta ordinario Superiori, sed etiam Sacerdoti habenti hanc potestatem delegatam. Et his innituntur rationibus: Tum quia talis pœnitens satisfacit reservationis fini, qui alius non est quàm ut Superiori se præsentem sistat, à quo possit meliùs dirigi & monita salutaria cum pœnitentiali satisfactione suscipere: at verò pœnitens iste hæc præstitit, atque ita ablatâ causâ reservationis tollitur effectus, hoc est ipsa reservatio. Præterea sic absolvens intendit absolvere quantum fieri potest secundùm præsentem confitentis dispositionem, quæ quidem est incapax absolutionis à peccato, sed est capax absolutionis à reservatione. Tertiò, quia cùm tam multi atque adeo graves Authores hoc asserant, nec Superiores ac Prælati Ecclesiæ ullatenus contradixerint, censentur consentire.

IV. Licèt autem prædicti Authores absolutè loquantur, his tamen adjungendum censui, necesse esse ut pœnitens, quantumvis aliunde indispositus, accedat cum bona fide, hoc est sciens & volens non abutatur confessione. Nullatenus enim præsumi debet, Superiores velle favoribus prosequi eos qui animo sacrilego & cum aperta malignitate Sacramentis abuntur: ut enim sancitur in l.177. D. de regul. jur. nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. Atque cap. *Si vir*, de cognat. spirit. Nemini sua fraus patrocinari debet, vel dolus.

CAPUT XIII.

De Opinione probabili.

I. PRÆSUPPONENDUM est, variè quidem accipi nomen Conscientiæ; sed quod ad præsentem disquisitionem attinet, conscientiam esse judicium, quo aliquid bonum aut malum esse judicamus. Etsi enim lex, sive naturalis, sive positiva, sive divina, sive humana, sit prima sive bonitatis, sive malitiæ operationum

rum noſtrarum regula ; at proxima regula eſt ipſum conſcientiæ judicium, ſeu rationis dictamen proponens voluntati objectum tanquam honeſtum vel turpe. Porrò conſcientia iſta , ſeu rationis judicium variè diſtinguitur : Ivel enim rectè judicat , & dicitur Conſcientia recta : vel errat , & dicitur Conſcientia erronea : vel neque aſſentit , neque diſſentit , & dicitur dubia Conſcientia : vel aſſentit quidem uni parti , ſed cum formidine circa partem oppoſitam, & dicitur Conſcientia opinans : vel nullum præbet aſſenſum, ſed tamen magis in unam partem inclinat quàm in alteram , & dicitur ſuſpiciosa : vel ducitur in formidinem ac vehementem apprehenſionem peccati , ſed tamen ex levibus fundamentis , quæ vir prudens ſpernenda eſſe judicet ; & dicitur Conſcientia ſcrupuloſa , quæ quidem ut rectificetur , quantumcunque formidet , aut violenter aliquid apprehendat , debet firmum judicium cohibere , & ſibi tanquam incapaci recti judicii diffidendo , aliorum prudentiorum doctrinæ ac judicio ſe committere & obtemperare , ut omnes Theologi Scriptores conveniunt. Itaque ſcientia aut fides habet firmum aſſenſum ; opinio habet aſſenſum non planè certum ac firmum , ſed cum formidine oppoſiti : ſuſpicio nullum præbet aſſenſum , ſed magis in unam quàm in alteram partem propendet. Dubium quoque expers ita eſt omnis aſſenſus , ut ſit in æquilibrio , nullamque in partem magis aut minùs inclinet. Fides igitur , ſcientia & opinio aſſenſum habent ; ſuſpicio autem & dubium aſſenſu vacant. Atque ſuprà memoratæ diſtinctiones iſtæ ab omnibus admittuntur.

II. Scientia , opinio & dubium diſtingui ſolent in ſpeculativa & practica. Speculativa dicuntur quando intellectus in communi dictat ut certum , vel opinatur , vel dubitat aut ſuſpicatur aliquid eſſe licitum aut illicitum. Practica quando in ſingulari , ſeu hic & nunc , ſeu perpenſis particularibus circumſtantiis intellectus judicat aliquid ut certum , vel opinabile , vel dubium. Ex ſcientia , vel dubio , vel opinione , vel ſuſpicione ſpeculativis oriuntur ſcientia , vel dubium , vel opinio , vel ſuſpicio practica ; valet enim ductum argumentum ab univerſalibus ad ſingularia ſub illis comprehenſa , niſi aliqua ratio ſpecialis aut particularis conditio judicium practicum à ſpeculativo faciat differre , judicando propterea hic & nunc licitum quod in communi judicatur illicitum , aut de eo dubitatur. Itaque quando adeſt ſcientia , opinio ſeu dubitatio ſpeculativa , licitum eſt quandoque contrarium operari , eo quòd adſit cognitio practica ſuadens oppoſitum hic & nunc ex ſpeciali circumſtantia. Hoc modo ſciens ſpeculativè non licere in feſtis ſervilia exercere , poteſt practicè formare conſcientiam , ſibi hoc licere , quia egeſtate premitur. Similiter dubitans ſpeculativè , an hæc res ſit ſua , poteſt practicè non dubitare , licere ſibi eam retinere , eo quòd poſſideat , & in dubiis melior ſit poſſidentis conditio. Unde conſtat id quod in communi eſt illicitum , aliquoties in particulari eſſe licitum ratione ſpecialis circumſtantiæ. Sic docent Caietanus

opusc. 17. respons. 13. dub. 7. Medina de restitut. quæst. 17. §. *Aliter tamen*. Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. *Imò verò*: Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 8. idem in Decalog. lib. 1. cap. 9. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 5. num. 14. Vasquez in 1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 65. cap. 1. num. 2. * Sylvius in 1. 2. quæst. 19. art. 8. conclus. 3. quo loco negat in dubiis eligendam esse tutiorem partem, dum tuta & probabilior apparens eligatur, addens prævalere debere hasce juris regulas: *In pari causa potior est conditio possidentis*: & *Cùm partium jura sunt obscura, reo potius favendum est quàm actori*. Aut si partem unam esse consectandam suadeat vitatio gravis damni in oppositum sequuturi, &c. Hæ namque rationes pondus augent; multasque & graves adducit Doctorum authoritates ad hoc ut sufficiat possidenti discutere, num ad oppositam partem aliqua illucescat certitudo, quâ non apparente, securè in pristina possessione persistet. Addit tamen contra Covarruviam, quod infans repertus expositus non potest licitè ordinari, nisi accedat debita dispensatio, quia rarissimè exponuntur legitimè nati, spurii autem frequenter.]

III. Res ita diversæ sunt, opinionem esse probabiliorem, aut esse tutiorem, ut opinio probabilior possit esse minùs tuta, & opinio tutior possit esse minùs probabilis. Tutior enim ea dicitur quæ à periculo peccati remotior est; probabilior autem quæ fortioribus innitur fundamentis. Ut si controversia sit, an aliquid liceat, vel an ad aliquid obligemur, opinio negans licere, & dicens nos obligari, est tutior, etsi minùs probabilis, si debiliori fundamento innitatur.

IV. Quando post adhibitam diligentem inquisitionem, quam ego post sapientiores & graviores Doctores contra quosdam neotericos prærequirendam & necessariam ad hoc existimo, ut quis prudenter & tutâ conscientiâ possit judicare & agere, si nihil certi & planè perspecti (quod frequenter in rebus humanis occurrit) compareat, tunc, & non aliàs potest quis agere ex opinione probabili. Conclusio ista est contra Fagnanum in cap. *Ne innitaris*, de constitut. num. 59. qui in morali quacunque materia negat licitum esse opinari, eo quòd opinio (sic enim argumentatur) versetur circa rem incertam, & ei conjuncta sit formido oppositi; ipse verò constanter affirmet necessariam esse in omni actione morali certitudinem, sine qua nemo potest agere nisi cum peccato, ob periculum cui se exponit, quemadmodum & omnis agens cum conscientia dubia. Verùm superiùs ostendi latum discrimen quod intercedit inter conscientiam probabilem atque opinativam, & inter dubiam: & ita subvertitur ejus fundamentum. Quin etiam illa moralis certitudo, quam ipse circa incertam materiam minùs cautè exigit, reipsa nihil differt nisi verbis ab ipsa, quam amoliri nititur, probabili opinione; cùm post illam omnem quam exigit cautionem in illa quam supponit certitudine morali, adhuc permaneat illa ipsa, quam tantoperè aversatur, formido circa oppositum.

V. Ille

V. Ille utique Doctor plus exigit in actibus humanis quamplurimis quàm permittit humana & inculpabilis ignoratio circa res, quarum certam notitiam Deus conferre homini noluit. Illa verò quam effingit moralis certitudo nulla est. Etenim ut quis rem aliquam ita se habere certò & citra omnem in oppositum suspicionem sibi certò persuadeat, debet niti certo fundamento, certaque ac infallibili ratione, non quidem mathematicâ, quæ omninò aliter nunquam se habere queat, sed morali tamen quæ sit prudentiæ conformis, ita ut animus rationabiliter circumspectus & prudens judicet rem juxta communes & frequentissimas occurrentias aliter esse non posse, neque prudenter pertimescendum in re præsenti oppositum. At verò in illa quam dicit Fagnanus morali certitudine, imprudenter judicaret qui omnem contrarii metum aut suspicionem dimovendam judicaret. Assumere enim rem de se incertam, sibique velle persuadere quod certa sit; & super falsa ista persuasione velle fundare moralem aliquam actionem, est propriè assumere pro fundamento circa moralia errorem & falsitatem: quod sanè est omni rationi & rectitudini, ac ipsi bonæ fidei legique æternæ ex diametro oppositum. Illa namque fictio intellectus seipsum fallere conantis, sibique persuadere quod res aliqua certa sit, quam tamen non potest secundùm rationem aliter quàm probabilem judicare, non excludit formidinem de oppositio, quandoquidem ipsa potest aliter se habere, ut omni rectè judicanti compertum est, ipseque Fagnanus cogitur fateri. Ergo illud quod hìc astruit de morali certitudine judicium, est necessariò irrationabile, imprudens, & à rectitudine devians.

VI. Id quod est solummodò probabile, non potest rectè judicari certum, sed probabile, idemque opinabile, juxta receptam ab universis Theologis Aristotelis doctrinam, qui passim probabile judicium vocat Opinionem, atque adeò cap. 1. lib. 1. Topicorum, quinquies usurpat opinabile pro eo quod est probabile, vocans probabile ἔνδοξον, idest opinabile, deducto nomine à radice δόξα, quod opinionem significat. Quinetiam prudentiæ virtus, circa quam maximè versatur morum disciplina, pro suo respicit objecto res ipsas opinabiles, quæ aliter se habere possunt, eodem Aristotele teste lib. 6. Et hic. ad Nicomach. cap. 5. his verbis: *Omnino prudens est qui ad consultandum est aptus; consultat autem de iis nemo, quæ aliter se habere non possunt: & de iis quæ sunt necessariò, consultatio fieri non potest.* Deinde sic prosequitur: *Cùm autem duæ sint animæ partes rationem habentes, alterius erit ipsa prudentiæ virtus: ipsius, inquam, opinativæ partis; nam opinio circa id versatur quod aliter se habere potest, & ipsa prudentia.* Hæc Aristoteles, qui distinxerat paulò antè prudentiam à scientia. *Quia* (inquit) *scientia quidem est cum demonstratione; quorum autem principia se aliter habere possunt, eorum non est demonstratio.* Ita Philosophus.

VII. Nullatenus licet ex duabus opinionibus oppositis, quarum sin-

gulæ sint probabiles, illam præferre quæ ipsi eligenti minùs probabilis existimetur, probabiliore relictâ. Hoc docent S. Antoninus 1. parte, tit. 3. cap. 10. §. 10. regul. 4. Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 2. in 3. probatione 1. conclusionis. Sylvester verb. *Dubium*, quæst. 2. Conradus de contractibus, tract. 7. quæst. 110. concluſ. 1. Corduba in suo Quæstionario, lib. 2. quæst. 5. Martinus Navarra in Summa Hispanica, cap. 28. addit. ad num. 183. capitis 27. ut citat contrariæ opinionis assertor Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 9. num. 13. illam enim Summam Hispanicam nunquam in manu habui. Hæc doctrina est contra Sanchez loco cit. & Bonacinam de legib. & peccatis disput. 2. quæst. 4. puncto 9. num. 4. Medinam in 1. 2. quæst. 19. art. 6. Suarez 5. tomo in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 6. Vasquez in 1. 2. quæst. 19. disp. 62. cap. 4. Petrum Navarram lib. 3. de Institution. cap. 1. dub. 13. num. 237. Nostræ hujus conclusionis ratio est, quia omnem rectam & honestam operationem necesse est consequi ex recto & justo, quod præcesserit, judicio. Intellectus enim cujus objectum est veritas, prælucet voluntati ad omnem moralem actionem, ut passim docent Atistoteles & D. Thomas. Est ergo veritas in primis investiganda antequam voluntas sese moveat ad agendum, ut præcipitur Ecclesiastici 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* At verò quisquis ab ea, quam probabiliorem judicat, recedit opinione, ut minùs probabilem sectetur, sponte ac propria electione recedit ab eo quod judicat propiùs ad veritatem accedere, hoc fine & intentione, ut oppositæ parti adhæreat, quam judicat à vero remotiorem, atque perversa intentione agit, & sciens ac volens se in majus erroris periculum agit præcipitem, & adversùs propriam conscientiam rebellat, quod sine peccato fieri nequit. Eadem ratione Judex suo prævaricatur officio, si sponte causam adjudicet Parti cujus videt jus esse minùs probabile: & Medicus, si cæteris paribus circumstantiis recuset remedium efficacius, quod habet ad manum, ut aliud ægroto adhibeat, quod minùs probabiliter proderit: item is à quo petitur consilium, si supprimens probabiliorem quam ipse judicat opinionem, pro ea parte consulat quæ sibi minùs videtur probabilis; in his quippe omnibus insincerè & contra bonam fidem proceditur, atque à recto scopo voluntariè aberratur, majusque periculum præ minori eligitur.

VIII. Ubi verò æqualis ex utraque parte probabilitas apparet, adhibenda est diligentior discussio, adhibendæ quoque devotæ ad Deum preces, qui est Pater luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum. Jacobi 1. A quo si nulla illustratio, aut specialis inspiratio obtineatur, tum demùm pars eligenda est quæ tutior videtur, aut quæ graviores habet Authores ac assertores. Huc omnes unà conspirant graves Authores præter Fagnanum, qui omnem ubique aversatur opinionem, ut suam ubique astruat, quam vocat moralem certitudinem, ad

d. cap.

d. cap. *Ne innitaris*, num. 123. de constitut. Ad ejus autem argumentum, quod judicare de probabilitate non sit idem ac judicare de veritate, quoniam sæpe contingit ut quod reipsa falsum est, sit tamen secundùm hominis judicium probabile, unde facilè nascitur error circa veritatem, stante judicio probabilitatis ac verisimilitudinis; & quod æqualiter ex utraque parte dici probabile potest, non possit esse ex utraque verum, quandoquidem impossibile est ut contradictoriæ propositiones sint ex utraque parte veræ, quanvis nobis ambæ videantur etiam æqualiter probabiles: quo fit ut post judicium probabilitatis supersit dubium de veritate, quæ quidem, ut vidimus, est quid distinctum ab ipsa probabilitate; quisquis autem in dubio veritatis se determinat ad aliquid, esto habeat certum judicium de probabilitate, non tamen per hoc habet certum judicium de rei veritate, sed dubius & anceps fluctuat de veritate: quinimò si velit de rei veritate ex ea, quæ sibi videtur, probabilitate judicare, & tamen parem utrobique inesse probabilitatem judicet, multò minùs habebit unde seipsum in alteram partium determinet, sive quoad ipsam probabilitatem, sive quoad intrinsecam rei veritatem; quia cùm æqualiter utramque in partem propendeat, necesse est eum æqualiter dubitare, nec potest se etiam ad opinandum, & multò minùs ad certum judicium ferendum determinare: & si velit in alterutram partium, quas æqualiter videt esse probabiles, determinare seipsum, adversabitur proprio judicio, seque temerè effundet in alteram partium, dum conscientiam habet æqualiter dubiam; & consequenter se peccato temerè implicabit, quod inseparabiliter dubiam conscientiam operantem comitatur. Respondemus ad hæc, aliud juris esse quando nulla est necessitas se ad alterutrum determinandi; aliud autem quando occurrit ratio & via se expediendi aliunde. Quemadmodum enim imprudenter agit peregrinus in bivio positus & æqualiter dubitans utra pars bivii eò ducat quò pervenire intendit, si temerè statim se uni viarum committat, quando paulisper differendo spes est occursus alicujus hominis à quo edoceatur; sed idem imprudentiùs aget si nulla talis spes affulgeat, neque valens retrocedere, sive ob itineris longinquitatem, sive ob occurrentia retrò præcipitia aut periculosa torrentium aut fluminum vada nocte trajicienda retrocedenti, atque in hac ænbiguitate positus præeligat ibi in bivio consistere, noctemque hibernam, hoc est longissimam & frigidissimam, impastus sub dio transigere, quàm se incertæ, & tamen probabili viæ cum dubio committere. Itaque in ambiguis & æqualiter incertis nemo se prudenter determinabit ad alterutrum, si id evitari possit; sed si prorsus necessarium ac inevitabile sit ut se determinet, suadet Christiana prudentia ut id eligatur, vel quod est probabilius, vel quod est æquè probabile, cùm nihil aliud possibile occurrat; non tamen ut eligatur illud quod est minùs probabile. Si verò insistas, existere peccatum ubi quis animo dubius alterutrum eligit: id ita esse nego in casibus inevitabilis necessi-

tatis; huc enim peccatum nullatenus pertingit, modò adsit bona hominis intentio: neque causam habet sive credendi, sive dubitandi quod peccet, sed potiùs certitudinem quod in his rerum circumstantiis nullatenus peccet. Deus enim impossibilia non jubet, neque ullam inducit peccandi necessitatem. Sic quippe decernit Concilium Trident. sess. 6. de justificatione, can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* His concordat utraque Jurisprudentia, Impossibilium obligatio nulla est, l. *Impossibilium*, D. de regul. jur. cap. *Erit autem lex*, dist. 4. l. *Titius*, §. fin. D. de excusat. tutor. l. *Quæ sub conditione*, §. *quoties*, D. de condit. instit.

IX. Præterea jura ipsa in rebus lege non definitis permulta relinquunt Judicis arbitrio, ut suam, dum sit probabilis, sequatur opinionem, cap. *De causis*, §. *Illis etiam*, de offic. delegat. & l. 1. §. 1. D. de jure deliber. cum multis similibus. Sed maximè urget cap. *Inquisitioni*, de sent. excommunic. ubi Papa tria decernit. Primò, si uxor certò sciat impedimentum proprii matrimonii, quod tamen ipse nullâ ratione possit probare, ipsam teneri abstinere ab omni carnali commercio, & potiùs humiliter excommunicationis sententiam sustinere, quam ipsi non obedienti infligit Ecclesia, apud quam non potest illud impedimentum probare, quàm peccare mortaliter per consensum ad conjugale commercium. Secundò, si uxor ex levi credulitate existimet inesse impedimentum, debere ex sui Pastoris consilio illam levem ac temerariam credulitatem abdicare, & posse non solùm reddere, sed etiam petere debitum conjugale. Tertiò, si probabilis & discreta sit illa uxoris credulitas, eo casu posse ab ea reddi debitum, non tamen exigi, ne peccet contra propriæ conscientiæ judicium. Prima harum definitionum docet, non licere aliquid agere contra propriæ conscientiæ certum judicium. Secunda, non esse habendam scrupulosæ conscientiæ rationem. Tertia, non esse procedendum adversùs opinionem probabilem, quam vocat ibi Papa credulitatem probabilem & discretam, cum hac tamen moderatione, ne alterius jus offendatur. Ergo ubi nihil supersit certi, necesse est adhærere probabili opinioni. Atque ita docent S. Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. reg. 4. & Angelus & Sylvester in verb. *Opinio*, Martinus Navarra in Manuali, cap. 27. num. 281. 282. & seq. aliique graves Scriptores. Et S. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 4. ad 2. sic dicit: *Prudentia magis convenit cum arte quàm habitus speculativi, quantum ad subjectum & materiam: utrumque enim est in opinativa parte animæ, & circa contingens aliter se habere.*

X. His ita suppositis & probatis, Confessarius jure merito potest absolutionem recusare pœnitenti sic affecto, ut sciens alteram opinionem esse probabiliorem, & tutiorem, eligat tamen agere secundùm eam, quam ipse pœnitens existimat minùs probabilem, & minùs tutam: quandoquidem, ut superiùs dixi, agit contra propriam conscientiam, seque

libens

lubens exponit peccati periculo, imò peccat contra rectam judicii regulam. Sed si pœnitenti persuasum non sit esse majorem in opposita opinione probabilitatem, & securitatem, non debet Confessarius illum ad oppositam, quam tenet, opinionem adigere, nisi Confessario compertum sit, illam pœnitentis opinionem esse improbabilem; quo casu indebitè ageret Confessarius illum absolvens, quem videt aut judicat esse incapacem. Sed si in materia non omninò certa agnoscit Confessarius opinionem illam, præ qua pœnitens non agnoscit probabiliorem, esse verè probabilem, non debet illum dimittere non absolutum. Ratio est, quia in pari causa Confessarius alterum condemnaret, simulque sibi blandiretur ac indulgeret; cùm propria opinio, quam vult esse probabiliorem, possit alteri perito & probo judicari minùs probabilis, & opposita probabilior. Si itaque judicat Confessarius oppositam pœnitentis opinionem esse probabilem, videtque eundem nullam agnoscere probabiliorem ac tutiorem, incurret Confessarius in illam Scribarum & Pharisæorum condemnationem: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Matth. 23. Et si Confessario istiusmodi jus competeret erga suum pœnitentem, idem Confessarius dum vicissim confitetur, & pœnitentis vicem agit, posset ab alio, cui confitetur, Sacerdote oppositam opinionem sequente adigi ad abjurandam propriam illam opinionem, etsi hactenus illam existimaverit esse probabiliorem. Huc pertinet laudatissimus ille canon *Alligant*, 26. quæst. 7. Non tamen omnem Sacerdotem in prædicto casu recusantem absolvere, protinus insimulandum duxerim mortalis culpæ; nam bona fides, pia intentio, præoccupatio opinionis quæ multùm invaluit, inadvertentia quoque & ignoratio venialis possunt à mortali excusare Sacerdotem. Sed ejusdem pervicacia esset mortaliter criminosa, si per eam periclitaretur salus æterna pœnitentis, & locus daretur Apostolicæ querimoniæ 1. Cor. 8. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

XI. Quando tamen ex oppositis opinionibus una quidem tutior est, sed altera probabilior, licitum est sequi probabiliorem, quæ hoc ipso tuta est & secura. Cùm enim ad rectè agendum requiratur præcipuè veritas atque erroris fuga, inde fit ut major probabilitas in re ambigua sit præferenda, quia magis accedit ad scopum veritatis. Hoc docent Sylvester in verb. *Opinio*, num. 1. & clariùs in verb. *Dubium*, quæst. 2. num. 2. verbis istis quæ nostris conclusionibus conformantur: *Si detur casus, quod opinio securior sit minùs probabilis notabiliter, non est eligenda necessariò, quia cessat ratio dubii. Si autem probabilitas hinc inde esset æqualis, tutior eligenda est necessariò, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis.* Hæc Sylvester. Navarra quoque illud juris axioma, *Tutior pars in dubio est eligenda*

genda, judicat valere quidem in eo quod est propriè dubium ; sed prævalere in opinando & agendo probabilitatem, sive à ratione, sive à sufficienti authoritate ductam. Nav. cap. 27. num. 283. & S. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. de Conscientia, regul. 4. negant esse semper imperandam tutiorem viam. Quin etiam Fagnanus ipse (quod mirum sit) tam infensus probabilium opinionum hostis ultrò tandem fatetur in cap. *Ne innitaris*, de constitut. num. 225. licere sequi etiam opinionem probabiliorem, quando contraria est tutior, eo quòd vehemens ex tali probabilitate opinio pro certitudine habeatur ; sicque ibidem adjungit, eum qui existimat probabiliorem esse opinionem, quam docent Sanctus Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Adrianus, Turrecremata, S. Antoninus, Sylvester, Covarruvias, Navarra, aliique, non esse necessariò exprimendas circumstantias notabiliter aggravantes in confessione, posse contrariam (quanvis sit tutior) opinionem neglectui habere, quanuis eam propugnent Antissiodorensis, Alensis, Marsilius, Caietanus, Victoria, Sotus, Suarez, Coninch, & plerique alii. Addit Fagnanus sententiam Divi Thomæ hanc esse, non teneri eum qui mortaliter peccavit, confiteri statim habitâ Confessoris copiâ, nisi in quibusdam casibus ubi subest grave & urgens periculum. At Hugo à S. Victore, & Sanctus Bonaventura contrarium docent. Opinio S. Thomæ videtur probabilior simul & communior ; opposita verò tutior est. Is ergo qui magis probat opinionem priorem, potest eam sequi, rejecta tutiore, sed minùs probabili oppositâ sancti Bonaventuræ sententiâ. Hoc exemplum profert S. Antoninus loco cit. & approbat cum eo Prosper Fagnanus num. 227. Quin etiam Concilium Triburiense can. 48. qui citatur in Decreto, can. fin. 30. q. 3. nihil ausus generatim definire, eo quòd multi contrariam sequerentur opinionem, ut ipsum testatur Concilium ; providet nihilominus ut conjuges de quibus incertum erat an validè contraxissent, contracto antea matrimonio liberè utantur. Contraria quidem de nullitate opinio tunc temporis erat tutior, sed istam de validitate Patres Synodi existimarunt probabiliorem.

*XII. His subjiciendum duxi locum Francisci Sylvii eruditissimi Commentatoris Summæ Theologicæ D. Thomæ, in 1. 2. quæst. 19. art. 5. concl. 3. tum ob authoritatis ejusdem additamentum, tum quia alias obiter resolvit difficultates in praxi occurrentes. Hæc ejus verba sunt : Petes utrum hæc regula Juris, *In dubiis eligendam esse tutiorem partem*, vera sit absque exceptione ? Respondeo : Negativa verisimilior est, quando enim contingit utramque dubii partem esse tutam, non videtur esse necessarium quod eligatur ea quæ est tutior. Ac rursum quando ad sequendam partem minùs tutam invitat aut hæc regula Juris, *In pari causa potior est conditio possidentis* : aut ista, *Cùm partium jura sunt obscura, reo favendum est potius quàm actori* ; aut idem suadet evitatio gravis damni, quod incurreret vel inferret

inferret is qui partem tutiorem sequeretur, non est necesse illam sequi, uti neque si pars illa, quæ judicatur tuta, sit probabilior tutiore alterâ, quemadmodum colligi potest ex Sylvestro verbo *Dubium*, quæst. 2. Medina hujus quæstionis art. 6. dubitat. 4. concl. 3. Sayro lib. 1. Thesauri, cap. 13. Hallo lib. 2. cap. 3. Pesantio hujus quæstionis art. 6. dub. 4. & 5. Suar. tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 5. & 6. Unde si quis agrum possideat, qui ab alio revocetur in dubium, debet quidem possessor diligenter examinare, sitne ager iste suus, an alterius? Manente tamen dubio non tenetur agrum alteri abdicare, quanvis hoc tutius foret; sed eum retinere, ac illo uti potest. Et similiter quando dubitatur de aliquo, sitne legitimus, an spurius; neque potest certò cognosci quod sit spurius, sed remanet dubium etiam post adhibitam diligentiam, ipse potest se habere pro legitimo, & hæreditatem adire tanquam legitimus, quemadmodum ostendit Sayrus d. cap. 13. imò & Ordines suscipere; quanquam consultius foret dispensationem petere, quam in tali casu posse Episcopum concedere tradit Covarruvias ad Clement. *Si furiosus*, part. 1. num. 9. & Suarez disp. 5. sect. 4. in 3. part. tom. 5. Et ex his quidam inferunt, expositum de cujus parentibus dubium est, habendum esse pro legitimo, etiam ad Ordines suscipiendos: quod quidem si constiterit, natum esse in matrimonio legitimo, solùm autem dubitetur, an de illo natus sit, facilè admittimus: si autem non sciatur, utrum in matrimonio natus sit, Covarruviæ dicto num. 9. Alfonsi Vivaldi tit. de illegitimitate, & aliorum sententiæ accedimus, existimantium quod non possit ordinari absque dispensatione saltem Episcopi. Cùm enim frequentius sit quod illegitimè nati exponantur quàm legitimi, major præsumptio est quod qui fuit ita expositus ut ignoretur quomodo sit natus, utrum in matrimonio, an extra; utrum ex conjugatis, an ex solutis, sit natus illegitimè, quàm quod legitimè. Hæc Sylvius.

XIII. Quivis Confessarius absolvere debet eum pœnitentem, qui non vult ab opere abstinere, quod secundùm probabilem piorum & doctorum aliquot hominum non reprobatam in Ecclesia authoritatem est licitum, quanvis juxta probabilem pariter aliorum authoritatem, quam ipsemet sequitur Confessarius, habeatur minùs probabilis, ut ostendunt graves Theologi & Canonistæ. Medina in 1. 2. quæst. 19. art. 6. Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Navarr. cap. 26. num. 4. Sylvius suprà citatus, aliique insignes. Neque verò inde sequitur, posse quemquam operari contra suam conscientiam, quia hæc non sunt eadem, aliquem agere erga alterum bona fide & probabili opinione nixum, atque ita qui hac in re nullum ponit obicem sacramentali absolutioni; & agere sponte sua, absque ulla ad alium secus liciteque opinantem relatione. Esto aget Confessarius erga alterum non secundùm propriam opinionem, non tamen contra propriam conscientiam, quia judicare debet esse illum hîc & nunc & practicè capacem absolutionis, & cùm nullum absolutioni ponat obicem,

injuſtum eſſe ſi velit illum benè in ſuo ſenſu morali fundatum ad ſuam, ideſt Confeſſarii adigere opinionem. Eſt verò D. Thomæ, aliorumque Theologorum communis & approbatiſſima ſententia, illicitum eſſe agere contra dubium ſpeculativum in communi, ſed plerumque occurrere obligationem conſentiendi in oppoſitum, ob certas occurrentes circumſtantias, quæ actum reddunt rationi conſentaneum. Præſcribat ſibi quiſque quaſcunque libuerit auſteræ vitæ leges: caveant tamen tetrici iſti cenſores aliorum apud Deum licitam libertatem tyrannicè opprimere; conſiderentque, cùm ipſis ſibi opus ſit pœnitentium vices ſubire, aliiſque Sacerdotibus interdum ſe abſolvendos ſubjicere, moleſtè laturos ſi pari jure & poteſtate compellerentur propriam illam abrogare opinionem, quam aliis ingerere volebant, ſi Sacerdos cui ſe ſubjiciunt, cogere illos attentaret ad ſuſcipiendam contrariam probabilitatem, cui renunciare ſuos ipſi pœnitentes indebitè compulerant. Huc pertinet lex illa Evangelica Luc. 6. *Eadem menſura, quâ menſi fueritis, remetietur vobis.* In univerſum porrò admonemur ſacris Canonibus, cap. *Per tuas*, il 2. de ſimonia, & cap. *Inquiſitioni*, de ſent. excom. nullatenus fas eſſe contra conſcientiæ dictamen agere, niſi poſt ſincerè depoſitum dubium vel contemptum, tametſi non diſcuſſum ſcrupulum.]

XIV. Hoc tamen conſtanter obſervandum, quod ubi Sacramenti alicujus conficiendi valor periclitaretur, aut alicujus animæ ſalus, tutior pars ſemper eſt eligenda. Ideoque in cap. *Veniens*, de Presbytero non baptizato miniſt. cùm quis omnibus Ordinibus, ipſoque Sacerdotio initiatus comperiſſet ſe non fuiſſe baptizatum, ideoque Baptiſmum poſt Sacerdotium ſuſcepiſſet, graviſque ideo eſſet diſputatio utrimque rationibus multis agitata, utrum ille Ordines validè ſuſcepiſſet ante Baptiſmum, proteſtatur Papa hunc eſſe dubitabilem caſum, ſed id tamen agendum quod tutius eſt; ideoque mandat ut per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium vir ille promoveatur. Aitque cap. *Eccleſiæ*, de conſecrat. diſt. 1. *Eccleſia, vel Altaria, quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur.* Et Synodi Quiniſextæ canon 8. *Quoties* (ait) *non inveniuntur teſtes firmi, qui citra omnem dubitationem affirment infantem eſſe baptizatum, debet ſecundùm veterem & canonicum uſum citra omnem hæſitationem baptizari.* Sanctus quoque Gregorius Magnus lib. 12. epiſt. 37. ita ſcribit: *Hoc ritè tenere debetis, quod & nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ut quoties tam de Baptiſmo aliquorum, quàm de Confirmatione, quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis, nec teſtibus certa ratio habetur, ut baptizentur tales, vel confirmentur, atque Eccleſiæ canonicè conſecrentur, ne talis dubitatio fidelibus ruinam faciat: quoniam non monſtratur iteratum, quod certis indiciis non oſtenditur ritè peractum. Hæc nos vobis tenere, & mandare docemus.* Quæ de Baptiſmi, Confirmationis & Eccleſiarum conſecrationis incertitudine providit Sanctus Gregorius Papa, hoc idem docet de collatione Ordinum dubia & incerta

Sanctus

Sanctus Raymundus lib. 3. Summæ, tit. de ætat. ordinand. §. 1. Item si Sacerdos in dubia & incerta materia, putà in pane hordeaceo consecraverit, aut si quis in aqua distillata (quæ dubia quoque materia est) baptizaverit; docent unanimes Doctores universi, baptizandum esse denuò, vel consecrandum.

XV. Probabilitatum fontes geminos communiter indicant Doctores, vel enim ex ratione dimanant, eaque probabilitas dicitur interna; vel ex assentium numero & authoritate, quam vocant externam probabilitatem. Probabilitas ista quæ ab authoritate sumitur, debet proficisci à viris pietate, eruditione & prudentiâ eximiis, quales difficilè reperias in illa Scriptorum caterva, quæ ante annos circiter triginta ut densissima nubes locustarum sese quaquaversum effudit, criminosarumque opinionum portenta dissemavit, quibus eorum Authorum quilibet magnam & in tuto positam probabilitatem vel suo unius suffragio, authoritateque se conciliare præsumebat: imò jactabat sibi genus humanum vinculo amplissimæ beneficentiæ astrictum ob sublata peccata mundi; quia quæ olim habebantur pro criminibus, suæ authoritatis pondere reddidisset licita & honesta; viamque illam arctam & arduam quæ ducit in cœlum, in amplissimam aream & planitiem converteret, quà tutò & indiscriminatim universi absque ulla difficultate in cœlum devenirent, solis exceptis qui tantum beneficium non agnoscerent, divinasque istas probabilitates non exoscularentur, quorum dumtaxat est desperata salus, & certissima damnatio. Istis cæcis ducibus, eorumque sectariis ad amussim quadrant Isaïæ istæ querimoniæ cap. 30. *Populus ad iracundiam provocans est, filii mendaces nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Et his conveniunt quæ Christus enunciat Matt. 15. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Quamplurimis libris & saluberrimis decretis huic pesti sese effundenti primi obstiterunt eruditissimi Doctores & Parochi Gallicani, quorum classico exciti plerique Regni Præsules laudatissimam operam adversus hanc perniciem contulerunt. Eadem lues per Italiam aliquandiu serpsit ut cancer. Sed tandem surrexere viri pii & eruditi, qui intrepidè Novatores istos adorti sunt. Et postremò Alexander Papa VII. illos suis obtrivit fulminibus hac subjectâ Bulla, ex qua perspectum fiet, quàm immania, atque ipsis Scythis, nedum Christianis detestanda invexerint circa morum disciplinam dogmata, quanquam pauca dumtaxat attigerit, aliaque quamplurima æquè, aut magis horrenda, quæ horum libris continentur & asseruntur, prætermiserit. Non enim unus Hercules sufficerit ad istas stabulorum Augiæ sordes evacuandas.

Feria V. die 24. Septembris 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro Divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro pastorali solicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit. Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

Propositio I. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equestris ad duellùm provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.

4. Prælati

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.
5. Quanvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.
6. Confessarius qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.
7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.
8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.
9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.
10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.
11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.
12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.
13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.
14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.
15. Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.
16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.
17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.
18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam Judicem à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quòd sit pœna.

21. Is habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè consideratâ statuit, & decrevit prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, utminimùm tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi Fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissimâ

notâ

notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

JOANNES LUPUS Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not. &c.

Feria V. die 18. *Martii* 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro Divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem, Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo viginti-octo propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò & accuratè usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimumquintum numerum implentibus per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos & Reverendissimos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

PROPOSITIO 29. In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas anteà Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indu

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quàm per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri uſquedum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, utminimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti Fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

JOANNES Lupus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

*XVI. Tertium ab Alexandro VII. (mediantibus Clemente IX. & X.) Pontificatum iniit Innocentius XI. qui ſtudio ductus componendæ

pacis

pacis inter Doctores Catholicos acriter nimis dissentientes, censurâ perstrinxit laxas quæ supererant opiniones, intactas in Alexandri Bulla; novamque procudit Bullam die 2. Martii anni 1679. in cujus fine prohibuit in virtute sanctæ obedientiæ privatis quibuscumque nova excitare dissidia & censuras aliarum propositionum, quas Suprema Sedes non proscripserit. Tenor autem Bullæ Innocentianæ is est ut sequitur.

Feria V. die 2. Martii 1679.

In generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Divinâ Providentiâ Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis, à fel. record. Alexandro VII. præcessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis vel libris vel thesibus seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò & accuratè sæpiùs discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis, idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata, statuit & decrevit pro nunc sequentes propositiones & unamquamque ipsarum sicut jacent, utminimùm tanquam scandalosas & in praxi pernicioſas esse damnandas & prohibendas, sicuti eas damnat & prohibet: non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Propositio. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid facimus, ſemper prudenter agimus.
4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.
5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.
6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.
7. Tunc ſolùm obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam quâ juſtificari poſſimus.
8. Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.
9. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ ac defectu veniali.
10. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.
11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.
12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.
13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.
14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.
15. Licitum eſt filio gaudere de patricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſequutas.
16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale & ſecundùm ſe.
17. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.
18. Si à Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo & Fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.
19. Voluntas non poteſt efficere ut aſſenſus Fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.
20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.
21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm

solùm probabili revelationis, immò cum formidine quâ quis formidet ne non sit loquutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi quàm legatario contra injustè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam, contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cùm paritur,

ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *Mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non maioris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter eum qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quàm res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò loquutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando sit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam quia interdicta est, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Molli

49. Mollities jure naturæ prohibita non est : unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.
50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.
51. Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.
52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.
53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.
54. Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.
55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.
56. Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.
57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.
58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.
59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis aut Indulgentiæ.
60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.
61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere ; quinimmò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.
62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.
63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.
64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.
65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè publicè aut privatim tractaverit vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio quocumque, etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti Fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis & ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota digniſ, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab incurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterum ſe abſtineant, & ut paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

FRANCISCUS RICCARDUS, Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

XVII. Advertant hanc prohibitionem, ſuarumque animarum ſaluti conſulant ardentes illi ſpiritus, à quibus certò ſcimus interpellatum fuiſſe Innocentium quo tempore hanc procudebat Conſtitutionem, ut ipſis inviſas propoſitiones cenſurâ perſtringeret; quas tamen permulti eruditiſſimi ac ſapientiſſimi Eccleſiæ Doctores accuratè examinatas ſuis libris approbarunt, quaſque iſti Novatores ultra modum privatis ſuis affectibus & opinionibus indulgentes, apertè publiceque damnare audent tanquam ſceleratas, & quantas poſſunt colligationes & factiones per Dioeceſes excitant, ut ſimplices & timoratas conſcientias ſuis erroribus involvant, Eccleſiam dilacerent, multoſque ex erronea & falſa conſcientia in tartarum detrudant, alioqui ſalvandos. Deſinant illi ab exitiali pertinacia, eoſque damnare, quos neque Chriſtus, neque Eccleſia damnat, niſi ipſimet falſis deluſi perſuaſionibus damnationem ſibi acquirant: ſciantque ſanctiſſimum illibatæque vitæ Pontificem, cujus admirantur virtutes ipſi Chriſti, Eccleſiæque hoſtes, dum quid jubet, aut prohibet quidquam in virtute ſanctæ obedientiæ, non minùs obligare Chriſtianos quoſlibet ſub pœna ſempiternæ damnationis, quàm ſubditas ligent perſonas Prælati Regulares, ipſæque Moniales Prioriſſæ, dum hac eadem formula jubent aliquid, vel prohibent ſibi ſubditis.]

CAPUT

CAPUT XIV.

De Satisfactione.

I. POenitenti post confessionem incumbit onus satisfaciendi. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. & 9. definit Satisfactionem Sacramenti Pœnitentiæ partem esse, non quidem essentialem, sed integrantem; ideóque Confessarium obligat ad illam juxta peccatorum numerum & gravitatem pœnitentibus injungendam. Tenetur enim ut minister Ecclesiæ ad Sacramenti servandam integritatem: eoque magis quàm minister Baptismi Sacerdos ad præscriptas in Baptismo ceremonias, quatenus cùm hæ sint merè accidentariæ, neque partem Baptismi constituant, ipsa tamen satisfactio pars est integrans & substantialis Sacramenti Pœnitentiæ: quemadmodum manus pars est integrans hominis, tametsi non essentialis, cùm qui manum amisit non desinat esse homo, sed partem tamen propriæ substantiæ amisit. Nec solùm ut Minister, sed præterea ut Medicus debet Sacerdos satisfactionem injungere pro pœnitentis salute; & insuper ut Judex pro justitiæ spiritualis officio, quo fungitur. Ipse verò pœnitens rationabiliter injunctam pœnitentiam subire tenetur. Reducitur satisfactio ad unum aliquod ex his tribus, jejunium, orationem, & eleemosynam, ut advertit S. Thomas. Ad jejunium autem reducuntur pœnales quæque satisfactiones juxta prudens Sacerdotis arbitrium. At verò satisfactio, seu restitutio rerum injustè ablatarum aut detentarum, non est arbitraria, sed stricti juris, quam Sacerdos pœnitenti tenetur ex officio injungere.

II. Usus & praxis communis Ecclesiæ Confessariis potestatem impertit, justâ interveniente causâ, satisfactionem à se, vel ab alio impositam diminuendi, vel commutandi; quia plerumque id expedit animarum saluti, pro quibus hoc Sacramentum fuit institutum. Non tamen id fieri potest extra Sacramentum, cujus est pars debita, utpote jurisdictionis Clavium, quæ non nisi in Sacramento exercetur. Hæc docet S. Raimundus lib. 1. tit. de pœnitentiis & remissionibus, §. 66. cujus hæc sunt verba: *Item ad id quod quartò quærebatur, utrum Sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius satisfactionis, ad petitiones ipsorum pœnitentium? Credo breviter quod sic, dum tamen discretè, & propter causam, & circa subditos suos; aliàs non, dist. 81. cap. Presbyteros. Non tamen hoc extendo ad vota, in quibus strictius proceditur.* Quo loco Petrus de Friburgo vetus Summæ Raimundinæ Scholiastes, sic scribit: *Si pœnitentia injuncta fuerit occultè,*

occultè, poterit secundus Confessor relaxare, vel commutare. Eadem tradunt Navarra cap. 26. num. 22. Suarez de pœnit. disp. 38. sect. 10. Reginaldus lib. 7. num. 2. & 93. aliique communiter.

III. Cùm sint justorum hominum bona opera tribus donata prærogativis, sunt enim meritoria, impetratoria & satisfactoria: meritum quidem ita personale est, ut non alii quàm operanti applicetur, solis exceptis Christi meritis, quæ cunctis applicari voluit. At verò quorumlibet Justorum opera cæteris ad impetrationem, & satisfactionem prodesse possunt, ratione ejus, quam in Symbolo profitemur, Sanctorum Communionis, dicente quoque Regio Psalte, *Particeps ego sum omnium timentium te*: & scribente Apostolo Coloss. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Cæterum illa unius pro altero satisfactio non est sacramentalis, cùm non alius quàm pœnitens Sacramentum istud suscipiat: & siquando ex justa causa permittat Confessarius, ut injuncta satisfactio possit ab alio præstari, aliquam tamen partem, quæ possit à pœnitente præstari, debet eidem in propria implendam persona præscribere, ne sit mutilum aliqua sui parte Sacramentum. Sapienter enim definit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 3. materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse ipsos pœnitentis actus, qui virtute Clavium elevantur ad ipsum esse Sacramenti, contritionem, confessionem, & satisfactionem.

IV. Est verò quoddam satisfactionis genus ex stricta justitiæ obligatione pœnitentem simul & Confessarium arctiùs adstringens: circa quod providè admonet Concilium Mediolanense primum sub S. Carolo Borromeo Archiepisco, anni 1565. part. 2. cap. 6. cujus verba ad Confessariorum majorem cautionem hîc visum est adjungere. *Caveant Confessores, ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, qui cùm facultas adsit aliena restituendi, vel legata quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque ut id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare neglexerint: exceptis iis qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, ut quod debent, quamprimùm persolvant. Et quia interdum in falsi testis manu est, ut non solùm facultatibus homines; sed etiam existimatione ac vita spolientur; idcircò neminem absolvant, qui falsum testimonium in judicio cum alterius detrimento dixerit, nisi prius dato damno, quatenus id sarciri poterit, & violatæ illius existimationi satisfecerit. Nec illum quidem absolvant, qui post publicum Episcopi monitum de indicandis rebus amissis, quid de iis sciat indicaverit, nisi hoc officium antè persolverit. Iidem omni adhibitâ diligentiâ conscientiam examinent singulorum qui fœnerantur, & iniquos contractus exercent: neque quemquam in his casibus absolvant, nisi debita restitutio, aut satisfactio ex Canonum præscripto prius intercedat.*

V. Supradictis adjungendum, similem à Confessoribus adhibendam esse cautionem, & suspendendam absolutionem pœnitentibus, qui cùm commodè injunctas in præcedenti confessione satisfactiones adimplere potuissent

tàssent, per socordiam neglexerunt. Remittendi enim sunt, ut quamprimùm satisfaciant, saltem ex notabili parte, priusquam nova eorum confessio excipiatur, aut absolutio indulgeatur. Idcircò sciendum est ab initio confessionis, utrum pœnitens præscriptæ satisfactioni ab ultima confessione paruerit, ne tempus in audienda confessione inutili teratur, & ut pœnitentis querela præveniatur, si post editam à se confessionem inabsolutus remittatur. Denique observatu dignissimus est circa falsas pœnitentias, quibus nulla impertienda est absolutio, canon 22. Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio II. Pontifice, qui etiam attexitur in Decreto Gratiani de Pœnit. dist. 5. cap. *Falsas pœnitentias.* Sed hunc Lateranensem Canonem fusiùs quàm Gratianus proferam. Falsas declarat pœnitentias, primùm quidem si quem pœniteat cæterorum peccatorum, uno tamen aliquo mortali excepto. Secundò, si quis non proponat firmiter unius peccati mortalis emendationem, etsi de aliis polliceatur: quo in numero censendi sunt quicumque proximam peccati alicujus occasionem non abdicant, aut qui officium, vel negotium, quod sine gravi peccato gerere non valent, minimè derelinquunt. Tertiò quicumque odium aut vindictam proximi in corde retinent. Quartò qui offensam alteri à se illatam reparare, aut pro ea satisfacere renuunt. Quintò qui arma scienter contra justitiam sumpta deponere nolunt, aut alioqui causæ injustæ scienter patrocinantur. Has singulas causas canon Lateranensis exprimit, quarum aliquas Gratianus improvidè suppressit, & olim expresserat Melfitanum Concilium anni 1089. can. 16. Et sapienter S. Augustinus dicit epist. 54. ad Macedonium: *Si res aliena propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Et post pauca interjecta prosequitur: *Si justitia sinceriùs consulatur, justiùs dicitur Advocato, Redde quod accepisti quando contra veritatem steristi, iniquitati adfuisti, judicemque fefellisti, justam causam oppressisti, de falso vicisti.*

CAPUT XV.

De extremæ Unctionis Sacramento.

I. Istius Sacramenti doctrinam breviter tradit Sanctus Jacobus Apostolus his verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hìc exprimitur Sacramenti

hujus subjectum, ille scilicet qui infirmatur: Et materia in olei unctione: Et forma in oratione fidei super infirmum: Et minister in Presbytero Ecclesiæ: Et gratia in peccatorum remissione, aliique effectus particulares in salvatione, & in alleviatione infirmi. Hujus unctionis cum nomine Sacramenti meminit Innocentius Papa I. in epist. 1. ad Decentium, cap. 8. & habetur in cap. *Illud superfluum*, dist. 95.

II. Literæ Eugenii Papæ IV. Concilio Florentino adnexæ, & pariter Concilium Tridentinum sess. 14. declarant hujus materiam Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. Omnes verò Catholici Doctores, qui Concilium istud vel præcesserunt, vel subsequuti sunt, conveniunt esse de essentia Sacramenti, ut illud oleum fuerit ab Episcopo benedictum, excepto Caietano, qui in 3. p. quæst. 72. art. 3. hac de re subdubitat. Sed cùm stricte & dogmaticè Eugenius Pontifex & Concilium Tridentinum loquantur, & oleum exprimant ab Episcopo benedictum, nihil planè requirunt ad materiam, quod non pertineat ad Sacramenti essentiam. Etenim cùm aqua Baptismi ex Ecclesiæ præscripto debeat esse solenniter benedicta, quia tamen benedictio ista non spectat ad Baptismi essentiam, nusquam Concilia affirmant debere in Baptismo adhiberi aquam benedictam, sed solùm aquam naturalem. Si tamen sit metuendi causa, ne oleum benedictum aliquando deficiat, concedunt ipsa Ritualia Summorum Pontificum jussu edita, & communiter Doctores, posse cum oleo benedicto aliud simplex oleum à Sacerdote commisceri.

III. Unctiones hujus Sacramenti septem recensentur ab Eugenio Pontifice in instructione Armenorum, scilicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, propter quinque sensus; deinde sextò pedum, propter gressus; septimo renum, propter carnis delectationem. Sed solæ quinque sensuum unctiones exiguntur de necessitate, si non Sacramenti, ad minùs præcepti, ex omnium Fidelium consensu & praxi; adeò ut si ex his quinque una aliqua unctio omittatur, reddatur dubius & incertus valor Sacramenti: plerique namque asseverant, pertinere omnes quinque ad hujus Sacramenti essentiam. Sexta verò in pedibus alicubi est de præcepti obligatione, & alicubi non est, quatenus in multis Ecclesiis omitti solet, ut notat Suarez in 3. p. disput. 40. sect. 2. n. 6. Nescio tamen, an sit aliquis in hoc Regno locus, in quo soleat pedum unctio omitti. Septima verò, quæ est renum unctio, in omnibus ferè Ecclesiis solet omitti, nec est de obligatione præcepti. Unctiones porrò quinque sensuum ubique ex præcepti necessitate debent adhiberi. Cujus præcepti ratio est, quia cùm nihil sit in intellectu quod non præcesserit in sensu, inde fit ut omnia peccata ex sensibus corporis originem ducant: atque ita per curationem & corroborationem omnium sensuum sanatur à peccato, & corroboratur integer homo.

IV. Porrò aliorum disputationi relinquo, utrum essentia istius Sacramenti

menti perficiatur in quavis unctione, quæ prima de quinque supradictis adhibetur, ita ut reliquæ sint solummodò partes integrales Sacramenti, quemadmodum septem Ordines complent unum Ordinis Sacramentum, tametsi seorsim singuli Ordines ex multorum sententia rationem ac essentiam in se contineant Sacramenti Ordinis; & quemadmodum singulæ partes specierum Sacræ Eucharistiæ seorsim continent totam Eucharistiæ essentiam: an verò quinque unctiones sint collectivè, seu conjunctim de Sacramenti essentia. Secundùm priorem sententiam sufficere posset una unctio ad Sacramenti essentiam, quanvis non sufficeret ad præcepti obligationem. Altera verò sententia opposita communior est: nihil tamen certi in utramvis partem asseri potest.

V. Etiamsi plures sint Extremæ Unctionis effectus ultra peccatorum remissionem, hæc tamen sola tanti momenti est, ut ille etiam inungendus sit, qui cæterorum effectuum sit incapax. Nam is qui usu rationis prorsus excidit, non opus habet ut adversùs tentationes adversarias roboretur, neque ut ejus animus sive torpore, sive terrore depressus erigatur; & nihilominus inungi debet ut peccatorum præcedentium, sive mortalium, sive venialium reliquiæ in eo aboleantur. Potest namque Sacramentum istud primam etiam ac justificantem gratiam conferre illi qui vel ex oblivione, vel ex impotentia loquendi, vel ex superveniente dementia nequit confiteri, dummodò post ultimum mortale peccatum fuerit sufficienter attritus. Adeoque fieri potest juxta Navarrum cap. 22. num. 13. ut quis moriens inunctus damnetur, qui unctus salutem æternam fuisset consequutus. Quod idem docent Suarez disp. 42. sect. 1. num. 10. Coninch disp. 19. dub. 5. num. 19. & alii.

VI. Plures exiguntur conditiones, ut possit aliquis Extrema Unctione liniri. 1. Ut sit baptizatus; est enim Baptismus aditus Ecclesiæ, & janua Sacramentorum. 2. Ut aliquando fuerit rationis compos, & peccaverit, alioqui enim incapax erit eorum effectuum, quorum causâ fuit hoc Sacramentum institutum. 3. Ut inungendus ita ægrotet, ut de morte imminente periclitetur, idque insinuat S. Jacobus per vocem κάμνοντα, quæ ferè oppressum morbo ac deficientem significat. Ideoque non est ministrandum hoc Sacramentum damnatis ad mortem adhuc corpore sanis, neque in periculo naufragii constitutis; de solis enim infirmis loquitur Apostolus: sed potest ministrari illis quos extremæ senectutis languor in periculum imminentis interitus adduxit, quanvis alius in eis morbus non deprehendatur, ut communiter asserunt Doctores.

VII. Minimè debet hoc Sacramentum iterari, dum idem perdurat mortis periculum & morbi status. Potest verò iterum ministrari, si morbi status immutetur, ita ut licèt morbus non abscesserit, cessaverit tamen aliquo temporis intervallo periculum mortis, quod tamen postea ingravescente vi morbi redierit. Debetque illud intervallum esse notabile, atque

ejus interruptionis, ut duo illa intermissa pericula verè ac certò disjuncta dici possint. Atque hæc est unanimis Doctorum sententia, & constans Ecclesiæ praxis.

VIII. Respectu infirmi nullum ei præceptum imponitur petendi hoc Sacramentum, quanvis peccare per venialem negligentiam possit, non tamen mortaliter, nisi per contemptum. Deus enim & Ecclesia non judicaverunt propter alias quidem rationes, sed maximè propter conflictus quos excitat una ex parte insuperabilis aliquibus etiam bonis & piis imminentis mortis cogitatio, aliaque ex parte conscientiæ timoratæ formidines, ne quod in ultimum subsidium divina charitas introduxit animarum, vertatur illis in laqueum & salutis æternæ obstaculum. Verumtamen is Sacerdos cui incumbit animarum cura & Sacramentorum administratio, ligatur præcepto, & rogatus tenetur utroque titulo, justitiæ & charitatis, vel per se, vel per alium Sacerdotem administrare hoc Sacramentum. Imò verò etiam non rogatus, si advertit ægrum in eo statu esse, ut hoc indigeat Sacramento: maximè verò si aliàs sine ullo omninò Sacramento sit ex hac vita discessurus, dubitandum non est, Parochum hæc advertentem & negligentem peccare mortaliter. Peccat denique mortaliter quisquis sibi mortalis peccati conscius suscipit istud Sacramentum, nullâ præmissâ vel confessione, vel dolore peccati. Est enim gravis injuria & merum sacrilegium erga Sacramentum, & damnabilis incuria salutis æternæ.

IX. Nemini Sacerdoti licet præter Parochum, aut de Parochi licentia, Sacramentum Extremæ Unctionis ministrare, etiam prætextu extremæ necessitatis: & Religiosus incurrit ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, qui id facere præsumpserit. Clement. 1. de privileg.

CAPUT XVI.

De Ordinis Sacramento.

I. SACRAMENTUM Ordinis ita definitur à Magistro Sententiarum in 4. dist. 24. lit. K. Signaculum quoddam sacrum, quo spiritualis potestas traditur ordinato ad officium. Septem Ordinum species numerantur: Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Hos enim singillatim recenset Clemens Pontifex epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini, & Cornelius Papa epist. ad Fabianum Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. histor. Eccles. cap. 42. & Caius Pontifex epist.

ad

ad Felicem, Concilium Romanum sub Sylvestro, can. 3. & Carthaginense IV. can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. cui subscripsit S. Augustinus; & novissimè Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 2. Tres horum priores, Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, per antonomasiam vocantur Sacri, quia cæteris quatuor in sacro Altaris ministerio & prærogativa assistentiæ & officii circa Divinum Sacrificium antecellunt, & simul Clericos à quibus suscepti sunt, perpetuæ continentiæ lege astringunt, ut non modò impediatur in eis futurum matrimonium, sed etiam dirimant suscepto jam Ordine contractum, ex Apostolicis traditionibus & Ecclesiasticis institutionibus, quanquam Subdiaconatus non fuerit olim sacris Ordinibus accensitus, ut perspicuum est ex cap. *Nullus in Episcopum*, dist. 60. & apertè docet Innocentius III. cap. *A multis*, de ætat. & qualit. & ordin.

II. Non opus est ut hic recenseam cæterorum Ordinum officia vulgo notissima, sed solius Diaconatus, in quo gravior est difficultas. Huic Ordini adnexum officium sic exprimitur in Pontificali: *Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare.* Baptismi & prædicationis Diaconorum exempla proferunt Acta Apostolorum in Stephano & Philippo primis Ecclesiæ Diaconis. Verumtamen nunc temporis officium baptizandi non competit Diaconis, nisi ex commissione Sacerdotis, aut ex necessitatis causa. Sic enim decernit Papa Gelasius in cap. *Diaconos*, dist. 93. *Absque Episcopo vel Presbytero Diaconi baptizare non audeant, nisi prædictis Ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat.* Præterea cap. *Constat*, de consecrat. dist. 4. *Constat* (inquit) *Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere licitum.* Itaque Baptismi administratio non pertinet de jure ordinario ad Diaconum, sed vel titulo commissionis, vel jure necessitatis. Præsens Ecclesiæ praxis, & jam inde à multis seculis inveterata consuetudo præcipuum ac ordinarium Diaconi officium in eo constituit, ut Evangelium in Missa solenniter decantet, Sacerdotique sacrum facienti proximè assistat. Sub primitiva tamen Ecclesia præcipuum & ordinarium Diaconi ministerium in hoc versabatur, ut communicantibus ad sacram mensam Fidelibus sacrum Calicem porrigeret, ex quo Christi sanguinem biberent, quemadmodum Sanctus Ambrosius illustrem Diaconum & Martyrem Laurentium introducit lib. 1. Officiorum, cap. 41. sic compellantem Sixtum Pontificem ad martyrium properantem: *Experire utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Sanctus quoque Cyprianus tract. de lapsis, loquens de puellula infante, cui juxta primitivæ consuetudinem Ecclesiæ tradebatur mystica Communio, sic ait: *Solennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit.* Et post pauca: *Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt de Sacramento calicis infudit.* Quin etiam aliis quàm Sacerdotibus poterant olim Diaconi ipsum Sacramentum sub specie panis ministrare, ut docet Nicænæ Synodi canon 14. Et S. Justinus Martyr in extrema

apologia secunda testatur moris fuisse, ut Diaconus sacram Eucharistiam ad Fideles absentes deferret.

III. Omninò indubitatum est apud cunctos Fideles, Sacerdotalem ordinationem, ad quam reducitur quoque Episcopalis, esse verum & perfectum Sacramentum. De Diaconatu porrò pauci negant, Durandus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. Caietanus tom. 1. opusc. tract. 11. At reliqui communiter asserunt esse Sacramentum: quæ utique assertio tenenda est. Constat enim ex Act. Apost. cap. 6. & ex Concilio Carthaginensi IV. can. 4. & ex Pontificali Romano, & ex Græcorum Euchologio, conferri Diaconatum per manuum Episcopi impositionem, dicentis: *Accipe Spiritum Sanctum.* At hujusmodi manuum impositiones in ordinatione, præsertim verò si accedat expressio collationis Spiritus sancti, gratiam conferunt certam & indubitatam, ut patet ex 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. & Actuum 8. vers. 17. 18. & Joan. 20. vers. 22. 23. Insuper Anastasius Papa II. in epist. ad Anastasium Imperatorem, cap. 7. expressis verbis Sacramenti gratiam attribuit Sacerdotum & Levitarum ordinationi. Denique ista Diaconorum ordinatio destinatur ad sancta & sublimia officia, qualia paulò antè commemoravi, tam secundùm primitivæ, quàm hodiernæ Ecclesiæ consuetudinem. De Subdiaconatu autem probabiliùs ambigi posset, an sit Sacramentum: perspicuum est enim, non fuisse olim ab Ecclesia inter sacros Ordines reputatum. Enimverò dictum Carthaginense Concilium IV. apertè declarat, neque Subdiaconatum, neque inferiores Ordines conferri per manuum impositionem, eo quòd neque de majoribus sint, neque de sacris Ordinibus. Et can. *Nullus in Episcopum*, dist. 60. Subdiaconatus nominatim excluditur ab Ordinibus sacris. Synodus quoque Ancyrana, can. 13. decernit, non licere Chorepiscopis ordinare Presbyteros & Diaconos: nihil verò prohibet de Subdiaconis. Ipsaque Synodus Antiochena can. 10. disertè asserit, ordinari à Chorepiscopis posse Lectores, Exorcistas & Subdiaconos; at nullatenus Diaconos vel Presbyteros. Denique Innocentius Papa III. cap. *A multis*, de ætate & qual. & ord. præfic. negat Subdiaconatum esse sacrum ex divina, sed ex Ecclesiastica dumtaxat institutione. Communior tamen Doctorum consensus judicat, non modò Subdiaconatum, sed etiam singulos quosque minores Ordines vera esse, ac propria Sacramenta. Cœlibatûs verò obligatio Subdiaconatui annexa, non est novæ, sed antiquissimæ institutionis. Etenim antiquissimum omnium quæ supersunt Occidentis Conciliorum, scilicet Eliberinum can. 33. deinde Agathense can. 28. & Turonense secundum can. 20. Sanctusque Epiphanius in hæresi Catharorum, quæ est 59. idemque in fine Operis adversùs hæreses, disertè negant licitum esse Subdiaconis uxorem habere vel ducere.

IV. Ordinarium Ministrum Ordinis Episcopum esse, in confesso est apud omnes, eaque fuit constans Ecclesiæ ab initio praxis, & definie-

runt

runt antiqui Canones, deinde Florentini, ac noviſſimè Tridentini Concilii ſeſſ. 23. can. 7. Attamen eâdem ſeſſ. 23. cap. 10. de reform. permittitur quibuſdam Abbatibus, ut ſubditis ſibi Religioſis conferant Tonſuram & minores Ordines: idemque permiſerant anteriores Canones Abbatibus Sacerdotibus & ab Epiſcopo benedictis, cap. *Quoniam videmus*, diſt. 69. & cap. *Cùm contingat*, de ætat. & qual. & ord. præfic.

V. Ordinari nemo debet niſi per proprium Epiſcopum, aut cum ejus licentia, de qua conſtet per Literas dimiſſorias ab eo conceſſas. Proprius Epiſcopus conſtituitur triplici ratione, vel originis, vel domicilii, vel Beneficii quod Clericus poſſidet intra ejus diœceſis fines: ſic enim decernitur cap. *Cùm nullus*, de tempor. ordin. in 6. *Cùm nullus Clericum Parochiæ alienæ præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare, Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt is qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus; ſeu in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Porrò illud cenſeri debet domicilium, in quo quis inhabitat ſaltem majore anni parte, aut in quo habet majorem rerum ſuarum partem, ut ibi docet Gloſſa verb. *Domicilium.* Idque liquidò ſtatuitur l. 1. & Auth. *Qua in provincia*, C. ubi de crim. agi oport. & l. *Senatores*, C. ubi Senatores & clariſſ. conven.

VI. Quod attinet ad Epiſcopum originis, duplex cenſeri poteſt origo ex jure communi, quod nunc etiam viget in Italia: nam alia eſt origo reſpectu loci in quo aliquis natus eſt, & alia reſpectu loci in quo pater ejus natus eſt. Sic is qui natus eſt Mediolani à patre qui natus fuerat Genuæ, duplicem habet originis Epiſcopum, poteſtque horum alterum pro libito ad Ordines ſuſcipiendos eligere, vel Mediolanenſem, vel Genuenſem Antiſtitem. Ita docent Zerola prax. Epiſc. p. 2. verb. *Dimiſſoriæ*, Bonacina de Sacrament. diſp. 8. quæſt. unica, punct. 4. num. 13. Barboſa de officio & pot. Epiſc. p. 2. alleg. 4. num. 4. & ſeqq. Idque fundatur in l. *Aſſumptio*, §. 1. D. ad municip. & l. *Filios*, C. de municip. lib. 10. In Galliæ tamen Regno non alius agnoſci ſolet originis Epiſcopus, quàm is in cujus diœceſi quis natus ſit.

VII. Alio præterea titulo poteſt aliquis proprium nanciſci Epiſcopum à quo poſſit ordinari, ſcilicet continuato, nec interpolato triennio familiaritatis, hoc eſt commorationis cum Epiſcopo, tanquam unus de ejus familia, dummodo ſtatim reipſa Epiſcopus ei Beneficium Eccleſiaſticum conferat, ut ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 9. de reform.

VIII. Is qui à Sede Apoſtolica privilegium obtinuit ad ſuſcipiendos Ordines à quocunque Epiſcopo communionem habente Sedis Apoſtolicæ, non indiget Dimiſſoriis, ſed tamen ad ſuſcipiendos Ordines debet eſſe præmunitus literis teſtimonialibus proprii Ordinarii de vita & moribus, & quod non ſit aliquo impedimento aut irregularitate, de qua conſtet, præpeditus. Bonacina de Sacramentis diſp. 8. quæſt. unica, punct. 4. num. 27.

num. 27. Joan. Bapt. Ciarlinius controv. forenſ. lib. 1. cap. 46. num. 23. Barboſa de offic. & pot. Epiſc. p. 2. alleg. 7. num. 15. Si ſecus, & ſine teſtimonialibus ordinetur, remanet ſuſpenſus ab exercitio Ordinis taliter ſuſcepti: & qui eum ordinavit Epiſcopus, ſuſpenſionem incurrit per integrum annum à collatione Ordinum, juxta Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. ad fin. de reform.

IX. Epiſcopus qui alterius Epiſcopi ſubditum laicum clericali Tonſurâ citra ejus licentiam initiavit, æquè ſuſpenſus eſt ac ſi alienum Clericum ſine Dimiſſoriis ordinaſſet, ut declaravit Urbanus Papa VIII. in ſua Conſtitutione quæ incipit *Secretis*, 11. Decembris 1624. & refertur ad longum à Barboſa loc. cit. alleg. 8.

X. Eadem Urbani Conſtitutio pœnam ſuſpenſionis illis infligit, qui ſcienter ſe fecerint ordinari cum falſis, aut fictis, aut fiduciariis titulis. Quod idem fuerat anteà decretum per cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*, diſt. 70. ſtatuentia talem ordinationem eſſe vacuam & irritam: ubi Gloſſa id exponit ſecundùm Ordinis exequutionem. His ſimile decernitur à Concilio Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform. Cæterùm duplex opinio agitatur circa iſtud Tridentinum Decretum. Prima aſſerit hîc innovari pœnas per d. cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* conſtitutas, eo quòd Concilium ibi dicat pluraliter, *pœnas innovando*: quod non poteſt in unica pœna verificari; & ideo fatendum eſſe, quod ille ex Decreto Concilii ſuſpenſus ſit, qui ſine vero titulo fuerit ordinatus. Alii verò aſſeverant, fuiſſe à Concilio ſolam illam renovatam pœnam, quam exprimit cap. *Cùm ſecundum*, de præbend. in quo Innocentius III. abrogat illam ſuſpenſionis pœnam decretam in d. cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*; idque ſolùm ſtatuit, ut teneatur Epiſcopus ordinator, ejuſque ſucceſſores providere de alimoniis à ſe ſine titulo ordinatum, donec ei congruum Beneficium contulerit. Hanc tuetur ſententiam Barboſa d. p. 2. alleg. 20. num. 27. quam dicit à Doctoribus magis receptam; & allegat ita fuiſſe judicatum à Sacra Cardinalium Congregatione. Dicta verò Urbani conſtitutio ſuſpenſione afficiens ordinatum, non eſt extendenda ultra falſos, fictos & fiduciarios titulos, de quibus loquitur; quia in eis plus eſt malæ fidei, & graviùs peccatur ob mendacium & deceptionem, quâ Epiſcopo illuditur.

XI. Pii II. Bulla incipiens, *Cùm ex ſacrorum*, ſuſpendit in perpetuum Clericos qui ſe ordinari faciunt in aliquo ſacro Ordine, vel extra tempora à jure ſtatuta, vel ante legitimam ætatem, vel ſine licentia aut Dimiſſoriis proprii Ordinarii. Idque confirmant inſequentium Pontificum Bullæ, Julii III. Clementis VIII. & Pauli V. ut ſileam veterum Conciliorum, & noviſſimi Tridentini ſanctiones. Quæ ſuſpenſiones perpetuæ ſolâ tolluntur Papæ diſpenſatione. Barboſa d. p. 2. alleg. 18. n. 14.

XII. Circa violata interſtitia nullam cenſuram in jure decerni contra ordinatum & ordinantem, docent Navarra, Henriquez, Suarez, Sayrus, Barboſa,

Barbosa,& alii. Permittit verò Concilium Tridentinum sess.23. cap. 11. 12. 13. & 14. ut Ordinarius ac proprius Episcopus, ubi subest necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, possit circa Ordinum interstitia dispensare. Idemque interstitia unius anni assignat à minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, alterius-que anni à Subdiaconatu ad Diaconatum, & ab hoc ad Presbyteratum alterius pariter anni.

XIII. Ad primam Tonsuram prærequirit Tridentinæ sess. 23. cap.4. ut eâ initiandus Confirmationis Sacramentum susceperit, Fidei rudimenta sciat, itemque legere & scribere. Ad minores autem Ordines, ut his initiandi linguam Latinam intelligant, cap. 11. Ad Subdiaconatum præter alias laudabiles qualitates, ut annum vigesimum secundum ordinandus attigerit,cap.12. Ad Diaconatum, ut vigesimum-tertium : & ad Presbyteratum,ut vigesimum-quintum ætatis annum attigerit, cap. 12.

XIV. Quod attinet ad tempora ordinationum à Jure Canonico præscripta, fas est Episcopo diebus festis & Dominicis unum duosve dumtaxat minoribus Ordinibus initiare. Ad Subdiaconatum porrò, aliosve majores Ordines neminem licet promoveri, nisi Sabbatis quatuor Temporum, vel Sabbato sancto, vel etiam Sabbato ante Dominicam Passionis, nisi ex Papæ dispensatione ac rescripto, quod vocant *Extratempora*, cap. de eo autem, de tempor. ordinat. Prima verò Tonsura potest conferri ab Episcopo quovis die, juxta Ostiensem, Graffium, Bonacinam, & constat ex ipsius Ecclesiæ consuetudine.

XV. Si ante Ordinum collationem palam protestetur Episcopus, se non intendere ordinare illos qui talem, aut talem habent contra Canones defectum, ut tituli, ætatis, falsarum Dimissoriarum, is qui sibi conscius ejusdem defectus promiscuè, nec sine peccato mortali se sistit ordinandum, & ordinatur, censendus est verè & validè ordinatus,ut docet Ludovicus Bail Parisiensis Theologus & Parisiensis Ecclesiæ Propœnitentiarius in suo Examine ordinandorum. Ratio est, quia Episcopus ille per proprium sequentis ordinationis actum suam illam intentionem revocavit. Non enim censeri potest voluisse sacrilegium committere, & materiam simul applicando cum forma Sacramenti hoc intendere, ut nullum fiat Sacramentum. Et Jus declarat irritam esse protestationem illius qui ex postfacto eidem proprio actu contravenit, cap. *Solicitudinem*, de appellat. & cap. *Olim causam*, juncta Glossa, de censib. Similem casum ponit Glossa in cap. *Tua nos*, versic. *Mulierem*, de sponsalibus. Si aliquis (inquit) protestetur coram pluribus, quod omnia quæ dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonii, & postea publicè dicat, *Consentio in te*; in isto casu dico, quod Ecclesia judicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam, & potuit recedere à prima voluntate. Hoc idem docet ibidem Joannes Andreas. His adde præter memoratum sacrilegium, quod nemo intendere præsumitur, horrenda

etiam insequutura damna. Ex quo enim Episcopus Clericum in Sacerdotem non habens intentionem consecraverit invalidè, omnes ejus insequentes Missæ erunt idololatriæ, omnes particulæ quas consecrare ad populi Communionem, aut etiam ad morientium Viaticum voluerit, non erunt Sacramenta, nullamque participantibus causabunt gratiam: Extremæ-Unctiones quas conferet, irritæ prorsus erunt, omnes absolutiones pœnitentium inanes & invalidæ; & si eundem contingat fieri Episcopum, ejus ordinationes omnes & consecrationes nullius erunt momenti: quantâ inde sequeretur animarum strages & perditio? Non enim potest Ecclesia sacram potestatem, & internam jurisdictionem supplere; ne quidem in mortis articulo, in eo qui non est Presbyter. Itaque hoc sentiendum in proposito casu, Ordinatorem qui sic protestatus fuerat, quanvis nihil postea cogitaverit in oppositum præfatæ protestationis, hoc ipso solo suam illam protestationem revocare, quatenus reipsa materiam & formam Ordinis applicat, nisi per summum scelus; dum materiam & formam Ordinis applicat, simul intentionis actum produceret de ordinationis in individuo nullitate.

XVI. Suscipiens duos simul Ordines sacros incurrit suspensionem ab Ordine posteriori, cap. *Literas*, de temp. ordinat. Suscipiens quatuor simul Minores cum Subdiaconatu, suspensus est à Subdiaconatu, cap. 2. de eo qui furt. ord. fusc. Suscipiens Ordines minores ante legitimam ætatem, nullam censuram incurrit, ut neque is qui interstitia non servat, quanvis indubiè peccet.

XVII. Ordines sacri, ipsumque Sacerdotium validè, sed non licitè conferri possunt infantibus baptizatis, ipsisque adultis qui nec habeant, nec unquam habuerint rationis usum. Decernit quippe cap. 2. de ætat. & qual. & ordin. validè fuisse ordinatum Subdiaconum eum qui necdum attigerat discretionis annos. Et Theologi simul cum Canonistis consentiunt valere Sacerdotium infanti baptizato collatum, Magister sententiarum lib. 4. dist. 25. & ibidem S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Paludanus, Dominicus Soto & alii communiter. Idem asserendum de Confirmatione & Sacra Eucharistia; nam liquet sub Ecclesia primitiva ipsis etiam infantibus Baptismum & Confirmationem & Eucharistiam simul ministrari solita fuisse; & infantibus olim baptizatis porrigebatur bibendus de calice Christi sanguis, teste Cypriano de lapsis. Infantibus tamen non potest conferri Sacramentum Pœnitentiæ, neque Extremæ Unctionis, neque Matrimonii. Ratio est, quia Pœnitentia consistit in actionibus liberis contritionis, confessionis, satisfactionis: Matrimonium in libero consensu: Extrema verò Unctio præsupponit peccata quorum reliquias deleat. Ideò adulti quoque qui nunquam rationis usum habuere, sunt trium horum Sacramentorum incapaces. Sed potest inungi insanus, qui fuerit aliquando rationis compos, atque ita peccasse potuit. Invalidè autem baptizaretur

aut

aut ordinaretur insanus qui fuisset aliquando rationis compos, nec unquam Sacramentum expetivisset; censetur enim habitualiter dissentire. Qui verò nunquam ratione usus fuit, bap[illegible]i quidem & validè, & licitè potest; ordinari autem validè quidem potest, sed nullatenus licitè.

XVIII. De coactione porrò circa ordinatum distingui debet duplex coactio: una absoluta, factaque per vim cui resisti non potest; istaque coactio reddit nullam & irritam ordinationem: altera coactio dicitur conditionata, & libertatem quidem restringit, sed non perimit; ut si quis ad evadendam sibi comminatam præsentaneam mortem consensit se ordinari, qui aliter non consensisset, talis ordinatio valet, ut docet Glossa in Clem. *Plerisque*, vers. *Vel aliquod*, de election. & Barbosa de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 2. n. 6. Libertas enim auferri potest quoad actus externos ac imperatos, non tamen quoad internos ac elicitos. Nam & in illis quos tyranni excruciabant usque ad mortem, supererat libertas ad gloriam vel ad damnationem commerendam sufficiens. Iste tamen extortus per metum consensus qui sufficit ad ordinationis validitatem, non sufficit ad validum matrimonium, ut pleniùs in causis matrimonium dirimentibus explicabimus; neque etiam sufficit ad validam professionem Religionis, in quibus duobus Ecclesia exigit absolutam libertatem, & probato istiusmodi metu vel coactione, actus illos declarat irritos.

CAPUT XVII.

De Sacramento Matrimonii, & de Sponsalibus.

I. MATRIMONIUM est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. Instit. de patria potest. in princ. Initiatur per sponsalia de futuro, ratificatur per consensum de præsenti, perficitur per consummationem seu copulam corporum. Propriè tamen loquendo magis consistit matrimonium in animorum quàm in corporum conjunctione, cap. *Matrimonium*, & cap. *Cùm initiatur*, 27. quæst. 7. & l. *Nuptias*, D. de regul. jur.

II. Sponsalia sunt futuri matrimonii mutua promissio. Ea contrahuntur vel re, ut per subarrationem, vel annuli traditionem ad hunc finem; vel verbis, vel nutu, vel scripto, etiam inter absentes; vel per internuntium aut procuratorem, vel etiam consensu de præsenti, quum scilicet pubes simul & impubes, vel duo impuberes, in quibus malitia, idest congrediendi potentia non supplet ætatem, nuptias contrahunt per verba de

præsenti, non ineunt quidem matrimonium ratum, sed eorum conventio transit & resolvitur in sponsalia de futuro, cap. *Tua nobis*, de desponſ. impub. atque ideò quamvis postea in annos pubertatis provecti à matrimonio ex mutuo consensu resilirent, remaneret tamen sicut in omnibus legitimis sponsalibus impedimentum publicæ honestatis; cùm tamen non sit huic impedimento locus quando irrita sunt ipso jure sponsalia, putà contracta infra septennium, aut citra sufficientem consensum, alióve interveniente impedimento, cap. *Accessit*, eod. tit. Nequeunt autem impuberes ab initis inter se sponsalibus recedere donec annos pubertatis attigerint, qui incipiunt in pueris desinente anno decimoquarto, in fœminis autem anno exacto duodecimo. Quin etiam si horum alter annos attigerit pubertatis, ei tamen nondum resilire permittitur donec pars altera ad pubertatem pariter devenerit; tunc enim ambobus liberum erit contracta sponsalia revocare, alterâ etiam parte invitâ; cap. *De illis*, eod. tit.

III. Sponsalia de futuro etiam juramento firmata multis dissolvuntur modis. 1. Ex mutuo consensu, cap. *Præterea* 2. de sponsal. 2. Per longam unius absentiam potest pars altera novas inire nuptias, cap. *De illis*, eod. ubi Glossa requirit triennium absentiæ. 3. Per ingressum Religionis, cap. *Commissum*, eod. 4. Per secunda sponsalia de præsenti cum alio illicitè quidem, sed tamen validè contracta. Verùm si secunda cum alio sponsalia sint pariter de futuro, hæc non valent, perduratque priorum obligatio, cap. *Sicut* 22. eod. 5. Per Ordinis sacri susceptionem, cap. unico, de voto in 6. Præterea 6. per subsequentem fornicationem, idque in favorem solius innocentis partis, cap. *Quemadmodum*, de jurejur. 7. Per superveniens impedimentum, exempli gratiâ novæ affinitatis inter sponsos ex fornicatione cum consanguineo unius ex partibus in primo, vel secundo gradu. 8. Per supervenientem notabilem infirmitatem aut deformitatem, quæ sit durabilis, ut sunt lepra, paralysis, amissio oculi vel nasi, d. cap. *Quemadmodum*. 9. Ex subortu capitalium inimicitiarum inter sponsos, quia coactiones frequenter siniſtros exitus pariunt, cap. *Requisivit*, de sponsal.

IV. Jure veteri sponsalia de futuro duobus modis transibant in matrimonium de præsenti. 1. Per copulam inter sponsos animo maritali habitam, cap. *Is qui fidem*, de sponsal. 2. Per mutuum consensum de præsenti, etiam clandestinum, cap. 1. de clandest. desponſ. Sed per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de matrim. istud revocatum fuit. Unicus ergo supereſt modus, scilicet consensus verbis de præsenti expressus coram Parocho & testibus duobus.

V. Ex præscripto Concilii Lateranensis cap. ult. de clandestin. desponſ. & Tridentini sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. præmittendæ sunt ante nuptias denunciationes in Ecclesia; atque ad unius honesti viri assertionem, affirmantis certum dirimens impedimentum, inhibendæ sunt

sint nuptiæ contrahendæ, cap. *Præterea*, & cap. *Cùm in tua Diœcesi*, de sponsal.

VI. Si quis verbis usus est ambiguis quasi fœminam desponsaret, & ita deceptam carnaliter cognovit sine animo desponsandi, ille non judicabitur (saltem in foro conscientiæ, in quo tamen deceptam fœminam aliâ saltem ratione indemnem præstare tenebitur) matrimonium aut sponsalia contraxisse ob defectum consensus; cap. *Tua nos duxit*, 26. eod. tit. Sed si nulla supereat alia indemnitatis ratio in eo qui fœminam malitiosè decepit, nec sit notabilis admodum inæqualitas conditionum, ducere illam in foro conscientiæ tenebitur.

VII. Sponsalia clandestina sine præsentia Parochi & testium contrahi possunt non solùm validè, ut omnes concedunt, sed etiam licitè. Frustra autem objicitur à quibusdam, quod quibus absolutæ nuptiæ prohibentur, his etiam prohibentur sponsalia, ut dicit lex *Oratio*, D. de sponsalibus: & lex *Si quis tutor* 60. §. *Quamvis*, D. de ritu nupt. Legum enim illarum intentio huc collimat, ut nefas sit sponsalia inire iisdem personis quibus non licet nuptias contrahere; sic enim promittitur adimpletio rei omninò prohibitæ: at hîc per sponsalia clandestina promittitur adimpletio rei licitæ; supponimus enim ambas partes posse matrimonio legitimè conjungi. Nec sequitur quod illa clandestina desponsatione promittatur matrimonium clandestinum; mens namque desponsantium, & juris præsumptio est, ut promittant futurum matrimonii contractum ea formâ & modo quem Jura præscribunt, ut sit verum & validum.

VIII. Si parentes pro filiis, sive puberibus, sive impuberibus sponsalia contrahunt præsentibus & scientibus ipsis filiis, sed tamen tacentibus, horum taciturnitas pro consensu habetur. Idemque jus est si sponsalia illa à parentibus conventa fuerint, filiis absentibus & ignorantibus; sed re ipsis postmodùm significata filiis, si hi tacuerint, neque verbis ullis aut signis abnuerint, censentur filii tacitè factum parentum ratificasse. Utraque decisio habetur perspicuè in cap. unico, §. ultimo, de desponsimpub. in 6. Hanc juris decisionem nonnulli extendunt quoque ad tutorem sponsalia vel constituere, vel dissolvere, nisi id fiat ex impuberis puellæ voluntate. Quanvis autem tutoris potestas detur in personam, sanctius tamen & naturalius simul & antiquius jus est patriæ potestatis. Et præterea præsumitur pater ob naturalem affectum semper consulere propriis liberis; cùm ex adverso facilè contingere possit, ut tutor sua abutatur in personam pupilli potestate ad proprium vel suorum commodum. Multò verò minùs attribuenda videtur in re matrimoniali authoritas curatoribus, cùm eis non sit concessa in personas minorum, sed solùm in eorum opes & rem familiarem authoritas & ministerium; ut præclarè dicit lex *In copulandis*, C. de nuptiis: quæ eadem negat eandem potestatem

testatem cognatis & affinibus circa matrimonia. Itaque placet magis opinio Innocentii Papæ & Bernardi, qui prædictum jus restringunt & limitant in solo patre, ut filius tacens consentire judicetur; quàm opinio Ostiensis & Glossæ ad d. cap. unicum, §. *Porrò*, verb. *Sponsalia*, hanc juris dispositionem extendentium ab ipso patre ad quemvis alium, etiam non tutorem, neque cognatum.

IX. Ex matrimoniis clandestinis nulla nascitur obligatio sponsalium; cùm enim hæc matrimonia sint decreto Concilii Tridentini simul nulla & illicita, perinde est ac si contracta non fuissent, atque ita nullam pariunt canonicam obligationem. Idem statuendum de matrimonio ficto & simulato; cùm enim ibi desit consensus, non potest rationem habere sponsalium, quippe quæ sine consensu non subsistunt. Restat ergo ut sola impuberum matrimonialis per verba de præsenti conventio rationem induat sponsalium, & ita pariat publicæ honestatis impedimentum, per d. cap. *Tua nobis*, de desponsimpub.

X. Si anteacto tempore aliquis voverat castitatem aut Religionem, non dubium quin subsequuta sponsalia sint irrita. Quod enim Deo semel consecratum est, non potest sine sacrilegio alteri promitti aut donari. Sed si post contracta sponsalia velit Religionem ingredi, potest ea de causa conventionem sponsalium retractare eo magis, quia Jus permittit post ratum etiam, nec consummatum matrimonium ingredi Religionem invitâ alterâ Parte, cap. 2. de convers. conjug. Sed si post inita sponsalia sine proposito ingressus in Religionem una Partium voveat simpliciter castitatem, aut sacros Ordines suscipere intendat, gravis est difficultas inter Doctores, an jus habeat alterâ invitâ Parte sponsalia retractandi. Quidam enim affirmant, in quibus sunt S. Thomas in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 1. Richardus dist. 27. art. 3. quæst. 2. Cajetanus verb. *Perjurium*, cap. 2. Sotus in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 5. §. *Verùm*: Paludanus dist. 38. quæst. 3. art. 3. Major dist. 27. quæst. 5. Volunt enim excipi à futuri matrimonii promissione statum perfectiorem, qualis est cœlibatus ac perfecta continentia, etiamsi sponsalia fuerint juramento firmata; id enim juramentum comprehendi sub eadem exceptione. Hanc sanè opinionem tam multi graves assertores reddunt probabilem. Nihilominus negans opinio videtur Juri & rationi magis esse consentanea; illa enim supposita exceptio, neque significata, neque in mente spondentium formata fuit, neque usquam in Jure legitur introducta; idcóque illius prætextu non videtur derogandum alterius acquisito juri, nec licitum est in præjudicium alieni juris ad altiora aspirare; hoc enim prætextu etiam liceret alteri conjugum altero invito continentiam profiteri post matrimonium consummatum. Casus verò profitendæ Religionis ante consummationem est in Jure singularis, nec debet ultra limites expressos extendi, aut protrahi ad quævis continentiæ vota; non enim major ratio hîc est admittendi tacitam exceptionem

nem ex prætextu majoris perfectionis, quàm in eo qui absolutè daret centum nummos alicui, subintelligendo hoc majus bonum, de quo donans ipse nihil cogitasset, nisi placuerit aliquando eosdem nummos repetere ad eleemosynas pauperum. Quinimò contrarium in Jure deciditur; nam in cap. *Veniens*, qui clerici vel voventes matrim. contrah. poss. reprobatur votum continentiæ à muliere emissum post sponsalia, inconsulto sponso, eique permittitur matrimonium. Citatur etiam à nonnullis cap. *Ex literis* 10. de sponsalib. quo prohibetur sponso migrare ad alia vota: sed perperam; ibi namque per alia vota nihil intelligi debet nisi aliud matrimonium. Alius est formalis textus in extrav. Joannis XXII. cap. unico de voto, ubi decernitur, eum qui nondum consummato, quod contraxerat, matrimonio, suscepit Ordinem sacrum, in quo votum solenne emisit continentiæ, cogendum esse sub excommunicationis pœna ad petitionem uxoris matrimonium consummare, nisi malit Religionem ingredi. Denique hanc negativam de voto continentiæ contracta sponsalia præcedentia non dirimente, sententiam docent & asserunt Ostiensis, Innocentius, Joannes Andreas, Panormitanus, Archidiaconus in cap. *Rursus*, qui clerici vel voventes, & S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2. Fumeus verb. *Matrimonium*, num. 2. Navarrus cap. 22. num. 27. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 54. Coninch disp. 23. dub. 3. num. 25.

XI. Eum qui post contracta sponsalia vovit castitatem, si huic voto nolit sponsa acquiescere, scribit Sylvester verb. *Sponsalia*, q. 7. citans Paludanum, teneri ingredi Religionem, eo quòd votum suum aliter servare non possit. Sed verius est, hunc non onerari graviore debito quod nullatenus vovit: sed si Pars nolit obligationem sponsalium remittere, obligatione astringi contrahendi & consummandi matrimonii. Id perspicuum est ex prædicta extrav. unica de voto, quæ loquens de ingressu in Religionem, sic dicit de eo qui post contractas, necdum verò consummatas nuptias, castitatem solenniter vovit in O[illegible]is sacri susceptione: *Quod si forsan renuerit adimplere.* Ad quæ verba Glossa ita infert: *Supponit expressè quod possit renuere, ut in servo dicitur, qui licèt jussus per dominum potest nolle hæreditatem adire, l. Cum proponas, C. de hæred. instit.* Hoc igitur casu, qui se continentiæ voto post sponsalia nuncupavit post duos menses à Jure concessos, nec potest à desponsata obtinere ut sibi promissio illa remittatur, potest, imò debet nuptias consummare, & omninò debitum petenti reddere; sed ipsi vicissim petere non licet, ut continentiam servet quantùm potest. Deinde si consors prædecedat, non potest superstes continentiæ voto astrictus ad secundas nuptias convolare, juxta cap. *Placet*, de convers. conjug. Sed si dum vivit uxor, periculum gravissimum urgeat incontinentiæ, expediet omninò id votum authoritate Superioris relaxare: quale exemplum habetur in cap. *Veniens*, qui clerici vel voventes.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii.

I. PAUCI quidam neoterici, Melchior Canus lib. 8. de locis Theologic. cap. 5. Estius in 4. dist. 26. §. 10. & 11. scripsere hujus Sacramenti Ministrum esse Sacerdotem, ejusque verba esse formam: contrahentium autem verba aliáve signa consensus esse materiam; & quando deest Sacerdos, nihil geri inter ambas Partes præter civilem contractum. Contraria opinio est omnium aliorum Theologorum & Canonistarum communis, ipsos contrahentes esse ministros, Sacerdotem autem post Concilii Tridentini decretum non assistere ut Sacramenti hujus ministrum essentialem, sed ut testem ad hoc necessarium, ut conventio Partium habeatur pro legitimo contractu & sufficiente ad rationem Sacramenti. Sed ante Tridentinum Decretum non fuisse necessariam Parochi præsentiam ad rationem Sacramenti, quod in solo Partium baptizatarum consensu de præsenti mutuò signis sufficientibus de mutua corporum traditione expresso subsistebat: Sacerdotem verò non interfuisse nisi tanquam ministrum accidentarium & ceremonialem, & hujus Sacramenti testem. Idque est quod verbis Tertulliani significatur dicentis lib. 2. ad uxorem, in fine, matrimonia Fidelium conciliari ab Ecclesia. Ambrosius quoque epist. 70. meminit Fidelium matrimoniorum per Sacerdotem benedictionis, & per eundem in Ecclesia impositionis velaminis super Sponsum & Sponsam. Concilium Carthaginense IV. can. 13. præcipit conjugatos benedici à Sacerdote, eisque propter hujus benedictionis veneronem præcipit insequentis noctis continentiam. Quod autem Evaristus Papa, 30. quæst. 5. can. *Aliter*, vult censeri pro stupris matrimonia in quibus neque dos, neque cognati, neque Sacerdotis benedictio intervenerit, hoc unum intendit, clandestina matrimonia, si nullâ probatione eorum veritas declaretur, ita esse suspecta, ut eorum nullitas præsumenda sit, donec nuptialis utrimque consensus probationibus omni exceptione majoribus eluceseat.

II. Apertè verò fallitur Bannes, qui 1. p. quæst. 1. art. 8. dub. ult. in respons. ad 3. affirmat Magistrum, & D. Thomam, & Scotum dubitasse de hac quæstione; ipsi enim apertè suam explicant sententiam. Magister quidem in 4. dist. 28. §. *Præmissa autem*, sic ait; *In hujus autem Sacramenti celebratione, sicut in aliis, quædam sunt pertinentia ad substantiam Sacramenti,*

ut

ut consensus de præsenti, qui solus sufficiat ad contrahendum matrimonium: quædam verò pertinent ad decorem & solemnitatem Sacramenti, ut parentum traditio, Sacerdotis benedictio. D. Thomas mentem quoque suam clarissimè profert in 4. dist. 26. art. 1. ad 1. his verbis: *Ad primum dicendum, quod verba quibus consensus matrimonii exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Atque hoc idem repetit dist. 28. art. 3. in corpore: atque inde concludit, matrimonium clandestinum esse verum Sacramentum. Similiter Scotus in 4. dist. 26. quæst. unica, §. *Sed hic est dubium*, perspicuè ait hujus formam Sacramenti esse verba quibus contrahentes consensum suum exprimunt, eosdemque sic exprimentes esse ministros Sacramenti.

III. Matrimonium habet quidem pro materia remota, seu circa quam versatur, contrahentium corpora; sicut Pœnitentia pro sua remota materia habet peccata pœnitentis. At verò Matrimonii materia proxima & intrinseca est ipse mutuus consensus signis externis expressus, quatenus habet rationem traditionis: qui idem consensus mutuò significatus, quatenus habet rationem acceptationis est ejusdem Sacramenti forma. Omnis etenim promissio & traditio donec acceptetur est ex se inefficax & indeterminata, ut rata sit vel irrita: per acceptationem autem determinatur ad esse ratum, & efficaciam sortitur ad inducendam obligationem: formæ autem proprium est determinare materiam, eique vim agendi impertiri. Illa igitur traditio est proxima istius Sacramenti materia, acceptatio verò formæ rationem sortitur.

IV. Magna quæstio est, utrum ad validitatem matrimonii requiratur mutuus consensus ad copulam; utrimque enim gravia urgent argumenta. Nam pro affirmativa favere ejus assertoribus videtur, quod ad valorem matrimonii necessariò requiritur consensus in id quod est de matrimonii essentia, cùm omninò consistat matrimonium in consensu Partium. Ex quo etiam sequitur, requiri pariter consensum circa ea quæ matrimonii essentiam necessariò consequuntur. Quisquis enim rem aliquam absolutè vult, idem quoque saltem virtualiter ac implicitè vult ea omnia quæ ejus rei essentiam necessariò consectantur. Atqui matrimonio essentialis est, ut suprà vidimus, corporum mutua traditio & acceptatio, quo fit ut neuter seorsim sui corporis potestatem habeat, teste ipso Apostolo 1. Corinth. 7. *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Sed illa utrimque translatio potestatis ac dominii in proprium corpus refertur essentialiter ad copulam: Ergo non potest subsistere matrimonium sine intentione ad copulam, & obligationis susceptione ad illam, quoties pars altera debitè requiret. Præterea sacri Canones definiunt, non pertinere ad conjugium eos easve inter quos non intervenit sexuum commistio, can. *Non dubium*, can. *Cùm societas*, 27. quæst. 2. Et ibid. can. *Sic quippe*, can.

ex D. Gregorio Papa desumptus est, disertè negat B. Joseph propter sexuum continentiam ad nuptias B. Virginis pervenisse, sed solùm ad sponsalia ejusdem.

V. Ex parte autem negativa maximè atque invictè urget verum quod intercessit inter Beatissimam Virginem, & Sanctum Joseph connubium; cùm tamen sacratissima Virgo nunquam de proposito remiserit servandæ virginitatis. Qua de re sapienter Augustinus lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 11. sic attestatur: *Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat Joseph, nec fuerat cogniturus, nec petierat: nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commistio. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, non solùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, sicut conjunx matris ejus; utrumque mente, non carne.* Idque habetur 25. quæst. 2. can. *Conjunx vocatur.* Idem sanctus Augustinus iteratò hoc docet lib. de consensu Evangel. cap. 1. ubi observans quod Evangelista dicat Joseph virum Mariæ, sic scribit: *Neque enim fas erat ut ob hoc eum à conjugio Mariæ separandum putaret, quòd Virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia potuit eis nasci filius sine ullo complexu carnali, qui propter solos filios gignendos adhibendus est.*

VI. Eadem pars negativa probatur, quia si talis conditio seu obligatio invicem continendi esset contra matrimonii substantiam, nullum & irritum esset matrimonium quod contrahitur per unam Partium, cum hac intentione & obligatione nunquam matrimonium consummandi. Et tamen oppositum sancitur in cap. *Commissum*, de sponsalib. Cùm enim aliquis sponsalia de futuro firmata juramento contraxisset, deinde votum emisisset Religionem ingrediendi, mandat Pontifex ut ille promissum matrimonium contrahat, nec tamen consummet, sed mox Religionem ingrediatur. Præterea cap. *Verùm*, de convers. conjug. definit posse conjugatum per verba de præsenti Religionem alterâ invitâ Parte ingredi, dummodo matrimonium non sit consummatum; & alteri Parti licere ad aliud matrimonium transire, quia prius matrimonium per religiosam consortis professionem quasi per mortem solutum fit. Atque ut non pauca fileam sanctorum conjugum exempla, qui virginitatem in matrimonio illibatam servaverunt, Elzearii & Delphinæ, Eduardi Anglorum Regis & Editha, Henrici Imperatoris & Cunegundis, celebratur Græcorum historiis conjugium Marciani Imperatoris & Pulcheriæ initum post datam utrimque fidem mutuæ continentiæ.

VII. Ad superius argumentum de mutua corporum traditione, quæ est de matrimonii essentia, ab eoque inseparabilis: respondendum, dominium illud mutuum quod alter in alterum nanciscitur per corporum traditionem, perdurare ad vitam utriusque conjugis, subsistente nihilominus

obliga-

obligatione ad promissam continentiam servandam. Est enim axioma Juris Canonici, posse usum ab ipso dominio separari, cap. *Exiit qui seminat*, §. *Nec quidquam*, vers. *Nec per hoc*, de verbor. signific. in 6. & extravag. *Ad Conditorem*, in princip. eodem tit. Quin etiam in Jure Civili plerumque contingit, ut dominus ac proprietarius rei careat ejusdem usu, ad quem solum jus habet usuarius aut usufructuarius. Tales ergo conjugati retinent dominium in mutua corpora, sed tamen ligatum & impeditum quoad usum, quo fit ut habita inter eos copula sacrilegii crimine macularetur ob voti transgressionem; non tamen crimine stupri aut fornicationis, quia non esset accessus ad non suam. Ad Canones paulò antè in oppositum citatos facilis est responsio, Authores scilicet horum Canonum ut distinguant intemeratum Virginis Mariæ conjugium ab aliis communibus matrimoniis ad sexuum commistionem destinatis, strictiùs ibi usurpant nomen matrimonii aut nuptiarum, & latiùs extendunt sponsaliorum notionem ac significatum; cùm tamen sponsalia propriè sumpta sint promissio de futuris nuptiis, & conventio sanctæ Mariæ cum sancto Joseph fuerit de præsenti, & non de futuro. Oppositа verò aliorum Canonum & Patrum testimonia, quibus affirmant verum fuisse inter ambos matrimonium, loquuntur juxta propriam ejus vocis significationem.

CAPUT XIX.

De Matrimonio per procuratores contracto.

1. MINIME dubitatur valuisse matrimonium per procuratorem contractum ante Tridentinum Decretum sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. quo hæc requiritur conditio tanquam essentialis, ut contrahentes suum consensum coram Parocho & testibus exprimant. In veteri Testamento matrimonium Isaaci cum Rebecca contractum fuit per Eliezer internuntium, cap. *Honoramur*, 32. quæst. 2. & cap. *Ex parte* 14. de convers. conjug. & cap. *Veniens*, qui cler. vel vovent. & cap. ultimo de procur. in 6. & l. *Sufficit*, & l. ult. D. de sponsal. & l. *Mulierem*, D. de ritu nupt. omnes enim contractus qui consensu perficiuntur, possunt inter absentes ac per procuratores contrahi, l. 1. §. *Est autem*, D. de contrah. emption. Sed hoc jus nullatenus abrogatum est per Tridentinum Decretum, ut communiter sentiunt Doctores, & præsens quoque Ecclesiæ praxis docet: neque Tridentinum exigit ut contrahentes per seipsos suum consensum coram Parocho exprimant, sed simpliciter ac generatim, ut exprimant coram Parocho & testibus; id verò

præstant absentes, qui per constitutos à se procuratores exprimunt: & qui per alium facit, per se facere videtur. Et potest quis per alium quod potest facere per seipsum, cap. *Potest quis*, de reg. jur. in 6. & qui facit per alium perinde est ac si faciat per seipsum, cap. *Qui facit*, eod.

II. Præfatum illud cap. ultimum de procur. in 6. tria decernit notatu dignissima circa procuratorem ad nuptias constitutum. Primò esse necessarium ut procurator habeat mandatum circa hoc speciale; non enim sufficeret generale: nemo enim censetur in re tanti momenti, à quo status totius vitæ futuræ dependeat, velle cum aliqua contrahere, nisi priùs illam noverit & in eam consentiat, l. *Generali*, D. de ritu nupt. Secundò exigit ut procurator per se rem gerat, nec possit alium sibi subrogare, nisi hoc quoque specialiter habeat in mandato. Tertiò requirit ut constituens mandatum suum non revocaverit antequam res mandata geratur, alioqui nullum erit illud à procuratore actum matrimonium, tametsi tam ipse quàm ea cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignoraverit, cùm ibi deficiat alterius Partis consensus, sine quo nuptiæ conciliari nullo modo possunt. Id verò speciale est in matrimonio; cæteri enim contractus per constitutum procuratorem validè fiunt, & obligationem inducunt, si revocatio mandati non antè innotuerit procuratori & Parti, l. *Si mandassem*, D. mandati: & l. 1. §. 2. D. quod jussu: & cap. *Ex parte* 12. de rescript. & adhuc clariùs in Clement. unica de renunciatione.

III. Tribus istis conditionibus quarta demùm adjungenda est, ne constitutus ad matrimonium procurator mandatis fines excedat sui: si enim excesserit, irritum est quod agit; non enim censetur mandans consentire, nisi servetur præscripta ab eodem conditio, l. *Diligenter*, D. mandati. Ut si mandatum fuerit de contrahendo cum Cecilia matrimonio certa dote constitutâ, invalidè contrahet mandatarius si nulla, vel minor dos constituatur. Quod idem censendum de cæteris conditionibus appositis. Coninch disput. 24. dub. 9. num. 69.

IV. Quæritur an valeat initum per procuratorem matrimonium, si post mandatum ipse mandans inciderit in amentiam, quæ perduret quo tempore procurator contrahit? Respondendum est, valere; non enim requiritur ut qui mandavit ratione utatur, dum procurator mandatum exequitur; nam alioqui si tunc temporis dormiret, aut ebrius esset, dicendum quoque esset irritum esse id omne quod à procuratore geritur, quatenus qui mandaverat jam usu rationis caret: sufficit enim quod rationis compos mandaverit, & procurator ipse dum exequitur, ratione utatur. Si instes, quod is tamen qui per se immediatè contrahit tempore ebrietatis suæ vel amentiæ, nihil validum efficiat, etiamsi anteà rationis compos hunc actum intendisset; id quidem verum est, magna tamen in utroque casu intervenit differentia, quia procurator validè agit, quia ratione utitur ad consensum & contractum indispensabiliter & ipso facto necessariâ. At verò dum

quis

quis ebrius vel amens est, incapax est & contractus & consensus omnis per seipsum. Ita Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 4. num. 4. Sanchez lib. 2. disp. 11. num. 12. Nullatenus verò est admittendus procurator, nisi mandatum exhibeat. Nullatenus quoque fides mandanti adhibenda est in externo foro, si mandati sui anteriorem contractui revocationem prætexat, nisi juridicè & sufficienter probet se revocasse.

CAPUT XX.

De proclamationibus Matrimonio præmittendis.

I. STatutum est in primis ab Universali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. can. 51. qui citatur in cap. *Cùm inhibitio*, de clandest. desponsat. & deinde à Tridentino sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1. ut antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuncietur inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii procedi possit. Sed si probabilis apparuerit conjectura impedimenti, contractus interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis, d. cap. *Cùm inhibitio*.

II. Si contrahentes sint diversarum Parochiarum, faciendæ sunt denunciationes in utriusque Parochia, non enim sufficienter alioqui possent impedimenta dignosci. Idemque sentiendum de diversis Diœcesibus. Alteruter enim contrahentium sive Parochus, sive Episcopus, potest eos matrimonio jungere, & uterque Episcopus potest intra fines Diœcesis suæ circa has proclamationes dispensare. Bonacina de matrim. quæst. 2. punct. 6. num. 7. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 32. num. 10. & 35. Quod verò dicit Tridentinum de tribus continuis diebus festis, non est aliter intelligendum, nisi de festis non longo intervallo distantibus, non verò de festis sibi immediatè succedentibus. Suadet enim id ratio dignoscendi si qua sint impedimenta; ad quem finem conducit ut tempus populo concedatur, in mentem si quæ sunt obstacula revocandi, & ea Parocho denunciandi. Quocirca haud ita festinanter urgenda res est, nisi gravis succurrat causa; sed interponendi sunt certi dies ab una ad alteram proclamationem: eaque est recepta ubique ferè praxis interstitii ab uno ad aliud festum unius saltem aut duorum dierum. Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 6. num. 8. Coninch disp. 27. dub. 5. num. 47.

III. Ad Episcopum ejusque Vicarium spectat dispensatio harum proclamationum, hoc enim Ordinarii prudentiæ committit Concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. 1. ut vel una tantùm denunciatio fiat ante contractum coram Parocho ineundum, vel etiam post contractum coram Parocho initum interdicatur consummatio, & provideatur ne simul cohabitent Partes donec factis denunciationibus in Ecclesia nihil impedimenti cognoscatur. Cùm autem requirat Concilium, ut Ordinarius judicet dispensationem expedire, satis declarat non nisi ex justa causa licitum esse in hac re dispensare.

IV. Justas in hac re dispensandi causas colligunt Summistæ. Atque hæ ferè sunt quæ sequuntur, quasque referunt S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 16. Sylvester verb. *Matrimonium* 6. quæst. 7. Sanchez lib. 3. disp. 9. Coninch disp. 27. dub. 6. Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 35. & seqq. Prima causa dispensandi est quoties aliàs creditur impediendum matrimonium, sive per sortilegium, sive per injustam cognatorum, aliorumve factionem. Secunda causa est quando non nisi cum contrahentium infamia fieri proclamationes possent, ut si qui vixerunt in concubinatu, habiti sint veri conjuges. Tertia quando sine gravi animæ, aut etiam rerum temporalium discrimine non possunt nuptiæ ulteriùs differri, ut si vir sit in periculo mortis, aut debeat extemplò longiùs proficisci, & necesse sit contrahere connubium, ut proles jam nata, vel concepta legitimetur; aut si verisimiliter non sit depositurus affectum erga concubinam, & sic perseveraturus in statu peccati. Quarta cùm duobus, ad vitandum peccatum, vel scandalum, vel infamiam, vel odia & periculosas lites & querelas ex parte parentum, expedit quamprimùm nuptias inire, & periculum est si tantisper differatur, ne alterius animus ex levitate, infidelitate aut aliorum suasionibus immutetur. Casus iste tum alibi, tum ibi maximè occurrit, quum ambæ simul partes in flagranti stupro deprehensæ consentiunt in matrimonium. Sanchez lib. 3. disp. 9. num. 15. Quinta causa, quando tempus instat quo nuptiæ celebrari prohibentur, nec tamen differri possunt citra grave incommodum, aut animæ periculum ex incontinentia. Sexta quando altera Partium est sub potestate tutoris, curatoris, vitrici, novercæ, aliorumve cognatorum aut affinium, qui ejus nuptias intendunt impedire, ut ipsi in ejus bona succedant, aut eam in Monasterium detrudant, vel imparibus & indignis conjungant. Barbosa d. p. 2. alleg. 32. n. 43. & 44. Coninch disp. 27. dub. 5. num. 52. & alii communiter. Septima quando summi Principes contrahunt: tum quia his aliquæ prærogativæ concedendæ sunt: tum quia cessat periculum occultum impedimenti, cùm eorum genus & facta cunctis comperta sint. Octava si inter volentes nuptias contrahere sit magna disparitas, propter quam gravia instabunt obstacula ex parte æmulorum aut consanguineorum. In his, aut saltem quibusdam prædictorum casuum, affirmant Sanchez, Barbosa, Coninch, aliique,

aliique, teneri etiam Ordinarium dispensare à denunciationibus ad Partium petitionem, si non aliqua suspicio, aliave rationabilis causa dissuadeat à dispensatione. Ratioque est, quia Prælatus ex officio tenetur, quoad fieri commodè potest, ovium suarum periculis occurrere, si gravia & urgentia sint.

V. Quin etiam ubi urgeret gravis & aperta necessitas sine proclamationibus contrahendi, nec posset per temporis angustias Episcopus adiri, quia citò dilaberetur occasio; aut etiam si rogatus Prælatus præ sua malitia aut manifesta & iniqua pertinacia dispensare recusaret, posset sine proclamationibus contrahi matrimonium, ut si aliqui vixerint in concubinatu, qui putabantur conjuges: vel si vir existat in vitæ periculo præsenti, seu mortis articulo, & vult ducere concubinam ad ejus abolendam infamiam, aut ad prolem legitimandam; vel quia id utriusque saluti expedit. Item quando cognati, affines, tutores aut potentes personæ nuptias impedire moliuntur eorum quorum bonis inhiant, aut quos inæqualibus conjungere intendunt, ut non possint aliis palam nubere. His casibus aliisve, si qui similes existunt, posse absque proclamationibus, aut circa eas dispensatione procedi ad matrimonium, docent Sotus in 4. dist. 28. q... art. 2. concluf. 3. §. *Ex his primùm intelligitur*. Lopez 1. p. Instructorii de matrim. cap. 39. §. *Ex prædictis*: Sanchez lib. 3. disp. 10. n. 27. Coninch disp. 27. dub. 5. n. 52. & communiter cæteri.

VI. Porrò assertione unius fide digni, & non suspecti circa matrimonii impedimentum impeditur matrimonium contrahendum, donec oppositum probetur. Idemque statuendum de fama communi circa impedimentum, cap. *Præterea*, & cap. *Cùm in tua*, de sponsal. & cap. *Super eo*, de consang. & affinit. His additur in d. cap. *Cùm in tua*, non admitti oblatum à parentibus juramentum contra unius gravis & non suspectæ personæ denunciationem, aut contra communem famam, quia ipsimet suspecti sunt, utpote parentes, nisi probationem in oppositum proferant.

VII. Eos qui intra quatuor menses post peractas denunciationes matrimonium non contraxernnt, non posse postmodò contrahere, nisi novæ fiant arbitrio Episcopi proclamationes, affirmant Rebellus, Possevinus, Bonacina, & Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 32. num. 55. Qui ibidem scribit, si non præmittantur denunciationes, saltem esse supplendas adhibitâ unâ vel alterâ post ratum matrimonium antequam consummetur, donec elapsi fuerint dies octo post ultimam proclamationem. Atque ita judicatum refert Barbosa à Cardinalium Congregatione.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Matrimoniorum impedimentis: ac primùm de non dirimentibus.

I. MATRIMONIORUM impedimenta sunt duplicis generis; quædam enim nuptias dirimunt, hoc est invalidas reddunt; quædam autem contractas nuptias non dirimunt, sed eas contrahi prohibent. Prima sunt simul impedientia & dirimentia: secunda verò impediunt contrahendum matrimonium, faciuntque illicitum, quanvis valeat contractum. Atque istius secundi generis quinque sunt impedimenta. Primum est votum simplex, sive castitatis, sive Religionis suscipiendæ. Secundum est Catechismus. Tertium sponsalia cum alio adhuc vivente conventa. Quartum est Prælati, seu Judicis interdictum contrahendi, donec plenior de impedimentis notitia accesserit. Quintum est tempus intra quod prohibet Ecclesia matrimoniorum solennia. Reliqua verò quæ nonnulli censent impedimenta, vel nulla sunt, vel à Concilio Tridentino abolita, vel à consuetudine.

II. Qui vovêre simpliciter aut castitatem aut Religionem, illicitè contrahunt, nisi ex justa causa cum eis fuerit dispensatum; cùm enim promissionis fides hominibus servanda sit, multò magis Deo. Hoc tamen intercedit discrimen inter hæc duo vota, quoniam qui castitatem ante matrimonium voverat, potest petenti debitum reddere conjugale, ne alia pars innocens suo jure fraudetur; sed non potest debitum exigere. At is qui voverat Religionem, utrumque licitè potest, scilicet reddere & exigere. Navarr. Manualis cap. 12. num. 80. §. *Cui consequens.* Soto, Toletus, Coninch locis mox citandis. Licèt enim iste quoque castitatem implicitè voverit, quæ virtualiter in voto Religionis includitur; attamen eam non vovit nisi in solo Religionis statu servandam. Sed uterque tamen pristini, sive castitatis, sive Religionis voti plenæ observationi reddetur adstrictus soluto per mortem alterius matrimonio, aut etiam viventis alterius Partis consensu, vel fornicatione superveniente, propter quam reddatur immunis etiam à debito nuptiali solvendo. Soto lib. 8. de just. & jur. quæst. 2. art. 1. Coninch disput. 30. dub. 3. num. 33. Toletus lib. 7. cap. 14.

III. Circa simplex continentiæ, vel Religionis votum multa suppeditat documenta D. Augustinus in epist. 70. ad Bonifacium Comitem, qui simplex votum perpetuæ continentiæ & monasticæ professionis nuncuparat. Sed quia Bonifacio Præfectura Africæ incumbebat, quæ tunc &

Barbaro

Barbarorum, præsertim Vandalorum armis, & hæreticorum factionibus infestabatur, eundem à monachismi, quem voverat, proposito dissuasit Augustinus. Deinde Bonifacius pristinum remittens pietatis ardorem duxit uxorem. Quare ipsum suis literis coarguit Augustinus infracti voti, quo tamen dicit eum jam non astringi dum stat matrimonium, nisi uxor quam voti hujus insciam duxerat, consentire velit in mutuam continentiam. Ex his colligitur primò justam esse & licitam suasionem, ut quis ab ineundæ religiosæ vitæ voto emisso abducatur & dispensetur, si manifestè majus bonum excludat, ut suasit Augustinus. Secundò, eum qui simplici voto continentiæ se obstrinxit, si matrimonii jugum suscipiat, graviter peccare: quod idem testatur Apostolus de viduis nubere volentibus, & idcirco habentibus damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, 1. Timoth. 5. non tamen peccare si conjugi innocenti ac petenti debitum reddat. Nihil tamen distinguit Augustinus ibidem, an voti continentiæ reus possit idem debitum petere; sive quia satius duxit nihil insinuare hac in parte, virumque in sua bona fide relinquere, ubi grave periculum & occasio inevitabilis urgebat; sive quia ipse existimabat multùm de jure innocentis uxoris diminui, si nullum habere posset matrimonii usum, nisi cum damno pudoris & verecundiæ, quæ decet sanctè educatas & pudicas fœminas. Tertiò, si alter conjugum qui non est voto astrictus, consentiat in mutuam continentiam, aut si ejus morte dirimatur conjugium, teneri alterum, qui voverat, conjugem pristino continentiæ voto, nec posse secundis nuptiis alligari.

IV. Gravis quæstio est, utrum qui post votum simplex castitatis aut Religionis contraxit per verba de præsenti matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi monasterium? Affirmativè quidem respondendum est de illo qui voverat Religionem; ab hoc enim voto non est solutus, neque suspensus per illud matrimonium, cùm constet, eum etiam qui nullo modo vovit, posse ante consummationem à matrimonio resilire hoc fine Religionem ingrediendi. Sed major est difficultas in eo qui non Religionem, sed continentiam vovit ante matrimonium. Videtur enim, si nondum consummaverit contractum matrimonium, obligari ad Religionis ingressum, cùm hoc unico modo possit adhuc suum continentiæ votum adimplere, & quia omne votum oblatâ opportunitate persolvendum est; hîc autem unica supereſt illa opportunitas, quâ neglectâ, non erit ampliùs locus voti obligationi persolvendæ: ideoque teneri ad ingressum monasterii, docent Sylvester verb. *Matrimonium* 7. quæst. 5. & Navarra cap. 12. num. 80. Sed verisimilior est sententia Dominici Soto in 4. Sent. dist. 38. quæst. 2. art. 1. quem sequitur communior Doctorum consensus, non teneri Religionis subeundæ obligatione, quam nullatenus vovit; nec ad servandam castitatem obligari ad eligendum medium tam durum & extraordinarium. Id confirmatur per extrav. *Antiquæ*, Joan. XXII. de voto,

ubi uxoratum ante matrimonii consummationem sine consensu uxoris suscipientem sacros Ordines, dicit esse inducendum ut Religionem ingrediatur; quod si nolit, cogendum esse matrimonium consummare petente uxore. At qui hæc ipsa coactio ad consummandum esset prorsus illicita, si uxoratus ille qui in sacri Ordinis susceptione castitatem solenniter vovit, non posset licitè consummare. Potest verò licitè matrimonio astrictus, quia uxor saltem implicitè petit matrimonii consummationem primâ concubitus nocte, quatenus id exposcit, & ad id refertur contractus matrimonii inter ipsam & virum initus. Mortuâ autem, vel fornicante uxore, tenebitur absolutè, ut dictum est, servare castitatem.

V. Secundum quod est Catechismi impedimentum, ordinariè contingit esse conjunctum cum alio impedimento quod est dirimens, nimirum spiritualis affinitatis; quia ordinariè iidem patrini aut matrinæ, qui suscipiunt baptizatum vel confirmatum, suscipiunt quoque in Baptismo. Sæpe tamen fit ut infans sine solennitate quidem, sed validè baptizatus ratione urgentis vitæ periculi, postmodùm ad Ecclesiam deferatur, ut in eo cæremoniæ omissæ suppleantur, quarum una dicitur Catechismus, scilicet instructio ac professio fidei, quæ solenniter fit præ foribus Ecclesiæ, ex qua sequitur cognatio spiritualis, quam cum baptizato contrahit is qui puerum in eo Catechismo tenuit. Censent tamen aliqui, ut Sanchez & Diana, hanc cessasse cognationem & impedimentum, quia Concilium Tridentinum dicit sess. 24. in decreto de reform. matrim. *Omnibus inter alias personas hujus cognationis spiritualis sublatis omninò impedimentis.* Quæ tamen verba alii plerique restringunt ad solam cognationem quæ ex ipsis Sacramentis, de quibus ibi loquitur, non verò ex solis cæremoniis contrahitur. Sacræ tamen Cardinalium Congregationis decretum refert Antonius Diana p. 3. tract. de Sacramentis, resol. [illegible]. quo declaratum fuit istam quoque ex Catechismo cognationem cessasse per Tridentinum illud decretum, quæ antea vigebat per cap. *Contracto*, de cognat. spirit. & per cap. *Per catechismum*, eod. in 6.

VI. Tertium impedimentum ex sponsalibus nascitur cum alia persona conventis; idque fundatur in ipso naturali jure prohibente fidem alicui datam infringi. Sed is cui data fides est, potest suo consensu hanc obligationem relaxare; nihil enim tam naturale est quàm eo genere quidque dissolvi quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur; nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur, l. *Nihil tam naturale*, D. de regul. jur. & cap. 1. eodem tit.

VII. Quartum impedimentum est interdicti per judicis sententiam aut decretum, ne nuptiæ contrahantur donec aliqua superveniens difficultas fuerit plenius dilucidata, cap. 1. 2. & 3. de matrim. contract. contr. interd. Imperitè aliqui crediderunt, tempore pœnalis interdicti illicita esse matrimonia: sed licita esse communis est Doctorum sententia, quatenus matrimonium

monium ex sua primæva conditione est merus & civilis contractus, nec habet Sacramenti rationem nisi per accidens & accessoriè; ideoque non censetur in numero Sacramentorum illorum, quæ caput *Si sententia* 16. de sent. excomm. in 6. prohibet interdicti ter[illegible]re ministrari; cujus etiam ministri non sunt Sacerdotes, sed ipsimet c[illegible]ahentes ac laïci. Posse itaque tempore interdicti pœnalis fieri matrimonia, dummodo non eis denedicatur per Ecclesiam, docet Glossa recepta in cap. fin. de sent. excom. verb. *Sacramentis*. Navarr. cap. 27. num. 179. Ostiensis in cap. non est, de sponsalib. Panormitanus ibid. Sylvester verb. *Interdictum* 5. n. 9. Coninch disp. 17. num. 48.

VIII. Quintum impedimentum est tempus intercurrens à prima die Adventus usque ad diem Epiphaniæ; & à die Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè. Nam ob temporum istorum venerationem Ecclesia prohibet solennitatem nuptiarum. Concilium Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 10. Plerique Doctores censent, non prorsus vetari pro illis temporibus nuptias, sed tantùm ista duo, benedictionem nuptiarum, & solennem sponsæ ad ædes sponsi traductionem cum pompa, magno comitatu, vel choreis & canticis, eo quòd Tridentinum caput 10. non simpliciter nuptias celebrari prohibeat, sed enunciet nuptias solennes, & solenniter celebrari prohibeat: & quia Glossa in cap. *Capellanus*, de feriis, dicit quocunque tempore anni, ipsisque feriis quibus nuptiæ fieri prohibentur, posse contrahi sponsalia & matrimonium quoque de præsenti, dummodo à solennitatibus abstineatur. Ita Navarra cap. 22. n. 77. ubi citat Paludanum, Caietanum, & Sylvestrum: item Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 8. Coninch disp. 30. num. 36. Filliucius tract. 10. p. 2. cap. 9. quæst. 5. His accedit Bonacina de matrimon. quæst. 3. puncto 14. num. 4. §. *Ex dictis*, & §. *Secundò sequitur*: admonens tamen sequendam hac in re esse locorum consuetudinem.

IX. Recensentur præterea impedimenta ex delicto non dirimentia. 1. Incestus cum consanguinea conjugis in primo & secundo gradu; aut fornicatio habita cum matre & filia, ut nequidem mortuo conjuge liceat ei alterum inire matrimonium. 2. Raptus alienæ sponsæ. 3. Uxoricidium. 4. Susceptio propriæ prolis ad Baptismum aut Confirmationem hoc malo fine ponendi impedimentum ad reddendum debitum conjugale. 5. Occisio Presbyteri. 6. Publica pœnitentia, quandiu durat: sed hæc nec est delictum, nec in usu. 7. Conjugium cum Moniali. Sed ut ait Coninch, non est opus his septem immorari, quia jam omninò sublata sunt. Nam his irretiti sine ulla dispensatione videntibus Prælatis contrahunt. Ita Navarra cap. 22. num. 75. & cum aliis Sanchez lib. 7. disp. 17. num. 8. Coninch disp. 30. num. 26. Sanè in Gallia ista criminis impedimenta non dirimentia nullatenus recepta esse videmus, sed ea sola quæ matrimonium dirimunt.

CAPUT XXII.

Impedimenta Matrimonium dirimentia.

I. EA quæ matrimonium etiam contractum dirimunt impedimenta recenſentur quatuordecim, his verſibus comprehenſa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Affinis, raptor, ſi clandeſtinus, & impos.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

II. Error triplex diſtinguendus eſt, ſcilicet perſonæ, qualitatis, conditionis. Error perſonæ dicitur quando contrahens putat aliam eſſe perſonam cum qua contrahit, quàm reverà ſit. Error circa perſonam ipſo naturæ jure irritum facit matrimonium, cauſa 29. quæſt. 1. per totam. Quia perſonæ contrahentium nuptias ſunt ipſum primarium & eſſentiale objectum matrimonii; niſi ipſe errans intendat ipſo actu contrahere cum proposita perſona, qualiſcumque illa ſit. Error qualitatis non facit conjugium irritum, ut ſi credens quis ducere divitem, nobilem, formoſam, virginem, ducat reverà inopem, ignobilem, deformem, corruptam. Quia contractus matrimonii verſatur circa perſonas, non circa qualitates; & qualitas habet ſe tantùm per modum rationis motivæ aut cauſæ finalis, & conſequenter ejus error facit dumtaxat voluntarium ſecundùm quid, neque impedit eſſentialem conſenſum. Hinc excipe caſum quo quis expreſsè intenderet non contrahere, ſi talis qualitas perſonæ inſit, vel non inſit. Tunc enim ceſſante conditione cui innititur conſenſus, certum eſt conſenſum omninò deficere. Excipe ſecundò caſus in quibus error qualitatis tranſit in errorem ipſius perſonæ: quod fit quoties qualitas in qua erratur, determinat certam aliquam perſonam diſtinctam ab ea quæ præſens eſt, ut ſi Titius contraxit cum filia Joannis, quæ ſe falsò dicebat filiam Petri qui eſt Præſes provinciæ; Titius verò intendit contrahere cum filia Præſidis provinciæ, ſuumque conſenſum ad eam determinat: eo caſu cùm error qualitatis determinet Titium ad aliam perſonam ab ea diverſam quæ præſens eſt, invalidum eſt illud cum filia Joannis matrimonium. Sanchez lib. 7. diſp. 18. num. 25. Navarra cap. 22. num. 32. Bonacina de matrim. quæſt. 3. puncto 2. num. 7.

III. Error conditionis format ſecundum irritans impedimentum, & intelligitur de conditione ſervili. Circa hunc ſtat receptiſſima concluſio:

Matri

Matrimonium contractum cum errore conditionis validum est, si persona cum qua contrahitur est æqualis, aut melioris conditionis. Servus ergo contrahens cum serva, quam tamen credit esse liberam; aut contrahens cum libera, quam credebat esse servam, validè contrahit, cap. *Si quis*, & cap. *Ad nostram*, de conjugio servorum.

IV. Votum solenne quod emittitur in susceptione sacrorum Ordinum, vel in professione Religionis, constituit tertium dirimens impedimentum, Clement. unica de consang. quæ pœnam quoque excommunicationis latæ sententiæ adjungit: item can. *Presbyteris*, dist. 27. & extra qui clerici vel vovent. per totum: & Concilium Carthaginense IV. can. 104. & Matiscoense can. 4. & Tridentinum sess. 24. de Sacram. Matrim. can. 9. Quod idem jus Gregorius XIII. extendit ad vota simplicia, quæ post biennium probationis emittere solent novitii Societatis Jesu, eosque declarat esse deinceps verè Religiosos.

V. Quinimò votum solenne Religionis tanto privilegio munitur, ut antecedens matrimonium ratum, seu per verba de præsenti contractum, dummodo non fuerit consummatum, dissolvat, ita ut conjunx in sæculo superstes possit ex tunc aliud contrahere matrimonium, priore conjuge adhuc in monasterio vivente. Item favore Religionis conceduntur duo menses post contractum de præsenti matrimonium ad deliberandum de ingressu Religionis, intra quos is qui deliberat, non tenetur consummare, quantumvis altera parte petente; eaque invita licitum ei est ingredi monasterium, juxta Constitutionem Alexandri III. in cap. *Verùm*, & cap. *Ex publico*, de convers. conjug. & Innocentii III. in cap. *Ex parte*, eod. quia non fuerunt una caro simul effecti, d. cap. *Verùm*. Non potest tamen in sæculo superstes alias inire nuptias, nisi post alterius professionem. Id verò privilegium non competit susceptioni Ordinis sacri, ut constat ex Joan. XXII. extrav. unica de voto.

VI. Quartum impedimentum ex cognatione nascitur. Ea triplex est, naturalis, spiritualis, & legalis. Cognatio naturalis dicitur Consanguinitas, & definitur: Vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium, carnali propagatione contractum.

VII. Ut computentur consanguinitatis gradus tres observandæ sunt regulæ. Prima est: In linea recta ascendentium & descendentium tot sunt gradus quot personæ ex uno stipite descendentes, excepto ipso stipite; v. g. pater & filius sunt quidem duæ personæ, sed deducto patre subsistit filius in primo gradu; & ita non solùm pater & filius, sed etiam frater & soror sibi invicem sunt consanguinei in primo gradu, sicut avus, & ex filio nepos in secundo. Secunda regula hæc est: In linea æquali collateralium eodem gradu à se mutuò personæ distant, quo gradu eædem distant à communi stipite. Sic ergo fratrum filii in secundo gradu sunt inter se, quia duobus gradibus ab avo distant, qui est communis ipsorum stipes.

Tertia regula in linea quoque transversa, seu collateralium, sed inæquali: Eo distant inter se collaterales gradu, quoto distat gradu remotior à communi stipite: v. g. Noë genuit Sem & Cham; Sem genuit Arphaxad; Arphaxad autem genuit Sale. Ex alio verò latere, Cham genuit Chus, Genesis 10. Hìc quæritur quot gradibus inter se distent Sale & Chus? Distant tribus gradibus, quia Sale collateralis remotior distat tribus gradibus à communi amborum stipite, qui est Noë, ex quo tres istæ propagantur personæ, Sem, Arphaxad, Sale. Porrò in linea collateralium Jus Canonicum discrepat à computatione Juris Civilis: Jus namque Civile totidem computat gradus, quot sunt ex utroque latere personæ; & ideò fratres & sorores, cùm duæ sint personæ, collocat in secundo gradu: deinde patrueles in quarto, quia patrueles, eorumque parentes ab uno stipite prodeuntes constituunt quatuor simul personas. Deinde in linea inæquali transversa nepotem & pronepotem constituit in quinto gradu, ob parem utrimque personarum seu generationum numerum. Cùm tamen Jus Canonicum tantùm connumeret unius lateris generationes à communi stipite deductas; ideoque fratres & sorores in primo gradu, patrueles in secundo collocat. Atque inter omnes Fideles Canonica computatio prævalet secundùm usum.

VIII. Jure Canonico invalidum est matrimonium inter personas consanguineas usque ad quartum gradum inclusivè, cap. *Non debet*, de consang. & affinit. & Concilium Trident. sess. 24. de Sacram. Matrim. cap. 5. Olim verò prohibebantur in Latina Ecclesia nuptiæ ad septimum usque cognationis collateralium gradum, ut constat ex Sancti Gregorii Magni epistola ad Felicem Messanæ Episcopum, & ex Sancti Isidori testimonio, & ex rescripto Alexandri II. Papæ. Quæ omnia inseruntur in Decreto, causa 35. quæst. 5. Quos gradus postmodùm reduxit Concilium Lateranense sub Innocentio III. ad quatuor gradus, d. cap. *Non debet*. Jure autem Romanorum Civili etiam fratrum & sororum filii matrimonio jungebantur, Instit. de nuptiis, §. *Duorum*, l. *Celebrandis*, C. de nuptiis, l. 3. D. de ritu nupt. Idemque Jus etiam apud Christianos locum habuit. Filiæ namque Constantini Magni Constantina & Helena nuptui datæ sunt, Constantina quidem Annibaliano primùm filio Dalmatii fratris Constantini, deinde Gallo filio Constantii fratris alterius ejusdem Constantini: Helena verò nupsit Juliano alteri filio memorati Constantii; atque ita hæc tria matrimonia celebrata sunt inter patrueles in secundo gradu.

IX. Dispensari tamen potest modò interveniat rationabilis & gravis causa in ipso secundo lineæ collateralium gradu inter fratrum aut sororum liberos, qui patrueles ac consobrini dicuntur: & similiter inter patruum seu avunculum, & ex fratre seu sorore nepotem ac neptem. Etsi enim Levit. 18. tales nuptiæ vetentur, id non est juris naturalis, sed positivi, seu legalis ac cæremonialis tantùm.

X. Spiri

X. Spiritualis cognatio intercedit primò inter patrinum ac matrinam cum baptizato, simulque cum baptizati patre & matre. Secundò inter baptizantem & baptizatum : & inter personam baptizantem cum patre aut matre baptizati. Ex Confirmatione verò inter patrinum aut matrinam cum confirmato, & cum patre & matre confirmati. Cæteras verò antiqui Juris multiplices cognationes abolet Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. Nullaque contrahitur spiritualis cognatio inter patrinum & matrinam, seu susceptores.

XI. Quæritur utrum qui mittit procuratorem ad suscipiendum infantem de sacro Fonte, contrahat cognationem istam, an verò ipse procurator ? Respondent Sanchez, Reginaldus, Filliucius, non contrahi à mittente, sed à procuratore. Sed verius est, contrahi à mittente, non à procuratore. Ita docent Navarra lib. 5. Consiliorum, in fine, qui testatur ita declarasse Cardinalium Congregationem : Ledesma quæst. 56. Coninch disp. 32. dub. 2. num. 40. Bonacina quæst. 3. §. 2. num. 3. Ratio est, quia ad hoc ut susceptor contrahat istam cognationem, requirit Concilium Tridentinum ut à parentibus baptizandi assumatur, aut à Parocho, si parentes non providerint, sess. 24. cap. 2. de reform. Atqui procurator non assumitur vel eligitur à parentibus ; sed solus ille qui procuratorem constituit, ut videmus fieri inter Magnates ac Principes. Item qui procuratorem constituit, agit ut causa principalis ; procurator verò ut causa dependens & instrumentalis. Item procurator nihil agit proprio, sed solius mandantis nomine. Quocirca sapienter judicavit Sacra Congregatio Cardinalium hanc cognationem non à procuratore, sed à solo mandante contrahi.

XII. Si opponas, ad contrahendam cognationem requiri contactum baptizati, qualem non potest absens exhibere. Respondendum est, requiri sive proprium, sive alienum contactum, dum fiat mandato & nomine absentis. Si instes, eum qui pro se alterum constituit ad baptizandum, nullam contrahere cognationem, sed eum solum qui constitutus est, suaque manu baptizavit. Respondebitur longè magnum esse discrimen, quia qui baptizat, non baptizat alterius cujusquam nomine, neque alterius sustinet personam, nisi Christi Domini, cujus est minister immediatus ; ideoque illi adhæret ista cognatio. Secus est de procuratore.

XIII. Matrimonium quoque dirimit cognatio legalis, quæ est propinquitas personarum ex adoptione consurgens, can. *Per adoptionem*, 30. quæst. 30. & cap. unico, de cognat. legali. Itaque invalidum est matrimonium primò inter adoptantem & adoptatum & posteros adoptati usque ad quartum gradum. Durat hoc impedimentum etiam soluta adoptione, cap. *Diligere*, 30. quæst. 3. Secundò inter uxorem adoptantis & adoptatum, & inter uxorem adoptati & adoptantem. Hæc quoque durat post sublatam adoptionem, l. *Adoptivus*, D. de ritu nupt. Tertiò inter filios aut filias adoptantis & adoptatum, sive adoptatam. Hoc impedimentum desinit cessante

cessante adoptione, idest ex quo filii aut filiæ adoptantis exierint ab ejus potestate per hujus mortem, vel per emancipationem, cap. 1. de cognat. legal. & l. finali, D. de adoption. Filius porrò adoptantis potest etiam durante adoptione contrahere cum filia adoptati, necnon filia adoptantis cum filio adoptati; id enim nullo jure prohibetur. Quâ etiam ratione plures ab uno eodemque adoptati possunt inter se matrimonio jungi. Bonacina q. 3. puncto 5. §. 3. prop. 3.

XIV. Conditiones à Jure requisitæ ut quis possit adoptare, sunt istæ. Primò, ut adoptans sui juris sit. Secundò, ut sit major vigintiquinque annis. Tertiò, ut sit masculini sexus; fœminæ namque adoptari quidem possunt, sed non adoptare, nisi ex privilegio. Quartò, ut adoptans habeat naturalem generandi potentiam: non tamen excluduntur ii, qui cùm à nativitate habuissent, illam ex accidenti amiserunt, ut secti gladio, aut facti ex morbo eunuchi: sed excluduntur frigidi ex natura, l. 2. D. de adopt. Quintò, ut adoptans sit ejus ætatis quæ adoptati ætatem excedat annis decem & octo. His positis conditionibus quæ exprimuntur Instit. tit. de adoption. & alibi in Jure, potest quilibet adoptare, quanvis sit Sacerdos, & modò adoptatus sit præsens; non enim fieri potest per literas aut per procuratorem adoptio, l. *Neque*, & l. *Post mortem*, §. fin. D. de adopt.

CAPUT XXIII.

Prosequutio impedimentorum dirimentium.

I. QUINTUM dirimens impedimentum est crimen, quod est genere duplex, scilicet homicidium & adulterium, adjunctis quibusdam conditionibus & circumstantiis; specie autem quadruplex. Non est hoc impedimentum naturali jure introductum, sed Jure ecclesiastico, can. *Si quis vivente*, 31. q. 1. & cap. 1. de convers. infidel. & cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult.

II. Primum ergo crimen dirimens est occisio unius conjugum facta hoc fine matrimonii contrahendi cum superstite conjuge, si ante occisionem aut mortem occisi intervênit adulterium: idque locum habet sive conjunx consortem sui tori occiderit per se, vel per alium: sive alia persona etiam soluta occiderit hoc eodem fine contrahendi cum supervivente conjuge, & ante mortem occisi commiserit adulterium cum altero conjuge, cujus ambiebat seu expetebat matrimonium. Sufficit autem ad hoc impedi-

impedimentum occisionis cum adulterio, si una Pars alterâ etiam non consentiente, aut etiam ignorante occiderit ad hunc mutui matrimonii finem: sed non sufficit si occisio facta fuerit, sed non ad hunc finem; ut si facta sit in odium aut vindictam duræ tractationis, quantumvis huic duræ tractationi causam dedisset crimen adulterii, nullum erit impedimentum; quia Jus hoc non exprimit. Non enim sunt inducenda impedimenta, utpote odiosa, ultra verba Canonum. Similiter neque sufficeret ratihabitio occisionis ab altero aliquo factæ sine consilio aut jussione: tum quia ratihabitio cùm sit occisione posterior, non potest in eam influxisse: tum quia tum quis habere non potest quod suo nomine non est gestum, cap. *Ratum*, de reg. jur. in 6. Præterea non oritur impedimentum dirimens, si quis conjugem vel suam, vel alterius occîdit, ut possit contrahere matrimonium cum alia quæ non fuit particeps homicidii vel adulterii: Jus enim disertè requirit ad impedimentum dirimens, ut altera quoque Pars fuerit delicti particeps.

III. Secundum crimen dirimens est occisio unius conjugis ex mutua duorum conspiratione ad hunc finem contrahendi matrimonii. Istud secundum crimen differt à primo, quia in primo concurrit adulterium; non autem id necesse est in isto ad formandum impedimentum, quoniam sola amborum conspiratio ad homicidium postea perpetratum est crimen sufficiens ad dirimendum. Præterea in primo non intervenit amborum conspiratio ad occidendum; quæ tamen requiritur ad formandum secundum criminis impedimentum.

IV. Tertium crimen dirimens est adulterium, ad quod præterea accedit matrimonium, vivente adhuc alterius conjuge. Exemplum sit: Titius uxore sua vivente adulteratus est cum Bertha, & cum ea matrimonium contraxit, quod utique non potest esse nisi invalidum. Contingit deinde legitimam Titii uxorem mori; quæritur an eâ defunctâ possit Titius inire nuptias legitimas & validas cum Bertha? Negatur posse, quia sic statuitur in cap. *Cùm haberet*, & cap. fin. de eo qui duxit in matrim. Sanè ad hoc impedimentum requiritur ut uterque sciat se committere adulterium; si enim in casu proposito Bertha ignorabat Titium esse uxoratum, poterit mortuâ ejus uxore ipsum compellere ad contrahendum secum validum matrimonium, cap. 1. de eo qui duxit in matrimon.

V. Quartum crimen dirimens est adulterium, accedente promissione futuri matrimonii post obitum conjugis adhuc viventis. Illa tamen promissio ut sit impediens, debet esse acceptata; nulla enim in Jure habetur ratio promissionis non acceptatæ: quâ in re Doctores unanimes conveniunt. Neque sufficienter acceptatur per silentium, sed acceptationem necesse est significari verbis aut externo signo, ut docet post Sanchez, Filliucium & alios Bonacina quæst. 3. punct. 6. num. 9.

VI. Denique ut habeant locum superiora criminum impedimenta,

necesse est ut promissio & adulterium præcesserint mortem conjugis, nec sufficit si præcesserit quidem promissio, & adulterium non nisi post mortem accesserit; aut si vice versa præcesserit quidem adulterium, sed promissio nulla nisi post mortem facta sit. Præterea nomine adulterii non est hîc intelligendum aliud nisi completa illa copula quæ prorsus ad generationem requiritur. Sanchez lib. 7. disp. 79. num. 2. Coninch disput. 41. n. 62. Bonacina quæst. 3. punct. 6. num. 8. aliique communiter.

VII. Sextum ponitur impedimentum cultus disparitas. Istud impedimentum neque jure naturali, neque jure Divino positivo introductum est, sed jure Ecclesiastico. Prohibuit quidem Deus Israëlitis inire matrimonia cum infidelibus, propter periculum perversionis: *Neque sociabis* (inquit) *cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis.* Deut. 7. vers. 3. & 4. Eamque ob causam Esdras reversum de captivitate populum compulit ad repudia uxorum alienigenarum, 1. Esdræ 10. & 2. Esdræ cap. ult. Sed in quibusdam principibus personis, in quibus nec periculum erat perversionis, neque promiscuæ aliorum de plebe imitationis, id permissum fuit, ut patet in Salomone qui filiam duxit Pharaonis, & in sancta fœmina Esther quæ Assuero nupsit. In Ecclesiæ primordiis admonet Apostolus, ne conjunx fidelis discedat ab infideli, nisi hic prior velit discedere, 1. Cor. 7. Eadem est mens Augustini variis in locis à Gratiano relatis causa 28. quæst. 1. ipsiusque Augustini mater S. Monica nupserat Patricio Gentili, ipso Augustino utriusque filio teste lib. 9. confess. cap. 9. Sancta etiam Clotildis Christiana cùm esset, nuptiis juncta est Clodoveo Francorum Regi tunc idololatræ: & Sancta Anastasia Publio idolorum cultori, & Sancta Cæcilia Valeriano nondum Christiano.

VIII. Jure Ecclesiastico irritum est matrimonium baptizatæ personæ cum non baptizata. Jus quidem certum afferri non potest, sed ita fert Ecclesiæ totius praxis communi Doctorum consensu testata: nec potest inter ejusmodi consistere Sacramentum. Sed matrimonium Catholicæ cum hæretica persona, aut schismatica, aut excommunicata, quantumvis illicitum & prohibitum, est tamen validum, verumque Sacramentum, cujus janua est Baptismus, quem habent hæretici, & quo carent infideles; & ideo reliquorum Sacramentorum incapaces sunt.

IX. Verùm ex justa causa dispensare potest Papa, ut quis licitè contrahat matrimonium cum hæretica. Quin etiam in locis in quibus hæretici constituunt populi partem notabilem, secluso scandalo & periculo perversionis, possunt contrahi licitè talia matrimonia sine speciali dispensatione, si gravis urgeat causa, sive privata, sive publica, qualis est conservatio publicæ pacis quæ periclitetur ob bellum intestinum excitandum inter hæreticos & Catholicos, si isti illorum fœdera aversentur. Chalcedonensis canon 14. nuptias inhibet cum persona infideli aut hæretica,

nisi

nisi conversionem promittat ad Catholicam Fidem. Et canon Agathensis 67. insertus in Decreto, cap. *Non oportet cum omnibus*, & cap. *Cave*, 28. quæst. 1. hoc idem prohibet quod Chalcedonensis. At verò canon Laodicenus 10. & 21. dicens non oportere indifferenter tales inire cum hæreticis nuptias, videtur hac voce (*indifferenter*) admittere tales nuptias ubi justa & gravis causa patrocinatur. In nostra quidem Gallia id potuit aliàs licuisse : jam verò cùm sit admodum imminutus hæreticorum numerus, non sunt ejusmodi matrimonia permittenda, nec fieri posse videntur deinceps sine lethali culpa in hoc Regno.

X. Grandis quæstio est, utrum post contractum ab infidelibus matrimonium, si unus eorum convertatur ad Fidem, dissolvere possit hoc matrimonium, nolente altero ad Fidem converti? Absolutè ac sine exceptione id posse, imò & debere, statuit Concilium Toletanum quartum can. 62. qui etiam habetur apud Gratianum cap. *Judæi qui Christianas*, 28. quæst. 1. Sed hujus rigorem Juris postmodùm Innocentius III. ad duos casus restrinxit. Primò si velit conjunx infidelis à converso ad Fidem conjuge discedere. Secundò si velit quidem cohabitare, sed cum injuria & offensa Creatoris, cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*, de divort. juxta dictum Apostoli 1. Cor. 7. *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Ubi satis explicat, posse fidelem isto casu ad alias progredi nuptias.

XI. Verùm in aliquibus locis non permittitur post conjugis conversionem ista cum altero infideli conjuge cohabitatio, & servatur prædicti canonis Toletani severitas : maximè verò in locis Pontificiæ ditionis, in quibus non permittitur Christianis habitatio in contuberniis Judæorum, neque Judæis habitare permittitur inter Christianos : & susceptí ex matrimonio infantes educantur inter Christianos, quia sequuntur, ut sancit ille Toletanus canon, conditionem parentis conversi, sive sit vir, sive mulier. Libertas verò conceditur tam converso conjugi, quàm pertinaci, aliis se nuptiis alligandi : sed pertinaci tamen non antè, nisi postquam conversus aliud conjugium contraxerit. Itaque Ledesma quæst. 59. art. 3. ad fin. Sanchez lib. 2. disp. 72. & 73. cum aliis contra Valentiam tom. 4. disput. 10. quæst. 1. punct. 3. Navarram cap. 22. num. 49. Toletum & alios obnixè contendunt, non posse conversum ex Paganismo aut Judaïsmo cohabitare deinceps cum priore conjuge, nisi convertatur, quanvis spondeat nullatenus obsistere religioni conjugis ad Fidem conversi. Cæterùm illa doctrina non ita universaliter est intelligenda, si loquamur de terris Infidelium ; ibi enim licitum est conversæ ad Fidem Parti cum conjuge non converso cohabitare sine Dei offensa.

CAPUT XXIV.

De impedimento vis ac metus; ac generatim quænam consensus libertas requiratur ad matrimonium, ad sponsalia, & ad vota. Item de impedimentis Ordinis, ligaminis, publicæ honestatis, & affinitatis.

I. VIs ac metus illatus duplex distinguitur: unus quidem auferens omninò voluntarium, seu consensum, dum se aliquis exteriùs consentire fingit, sed interiùs dissentit. Hic metus facit ex ipsa naturæ jure irritum matrimonium. Alius est metus qui non aufert simpliciter voluntarium, sed secundùm quid, dum quis simpliciter & absolutè nollet, sed positâ aliquâ contra ipsius voluntatem circumstantiâ, ad evitandum aliud, quod inde pertimescit incommodum, consentit. Et de isto statuendum est, quod si talis sit incussus metus, ut in animum constantem cadere possit, inde sequutum matrimonium sit irritum ac invalidum Jure Ecclesiastico: si verò levis sit causa metus, validum erit matrimonium, nisi exortus ex ea levi causa metus talis fuerit, ut omnem abstulerit consensum, solamque induxerit dissimulationem externam. Ubi enim nullus est consensus, nullum potest esse matrimonium. Sciendum tamen, minorem sufficere in fœmina metus causam, quàm in viro, propter sexus fragilitatem, & necessariam subjectionem sub alieno arbitrio, à quo liberiùs, multóque facilius viri se subducere, alióque absque periculo & vituperio commigrare, fortunamque liberè experiri citra infamiam & periculum valent, ut admonet Glossa in cap. *Cùm locum*, de sponsalibus: Barbosa ad dictum locum, Sanchez de Matrimonio lib. 4. disput. 15.

II. Necesse quoque est, ut ipse quoque gravis metus proficiscatur ex causa libera simul & extrinseca, ut invalidare matrimonium possit: non verò ab extrinseca & naturali causa, qualis esset si medicus comminaretur interitum ex superabundantia humorum ei qui non iniret matrimonium; hic enim metus non irritaret sequutum inde connubium. Idem dicendum de metu extorto ex justa & legitima causa, quantumvis caderet in virum constantem, ut si raptor metu capitalis pœnæ consentiat nuptiis cum muliere à se rapta celebrandis, juxta l. *Continet*, §. *Sed vim*, D. quod metus causâ

causâ. *Sed vim* (inquit) *accipimus atrocem* (id est cadentem in constantem animum) *& eam quæ adversus bonos mores sit.* Hoc tamen scire ad praxim operæpretium est, quod si mulier nupta, postquam inito conjugio cessavit causa metus (verbi gratiâ si pater ejus obierit, cujus metu se ad nuptias adactam fuisse causatur) non reclamaverit, sed cum viro postmodùm sponte cohabitaverit, non erit audienda, si posthac reclamare velit, cap. *Ad id*, de sponsal. ubi mulier excluditur quæ invita ex metu nupserat, sed postea per annum cum dimidio cohabitaverat cum marito. Ex tanto enim ac diuturno silentio præsumptio nascitur accessisse tandem ejus consensum.

III. Quia verò circa vim aut metum irritantem tum matrimonia, tum vota, maximè verò religiosæ professionis, frequentes nascuntur in praxi difficultates, ideo materia ista fusiùs est explicanda. Hoc tamen ad cautionem præmoneo de temporalibus Dominis & de Magistratibus qui per vim aut minas, subditas sibi personas adegerint ad contrahenda vel disponenda matrimonia cum illis personis quas præscripserint, quales sunt ipsorum familiares, clientes, amici, cognati, esse ipso facto excommunicatos per Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. cap. 9. & in Gallia per Edictum Blesense art. 281. excidere gradu Nobilitatis, & fieri reos criminis raptus.

IV. Sciendum in primis, voluntatis actus vel esse elicitos, hoc est qui in ipsa voluntate, non verò extra ipsam producuntur: alios esse imperatos, qui scilicet in aliqua alia potentia naturali voluntatis imperio subjecta recipiuntur. Voluntas in suis actibus elicitis cogi non potest ex innata sibi libertate, ut docent Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. S. Gregorius Nyssenus lib. 5. Philosophiæ, cap. 1. S. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 4. Sed in suis actibus imperatis per alias facultates exercendis potest voluntas ipsa vim & coactionem pati ab extrinseco. Violentum porrò, ut definit Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 2. est quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim, id est sponte non cooperante: ut si quis fidelem renitentem & invitum apprehensâ illius manu cogeret thus coram idolo incendere.

V. Porrò ad matrimonii vinculum, necnon ad voti obligationem non semper sufficit consensus utcunque liber, qualis est mercatoris in media tempestate verè quidem consentientis mercium suarum projectioni ad vitandum ex naufragio interitum; qui tamen citrà illud mortis imminentis periculum vellet proculdubio merces sibi salvas servari. Cæterùm ut innotescat qualis metus sufficiat ad invalidandum sive matrimonium, sive votum, distinguendus est duplex metus: unus quidem qui est ex causa naturali, qualis esset metus gravis infirmitatis, aut mortis, imminentis naufragii, aut ferorum animalium. Atque ista species metus, modò adsit sufficiens consensus ac deliberatus, neque emissum votum irritum facit, neque matrimonium, ut constat in exemplis superiùs adductis.

VI. Alius metus est ex causa libera, scilicet homine metum incutiente. In hoc extrinsecè per hominem incusso metu adhuc distinguendum est: aut enim est metus in virum constantem cadens, aut non est: si sit talis ut cadat in virum constantem, iterum opus est distinctione; vel enim metus ille licitè infertur, aut illicitè: si licitè, validum est, sive votum, sive matrimonium, ut si raptor metu pœnæ capitalis compellatur eam ducere uxorem quam rapuit; aut si meretrix legitimæ pœnæ vitandæ causâ consentiat in religiosam Pœnitentium Monialium professionem: his enim & similibus casibus, & matrimonium, & professionis vota subsisterent, quatenus qui se his astrinxit, causam justam ejusmodi sibi incutiendi metus ex sua culpa dedit. At si talis metus sit injustè incussus, simulque talis sit ut cadere in virum constantem possit, alterâ opus est distinctione, quæ est apud Navarram cap. 12. num. 52. vel enim intentio vim ac metum inferentis eò dirigitur, ut votum, seu promissionem matrimonii extorqueat, vel diversum prorsus habet finem. Si diversum prorsus intendit finem, is qui vovet, aut contrahit, voto suo vel contractu ligatur; sic enim sunt obligatoria captivorum Christianorum vota, si ab injusta sub Mahumetanis captivitate liberari contingat: itemque ligat fides matrimonii data illi à quo sperat quis educi ex aliquo malo per malevolum quempiam sibi illato. Sed si vis ac metus hac intentione illicitè infertur, ut votum, aut conventio nuptialis ab eo qui patitur extorqueatur, neque valida erit inde sequuta professio religiosa, neque matrimonium, etiamsi qui sic vovit, aut nuptias inivit, verè ac sine fictione in Religionem aut in Matrimonium consenserit. Ita unanimes docent Theologi omnes in 4. Sent. dist. 29. Sanctus Thomas in Summa, 3. p. quæst. 47. art. 3. & 4. & universi Summistæ. Sed in hoc uno dissident, quod aliqui, ut Sotus, hanc invaliditatem ex tali consensu per metum extorto ascribunt juri naturæ; alii verò probabiliùs, ut Suarez, Sanchez, Bonacina de matrim. quæst. 3. punct. 8. solo jure Ecclesiastico, cent hanc fuisse professionis religiosæ aut matrimonii nullitatem ir[illegible] luctam; quandoquidem hæc ratio nullitatis locum non habet in plerisque aliis, neque impedit susceptionis sacrorum Ordinum validitatem, ut superiùs probavimus in fine capitis de Ordinis Sacramento. Sanè ubi nullus extitisset interior consensus, sed tantùm ejus per externa verba simulatio, conveniunt omnes, nullam inde oriri obligationem, quanvis huic simulationi levissimus metus causam præbuisset. Vide pariter Bonacinam circa vota ad 2. Decalogi præceptum, disp. 4. quæst. 2. punct. 3. §. 1.

VII. Præterea ad rectum ferendum de promissionis obligatione judicium, non sufficit rationem habere causæ ob quam facta promissio fuit; sed perspiciendum est pariter, an fuerit sufficiens in promittente deliberatio ac judicium: etenim repentinum & improvisum Religionis capessendæ votum ex metu præsentis & periculosi morbi, alteriusve

ve urgentis damni nullatenus obligat, ut ſtatuitur in cap. *Literaturam*, de voto.

VIII. At verò ubi intervenit liber omninò conſenſus ad matrimonium, vel ad ſponſalia, tametſi inter diſpares nobilitate vel opibus perſonas, inducitur obligatio. Et ubi ſola fuerint ſponſalia, diſparitas illa perſonarum nihil de obligatione diminuit, modò fuerit ſincera promittendi voluntas. Sed ubi ficta & ſimulatoria promiſſio interceſſit, quanvis ille qui ſic promiſit, non teneatur præcisè titulo ſponſalium, quæ utique ſine conſenſu nulla ſunt, cap. *Tuanos duxit* 26. de ſponſal. attamen tenebitur ducere, tum ratione ſcandali ſequuturi, tum ratione damni injuſtè per hujuſmodi deceptionem illati, ſi per hanc promiſſionem extorſit copulam à muliere quæ inde contrahit pudoris damnum ac infamiam. At ſi fœmina ipſa laborabat impudicitiæ infamiâ, aut ſi copula ſic occulta fuit, ut nihil inde famæ detrahatur, is qui ſic promiſit per fictionem ad nihil tenebitur, niſi ad compenſandam prudentis viri arbitrio illatam fœminæ injuriam. Loquimur hîc ſecundùm conſcientiæ forum; nam in externo foro, ſi conſtet de promiſſione, in hujus favorem judicabitur, & meritò: non enim aliter ibi judicatur de internis, niſi quantùm colligitur ex verbis aut actibus externis: neque creditur aſſeverationi Partis, utpote ſuſpectæ, ſine probationibus.

IX. Si vir admodum notabili diſtantiâ ſuperet nobilitate, vel gradu, vel opibus fœminam illam, de qua per fictam promiſſionem obtinuit copulam, conveniunt communiter hac in re Summiſtæ, non teneri eam ducere, etiam titulo deceptionis, ſi fœmina ſciebat magnam illam imparitatem; ſic enim ipſa potiùs decipi elegit, quàm fuerit dolo circumventa. In hoc tamen uno inter ſe diſſentiunt, quia quidam virum obligant ad dotandam fœminam, vel aliquid ei reſtituendum, unde æquè commodè alteri ſuæ ſortis nubere queat. Ita Navarra cap. 22. num. 76. Henriquez lib. 11. cap. 11. num. 2. Azorius 3. p. lib. 5. cap. 5. q. 3. diff. 3. aliique, quorum videtur mihi æquior ſententia. At verò Sylveſter verb. *Matrimonium* 4. quæſt. 8. Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 10. num. 9. Molina tom. 4. diſp. 106. concluſ. 1. Leſſius lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 24. Bonacina de ſponſalib. quæſt. 1. punct. 2. num. 7. aliique ad nihil prorſus teneri affirmant. Eadem quoque locum habent ubi ambo ſunt notabiliter divitiis impares, quanvis nobilitate pares, juxta Navarrum cap. 16. num. 18. Sanchez loco cit. num. 6.

X. Itaque ut rem totam ſummatim concludam, duplex tenenda eſt propoſitio. Prima eſt: Promiſſio matrimonii ut obliget, debet fieri cum voluntate ſe obligandi, quia aliàs non eſt promiſſio; hæc enim eſſentialiter requirit intentionem ſe obligandi, ut docent Leſſius de juſtitia lib. 2. cap. 40. dub. 1. num. 6. & Coninch diſput. 21. num. 7. & ante hos S. Thomas 2. 2. quæſt. 110. art. 3. ad 5. Navarra cap. 18. num. 6. & 7. & confir-

matur

matur per can. *Humanæ aures*, 22. quæst. 5. & l. *Obligationum* 1. D. de action. Actus enim liberè agentium non operantur ultra ipſorum intentionem, à qua vim omnem ſuam ſortiuntur. Per accidens tamen ratione damni inſequentis aut ſcandali, fictè promittens matrimonium poteſt obligari ad ipſum contrahendum; ut ſi ea fictione obtinuerit copulam, aut eam cum honeſta fœmina familiaritatem, ex qua gravis eſt naſcitura infamia, niſi eam ducat. Excipiendus hinc eſt caſus, quo mulier facilè poterat deprehendere viri fictam promiſſionem ob magnam conditionis diſparitatem; vel ſi ipſa pro virgine ſe gerens deprehendatur ab alio corrupta. Leſſius lib. 2. cap. 10. dub. 3. Coninch diſput. 22. num. 37.

XI. Secunda propoſitio eſt: Is qui fictè promiſit, adhibito tamen juramento emiſſo cum animo ſeu intentione jurandi, quanvis careat intentione promiſſi fictè matrimonii contrahendi, tenetur nihilominus matrimonium iſtud contrahere, non quidem ex promiſſione quam paulò antè commonſtravi eſſe nullam & invalidam, ſed ex vi juramenti, ex quo duplex conſurgit peccatum, quatenus jurando non habuit animum implendi quod jurabat, & quatenus ex poſtfacto non implet obligationem ex juramento contractam. Etſi enim non obligetur ex promiſſione ficta, obligatur tamen ex religione, ratione juramenti & debitæ divino Numini reverentiæ. Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 9. num. 9. Coninch diſp. 22. num. 51. Bonacina de ſponſalib. quæſt. 1. punct. 2. num. 4. Sotus lib. 8. de juſtitia, quæſt. 1. art. 7. poſt medium, Caietanus 2. 2. quæſt. 89. art. 7. & alii contra Sylveſtrum verb. *Iuramentum* 4. quæſt. 7. Angelum verb. *Iuramentum* 5. num. 32. Sotum in 3. quæſt. unica, art. 3. D. Bonaventuram diſt. 39. art. 3. quæſt. 1. Gabrielem diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 5. quorum ratio in re tanti ſecundùm conſcientiam momenti parum videtur ſolida; quia, inquiunt, juramentum fundatur in promiſſione, quæ non obligat: ergo neque ipſum. Quæ conſequentia falſa eſt, quoniam juramentum eſt diverſum ab illa promiſſione vinculum, & ſic novam infert obligationem, ſcilicet religionis, qualem nec haberet ipſa valida promiſſio, ſed civilem. Et certè ſi is qui metu injuſto compulſus jurat alteri ſe quod injuſtè exigitur facturum, verbi gratiâ daturum ſe triginta nummos alioqui indebitos, tenetur tamen ex vi juramenti promiſſum implere; multò magis ille vinculo religionis adſtringetur qui iniquè & ſponte decepit, jurans adimplere quod mala fide & per dolum fictè pollicitus eſt. Quod autem is qui gravi & injuſto metu, aut vi coactus promiſit aliquid cum juramento, teneatur ratione juramenti promiſſionem adimplere, docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 89. art. 7. & eſt communis Theologorum ſententia, ut teſtatur Leſſius, quamdiu promiſſor non fuerit à ſuo juramento diſpenſatus. Idemque clarè deciditur in cap. *Si verò*, de jurejurando.

XII. Secus tamen eſſet ſi fuiſſet quoque fictum juramentum, ideſt ſi

quis

quis simulasset se jurare, nullam habens jurandi intentionem ; illud enim apparens ac fictum jusjurandam nullum & invalidum esset, nec ullam induceret obligationem, nisi fortè ratione scandali, etiamsi sic jurando aliquis mortaliter peccasset ex irreverentia & abusu divini nominis, can. *Humanæ aures*, 22. quæst. 5. Lessius lib. 2. cap. 42. num. 4.

XIII. Octavum dirimens impedimentum est sacer Ordo, qualis est Subdiaconatus, cap. unico de voto in 6. Concilium Trident. sess. 24. cap. 9.

XIV. Nonum dicitur ligamen, idest matrimonium verbis de præsenti contractum, etsi non consummatum, cum adhuc superstite conjuge. Itaque requiritur certitudo moralis de morte conjugis, ut superstes possit alterum inire conjugium : moralis autem certitudo judicio prudentis viri relinquitur. Talis autem non est habenda ex absentia multorum annorum, etiam ultra septennium aut decennium ; neque ex sola fama, hæc enim non inducunt certitudinem apud prudentes viros : sed si vir ingressus prælium post longam expectationem nullatenus comparet, simulque fama refert eum periisse ; aut si per literas eorum qui prælio interfuere, acceptum sit, ipsum interiisse. Navarra cap. 22. num. 54. Bonacina quæst. 3. num. 12. 13. & 14.

XV. Circa hanc materiam pro regula erit quod subjungimus cap. *In præsentia*, de sponsal. *In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus quæ viros suos causâ captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita aut morte ipsorum, licèt super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem : & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis nequeant continere, petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi igitur tuæ taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possint ad aliorum consortium canonicè convolare : nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Hoc idem statuit cap. *Dominus*, de secund. nupt. addens præterea, quod si dubitans de morte conjugis alterum nihilominus contraxerit matrimonium, tenetur quidem petenti novo conjugi reddere debitum, sed non potest exigere. Et si de prioris conjugis vita postea constiterit, teneatur relictis adulterinis amplexibus ad priorem conjugem reverti.

XVI. Sequitur decimum dirimens impedimentum publicæ honestatis, exurgens ex validis & certis sponsalibus ; dirimitque matrimonium cum consanguineis sponsi aut sponsæ in primo gradu, juxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. cùm olim extenderetur hoc impedimentum ad quartum gradum, cap. *Ad audientiam*, de sponsalib. Istud honestatis impedimentum non finitur morte, adeò ut frater non possit à fratre suo, qui postea mortuus est, desponsatam accipere uxorem, cap. *Si quis desponsaverit*, 27. quæst. 2.

XVII. Quæritur, an sicut hoc impedimentum non aufertur per mor-

tem, ita neque per sponsalium liberam ex mutuo consensu dissolutionem. Tenendum est, non cessare, quia impedimenta semel contracta non dependent à contrahentium voluntate, sed ab Ecclesiæ, quæ illa constituit, instituto, & quæ voluit esse perpetuum istud impedimentum, ita ut nec ipsa morte, quâ dissolvuntur sponsalia, voluerit solvi hoc impedimentum ex iisdem sponsalibus natum, d.cap. *Si quis desponsaverit*, 27. quæst. 2. Ita Sanchez lib. 7. disp. 68. num. 21. Bonacina quæst. 3. puncto 11. num. 7. Fagnanus in cap. *Ad audientiam*, de sponsalib. ubi refert ita Romæ judicatum à Sacra Cardinalium Congregatione, die Julii 6. anno 1658. quod judicium approbavit Alexander Papa VII. qui hanc accuratè examinari quæstionem jusserat, mandavitque [illegible]ta deinceps servaretur. Bonacina quoque meminit alterius similis judicii anterioris per eandem Sacram Congregationem. Itaque opposita opinio Barbosæ de potest. part. 3. alleg. 52. num. 188. & aliorum quorumdam non est admittenda.

XVIII. Istiusmodi dirimens impedimentum multò magis oritur ex matrimonio rato, sed non consummato: sed eo casu extenditur ad quartum gradum ex Decreto Pii V. quod incipit, *Ad Romanum*, anni 1568. Coninch disp. 32. num. 70. Bonacina d. quæst. 3. puncto 11. num. 10. contra Toletum & Lopez, qui etiam hoc impedimentum sistere scripserunt in primo gradu.

XIX. Quin etiam nascitur impedimentum istud ex matrimonio invalido, dum in illud matrimonium intervenerit utriusque Partis perfectus consensus: sed istud honestatis impedimentum ex invalido matrimonio emergens non transgreditur primum gradum, cùm tamen olim pertingeret ad quartum gradum, cap. *Sponsam*, de sponsalib. & cap. *Accessit*, de desponsat. impub. Ita Bonacina loco cit. num. 11. allegans ita judicasse Cardinalium Congregationem cum plerisque ab eo citatis, contra Navarram cap. 22. num. 58. aliosque negantes hoc impedimentum vigere in invalido conjugio.

XX. Quanvis autem Sanchez lib. 7. disp. 70. num. 13. neget huic esse impedimento locum in matrimoniis clandestinis sine præsentia Parochi & testium initis, qui tamen reliqua approbat ex nullis & invalidis nuptiis impedimenta; prævalet tamen opinio oppositа, quam propugnant Coninch disput. 21. num. 47. & disp. 32. num. 70. Filliucius tract. 10. part. 2. cap. 6. quæst. 6. num. 224. Bonacina quæst. 3. punct. 11. num. 18. Henriquez lib. 11. cap. 5. num. 4. addens Congregationem Cardinalium declarasse, clandestinè contractum matrimonium vim habere sponsalium.

XXI. Matrimonia tamen quæcumque ex defectu consensus invalida sunt, nullum prorsus pariunt honestatis impedimentum, ut sunt per vim, aut metum, aut fictionem, aut ab amente vel ebrio, vel ex errore personæ contracta. Qua in re omnes conveniunt Doctores; nihil enim tam essentiale matrimoniis est ac consensus; reliqui verò irritantes defectus sunt

ex-

ex accidentibus & circumstantiis, solusque consensûs defectus afficit ipsam essentiam matrimonii constitutivam.

XXII. Jam progrediendum ad affinitatis impedimentum. Est autem affinitas vinculum, seu propinquitas ex carnali copula procedens, sive licita fuerit, sive illicita. Itaque quum duo carnaliter copulantur, fiunt affines cum consanguineis alter alterius in eodem gradu in quo alter est consanguineus cum iisdem: exempli gratiâ, si Sempronius copuletur cum Camilla, idem fiet affinis cum consanguineis Camillæ in pari gradu quo illi sunt consanguinei Camillæ, & hæc vicissim cum consanguineis Sempronii, adeò ut Camilla per eam copulam fiat affinis in quarto gradu cum eis qui in quarto similiter gradu sunt Sempronio consanguinei.

XXIII. Verumtamen per hanc copulam non efficitur ut consanguinei Sempronii sint affines consanguineis Camillæ, vel ut isti fiant affines consanguineis Sempronii: quod adeò verum est, ut duo fratres possint ducere duas sorores, & filius illam ducere, cujus matrem pater ejus duxit, cap. *Quod super his*, de consang. & affin. Eademque ratione potest Sempronius mortuâ uxore Camillâ ducere viduam fratris Camillæ. Quia Sempronius per sui cum Camilla copulam factus est quidem affinis cum fratre Camillæ, aliisque ejus consanguineis, non verò cum affinibus Camillæ: uxor autem fratris Camillæ non est consanguinea, sed solùm affinis Camillæ.

XXIV. Arbor affinitatis ita constituenda est, ut duæ personæ quæ copulam habuerunt, sint communis stipes ac principium affinitatis: unde duplex consurgit affinitas, lineæ rectæ, & lineæ transversalis. Lineâ rectâ locantur ascendentes & descendentes ejus personæ cum qua fuit habita copula. Ascendentes sunt socer & socrus, vitricus & noverca. Descendentes sunt gener & nurus, privignus & privigna. In linea transversa sunt frater & soror: item patrui, amitæ, patrueles, aliique ulteriorum graduum consanguinei, tam paterni quàm materni usque ad quartum inclusivè gradum. Nam in affinitate eodem modo recensendi sunt gradus, quo in consanguinitate.

XXV. Affinitas orta ex copula licita, scilicet per matrimonium legitimum, dirimit quodlibet aliud matrimonium usque ad quartum inclusivè gradum. Orta verò ex illicita copula dirimit ad secundum inclusivè gradum. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 4. Necesse autem est ad inducendam affinitatem, ut fuerit completa copula cum seminis virilis effusione intra vas debitum. Itaque non consurgit ex præpostero & sodomitico congressu, neque ex matrimonio rato & non consummato; sed tantùm publicæ honestatis impedimentum.

XXVI. Quando matrimonio contracto supervenit affinitas, ut si quis congrediatur cum sorore propriæ uxoris, conjunx incesti hujus reus privatur jure petendi debitum; tenetur tamen conjugi innocenti illud

petenti reddere, cap. 1. & cap. *Transmissæ*, de eo qui cognov. consang. uxoris suæ.

XXVII. Multi Canones impedimentum criminis constituunt ex incestu cum affini, interdicentes hujus incestus reis omne prorsus matrimonium; quanvis si contrahant, velint iidem Canones matrimonium esse quidem validum, sed tamen illicitè contractum, can. *Quædam*, & can. *Si quis viduam*, 32. quæst. 7. & cap. 1. & cap. *Transmissæ*, de eo qui cognov. consang. uxor. suæ. Verumtamen Navarra cap. 22. num. 75. Sanchez lib. 7. disp. 17. num. 8. Coninch disp. 30. num. 26. aliique apud Sanchez affirmant illa quæ circumferuntur ex septem delictis impedimenta non dirimentia, esse pridem abolita. Sanè videmus in tota Gallia his criminibus implicatos, consentientibus Prælatis, sine ulla dispensatione inire matrimonia.

XXVIII. Affinitatis impedimentum in recta linea est ab ipso naturæ jure, omnesque gentes benè institutæ istas in linea recta conjunctiones ut scelera execratæ sunt. Constat ex l. *Liberi*, C. de nupt. & exprobrat Apostolus 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Et Amos 2. sic expostulat Deus: *Filius ac pater ejus iverunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.* Et Levit. 20. ista conjunctio connumeratur cum sodomia & bestialitate, atque asperrimo omnium supplicio coërcetur: *Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Oppositum autem exemplum Seleuci Regis Syriæ, qui cùm novisset filium suum Antiochum periculosè ægrotare ex languore amoris, quo Stratonicem novercam deperibat, hanc ei nuptui dedit, ut referunt Plutarchus in vita Demetrii, & Valerius Maximus lib. 5. cap. 7. connumerandum est inter infamia dedecora, quemadmodum & Persarum fœda licentia, qui liberorum cum propriis parentibus nuptias approbabant, referentibus Herodoto & Quinto Curtio. Quod verò Adonias affectavit nuptias cum Abisag uxore patris sui Davidis defuncti, 3. Reg. 2. nulla ibi erat affinitas, cùm Scriptura testificetur nunquam fuisse à Davide cognitam Abisag: & præterea temeraria fuit illa Adoniæ cupiditas, publicæque repugnans honestati.

CAPUT

CAPUT XXV.

De impedimento Impotentiæ.

I. IMPOTENTIA dirimens, illa hîc intelligenda est, quæ sexuum copulam impedit, per quam duæ personæ fiant una caro. Non fiunt autem una caro nisi quum vir intra vas mulieris semen immittit. Alioqui enim non consummatur matrimonium, neque inducitur ulla sive ex delicto, sive sine delicto affinitas, etiamsi fuerit viri pars genitalis intra vas fœminæ. Quamobrem eunuchi, quanvis aliqui eorum possint vas fœminæ ingredi, nullatenus sunt matrimonii capaces ob defectum seminis prolifici, ut declaravit scripto Motu proprio Sixtus V. anno 1587. Idemque sentiendum de illis quibus attritus est uterque testiculus: sed illi quibus unus supersest illæsus, matrimonium inire possunt, quia sunt adhuc seminandi capaces. Illi pariter qui quanvis integris partibus semen prolificum emittere nequeunt ex frigiditate, vel ex perpetua complexionis debilitate, excluduntur à nuptiis contrahendis. Arcentur quoque à conjugio qui similem impotentiam non ex natura, sed ex maleficio contraxerunt, postquam judicata perpetua fuerit vis maleficii, toto tit. de frig. & malefic. Fœmina autem nullam habet dirimentem impotentiam, nisi quatenus est arcta, non valens intra se recipere viri semen: solaque fœminæ ad seminandum impotentia non inducit impedimentum, quia semen fœmineum non censetur ad generationem necessarium. Henriquez, Sanchez, Guttierrez, Filliucius, quos citat & sequitur Bonacina quæst. 3. punct. 13. num. 14. addens non impediri matrimonium, quanvis fœmina non possit susceptum viri semen retinere: sufficit enim ad validitatem, quod conjuges per seminationem viri intra vas fœmineum fiant una caro: illa verò deperditio ex parte fœminæ posterior est illo necessario & constitutivo ad validitatem effectu, quanvis impediat generationem, quæ non est prorsus necessaria ad essentiam matrimonii, cùm possit fieri & subsistere inter conjuges steriles, sed non impotentes.

II. His aliqui adjungunt aliud impotentiæ genus ex nimio viri calore, quo fit ut effundatur semen antequam perfecta fuerit copula. Et quidem si nulla spes esset, fore aliquando ut in aliquo deinceps congressu semen intromitteretur, recenseri posset hic nimius ardor inter impedimenta quæ dirimunt, hac ipsa ratione, quia per hunc defectum impediuntur conjuges ne sint duo in carne una. Sed rarò usuvenit ut hinc oriatur perpe-

tuum impedimentum : quanvis enim sæpius contingeret ut multi congressus aut conatus conjugum sine debita seminatione fierent, continget tamen aliquando, ut aliquis ex multis conatibus non frustretur hoc effectu ; atque ita ille naturalis ardor non erit loco perpetui impedimenti. Præterea futurum quandoque est, ut nimius ardor longiore consuetudine & temporum progressu deferveſcat. Denique sufficere potest ad consummatam copulam, si pars aliqua seminis intromittatur.

III. Duplex est impotentia distinguenda. Una quidem perpetua, quæ nimirum tolli non potest citra miraculum, aut citra peccatum, aut citra periculum mortis. Altera verò temporalis, quæ arte humanâ aut remediis Ecclesiæ auferri potest, ut docet cap. *Fraternitatis*, de frig. & malef. *Nostramen* (inquit) *perspicaciter attendentes quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri.* Præterea alia est impotentia absoluta, idest respectu omnium ; alia respectiva, per quam aliquis est impotens, habito respectu ad certas quasdam personas, sed potens respectu aliarum. Sic enim potest aliquis esse maleficiatus respectu unius duntaxat fœminæ ; & fœmina potest esse naturaliter arcta respectu quorundam, sed non omnium virorum. Quin etiam potest aliquis esse impotens respectu virginum, non verò respectu viduarum.

IV. Impotentia perpetua & absoluta matrimonium dirimit jure naturæ. Consistit enim essentialiter matrimonium in mutua corporum traditione ad matrimonii usum, sive quatenus ad eum usum potentiam habent. Quæ constans doctrina peræquè valet, sive illa impotentia alteri Partium innotescat, sive non. Illa namque sive notitia, sive ignoratio nihil refert ad validitatem connubii. Idque perspicuè decernit cap. *Consultationi*, de frigid. & malef. Ibi enim sermo est de viro qui scienter cum arcta contraxerat, simulque negat posse illam habere uxorem. Si autem sit respectiva impotentia, dirimitur matrimonium cum persona circa quam fundatur impotentia, sed non cum aliis, in quibus nulla est impotentiæ causa.

V. Illa verò impotentia quæ non est perpetua, sed solùm ad tempus, matrimonium non dirimit, cap. *Fraternitatis*, de frigid. Si postquam contractum est matrimonium, dubitetur an sit perpetua, an temporalis impotentia, concordant Jus Romanorum Civile, & Jus Canonicum, ut concedatur conjugibus triennium cohabitationis & experientiæ, intra quod tempus operam dare debent consummationi matrimonii, adhibitis etiam medicinæ remediis quoad fieri citra grave periculum poterit vitæ aut valetudinis. Justinianus quidem l. *In causis*, C. de repud. determinaverat biennium experiundæ viri potentiæ ; sed ratus deinde prorogandum esse hoc tempus, extendit ad triennium in Authent. *De nuptiis*, §. *Per occasionem*, collat. 4. Cui conformatur Constitutio Cœlestini Papæ III. cap.

Laudabi

Laudabilem, de frigid. & malef. & absoluto triennio si consummari matrimonium non potuerit, indicit separationem.

VI. In quibusdam Galliæ provinciis consuetudo inolevit, ut non expectetur ad experientiam triennium, sed statuatur ut fiat conjugum congressus in alienis ædibus, de quibus conjuges ipsi convenerint, aut quas Judex ex officio assignaverit certo die, in lecto cortinis circumvallato, præsentibus in eodem conclavi matronis & obstetricibus ab ipso Judice deputatis; in alio autem contiguo conclavi assistentibus pariter Medicis & Chirurgis deputatis, per spatium trium quatuorve horarum, quibus elapsis, aut si per illud intervallum conjuges, aut horum alter assistentes vocaverint, inspiciant assistentes personæ deputatæ, si quæ sint congressus signa, & ad corporis fœminei inspectionem solæ admittantur fœminæ, ad virilis autem soli viri, qui quæve seorsim ea quæ sibi comperta fuerint, in scripta referent Judicibus legenda & examinanda. Plenius hac de re tractat Annæus-Robertus lib. 4. rerum Judicatarum, art. 8. 9. & 10. aliique complures Gallicani Causidici. Et quod mirum videri possit, stylo Episcopatus Parisiensis decernitur hujusmodi congressus, ut habetur in tomo 3. Actuum & Constitutionum Cleri Gallicani. Cæterùm quid certum, aut etiam verisimile conjici potest ex tam lubrico & brevi, & tam pudibundis conditionibus sociato experimento? Nam etiam vir aliunde sapientissimus partim pudore, partim formidine successus unde tanti momenti judicium pendet, in ea temporis brevitate & circumstantiarum molestiis vix potest esse sui compos. Conveniunt in liberum omninò triennium Jus Givile Romanorum cum Jure Canonico. Ipseque Justinianus ratus non satis esse ad justum judicium biennii cohabitationem inter conjuges, extendendum judicavit hoc tempus ad triennium, suppressa biennii lege: & nunc penes nos res tanta momento tam multis perturbationibus & anxietatibus obnoxio committetur dijudicanda? Præterea cùm sit indubitatum, dirimi matrimonia non per impotentiam temporalem, sed per solam perpetuam impotentiam, cap. *Fraternitatis*, de frigid. & malefic. nemo sanæ mentis audebit affirmare, ex uno & altero concubitu probari perpetuam viri impotentiam posse.

VII. Notatu dignum est supremæ Aquisextiensis Curiæ Senatusconsultum diei Februarii 16. anni 1640. quo recèns nupta Buravalla post intentatam coram Officiali Diœcesis Arelatensis de viri sui impotentia querelam, nec posset probari illam esse perpetuam impotentiam, sequutâ Officialis sententiâ cohabitationem triennem decernente, cùm mulier ad Senatum tanquam ab abusu ob denegatum sibi præfatum congressum appellasset, declaravit Senatus nullum fuisse abusum, & remissa fuit mulier ad Officialem, ut refert in sua compilatione Bonifacius tom. 1. lib. 5. tit. 6. cap. 1.

**VIII. Renatus Cordoanus Marchio Langei, desponsatâ sibi puellâ dictâ

dictâ à Sancto Simone de Cortemar, annorum circiter quatuordecim, post triennium postulatus est frigiditatis & impotentiæ, quam ut refelleret poposcit ille congressus experimentum, quod tamen infaustè ipsi successit. Itaque Curia Parlamenti Parisiensis mense Februarii, anno 1659. nullum irritumque connubium declaravit, eidemque Renato vetuit nullum deinceps inire conjugium, permisitque puellæ conquerenti alii nubere. Renatus adversùs Senatusconsultum clam apud Notarios duos est protestatus. Puella interim nubit Petro Caumontio Marchioni Boëssæ: deinde moritur anno 1670. Renatus Cordoanus post præfatam protestationem matrimonium contrahit cum Diana Montaltia Navallia, ex qua septem liberos suscepit. Idemque anno 1675. Literas ex supplici libello impetrat contra Senatusconsultum impotentiæ declarativum. Lis ergo resumitur apud eandem Curiam: cujus novo judicio, postquam consideratum fuit, congressus probationem esse admodum incertam, eo quòd hujusmodi actus non dependeat à libertate, nec nisi rarò succedat cum inimica parte, ingrata & odiosa, neque in ullo sive Canonico, sive Civili Jure approbetur, sitque novum inventum in sola Gallia receptum, Senatus Parisiensis die Februarii 18. anno 1677. requirente Fiscali Advocato, novo judicio prohibuit cunctis Judicibus, tam Civilibus quàm Officialitatum decernere ejusmodi congressus.]

IX. Intermediam inter diei unius aut alterius congressum, & triennii cohabitationem viam instítit Senatus Gratianopolitanus in causa Susannæ Augueriæ circa viri sui, quam prætendebat impotentiam; suo namque Senatusconsulto judicavit tribus mensibus sequestrari Susannam in domo conjugibus amicæ, nec suspectæ personæ, ad quam viro liber foret accessus omni hora diei noctisque, cum plena congressus quandocumque ei collibitum fuerit libertate: exacto deinde trimestri Partem utramque comparituram apud Commissarium, & juramento addicto responsuram, num fuerit congressus consummatus: si in eo facto discordent, tum demùm procedendum per visitationem Medicorum & Chirurgorum, de quibus Partes convenerint, aut iis non convenientibus, quos Commissarius designaverit. Exitus verò totius causæ fuit declaratio nullitatis matrimonii ob perpetuam quæ judicata fuit, impotentiam viri, & transitus Susannæ ad novum connubium, ut idem refert Bonifacius tom. 1. lib. 5. tit. 6. cap. 2. ibique complurium Juris Authorum testimoniis probat desuevisse totâ Galliâ triennii experientiam. Istam porrò intermediam viam, quam Gratianopolitanus Senatus iniverat, vidi à quibusdam Officialibus observatam & affectatam. Sanè multò æquior est quàm unius diei congressus, qui si habet irritum effectum, non sufficit ad judicium impotentiæ perpetuæ. Influere tamen ad hoc judicium potest titulo conjecturæ, dummodo aliis probationibus suffulciatur, aut urgentibus aliunde conjecturis. Certitudinem verò prorsus indubitatam impotentiæ perpetuæ nec ipsa triennalis

experien

experientia poteſt ſtabilire, licèt ſufficiat ad morale & practicum ſeparationis judicium.

X. Poſtquam vir & mulier ex impotentiæ cauſa ſeparati fuerint, Pars non impotens jus habet novum matrimonium contrahendi, eo quòd priùs contractum cenſeatur irritum. Secus verò judicandum de Parte altera impotente, niſi hæc ejus impotentia ſit ſolummodò reſpectiva; quo caſu licitum ei pariter eſt contrahere cum alia perſona, cujus reſpectu ſit potens ad conſummandum. Ubi verò qui fuit habitus impotens probabitur demùm evaſiſſe potens, etiam poſt triennium & judicio ſtatutam ſeparationem, reddenda erit ei priſtina ſua conjunx, etiamſi alteri viro nupſiſſet, quia poſterius ejus conjugium irritum ac nullum eſt propter ligaminis impedimentum, quatenus ceſſante impotentia quæ temporalis erat, deprehenditur fuiſſe validum anterius illud conjugium, cap. *Laudabilem*, & cap. *Fraternitatis*, de frig. & malef.

XI. Aliter tamen cenſendum, ubi compertum eſſet impotentiam fuiſſe tantùm reſpectivam; tunc enim liberum eſt utrique aliud inire conjugium, quatenus incapaces matrimonii inter ſe tantummodò ſunt, & capaces reſpectu aliorum. At ſi non conſtet impotentiam fuiſſe ſolùm reſpectivam, qualis utplurimùm eſt ea quam cauſat maleficium; & qui fuerat ex naturæ defectu impotens, facta ſeparatione cognoſcatur potens, tunc præſumptio juris erit, præcedentem impotentiam non niſi temporalem fuiſſe, & inſtaurabitur prius matrimonium ad novam potentiæ experientiam, qualis fuerat ante dictam ſeparationem habita; hoc eſt, ſi jus commune conſectemur, triennalis altera cohabitatio: ſed ſi denuò ſeparari contingat, nulla deinceps ſpes erit reſtitutionis poſt ſecundam ſeparationem. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 93. & 99. Coninch diſp. 31. dub. 7. n. 84.

XII. Per dictum cap. *Laudabilem*, de frig. & malef. quod ſtatuit ut exactâ triennii experientiâ, & inſequuto ſeparationis judicio, ſi vir ex poſtfacto deprehendatur potens, reſtauretur prius illud matrimonium, etſi mulier ſubinde ad alias nuptias convolaverit, nullatenus abrogatur can. *Si per ſortiarias*, 33. quæſt. 1. qui diſſolvi prohibet poſterius matrimonium quod fuerat ſubſequutum prioris matrimonii diſſolutionem ex cauſa impotentiæ ex maleficio provenientis; cùm tamen idem vir comperiatur potens in ſecundo, quod poſt ſeparationem contraxit, matrimonio. Eſt enim magna diſcriminis ratio inter impotentiam naturalem, & eam quæ cauſatur à maleficio, ut admonent Gloſſæ utriuſque Canonis, tam incipientis *Si per ſortiarias*, quàm incipientis *Laudabilem*: prior enim loquitur de impotentia per faſcinationem ac maleficium: poſterior de impotentia naturali, ſeu frigiditate. Naturalem iſtam impotentiam Jus præſumit eſſe abſolutam, & nullatenus reſpectivam, atque ita ad omnes extendi; ideoque ſi deſiiſſe comperiatur, præſumitur abſolutè deſiiſſe

respectu ad omnes, non verò ad unam fœminam dumtaxat : unde necesse est ad pristinum regredi matrimonium, posteriore quasi nullo & irrito derelicto, si aliquod fuerat initum. Ubi verò impotentiam causavit maleficium, si sic impotens cum alia conjugium junxerit, cum qua se potentem experiatur, non permittit canon *Si per sortiarias*, regressum ad antecedens conjugium, quia præsumit pristinam durare respectu prioris uxoris impotentiam, postquam adhibitis Ecclesiæ remediis, precibus, jejuniis, Sacramentis & eleemosynis, sine ullo effectu per triennium indicta fuit separatio. Ejusmodi namque maleficia solam inducere solent respectivam ad primam, cum qua contractum fuerit, impotentiam.

XIII. Quapropter fallitur multùm Bonacina quæst. 3. punct. 13. n. 19. & 20. scribens quod si vir ex causa maleficii soluto matrimonio se in secundo matrimonio potentem deprehendat, debeat ad pristinam regredi uxorem. Et addit præterea, eo casu licitum esse pristinæ uxori recusare istam ad hunc priorem virum suum reversionem, eo quòd possit bona fide judicare, non esse respectu sui ablatum maleficium, sed adhuc perdurare. His enim quæ dicit Bonacina Canones adversantur, simulque ratio. Post exactum namque triennium perdurans vis maleficii præsumitur à Canone & perpetua simul & respectiva ad priorem uxorem, si oppositum non probetur. At verò oppositum nullatenus probatur ex potentia ejusdem exerente se erga posteriùs ductam uxorem : non enim auferre solet inductum maleficium omnimodam & absolutam potentiam, sed ordinariè potentiam ad copulam ligat cum sola, quæ prior ducta fuit. Glossa in cap. *Literæ*, verb. *Cognoscendi alias*, de frigid. & malefic.

XIV. Impotentia post contractum matrimonium superveniens, quanvis perpetua futura esset, nullatenus ipsum dirimit. Quod enim aliquando validum fuit matrimonium, sola mors potest dissolvere. Itaque sola impotentia quæ matrimonium antecedit, quæque non temporalis est, sed perpetua, impedit contrahendum, & dirimit contractum. Eam ob causam non valet matrimonium senis ita decrepiti, ut sit omninò inhabilis ad copulam, quia præciditur tale matrimonium impedimento dirimente simul & perpetuo. Sanchez, Guttierrez, Bonacina. Sed post matrimonium completum adveniens, sive ex senili ætate, sive aliunde impotentia ad copulam, non dissolvit matrimonii vinculum, cùm talis impotentia non sit antecedens, sed subsequens. Fœmina autem, quantumvis vetula, si non sit arcta, potest validum inire matrimonium, cùm sit quacunque ætate capax seminis suscipiendi. Senem porrò pridem validè conjugatum, sed postmodùm sic ætate debilitatum ut perfectam nequeat inire copulam, posse tamen citra mortalem culpam eniti ad actum conjugalem, asserunt Caietanus in 2. 2. quæst. 154. art. 1. col. 6. S. Antoninus 3. part. tit. 5. cap. 12. §. 3. Paludanus in 4. dist. 34. quæst. 2. Navarra in cap. *Consideret*, de pœnit. dist. 5. num. 48. & in Manuali cap. 22. num. 60.

XV. Etiam

XV. Etiamsi verò dixerim senem planè decrepitum non posse novum inire matrimonium, longè tamen alia est ratio de ægrotantibus, qui licèt in eo statu sint ut sint ad congressum impotentes, atque etiam supponatur ex morbo incurabili nullam superesse spem in eis futuræ copulæ, restat tamen habitualis potentia, quæ posset in actum reduci, si ex illa ægritudine convalescerent; quæ potentia habitualis solùm est ligata per accidens, & adhuc radicaliter subsistit, qualem nullatenus habent decrepiti senes, nec habere unquam possunt, ex quo fuit penitus in eis extincta. Valere porrò tale ab ægrotante contractum matrimonium potest ad legitimandam susceptam ex fornicatione prolem, & reparandam apud homines famam concubinæ. Sanchez lib. 7. disp. 105. Coninch disp. 32. dub. 7. num. 88. Plerumque contingit, ut durante vero & legitimo matrimonio vir tandem ob provectam ætatem sic debilitetur, ut quantumvis libido exstimulet, aut vix, aut nullatenus perfectam copulam inire possit. Hunc tamen ad eam cum uxore habendam eniti posse, docet Caietanus in 2.2. quæst. 154. art. 1. col. 6. quem sequitur Navarra Man. cap. 17. num. 6. & in comment. ad cap. *Consideret*, de pœnit. dist. 5. num. 48. & favet apertè Glossa in cap. 2. de frigid. & malefic. quemadmodum & illi qui cohabitant pro experientia triennali, juxta cap. *Laudabilem*, eod. tit. eoque potiori jure, quòd vir iste certus sit de validitate sui matrimonii; illi verò qui sunt in experientia triennali, incerti sunt an validè contraxerint, cùm non liqueat an impotentiâ perpetuâ laborent.

XVI. Impuberes ex Jure Ecclesiastico non possunt matrimonio jungi validè, & secus faciendo nullum & irritum esset matrimonium; sed expectandum est donec puer annum decimumquartum, puella verò duodecimum compleverit, etsi nondum pubertas seu lanugo ex aspectu corporis appareat, ut docet Joannes Andreas ad cap. *Puberes*, de desponsat. impub. reprobans oppositam opinionem Glossæ ibidem. Sed non est necesse illam ætatem expectare in illis qui anteà pubescunt, d. cap. *Puberes*. Atque in istis dicitur malitia ætatem supplere. Quia tamen ordinariè non solet pubertatis judicium fieri per corporis aspectum, Inst. quibus mod. tutel. fin. circa princ. ideò pubertas utcunque judicanda est ex prædicto annorum numero, nisi ante illos annos constet quod malitia ætatem suppleverit, cap. *De illis* 1. & cap. *A nobis*, & cap. *De illis* 2. de desponsat. impuber. Sed tamen valet matrimonium post annos pubertatis contractum, tametsi ob ætatis imbecillitatem Partes sint adhuc impotentes. Quod si contracto matrimonio in ea ætatis, quanvis legitimæ, imbecillitate, dubitatur an inde, aut aliunde proveniat impotentia, illud experientiæ destinatum triennium non erit computandum nisi à tempore quo perfectam adepti fuerint pubertatem, quod contingit in fœmina anno completo decimoquarto, & in viro anno decimo-octavo. Sanchez lib. 7. disp. 104. num. 18. Coninch disput. 31. dub. 7. num. 84. Angelus verb. *Matrimonii imped.* 16.

num. 6. & alii. Sanè colligitur ex l. *Mela*, D. de alim. & cib. legat. perfectam fœminæ pubertatem advenire anno decimo-quarto. At verò l. *Arrogato*, D. de adoption. & Inst. eod. §. *Minorem*, præfigunt in viris anno decimo-octavo perfectam pubertatem, quâ demùm exactâ computari incipiet experientiæ triennium, quale etiam concederetur illis qui anno ipso ætatis trigesimo nuptias inirent. Illustria malitiæ supplentis ætatem exempla tria S. Hieronymus profert in epist. ad Vitalem. Primum Salomonis, qui anno suæ ætatis decimo Roboamum genuit. Scribitur quippe lib. 2. Reg. 11. Salomonem regnasse annos quadraginta: & 3. Reg. 14. Roboamum regnare cœpisse anno ætatis suæ quadragesimo primo. Itaque jam erat natus antequam pater ejus Salomon regnum auspicaretur. At lib. 1. Paralip. 29. Salomon dicitur initio regni sui adhuc puer & tenellus; sed ejus certa ætas non exprimitur in Scriptura. Secundum exemplum producit Regis Achab, qui natus annos undecim genuit Ezechiam, ut liquet 4. Reg. 16. vers. 2. & cap. 18. vers. 2. Tertium refert pueri qui decem natus annos nutricem cum qua consuetudinem habebat, reddidit prægnantem. Istius exempli falsò allegatur author S. Gregorius in dialogorum libris, in quibus tamen nihil tale visitur; sed verus author ipse est S. Hieronymus. Denique Albertus Magnus relatus ab Angelo verb. *Matrimonium* 3. imped. 16. §. 5. & 6. testatur visam à se puellam quæ anno ætatis nono concepit, & decimo peperit.

XVII. Hermaphroditus in quo unus sexus alteri prævalet, potest matrimonium inire secundùm sexum in se prævalentem, non secundùm alterum. Sed si æqualiter compos sit utriusque sexus, potest quem maluerit sexum eligere, & secundùm ipsum nuptias inire. Navarra, Henriquez, Sanchez, Coninch, Filliucius. Judicium verò circa sexum prævalentem fieri convenit per inspectionem & relationem Medicorum, Chirurgorum & Matronarum. Ubi tamen res adhuc esset ambigua, standum foret ipsius hermaphroditi assertioni. Sanchez, & Bonacina. Hermaphroditus postquam semel sibi sexum ad matrimonium elegit, non potest citra peccatum post conjugis mortem mutare pristinam electionem ad novum in altero sexu contrahendum matrimonium, tametsi æqualiter sit utriusque compos, ob summam rei indecentiam. Si tamen secundùm novam, & à priore diversam electionem contraheret, esset nihilominus validum illud matrimonium; quia naturalis potentia non fuit per primam electionem ablata, neque per juramentum ab eo coram Prælato præstitum de nunquam varianda sexus electione. Ugolinus, Sanchez, Filliucius, Bonacina.

XVIII. Hermaphroditi connubio Parochus non priùs suam debet exhibere præsentiam, quàm per Judicem Ecclesiasticum fuerit cognitum de sexus prævalentia, aut Judex Ecclesiasticus declarationem exegerit, simulque juramentum nunquam deinceps utendi altero sexu ad matrimonium. Cùm enim pertineant hæc ad forum externum, Parochus temerè se his

his ingereret ante Judicis sententiam, nisi fortè talis esset hermaphroditus, quem certum esset omnino uno dumtaxat sexu valere.

XIX. Haud facilè credendum est mulieri de viri sui impotentia, sed ad ipsius querelam seorsum primùm singuli conjuges interrogandi sunt, & præmisso juramento, eorum responsiones in scripta redigendæ. Deinde seorsim vocandi singulorum conjugum propinqui; quæ forma vocatur à Canonibus sic fieri præcipientibus, Septima manus propinquorum, ut si quid hac de re resciverint, hoc deponant. Si hæc ad rei cognitionem non sufficiunt, denuò interrogantur conjuges, si persistant, si varient, si quid ad primas responsiones addi velint. His succedit decretum inspectionis sexuum, fœminæ quidem per obstetrices jurejurando addactas, viri autem per Medicos & Chirurgos similiter juratos. Si ne sic quidem constet virum esse prorsus impotentem, aut si quâ tenetur impotentiâ, non constet esse perpetuam, Jura decernunt experiendi & explorandi gratiâ trium annorum cohabitationem, ut superiùs docui, aut si qua sit alia forma in locis particularibus recepta, sufficiensque ad conjectandum cum æquitate & prudentia, num subsit perpetuum, quod solùm dirimere potest, impedimentum, qualis utique censeri non potest exploratus unius, aut alterius diei concubitus. Postremò post temporis legitimi experimentum Pars utraque rursus interrogatur: proceditur ad novam utriusque seorsum partis inspectionem iisdem sub formis quas paulò antè retuli: succeditque definitivum judicium, prout ex supradictis constiterit, vel perpetuæ cohabitationis, vel ab invicem separationis. Sed ubi constaret de fœminæ coarctatione, vel de viri perpetua impotentia per primam, neque ullatenus contestatam partium per deputatas congruas personas inspectionem & relationem, putà quod vir sit eunuchus, aut quid hujusmodi, ex tunc sine alio experiundi decreto, aut processus ulterioris continuatione, decernenda est & injungenda separatio.

XX. In causa impotentiæ, si nullatenus probari potest fœminæ conquerentis intentio, & vir se neget impotentem, partesque ad copulam requisitas habeat integras & illæsas, quod per Chirurgos & Medicos deputatos & juratos ita referatur, viro potiùs quàm mulieri credendum est post præstitum juramentum; quia vir caput mulieris est, ut decidit cap. 1. de frig. & malef. hoc uno excepto, si mulier se virginem esse probet ex aspectu corporis & matronarum attestatione; hæc enim probatio potior est quàm mariti contraria assertio cum juramento, ut expresè deciditur cap. *Proposuisti*, de probation. Sed si fœmina vel per præcedens matrimonium, aut alia ratione desiit esse virgo, ipse verò vir cum juramento se neget impotentem, neque alia probatio suppetat, standum est viri asseverationi in externo & contentioso foro, d. cap. 1. & adigi potest mulier etiam per censuras Ecclesiasticas ad cohabitandum, cap. *Inquisitioni*, de sent. excomm. quanvis justa & vera sit mulieris probare non valentis ex-

postulatio, quo casu, ut ibidem declaratur, re in foro interiori benè exploratâ, si sit certum impedimentum, debet potiùs excommunicationem exteriorem & quidvis aliud pati, quàm consentire in opus matrimonii. Dicunt verò Richardus in 4. dist. 34. art. 2. quæst. 1. & Turrecremata, aliique, se non videre quomodo in prædictis circumstantiis possit viri præfractè mentientis vera impotentia probari. Verùm ut ait Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. Ecclesia de occultis non judicat.

CAPUT XXVI.

Reliqua duo Impedimenta discutiuntur, clandestinæ conventionis, & raptus.

I. SI absque proprii Parochi, aut alterius Sacerdotis de licentia Parochi, vel ipsius Ordinarii præsentia, simulque duorum testium contrahuntur nuptiæ, ipsæ irritæ erunt ex jure novo Concilii Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. antea namque valida erant clandestina matrimonia. Quæ innovatio in Sacramento, cujus essentialia à Christo Domino instituta non possunt regulariter ab Ecclesia immutari, fundatur in ratione speciali hujus Sacramenti: quod cùm secundùm suam peculiarem substantiam fundetur in civili & legitima ambarum Partium conventione, potuit Concilium œcumenicum extendendo vel restringendo conditiones ad legitimum contractum requisitas id efficere per accidens, & non per se; & indirectè, non autem directè, ut contractus matrimonialis qui antea fuerat validus, jam non sit validus, novas, sed tamen rationabiles ei præscribendo conditiones, unde sequatur, ut duorum contractus qui antea fuerat sufficiens materia Sacramenti susceptiva, sit deinceps illegitimus, atque adeò cesset esse Sacramentum, quod legitimum contractum viri & mulieris prærequirit: quemadmodum panem & vinum, quæ fuerant apta ad conficiendum ex eis Eucharistiæ Sacramentum materia, taliter potest aliquis immutare & alterare, ut jam desinant esse materia ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum apta.

II. Grandis est disputatio theologica, utrum possint Principes ac Respublicæ seculares impedimenta nova inducere matrimonium etiam sub ratione Sacramenti dirimentia. Non enim controvertitur, an possint ex justa & rationabili causa conditiones præscribere quæ Sacramenti formam non impediant, sed quarum nihilominus infractio pœnis civilibus coërceatur: adeò ut contractus talibus conditionibus destitutus, sine præjudicio

cio Sacramenti pro nullo civiliter ac invalido habendus sit, quatenus ex ipso non permittitur civilis actio, neque civiles nascantur obligationes, neque ulla civilia jura prætendi possint; quin potiùs graves pœnæ in eos qui ita contraxere decernantur. Thomas quidem Sanchez lib. 7. de impedim. matrim. disp. 4. postquam allegavit innumeram penè Theologorum & Canonistarum multitudinem, prorsus negantium hanc potestatem Potestatibus supremis temporalibus competere, quæ usque ad Sacramenti nullitatem possit pertingere; unicum fuisse asserit Catholicum Doctorem qui affirmativam oppositam opinionem propugnaverit, Petrum de Soto lect. 4. de matrimonio, ad fin. Unus tamen aut alter Theologus Gallicanus eandem tuetur affirmativam, Joan. Baptista Gonetus Dominicanus, duo loca producens S. Thomæ, scilicet in 4. dist. 34. quæst. unica, art. 1. ad 4. & rursum contra Gentes lib. 4. cap. 78. Sed ibi S. Thomas nihil affirmat contra vim Sacramenti, & quidquid ibi dicit, facilè reducitur ad pœnas civiles contra eos qui ordinationibus civilibus circa matrimonia non obtemperant. Sed ex parte ipsorum Canonum possunt magis urgentia argumenta depromi, scilicet ex cap. *Super eo*, de cognat. spir. qui Canon manifestè asserit, personas quæ secundùm communes Ecclesiæ Canones essent habiles ad matrimonium mutuò contrahendum, posse esse ad hoc idem inhabiles ex recepta in oppositum consuetudine loci particularis. Allegatur pro utraque parte ex Concilio Triburiensi cap. 1. de sponsalib. quod tamen neutri partium suffragatur. Ibi vir Francus fœminam Saxonicam duxit uxorem, deinde novis amoribus irretitus repudiat Saxonicam, & aliam ducit uxorem, hoc prætexens, fuisse illud prius matrimonium celebratum secundùm Saxonum, non verò Francorum leges. Concilium verò prætextum istum parvipendens, Francum redire jubet ad priorem uxorem, & secundam abdicare. Nihil verò ibi insinuatur, an illæ Franciæ leges pertinerent ad matrimonii validitatem quoad substantiam, an verò quoad quasdam præscriptas observantias & circumstantias, à quibus tamen non dependeret matrimonii essentia & validitas: sicut ipsa Ecclesia multa præcipit circa matrimonium, quorum tamen defectu non desinit validum esse. Præterea multò verisimilius est, fuisse illud matrimonium in Saxonum regione celebratum: tum quia ritu Saxonico, & non Francico: tum quia illo sæculo Franci Saxonibus assidua bella intulerunt, & numerosissimi exercitus ex Francia in Saxoniam commigrabant, unde & victorias insignes reportarunt. At verò Francorum consuetudines non vigebant in Saxonia, neque illis Franci ligabantur peregrè agentes.

III. Asserunt quidam Theologi hanc Principibus sæcularibus potestatem competivisse, ablatam verò eis fuisse ab ipsa Ecclesia, quæ sibi uni jus istud reservavit, cùm antea illo potiri jure potuissent iidem Principes atque Respublicæ seculares; quandonam verò hanc eis Ecclesia potesta-

tem

tem abſtulerit, non indicant: hoc ſolùm oſtendunt, aliquas veterum Romanorum circa matrimonia leges fuiſſe poſterioribus Canonibus antiquatas. Sed nihil inde infertur de illa juris Principum ſuppreſſione; nam id omni juri humano commune eſt, ut poſteriores leges anterioribus abſque illa ſpeciali & ſingulari reſervatione derogent, ut conſtat ex l. fin. D. de conſtitut. Princ. Canones etiam recentiores Canones infringant priores: & cùm tam Canones Eccleſiæ (exceptis Fidei Decretis, aliiſque quibuſdam quæ ad Jus Divinum reducuntur) quàm leges Principum ſint humani juris, & mutationibus obnoxii, inde fit ut ipſamet contraria conſuetudo peræquè Canones Eccleſiæ ac Principum Conſtitutiones antiquet ac obliteret, ſi ſit rationabilis & præſcripta, cap. fin. de conſuetud. Quàm multos Canones edidere cum Pontificibus generalia Concilia, quos contrario uſu videmus toto orbe abrogatos? Alexander Papa III. in cap. *Cùm eſſes*, & in cap. *Relatum*, de teſtamentis, abrogat omnes à Jure Civili introductas teſtamentorum & codicillorum ſolennitates, & ſub anathematis interminatione prohibet reſcindi ulla teſtamenta quæ fuerint coram Parocho & duobus teſtibus conc[illegible]; & notabiliter adjungit, nullam in contrarium conſuetudinem poſſe [illegible]ic Conſtitutioni prævalere. Et tamen quemadmodum illa Pontificia Conſtitutio legibus civilibus derogavit, videmus nunc toto orbe Chriſtiano conſuetudinem, quam idem Canon inhibebat, ſibi prævalere; ita demùm etiam in ditionibus Eccleſiæ temporalibus prævaluiſſe, ut abolito ipſo Canone revixerint legum civilium circa teſtamenta ſolennitates, quas idem Canon aboleverat. Illa ergo priſtini ſecularium Principum juris, quam quidam dicunt, facta revocatio, cùm ſit Juris poſitivi Eccleſiaſtici, poteſt quemadmodum aliæ innumeræ univerſalis Eccleſiæ Conſtitutiones, contrariâ proculdubio conſuetudine obſoleſcere, & Principes, quorum ditiones hujuſmodi conſuetudo pervaſerit, priſtinam poteſtatem jure poſtliminii reſumere.

IV. Cæterùm non facilè admiſerim, quod attinet ad rem facti, hujuſmodi conſuetudinem, quâ nova matrimoniorum impedimenta ultra numerum à Sacro Tridentino Concilio præfixum fuerint introducta, alicubi tandem plenè & ex integro prævaluiſſe. Illud enim unum, circa quod maximè inſiſtunt Franciæ plerique Proceres, quod reſpicit matrimonia filiorumfamilias ſine parentum conſenſu celebrata, in primis quidem conſentiunt omnes eſſe illicita, & divinis humaniſque legibus prohibita, & pœnis dignos eſſe filios qui contrahunt, & Sacerdotes qui eis aſſiſtunt. Conſentiunt pariter omnes fuiſſe hujuſmodi matrimonia Regum Chriſtianiſſimorum Conſtitutionibus ita prohibita, ut ſi fiant, declarentur ab iiſdem nulla & invalidè contracta. Effluxere anni ferè centum, ex quo ſimiles prodierunt Regum Conſtitutiones: primus enim hoc edixit Henricus III. in Comitiis Regni Bleſenſibus, art. 40. Verumtamen cum Antiſtitibus conſentiunt unanimes Proceres & ſapientiores Regni Magiſtratus,

tam

tam Edictum Blesense, quàm cætera quæ ab insequentibus Regibus promanarunt, nullatenus attingere vim Sacramenti, neque prorsus in re usqueadeò divina violari Sacri Tridentini Concilii sapientissimum & sanctissimum Decretum: sed totam illam nullitatis & invaliditatis declarationem concludi intra fines pœnarum merè civilium, ut scilicet quoad actus civiles, & quoad emolumenta civilia his omninò privati existant hujusmodi filiifamilias, neque ad actiones admittantur civilis fori, quæ ex vi contractus & conventionum connubialium nasci possent, & cum filiis qui ex illo nascentur conjugio perinde agatur apud Tribunalia, ac si illegitimi forent, tam quoad honores, quàm quoad successiones. Attamen non rarò contingit ut istæ quoque civiles pœnæ à supremis quoque Regni Curiis ex æquo & bono remittantur, aut spontaneè dissimulentur, ne familiæ & personæ alioqui honorabiles & Reipublicæ quandoque utiles æterno inurantur opprobrio, & cum paupertate extrema conflictentur. Rarissimè verò contingit, ut inde nati liberi ad illegitimorum sortem reducantur. Solaque pœna, circa quam nunquam vidimus dispensari, versatur circa privationem paternæ hæreditatis, juxta Edictum Henrici II. nisi parentes ipsi mitiùs de hujusmodi filiis disponere dignati fuerint.

V. Itaque intolerabilis circa Sacramentum fingenda esset inordinatio, si ad Curiarum beneplacitum nunc rigidiùs ad Edicti amussim judicantium, nunc ex æquo & bono mitiùs pro illustrium familiarum præsidio, & puellarum honestè natarum præcavenda ignominia, Deus cujus est uniformis & perpetuò constans operatio, nullam sibi certam in Sacramento imprimendo præfigeret regulam, sed ad arbitrium & inconstantiam humanorum judiciorum suum suspenderet actum, & pro eorum etiam in paribus Juris circumstantiis varietate nunc Sacramenti sui sigillum imprimeret, nunc verò Sacramenti gratiam cohiberet secundùm humanorum judiciorum inæquales, nec sibi constantes successus.

VI. Quum Rex Christianissimus Ludovicus XIII. suum publicari fecisset Edictum anni millesimi sexcentesimi vigesiminoni, mense Januario, eoque renovaret articulum præfatum 40. Edicti Blesensis, & Judices Ecclesiasticos juberet secundùm ipsum in causis matrimonialibus judicare, art. 39. Clerus Gallicanus eo tempore sua Parisiis Comitia habens Regem suppliciter his verbis admonuit: *Rex humillimè supplicatur, ut considerare non pigeat quantum sit momentum in hoc articulo qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est, ut non aliter intelligantur hæ voces, Validè, aut invalidè contracti matrimonii, quàm per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti. Secunda, ut non adstringantur Ecclesiastici ad judicandum secundùm hujus Edicti, simulque Blesensis articulos, sed juxta Sacros Canones & Ecclesiastica Decreta, quæ sunt unica regula & norma judicii Ecclesiasticorum. Hi enim non possunt, aut debent jurisdictionem, quam à solo Deo collatam habent, circa res spirituales ab ipsis*

laïcis mutuari. Quapropter necesse est ex isto articulo hæc verba resecare: Et obligabuntur Ecclesiastici Judices in causis istiusmodi matrimoniorum judicare ad hujus articuli normam. Ad hanc supplicem requisitionem Rex Christianissimus officium respondendi commisit Magno Regni Cancellario & selectioribus quibusdam Officialibus Sanctioris Consilii. Hi verbis istis exscripto responderunt: *Commonitio Cleri, quod spectat ad priorem difficultatem sic resoluta fuit: Verba ista, Validè aut invalidè contracta matrimonia, non esse aliter explicanda quàm per solam relationem ad contractum civilem per laïcos Judices. Altera pariter difficultas justa & rationi congrua visa fuit.* Hæc itadecerpsi prout habentur in tertio tomo Rerum & Decretorum Cleri Francici. Certè non potest majori & graviori authoritate firmari vera mens ac sensus istiusmodi Constitutionum Regni.

VII. His attexendum duxi judicium eruditissimi Consiliarii in Senatu Parisiensi Loueti, lit. *M*, tit. 6. cujus hæc ipsa sunt verba: *Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum quas requirit articulus 40. Blesensis Constitutionis, nullatenus attingit ipsum Sacramentum, quod nihilominus in isto matrimonio existit: non agitur de Sacramento Matrimonii, aut ejus essentialibus ceremoniis; sed de validitate conventionum matrimonialium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate & communitate inter virum & uxorem: quæ conventiones non dependent ex Theologicis Decisionibus, sed ex Edictis in Parlamento verificatis.* Et paulò post: *Aliud est de Sacramento Matrimonii disputare, aliud de pactione dotis disserere; distincta sunt potestates.* Hæc Loetus. Scio equidem ejus Scholiasten Brodeum voluisse istam invaliditatem ad ipsum etiam Sacramentum protrahere. Atque hoc citra invidiam & injuriam dici potest, Scriptorem istum quoties à Jurisprudentiæ finibus ad Theologicas dissertationes digreditur, id facere tam imperitè & infeliciter, ut ei jure dici possit hoc ipsum quod Megabyso ineptè de picturis differenti respondit Apelles, Eum se deridendum exhibere novitiis ejus artis. Usqueadeò quæ dicit ignorat, ut ibidem asseveret à Concilio Tridentino definitum, matrimonia filiorum invitis parentibus inita, & invalida esse, & caderere Sacramento: quo nihil obtusius, nihil veritati evidentiùs oppositum dici potest, cùm ipsum quod allegat Concilium sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. sic expressissimè decernat: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero consensu contrahentium facta, rata & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera & rata esse negant, quique falsò affirmant matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Quis post hæc tutò fidere, aut credere possit huic Commentatori tam manifesta mendacia comminiscenti? At pari fide pergit citans plerosque Theologos & Summistas à se nunquam lectos: & demùm concludit in hanc rem cunctos convenire Theologos, & docere tum prærecensita filiorumfamilias matrimonia, tum omnia

nia clandestinè contracta, fuisse & esse irrita, & Sacramento prorsus destituta. Horum quos citat Authorum alii scripserunt ante Concilium Tridentinum, & certum est hos omnes asseverare unanimes, matrimonia clandestinè contracta esse quidem illicita, nec minùs tamen esse vera Sacramenta. Cæteri Theologi & Summistæ qui post Concilium scripsere, unanimes affirmant matrimonia clandestinè, hoc est sine Parocho & testibus contracta, quanvis ante Concilium valida fuissent, si post Concilium inita fuerint, & irrita esse, & Sacramento destituta. Iidemque constanter scribunt, matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu facta coram proprio Parocho & duobus testibus, esse quidem prohibita & illicita, sed nihilominus valida, & cum Sacramento conjuncta. Errores itaque quos Scholiastes Lectoribus suis obtrudit, ex ejus inscitia prodeunt, quâ nescit discernere matrimonia clandestina sine Parocho & testibus; ab illis quæ coram Parocho & testibus, sed sine denunciationibus contracta sunt: nescit quoque distinguere clandestina matrimonia quæ Concilium Tridentinum præcessere, ab iis quæ Concilium subsequuta fuerint. Ignorat quoque discrimen inter prohibitum, illicitumque; & irritum, invalidumque. Concilium namque & Theologi universi affirmant suprà memorata filiorumfamilias matrimonia esse prohibita, illicita & punienda; & nihilo seciùs ita esse valida, & Sacramento cohonestata, ut oppositum asserentibus intorqueant anathema.

VIII. Vetus quidem Jus Romanorum Civile irrita declarat filiorumfamilias matrimonia, in quibus paternus consensus non intervenerit, l. *In sponsalibus*, §. *In sponsalibus*, D. de sponsalibus, l. *Nuptiæ*, D. de ritu nupt. & l. *Nec filium*, C. de nupt. Instit. de nupt. in princ. & §. *Si adversùs*, antepenult. etiamsi filius sit miles, l. *Filiusfamilias* 55. D. de ritu nupt. Blesense Edictum Henrici III. art. 40. non tantùm patris, sed etiam matris consensum sub pari pœna exigit, quanvis Jus Romanorum commune matris consensum non exigeret, nisi in filia patre orbata, l. *In conjunctione* 20. C. de nupt. Et quanvis filia emancipata exierit de patris potestate, nihilominus l. *Viduæ* 19. & l. *In conjunctione* 20. C. de nupt. consensum patris requirunt ad nuptias filiæ emancipatæ. At verò liberè iniri possunt matrimonia citra consensum collateralium & affinium, l. *In copulandis* 8. C. de nuptiis.

IX. In Franciæ Regno necessarius quoque est tutorum & curatorum consensus ad matrimonium, juxta dictum Blesensem articulum 40. qui requirit pariter cum tutoribus & curatoribus proximiorum cognatorum assensum; horum enim officium est ut advertant, ne tutores aut curatores proprium aut suorum commodum spectantes, matrimonia procurent suis pupillis aut minoribus noxia vel incommoda, Blesensi art. 43. Licèt Jus Romanorum neque curatorum, neque collateralium consensum efflagitet, l. *Sciendum*, D. de ritu nupt. & l. *In copulandis*, C. de nupt.

X. Nec verò necesse est ut expressus parentum consensus interveniat in liberorum suorum nuptiis; sufficit enim ad validitatem si admoniti non reprobaverint manifestè; horum enim silentium pro consensu reputabitur, l. *In sponsalibus* 7. §. *In sponsalibus*, D. de sponsal. & l. *Si ut proponis*, C. de nupt. quæ lex declarat præterea non esse necessarium, ut patris consensus præcedat; sufficere quippe ad valorem si ex postfacto approbet. Huic verò non obstat quod dicitur Institut. de nupt. in princ. jussum parentum debere præcedere; id enim requiritur ad honestatem & officium, sed non ad actus validitatem, ut monet Despesseus de contractibus p. 1. de matrimoniis, sect. 2. num. 5.

XI. Eodem Blesensium Comitiorum articulo 40. invalidum decernitur matrimonium sine proclamationibus ac denunciationibus contractum, nec sufficere primam denunciationem nisi ob urgentem aliquam & legitimam causam, & requirentibus parentibus & proximioribus fuerit circa reliquas duas, quæ Lateranensi & Tridentino Conciliis requiruntur, dispensatum. Quod verò prædictus articulus 40. requirit præter proprii Parochi assistentiam quatuor etiam vel quinque testes, id nullibi receptum fuit, utpotè superfluum; & statur in toto Regno Concilio Tridentino non amplius requirenti quàm duos testes præter Parochum.

XII. Communis Doctorum sententia est, ad matrimonii validitatem sufficere Parochi etiam inviti præsentiam, quâ rem quæ geritur sufficienter agnoscat. Sanchez lib. 3. disp. 39. Filliucius tract. 10. cap. 6. num. 225. & 226. Coninch disp. 27. dub. 4. concluſ. 3. Bonacina quæst. 2. puncto 8. num. 23. Prosper Fagnanus in cap. *Quod nobis*, num. 48. & seqq. de clandest. desponsat. Qui iidem declarationem allegant Sacræ Congregationis Cardinalium, asserentem hoc idem; sed tamen Parochum ita debere interesse, ut appareat ipsum hac de causa fuisse vocatum, quanvis alio & falso prætextu vocatus fuerit rei gerendæ insçius, & invitus aut renitens assistat; secus tamen si casu & non vocatus conveniatur. His suffragatur lex *Coram Titio*, D. de verbor. signific. ubi jussus aliquid facere coram Titio, declaratur adimpleviſſe conditionem, si illo vidente & sciente, quanvis invito & repugnante, fecerit. Ratio quoque suffragatur, quia Parochi præsentia ad hoc necessaria est, ut defectus & confusio clandestinarum nuptiarum devitetur. Et aliunde cùm minister hujus Sacramenti non sit Parochus, sed ipsæ Partes in se contrahentes, harum dumtaxat, non verò illius consensus est necessarius, neque assistit nisi ut principalis & necessarius testis. In Gallia etiam hujusmodi matrimonium valet pariter quoad Sacramentum, sed si deduceretur ad forum contentiosum, damnaretur nullitatis quoad civilia, quia sic edicit art. 40. Blesensis Constitutionis. Et præterea quicunque hoc modo matrimonium inirent, graviter delinquerent propter Ecclesiæ contemptum, & omissionem denunciationum, & exempli pravitatem, nisi hoc fieret,

quia

quia injustè Ordinarius, vel Parochus matrimonio contrahendo obsisterent.

XIII. Sufficit ad habendum alicubi proprium Parochum, si quis eò loci divertit ad habitandum majore anni parte, quanvis non habens animum continuandi habitationem ejus loci ultra semestre. Id namque sufficit ad continuandum parochiale domicilium, & suscipienda cætera quævis Sacramenta præter Ordines. Et qui per annum sex mensibus habitat in aliqua Parochia, & alio semestri in altera, potest sub utroque Parocho matrimonium inire. Sicut enim acquiri potest duplex domicilium, ita & duplex habitationis Parochia, cap. 2. de sepult. in 6. Sanchez lib. 3. disp. 24. num. 2. & 11. Guttierrez cap. 64. n. 2. Bonacina quæst. 2. punct. 8. num. 2. & 8.

XIV. Alia ratio est de vagis hominibus; quilibet enim Parochi locorum per quæ illi transeunt, possunt ipsorum matrimoniis interesse, quemadmodum & eis administrare Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, ut est communis Doctorum sententia. Sed quia vagi sunt plerumque improbi ingenii, & facilè contingit ut uxores alibi habeant, ideo vetat Concilium Trident. sess. 24. cap. 7. de reform. matrimon. ne Parochi horum matrimoniis intersint, nisi priùs diligenter inquisiverint, & re ad Ordinarium delatâ, licentiam ab ipso habuerint.

XV. Si vir & fœmina sint diversarum Parochiarum aut Diœcesum, faciendæ quidem sunt in utraque Parochia aut Diœcesi proclamationes, & habenda licentia utriusque Ordinarii; sed indifferenter potest matrimonium contrahi coram Parocho, sive viri, sive fœminæ, quanvis ferè semper eveniat ut contrahatur coram Parocho fœminæ, eo quòd viri ad fœminas accedant sæpius quàm fœminæ ad viros. Quilibet autem Ordinarius, aut Parochus æquali potestate pollet erga proprium diœcesanum & parochianum. Navarra consil. 1. de spons. al. num. 2. allegans responsum à Sacra Congregatione. Zerola in praxi, 1. p. verb. *Matrimonium*, quæst. 6.

XVI. Potest Parochus assistere matrimonio sui parochiani, etiam in aliena Parochia & Diœcesi aliena, sine licentia Parochi ejus loci, modò id faciat extra Parochialem Ecclesiam, ea ratione quâ potest ejus quoque audire confessionem & absolvere ubique locorum, & quâ potest Prælatus in sibi subditum exercere quocunque loco gratiosam & voluntariam jurisdictionem. Quod autem hæc agenda non sint in Ecclesia subdita Parocho vel Ordinario loci, nisi habitâ ejus licentiâ, id quidem requiritur, ne ei fiat injuria vel insultus hoc attentando; sed non est necessarium ad Sacramenti validitatem.

XVII. Tametsi non licitè, saltem potest validè proprius Parochus assistere matrimonio sui parochiani contra sui Ordinarii prohibitionem. Ea namque prohibitio non ei amovet jus & titulum Parochi: & multa

facta tenent quæ fieri prohibentur. Hoc ita declaravit Sacra Cardinalium Congregatio; atque ita docent Sanchez lib. 3. disp. 32. Bonacina quæst. 2. punct. 8. n. 21. aliique communiter. His ampliùs addit Fagnanus cap. *Litera quas*, de matrimon. contract. contr. interd. Eccles. valere Matrimonium, etsi Parochus assistens fuisset non modò prohibitus, sed etiam suspensus ab Ordinario. Quanvis enim Parochus subalternetur Ordinario quoad jurisdictionem quam potest ei restringere vel adimere, per hoc tamen non desinit esse Parochus, ejusque assistentia ad Matrimonium non est jurisdictionis actio; nihil enim hîc judicat, nihil jubet, nihil decernit, sed tantùm suam exhibet quasi testis præsentiam. Sic etiam licèt Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 7. de reform. matrimon. prohibeat Parochis vagorum matrimoniis interesse, hæc tamen matrimonia ex eorum præsentia valida fiunt. Similiter contractæ contra interdictum Papæ nuptiæ non ideò minùs valent, ut docet Glossa, & cum ea Innocentius in cap. *Ad dissolvendum*, de desponsat. impub. Et multa demùm facta tenent, quæ fieri prohibentur.

*XVIII. Si contingat sponsum & sponsam ad diversas pertinere Parochias, consentiunt Doctores (sepositâ quæstione, An liceat) valere matrimonium, cui proprius astitit Parochus unius contrahentium, dummodo id fiat intra ipsius Parochiæ fines quæ subest illi assistenti Parocho, etiamsi nullatenus accedat assensus, vel præsentia Parochi alterius. Atque in hanc sententiam unanimes accedunt Theologi & Canonistæ, quos profert Thomas Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 19. num. 4. & seqq. Quanvis enim quoad reliqua Sacramenta Parochus unius conjugum non sit utriusque Parochus, in matrimonio tamen (cùm sit individuum, nec nisi inter binos celebretur,) is qui habet jurisdictionem erga alteram partem, habet simul erga utramque; non enim una conjungi potest sine altera, argumento legis *Si communem*, D. quemadmod. servit. amit. & ibi Bartolus: *In individuis*, inquit, *retinet quis per socium quod per se retinere non posset*. Præterea re aliqua concessa, conceduntur simul omnia sine quibus jurisdictio explicari non potest, l. 2. D. de jurisd. omn. judic. Et ex eo quod causa alicui committitur, simul committitur super omnibus quæ ad eam causam pertinere noscuntur plenaria potestas. Longè autem diversa quæstio est, utrum quilibet Parochus possit extra suæ Parochiæ limites sibi subditum matrimonio conjungere cum alterius parochiano, cujus proprius Parochus minimè consentit: non enim hac in re Doctores peræquè consentiunt, quibusdam posse negantibus, aliis affirmantibus, etiam extra fines Parochiæ, apud Sanchez.]

XIX. Raptus est ultimum dirimens impedimentum quandiu rapta in raptoris potestate manet. Desinit istud impedimentum ex quo rapta dimissa est, & pristinæ reddita libertati. Sic enim sancivit Concilium Tridentin. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6. *Decernit sancta Synodus, inter raptorem*

rem & raptam, quandiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes consilium, auxilium & favorem illi præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu excidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

XX. Generaliter loquendo raptus est violentia fœminæ ad explendam libidinem illata, licèt non abducatur. Vèrùm raptus, de quo intelligendum est hoc loco Concilium, est abductio personæ invitæ. Duo ergo ad raptum istum requiruntur, scilicet abductio & violentia: si enim puella suæ abductioni consentiat, non raptus erit, sed voluntaria fuga. Sanchez lib. 7. disp. 13. num. 9. Güttierrez cap. 86. num. 12. Bonacina quæst. 4. punct. 18. n. 5. ubi etiam contra Sanchez, Guttier. & Reginaldum affirmat, locum esse huic impedimento & pœnis, sive raptus fiat solius libidinis explendæ causâ, sive etiam ad contrahendum matrimonium; & hoc fuisse ita declaratum à Congregatione Cardinalium. Similiter si puellæ stuprum per vim sine abductione fuerit illatum, nullus est huic pœnæ locus, juxta præfatos Authores.

XXI. Utrumque Jus, Canonicum & Civile, duas agnoscit species raptus, raptum scilicet in fœminam cui vis infertur, & raptum in parentes puellæ, si sint inviti progenitores, quanvis puella ipsa consentiat se abduci, cap. *De raptoribus*, 36. quæst. 1. & cap. *Cùm causam*, de raptorib. & l. *Raptores*, C. de Episc. & Cler. Sed raptus in solos parentes non subjicitur pœnis memorati Tridentini Decreti. Neque virisimilem credo quorundam opinionem, quod raptus in parentes puellæ consentientis producat dirimens impedimentum, quia ad hoc impedimentum instituendum motivum & causa fuit raptæ fœminæ libertas ad consentiendum aut dissentiendum matrimonio: propterea vult Ecclesia, ut mulier, cujus personæ vis à raptore illata fuit, duci in uxorem non possit à raptore antequam ejus erepta potestati, libertatique suæ reddita fuerit: quæ causa cessat in ea quæ suæ abductioni lubens consensit, quantumvis restiterint parentes ejus. Dicit enim can. *Sufficiat*, 27. quæst. 2. *Sufficiat secundùm leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* Et Glossa in cap. *Cùm causam*, de raptorib. verb. *Dicatur admitti*, absolutè ait, non esse raptum ubi puella consentit. Hoc denique sciendum, ad hoc ut istæ in raptores decretæ à Tridentino pœnæ incurrantur, minimè requiri ut fœmina fuerit à raptore corrupta; sufficit enim vis illata fœminæ, & ejus resistentis abductio, neque aliud quidquam exprimitur à Concilio.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Ad quem pertineat potestas dispensandi in Matrimoniorum impedimentis.

I. LICITÆ ac inculpabilis dispensationis duæ sunt causæ, necessitas, & notabilis utilitas, juxtà cap. *Mutationes*, 1. quæst. 7. & cap. *Exposuisti* 33. de præbend. Utramque commemorat S. Bernardus lib. 3. de considerat. ad Eugen. Pap. cap. 10. his verbis: *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas? dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Causæ legitimæ dispensandi circa gradus prohibitos, hæ sunt quæ colliguntur à Zerola 1. p. verb. *Dispensatio*, §. 1. Primùm incomperentia dotis. Secundò extinctio magnæ litis. Tertiò angustia loci, quæ potest esse duplex: vel quia maior pars habitantium ibi sunt consanguinei, vel affines postulanti, & extra illos non inveniret facilè parem suæ conditionis; aut si vellet extra locum nubere, non haberet dotem sufficientem. Has tres causas colligit quoque Navarra cap. 22. num. 87. Quarta est sedatio & pacificatio discordiarum, sive præsentium, sive quæ futuræ prævidentur. Quinta quum dives ducere cupit in uxorem cognatam, vel affinem pauperem constituendo illi dotem. Navarra præfatas colligit causas consil. 3. de consang. & affin. Ibidemque addit sextam, si bonâ fide & ex juris ignorantia jam fuit contractum matrimonium. Septimam, matrimonii malè contracti diuturnitatem. Octavam, scandalum grave præcavendum, aut peccatum. Nonam, evitationem mortis aut periculi ejus. Decimam, indotatæ puellæ miseriam, quæ vel spectat ad pudicitiæ periculum, vel ad rerum victui necessariarum indigentiam.

II. Prohibet Concilium Tridentinum non solùm dispensari sine rationabili causa circa matrimoniorum impedimenta, sed etiam quidquam pro dispensatione exigi: dispensari etiam vetat in secundo gradu, nisi inter magnos Principes, sess. 24. cap. 5. de reform. matr. *In contrahendis* (inquit) *matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

III. Circa præfata Matrimoniorum impedimenta solus Papa regulariter dispensare potest, cùm sint vel à Generalibus Conciliis, vel à Summis Pontificibus instituta, contra quæ nihil possunt Episcopi, cùm sit horum

horum authoritas inferior, & prædictis subdita, can. *Inferior*, dist. 21. & Clement. *Ne Romani*, de electione. Circa illa verò impedimenta quæ sunt à jure naturæ introducta, ut in Matrimoniis ascendentium & descendentium in linea directa, neque Papa, neque Concilium dispensare ullatenus valent. Quandoque tamen accidit ut dispensare Episcopi possint in impedimentis à Jure Canonico & suprema Ecclesiæ potestate sancitis. Quando enim Matrimonium cum aliquo impedimento canonico, etiam dirimente, bonâ fide ex juris aut facti ignorantia contractum fuit in facie Ecclesiæ, si sit occultum impedimentum, neque adiri possit prima Sedes ob conjugum paupertatem, rusticitatem, aut locorum distantiam, aliásve similes causas, neque possunt citra scandalum conjuges separari, aut etiam urget periculum offensæ Dei, his casibus potest Ordinarius dispensare quoad forum conscientiæ. His consentit omnis Summistarum & Theologorum multitudo. Angelus verb. *Dispensatio*, num. 5. Sylvester verb. *Dispensatio*, §. 9. Armilla eod. verb. num. 19. Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 37. quæst. unica, art. 2. Navarra cap. 22. n. 85. Bonacina quæst. 3. punct. 15. n. 4. Sanchez lib. 8. disp. 6. Zerola 1. p. verb. *Dispensatio*, §. *Ad quintum*, ubi quoque dicit, sibi in pari casu ab Urbe Roma responsum, istius dispensationis potestatem esse penes Ordinarium, concurrentibus simul sex circumstantiis sequentibus. 1. Ut jam fuerit contractum matrimonium. 2. Ut contractum fuerit ignoranter quoad impedimentum. 3. Ut sit consummatum. 4. Ut impedimentum sit occultum. 5. Ut partes sint adeò inopes ut non possint ire, aut mittere ad Papam vel Legatum. 6. Ut si fieret separatio, scandalum verisimiliter oriretur. Si verò aliqua absit ex præfatis circumstantiis, & personæ sint pauperes aut rudes ac rusticæ, officium erit Ordinarii prosequi hanc dispensationem in forma pauperum apud Sedem Apostolicam, ut planè gratis & sine compositione obtineatur.

IV. Prædicta Ordinariorum potestas viget quidem circa Matrimonia irrita, sed tamen de facto cum bona fide contracta. Circa verò Matrimonia contrahenda multò magis arctior est Ordinariorum potestas, & rarissimè contingit Episcopum posse in hac parte dispensare in impedimentis dirimentibus quamdiu res adhuc integra existit. Sanchez tamen casum proponit, in quo possit dispensare in impedimento irritante Episcopus, nondum contracto, sed tamen proximè contrahendo Matrimonio, lib. 2. disp. 40. num. 7. Nuptialibus conventionibus solenniter inter Partes in præsentia communium cognatorum, affinium & amicorum contractis, publicatis jam proclamationibus, expeditaque ab Ordinario permissione nuptiarum, puella proximè nuptura præmittit in manibus Parochi Sacramentalem, ut fieri solet, Confessionem, ex qua innotescit Parocho dirimens aliquod impedimentum, exempli gratiâ contractæ affinitatis ex illicita copula occulta. Sunt verò omnia ad nuptias vespere ejus diei consummandas disposita. Omnibus discussis, nulla patet via gravis & pu-

blici scandali devitandi, infamiæque, aut saltem gravissimarum inimicitiarum. In talibus angustiis præsumendum est, non esse animum Papæ ut hæc sibi in tanto discrimine reserventur, esset enim irrationabiliter invitus; sed recurrendum est ad Ordinarii secretam dispensationem futuram validam pro conscientiæ foro. Ibidem tamen addit Sanchez, posse fortassis hoc effugium adhiberi, ut su[illegible]eatur puellæ confitenti votum castitatis emittendum pro uno mense, ut ipsa sine vituperio prætexere possit se à Confessario monitam necessitatis sibi incumbentis petendæ dispensationis ex voto castitatis, sine ulla tamen præfiniti temporis mentione, quia votum ad tempus castitatis potest ab Ordinario dispensari. Interea differtur matrimonium, & dum in Romana Curia res apertè geritur pro dispensatione voti castitatis, occultè procuranda est dispensatio veri alteriùs impedimenti pro interiori foro. Verumtamen si cautela ista menti non occurreret, aut si ob rerum, vel personarum circumstantias judicaretur difficilis, aut etiam impossibilis exequutionis, recurrendum est ad Ordinarii dispensationem, quæ in talibus angustiis justa erit & valida in conscientiæ foro. Ista, quam Sanchez primus produxit, opinio evasit subinde inter Doctores communis, ut ostendit Bonacina num. 4.

V. Quod aliqui affirmant, posse Ordinarios in hoc Regno absolutè dispensare ad contrahendum matrimonium in quarto, aut etiam in tertio cognationis aut affinitatis gradu, utrum id ita consuetudine invaluerit ut jus faciat, certum & indubitatum asserere non ausim. Scio alicubi ab Ordinariis dispensatum: scio quoque id aliis Ordinariis improbari. Et re penitiùs examinata non admodum moveor illorum qui sic dispensaverunt authoritate, quia tam profusè, & sine causa dispensatum in his animadverto, ut non alia pateret ratio, quàm quia ut ita indulgerent rogati fuerant: ob qualem facilitatem Papa ipse in iisdem gradibus dispensando non leviter peccaret, quia ut superiùs monui & probavi, non sunt petendæ, aut laxandæ contra Jus receptum dispensationes, nisi ubi suadet rationabilis & urgens ratio: talesque dispensatores, etiamsi summi Pontifices forent, non dispensatores fideles, sed dissipatores dici vult Sanctus Bernardus allegans illud Apostolicum: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

* VI. Solent nonnulli Præsules Gallicani, qui scilicet dispensandi vim sibi attribuunt ad nuptias non modò contractas, sed futuras etiam & contrahendas, effusam (ut sibi videtur) Romani Pontificis, aut Legati insimulare in dispensando libertatem. Cur igitur iidem non prospiciunt longè profusiorem fore dispensandi licentiam, si in oppositum reclamantibus Conciliis œcumenicis, quæ hanc potestatem uni Summo Pontifici, Legatoque reservant, sibi ausint vindicare Gallicani ducenti circiter & quadraginta nimirum Episcopi cum suis Vicariis seorsim in suis Diœcesibus singuli pro suo arbitrio hujusmodi licentiam? Ingruet profectò tota

Gallicana

Gallicana ditione admodum exuberantior & inordinatior inter tot, tamque diversa sibi, aliisque indulgentium Prælatorum capita in dispensandis matrimoniis licentia. Quin etiam si per universum Regnum ista invaleseceret consuetudo (quod malum Deus avertat) contingeret demùm ut quilibet laici, etiam subalternorum Tribunalium Judices per captionem & distractionem bonorum Episcopalium ipsosmet Episcopos cogerent pro suo peculiari, aut amicorum, aut Partium postulantium affectu ad sic dispensandum, sicut jamdudum compellunt invitos ad monitoria & excommunicationes decernendas; sicque simile quid illis obveniret divinæ huic apud Isaiam comminationi, *Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes & multas.* Sic enim renuentes hac in parte Summo Universalis Ecclesiæ Pontifici subjici, compelluntur indignissimè laicorum Judicum insimorum decretis obtemperare, aut propriorum fructuum, ni pareant, interceptionem ac privationem pati. Denique ut alias innumeras sileam authoritates, lubet unicam proferre Gallicanorum duodecim Episcoporum in Concilio Turonensi sedentium, & sic decernentium anno 1583. tit. 9. de Matrimon. his verbis: *In quarto consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus Episcopis dispensare non licere declaramus.* Eadem pariter mens extitit Antistitum Concilii Tolosani, cui præsedit Tolosanus Archiepiscopus Cardinalis de Joyosa anno 1590. sic enim ab his decernitur sub tit. de Matrimonio: *Quos cognationis gradus impedit, nisi prius visa Summi Pontificis dispensatione, in matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant.* Declaratur igitur nullam esse quamcunque hac in re dispensationem, si non à Pontifice dimanarit. Citent alii Barbosam Episcopis quibuscumque hanc potestatem eximentem, de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 35. Sanè istæ ab Episcopis concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem causant Sacramenti. At verò in re Sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad summum tutiore simul & probabiliore opinione rejecta, minùs probabilem, nec tutam in tanti momenti Sacramento consectatur opinionem.]

VII. Ex rationabili & justa causa possunt Ordinarii dispensare circa impedimenta non dirimentia, non solùm ad priùs contractum, sed etiam ad contrahendum matrimonium, exceptis votis simplicibus & absolutis perpetuæ castitatis & Religionis. S. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 16. §. 4. Paludanus in 4. distinct. 28. quæst. 2. Bonacina quæst. 3. punct. 15. n. 3. Navarra cap. 22. num. 85. addens hanc esse ubique receptam consuetudinem. Possunt etiam dispensare circa dirimentia impedimenta quæ innotescant non ante contrahendum, sed post contractum bona fide matrimonium,

aliis accedentibus circumstantiis suprà artic. 3. recensitis. Præterea absolutè possunt Ordinarii dispensare circa impedimenta quæ priùs contracto matrimonio superveniunt, & debiti conjugalis petitionem & usum prohibent, qualis est superveniens inter conjuges, sive per Baptismum, sive per incestum affinitas. Abbas in cap. 1. de eo qui cogn. consang. uxor. suæ. Sylvester in verb. *Debitum*, quæst. 9. adjungens hanc esse communem opinionem. Sotus in 4. distinct. 37. quæst. unica, art. 2. vers. *Debet autem.* Jacobus Graffius decis. aur. p. 1. lib. 2. cap. 80. num. 9. & 10. Sanchez lib. 2. disput. 40. num. 13. & seqq. Debet tamen simul injungere pro incestus gravitate pœnitentiam, & procurare solicitè ut amoveantur occasiones recidivarum.

VIII. Quicumque scienter in gradibus prohibitis matrimonium contraxerint vel consummaverint (quod idem obtinet & servandum est in aliis quoque dirimentibus impedimentis) jubet Concilium Tridentinum eos qui hoc præsumpserint, separari, atque omni spe obtinendæ dispensationis excludi : non enim est indulgenda dispensatio, cui bona fides aut probabilis ignorantia non suffragetur, sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. Hoc ergo advertant Ordinarii, ne sub prætextu invalidarum propter subreptionem dispensationum à suprema Sede impetratarum, approbent vel permittant nulla & invalida matrimonia. Si quis ergo in gradu prohibito, aut cum alio quovis dirimente impedimento sciens & volens irritum contraxit aut consummavit matrimonium ad hunc finem, ut secum facilius dispenseur, si non disertè explicaverit apud Papam istas circumstantias præmissi irriti matrimonii, aut consummatæ copulæ ad hunc dispensationis facilius obtinendæ finem, quæ intentio necessariò exprimenda est, erit subreptitia & invalida dispensatio, juxta cap. *Super literis* 20. & cap. *Dilectus* 26. de rescript. Covarruvias 2. p. de sponsalib. cap. 6. §. 2. num. 14. Zerola loc. cit. §. *Quartò quod quando* : ubi admonet Ordinarios ut hoc advertant, & districtè prohibeant cohabitationem sponsorum antequam veniat ab Urbe dispensatio. Verumtamen sæpè accidit, ut qui contraxerunt cum dirimente impedimento, dum expectant dispensationem, consummant inter se postquam supplicationem præmiserunt (nam si ante supplicationem consummaverint, invalida sequetur dispensatio, ut jam dixi :) quæritur utrum in illo casu dispensatio valeat ? Et valere respondetur ; non enim censeri potest subreptitia quando preces veritate nituntur. Atqui supplicatio super qua dispensatum fuit, vera, & nullatenus subreptitia supponitur, cùm fuerit expedita ante illum defectum supervenientis consummationis, etiamsi consummatio illa contigerit nondum confectis literis dispensationis. Zerola dict. verb. *Dispensatio*, §. *Ad sextum*, versu *Secundò quia per solam.*

IX. Si matrimonium coram Parocho & testibus bona fide initum, comperiatur tandem invalidum ob dirimens aliquod priùs ignoratum impedimen-

pedimentum, necesse est post impetratam dispensationem, ut post impedimenti præexistentis cessationem, qualis esset defectus sufficientis consensus, ut partes mutuum inter sese consensum renovent: neque enim sufficeret consensus solius ejus qui novit impedimentum. Quod enim ab initio non valet, tractu temporis non convalescit, l. *Quod ab initio*, D. de regul. Jur. Non est tamen necesse hunc in specie defectum Parti alteri quæ id ignorat, notificari, dummodo novus ab ipsa consensus simul eliciatur. Caietanus in summa, verb. *Matrimonium*, & in opusculis tract. 12. q. 2. Navarra cap. 22. num. 47. & 82. & cæteri communiter.

X. Quando à Sacra Pœnitentiaria conceditur Ordinario aut Confessario in Theologia aut Sacris Canonibus graduato ad hoc delegato facultas dispensandi cum aliquibus circa Matrimonii impedimenta, debet hic delegatus primùm inquirere diligenter, utrum res ita sit sicut exposita fuit Apostolicæ Sedi, an verò literæ in quibus res gesta exponitur, subreptitiæ sint. Sufficit tamen si inquirat penes ipsum pœnitentem, cui fides habenda est, nisi oppositum compertum sit. Debet verò delegatus injungere convenientem satisfactionem, si eam sacra Pœnitentiaria non taxaverit. Censetur verò occultum in hac materia impedimentum, si non laborat infamiâ publicâ, & si non fuit deductum ad contentiosum forum, aut si deductum quidem fuerit, sed non potuerit probari; ideoque his dirempta, & Pars rea sine nota dimissa fuerit. Sanchez lib. 8. disp. 34. num. 55. Bonacina quæst. 3. punct. 15. n. 7. Hæc enim dispensatio non in foro externo, sed in solo conscientiæ foro valebit, quod occultum est. Sciat denique Confessarius ad hoc delegatus, simulque pœnitens, matrimonium non sortiri effectum à die obtenti & expediti rescripti, sed à die quo sive Ordinarius, sive Confessarius approbatus & delegatus in virtute mandati Apostolici dispensaverit cum pœnitente, ut monet Covarruvias 2. p. cap. 6. §. 9. num. ult. & est communis doctrina. Porrò in rescriptis dispensationum matrimoniorum etiam in foro pœnitentiæ obtentis, solet clausula ista apponi: *Si ita est, cum eis dispensa, ut inter se, & servatâ Tridentini Canonis formâ publicè contrahant.* Quæ clausula vim habet, ut si Parochus aut testes illud noverant impedimentum quando primùm contractum fuit matrimonium, aut si istud non ita sit occultum, quin probari facilè in judicio possit, & periculum sit ut detegatur impedimentum, in his rerum circumstantiis denuò renovetur matrimonium coram Parocho & testibus ad id vocatis. Extra verò has circumstantias poterit occultè, & sine Parocho, & remotis arbitris ac testibus secretò renovari mutuus inter Partes consensus, juxta usum generalem communi Doctorum calculo approbatum.

XI. Impedimentum dirimens quod exurgit ex consanguinitate in primo gradu non solùm lineæ rectæ ascendentium & descendentium, sed etiam lineæ transversalis & lateralis fratrum & sororum, procedit ex jure

naturali, contra quod Ecclesia non potest dispensare. Secus est in gradibus affinitatis, in quibus jus naturale nullum inducit impedimentum, nisi forte in lineæ rectæ primo gradu. Communior enim opinio, quam tuentur Sotus, Ledesma, Covarruvias, Valentia, Vasquez, Coninch, Filiucius, quos citat & sequitur Bonacina quæst. 3. punct. 12. num. 7. negat posse per Papam dispensari super affinitate ex justo matrimonio consurgente in linea recta, scilicet inter vitricum & privignam, inter novercam & privignum, inter socerum & nurum, inter socrum & generum: quanvis Sanchez lib. 7. disp. 66. & lib. 8. disp. 6. num. 12. attribuat in his quoque Summo Pontifici dispensandi potestatem. Cuncti tamen consentiunt posse ab Ecclesia dispensari in iisdem ipsis gradibus, non ex legitimo matrimonio, sed ex illicita copula exurgentibus, ut in nuptiis filiæ cum adultero matris suæ, aut filii cum concubina patris sui. Et certè si incestus sit occultus, conveniunt Doctores, non modò virum qui pendente suo matrimonio compressit matrem uxoris suæ socrum suam, & uxorem quæ similiter constante matrimonio adulterata est cum patre viri sui socero suo, teneri solvere debitum conjugi petenti, sed posse insuper ab Ordinario dispensari ut possint licitè petere. Affinitas enim perfecto jam matrimonio inter virum & uxorem superveniens reddit eum ex cujus flagitio nata est, inhabilem ad exigendum connubiale debitum; sed tamen petenti conjugi innocenti reddere tenetur. Sed tamen conjunx qui commisit incestum, potest dispensari ut licitè possit petere, cap. *Transmissæ*, & cap. *Tuæ fraternitatis*, & cap. *Jordanæ*, de eo qui cognov. consang. uxor. suæ. In primo verò gradu collateralium affinium potest Ecclesia, hoc est Papa, vel generale Concilium, dispensare ad matrimonium, quanvis illa affinitas non ex stupro, sed ex legitimo matrimonio exorta foret, ut scilicet vidua ex fratre fratri superstiti nubat: etsi talis dispensatio in Catharina Austriaca, per quam defuncto priore conjuge Arturo Angliæ Rege, nupsit ejus fratri Henrico, funestissimos sortita fuerit exitus.

XII. Quod verò attinet ad impedimenta non dirimentia locuples testis est Navarra cap. 22. num. 85. ea omnia fuisse diuturnâ olim consuetudine abolita, exceptis votis simplicibus perpetuæ castitatis, necnon Religionis, & sponsalibus præcedentibus cum altera vivente persona, & Ecclesiæ interdicto; quatenus ipse dum hæc scriberet nonagenarius, vitam insumpserat docendo publicè Jus Canonicum in Gallia, Hispania & Italia, & frequentibus toto ex orbe Christiano consultationibus respondendo in Romana præsertim Curia, quæ de ejus doctrina lumen in arduis quæstionibus mutuari solebat. Sic verò loquitur: *Id videtur non tantum consuetudine non esse receptum, sed etiam neque à Papa, neque ab Episcopo ullo peti dispensationem, quando cum illo impedimento aliud dirimens non concurrit: nondum enim in tanta ætate vidi vel audivi fieri.* Eadem affirmat Toletus

letus lib. 7. cap. 19. in fine. Sanchez lib. 7. disput. 17. Bonacina quæst. 3. puncto 15. num. 3.

XIII. Non omnes extra matrimonium nati censentur illegitimi. Naturalis enim ex soluto & soluta genitus legitimatur per subsequens matrimonium, cap. 1. qui fil. sint legit. Instit. de nupt. §. fin. & in Authent. quomodo naturales efficiantur sui, §. *Si quis igitur dotalia*, collat. 3. & C. de natural. liber. l. *Cùm quis*: & Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. §. *Quibus*, verb. *Necnon*. Id verò jus non extenditur ad spurios natos durante patris aut matris matrimonio, licèt postmodùm dissoluto per mortem alterius conjugum matrimonio, pater & mater spurii matrimonium inter se inirent, cap. *Tanta*, qui fil. sint legit. At filii nati ex conjugio in facie Ecclesiæ bona fide contracto censendi sunt legitimi, quanvis posteà aliquod ejus conjugii dirimens impedimentum detegatur, cap. *Pervenit*, eod. tit. Si conjugatus vivente priori conjuge contrahit cum alia persona ignorante quod ille sit conjugatus, proles inde nascens erit legitima, cap. *Ex tenore*, eod. Præterea proles infidelium conjugum qui posteà convertuntur ad Fidem, legitima est, etiamsi parentes sint in gradu prohibito lege canonica, cap. fin. eod. Cognitio an quis sit legitimus, ad Ecclesiam defertur, cap. *Causam* 2. eod. tit.

CAPUT XXVIII.

De Divortiis.

I. DIVORTIUM est legitima conjugum separatio, quæ tribus modis intelligi potest. Primo quoad torum, seu copulam dumtaxat. Secundò quoad torum simul & habitationem. Tertiò quoad vinculum ipsum quod solvitur, ita ut desinat esse Matrimonium.

II. Dissolvitur quoad vinculum ratum conjugium, dummodo non sit consummatum, si alter conjugum discesserit, & professionem in Religione aliqua per Apostolicam Sedem confirmata emiserit: imò etiam per votum simplex quod in Societate Jesu post biennium probationis emitti solet, adeò ut post tale emissum votum liceat alteri Parti in aliud convolare matrimonium. Etsi enim scriptum sit Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet*; id tamen absolutè intelligendum est de matrimonio consummato, per quod duo fiunt una caro, ut ibidem innuitur: *Erunt duo in carne una*. Post ratum itaque matrimonium conceduntur conjugibus menses duo, intra quos alter conjugum alteri petenti potest debitum conjugale recusare

recusare, ut intereà liber sit ad Religionis ingressum, cap. *Ex publico*, & cap. *Ex parte*, de convers. conjug.

III. Reliquæ autem divortiorum species vinculum nuptiale non dissolvunt, possuntque diversis ex causis fieri: quarum prima & præcipua est alterius conjugum adulterium, Matth. 19. *Quicumque uxorem dimiserit, nisi ob fornicationem.* Quandiu verò unus conjugum de consortis adulterio non est certus, licitum est Patri quæ sibi conscia est adulterii debitum exigere nuptiale, neque hoc jure excidit donec delictum alteri conjugi plenè innotuerit. Ista lege tenentur tam viri quàm uxores, quia utrobique ligat fidei conjugalis vinculum, adeò ut non teneatur uxor virum adulterum admittere, ut neque maritus uxorem adulteram. Sed si uterque conjugum fidem solvit, neuter ab altero divertendi jus habet, sitque mutua injuriarum compensatio, cap. *Significasti*, de divort. Neque refert (ait Coninch) uter eorum prior fidem fregerit, aut quod unus sæpiùs quàm alter deliquerit, aut unius, non autem alterius adulterium publicè innotuerit, cùm jus divortii non nisi innocenti competat. Ideoque statuit cap. *Ex literis*, eod tit. quod si mulier marito requirente fuerit per Ecclesiæ sententiam ab ejus toro & cohabitatione separata, si postmodùm vir ipse fornicetur, cogendus erit dimissam uxorem resumere.

IV. Cessat ista divortii causa simul ac Pars innocens hanc offensam consorti condonaverit, ut si post ejus adulterium illam vel semel ad tori admiserit consortium. Hîc tamen requiritur libertas; quia si uxor, exempli causâ, metu vexationis maritum adulterum admittat, non censetur perinde hanc illi remittere injuriam, donec plena libertate illum admittere consenserit. Hîc obiter observa, virum qui vel semel uxorem, postquam adulterata est, cognoverit carnaliter, fieri hoc ipso irregularem eâ, quæ dicitur interpretativa, bigamiâ, cap. *Si cujus*, dist. 34.

V. Si vir uxorem adulteram non pœnitentem, sed in delicto perseverantem admittit, delicto participat, tum ratione scandali, tum defectu debitæ correctionis, cap. *Si vir sciens*, de adulter. Quod verò ibidem dicitur, debereà viro uxorem pœnitentem recipi, intellige cum Glossa ibi de convenientiæ, non de conscientiæ vel obligationis debito. Absolutè enim loquendo, si vir hanc injuriam sponte non condonet, aut nisi ipse pari quoque delicto peccaverit, liber in perpetuum à conjugali onere manet. Idemque juris habet fœmina innocens respectu mariti adulteri, adeo ut re juridicè probata, possit conjunx innocens non modò dimittere consortem invitum, sed prætereà Religionem ingredi, aut sacris se Ordinibus alligare, can. *Agathosa*, 27. quæst. 2. & cap. *Constitutus*, & cap. *Veniens*, de convers. conjug. Et refertur historiæ Lausiacæ cap. 28. Sanctum Paulum cognomine Simplicem, deseruisse deprehensam in adulterio uxorem, vitæque monasticæ se addixisse sub Magni Antonii disciplina. Verumtamen ad hoc requiritur & probatio delicti, & sententia Ecclesiæ.

Sed

Sed ubi agitur de sola tori, aut etiam cohabitationis separatione, id fieri secundùm conscientiam privata authoritate potest: verùm ad alterius querelam compelletur Pars quæ se subduxit, vel probare delictum, vel reverti ad communionem cohabitationis & tori per Judicis sententiam. Sotus in 4. dist. 36. quæst. unica, art. 2. cap. 3. Ledesma quæst. 62. art. 3. Navarra cap. 22. num. 23. Sanchez lib. 10. disp. 12. num. 31. Bonacina quæst. 4. punct. 5. n. 10. qui tamen admonent circa divortium, evitandum necessariò scandalum, quod contingit maximè si adulterium nemini aut paucis innotuerit, cap. *Dixit Dominus*, 32. quæst. 1.

VI. Neque solus animus adulterandi, neque alii actus impudici præter copulam possunt esse causa sufficiens ad divortium, quia per solam sexuum commixtionem, non verò per alios actus caro dividitur conjugum, & violatur illud sacræ Scripturæ: *Erunt duo in carne una.* Sanchez, Coninch, aliique quos allegat & sequitur Bonacina quæst. 4. punct. 5. num. 3. & 4.

VII. Non potest conjunx divortium facere, nisi certitudinem adulterii saltem moralem habeat, ne alteri fiat injuria. Sed requiritur tanta certitudo, quanta requireretur ad condemnandum in criminali foro. Cujusmodi est certitudo si conjunx proprium fateatur adulterium, aut si nuda cum nudo, aut sola cum solo accubantes in uno lecto deprehendantur, cap. *Literis*, de præsumption. Non tamen sufficiunt verba aut literæ amatoriæ, neque munuscula, neque oscula, neque amplexus, nisi adsint aliæ urgentes circumstantiæ loci, temporis ac personarum. Bonacina num. 8.

VIII. Fit nonnunquam ut uterque conjunx adulteratus fuerit, sed horum unus ab hoc vitio pridem destiterit: quæritur an hic possit divertere ab altero non emendato? Respondent Doctores affirmativè, tam in interno quàm in externo foro, dummodò post sui emendationem admonuerit conjugem, qui, quæve post admonitionem reinciderit in hoc peccatum, cap. *Significasti*, de divort. Enimverò si ambo conjuges post singulorum adulteria reconciliati essent, fieretque post reconciliationem ut eorum unus continentiam servaret, alterque in pristinum vitium relaberetur, conjunx emendatus jus haberet repudii adversus incorrigibilem consortem. Bonacina num. 15. Sed si post divortium propter adulterium contingat conjugem qui divortium petiverat, fornicari, compellendus erit ad rursus cohabitandum cum consorte repudiata, cap. *Ex literis*, de divort.

IX. Altera justa divortii causa ex conjugis sævitia procedit, cap. *Literas*, de restitut. spoliat. Ad hanc reducitur furor, si sit ita vehemens ut alter conjugum cohabitando valde periclitetur. Tertia causa est, si alter conjugum alterum instigat ad peccandum, præmissaque admonitione non desistit. Si enim non tenetur conjunx alteri conjugi sibi periculum mortis

corporalis intentanti, minùs tenebitur cohabitare intentanti sibi interitum animæ, cap. *Quæsivit*, de divort. Docet Coninch justam esse divortii causam, si alter conjunx sit magus ac veneficus. Cùm enim tales homines ductu dæmonum regantur, periclitatur animæ salus illis cohabitantis: quin etiam corporis vita, ut monet Bonacina. Quarta causa est lapsus alterius conjugum in hæresim vel apostasiam, cap. *De illa*, & cap. *Quantò*, de divort.

X. Non est justa & sufficiens divortii causa, si alter conjugum in lepram incidat, tot. tit. de conjug. leprosor. Et tenetur sanus conjugi leproso petenti reddere debitum, cap. *Quoniam*, eod. tit. Tametsi liberum sit sponsalia de futuro dissolvere propter supervenientem lepram, cap. fin. eod. Mira est Canonum de leprosis discrepantia, Alexandro III. jubente reddi debitum leproso conjugi; Stephano autem II. disertè prohibente reddi, & separari jubente, responso 9. ex Carisiaca Villa, anno 754. regnante in Gallia Pipino, ad quem Stephanus confugerat. Huic Stephani Decreto conformatur triennio pòst celebrata Synodus Compendiensis can. 16. Plura de divortio, tum etiam de juribus pecuniariis sponsarum, nuptarum & viduarum, require inferiùs lib. 6. cap. 27.

CAPUT XXIX.

Resolutiones circa oscula, aliosque similes actus, ex Sancto Thoma, & Sancto Antonino.

I. PERMULTÙM refert ad animarum & conscientiarum directionem, tum elucidationem, discernere in quibusnam circumstantiis, sive mortaliter, sive venialiter peccetur, aut etiam non peccetur, circa oscula, tactus aliaque ejusmodi, quæ utplurimùm esse possunt libidinis incitamenta. Et quia circa hæc multiplices discrepantes ventilantur opiniones, consultius esse duco lumen mutuari à duobus eruditissimis, sapientissimis, & publicâ totius Ecclesiæ veneratione celebratissimis Doctoribus, sancto Thoma, & qui hunc ipsum allegat & sequitur ducem, sancto Antonino Archiepiscopo Florentino, cujus ipsamet verba sine ulla immutatione subjicio ex secunda parte Summæ majoris, tit. 5. cap. 1. §. 9.

II. Intantum (inquit) sunt peccata amplexus, oscula, tactus & stultiloquia, inquantum procedunt ex luxuria, secundùm Thomam. Pro cujus majori declaratione dicit Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 4. quod aliquid potest esse peccatum mortale dupliciter, uno modo secundùm speciem

ciem suam, & hoc modo oscula, amplexus, & tactus secundùm suam rationem non nominant peccatum mortale. Possunt enim hæc fieri absque libidine, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, vel ob aliquam rationabilem causam. De more est enim in aliquibus locis, ut non solùm viri viros, sed etiam viri mulieres, præcipuè consanguineas suas, cùm de novo adveniunt vel visitant, amplexentur, & manus mutuò contingant, & osculentur, sicut Jacob Patriarcha osculatus est Rachelem adolescentulam amore casto ut consanguineam, Genes. 29. Necessitas quandoque compellit tangere totum corpus, & etiam secretiora naturæ, ut Medicus infirmam in tali parte. Causa alia rationabilis est cùm datur osculum pacis in Ecclesia, esto quod non fiat à viris erga mulieres: talia non sunt peccata de se, quanvis possit supervenire & tentatio, & mala intentio; sed hoc erit per accidens. Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex causa sua, sicut ille qui dat eleemosynam ut inducat aliquem in hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Dictum autem est suprà, quod non solùm consensus in actum, sed etiam consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale. Et ideo cùm oscula, amplexus & tactus fiunt propter hujusmodi delectationem extra matrimonium habendam, sunt mortalia, quia sic sunt libidinosa. Et qui permittit hæc sibi fieri ab eo quem existimat moveri amore libidinoso, mortaliter peccat, quia facientem & consentientem par pœna constringit, ut dicitur 11. quæst. 1. can. *Notum*, cum Glossa. Sed qui permittit hæc sibi fieri, credens talem moveri ex dilectione fraterna, seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu more patriæ, non peccat, quanvis faciens hoc ex libidine moveretur, & per consequens mortaliter peccaret. Hactenus S. Antoninus.

III. His adjunge Caietanum opusc. de delectatione morosa, tom. 1. docentem quod oscula, tactus, amplexus quæ fiunt ob carnalem delectationem, sunt peccata mortalia, quanvis homo non intendat copulam, neque pollutionem, neque sit harum periculum ullum. Quibus accedit Alexandri Papæ VII. Bulla 18. Martii, anno 1666. per quam damnatur ista propositio: Est probabilis opinio quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.

IV. Oscula tamen & amplexus, secluso periculo pollutionis, non prohibentur inter sponsos; sed ubi inest periculum probabile pollutionis, prohibentur ut mortalia etiam inter conjuges. Toletus lib. 5. cap. 14. num. 2. aliique communiter Doctores.

V. Pollutio voluntaria, aut voluntaria in eam delectatio adeò prohibentur divinâ lege, ut nulla existat causa quæ possit hæc reddere licita, ne quidem causa sanitatis, aut vitandæ mortis, 1. Cor. 6. *Molles*

regnum Dei non possidebunt. Sed justa potest esse causa & licita, non quidem procurandi, sed tamen permittendi pollutionem, etiam prævisam, dummodo omnis cohibeatur ad ejus delectationem consensus. Sic Medicus non peccat dum studet in sua arte, aut dum eam exercet non tenetur desistere ob inde emergentem in se pollutionem, neque Chirurgus: sed tamen tenetur cohibere consensum ad fœdam delectationem. Idemque judicandum de Confessario, aliisque ob bonum & laudabilem finem vacantibus circa res utiles & licitas, etiamsi per accidens & præter intentionem exurgant impuri motus & pollutiones in carne. Harum evitandarum gratiâ non tenetur quis equo descendere quo peregrè proficiscitur, potestque eas in se pati, dum consensum evitet pravæ delectationis. Navarra cap. 16. n. 6. Declarat verò sacra Tridentina Synodus hujuscemodi impuritates, quanvis ab originali peccato ortum ducant & ad peccata solicitent, nullatenus nocere non consentientibus: & contrà sentientibus dicit anathema sess. 5. in Decreto de peccato originali.

LIBER QUARTUS.

De Judiciis Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

Quotuplex sit Ecclesiæ Jurisdictio.

I. OMNIBUS Fidelibus indubitatum est, fuisse sacrum Episcoporum ordinem immediatè ab Jesu Christo institutum in personis Apostolorum, quibus dixit, Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Atque inter Fidei Catholicæ Canones refertur can. 6. sess. 23. Tridentini Concilii, his verbis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divinâ institutione ordinatam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Porrò Deus non alio fine Episcopos in sua Ecclesia instituit & præfecit, quàm ut eandem regant. Idque testificatur Apostolus Paulus sic admonens apud Acta Apost. cap. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ex quibus necessariò sequitur, eundem Spiritum Sanctum, qui Episcopos instituit ad hoc munus & officium, ut regant Ecclesiam Dei, eosdem instruxisse omni potestate & jurisdictione necessaria ad Ecclesiam Dei regendam, & continendos Fideles quoscumque, præsertim Clericos, sub moderamine Sanctorum morum & Ecclesiasticæ disciplinæ. Quisquis enim finem efficaciter intendit, necesse est ut media provideat ad hunc finem conducentia.

II. Quæ cùm ita sint, istud quoque sequitur, quoslibet Fideles, cùm sint Ecclesiæ subditi, ac incorporati Ecclesiæ per Baptismum, sive Clerici, sive laïci cujuscumque conditionis ac status, si æternam consequi salutem velint, teneri subesse & obtemperare Episcopis, ab iisdemque dependere in rebus omnibus spectantibus ad regimen ipsis à Christo demandatum: ut sunt omnia quæcumque spectant ad Ordinem, ministerium, disciplinam Ecclesiæ, & ad singulorum æternam salutem, quæ finis est ac scopus ad quem Episcopis divinitus collata potestas dirigitur. Idque expressè præcipitur à Domino, cùm jubeat Apostolus Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

III. Lex itaque ista divina & indispensabilis est, comprehendens sub ista subjectionis & obeditionis regula erga Episcopos ac Prælatos Ecclesiæ quoscumque seculi Proceres & Optimates, nemine excepto Christiano. Isti ergo prorsus omnes, si Prælatorum Ecclesiæ dignitati juribusque ipsis à summo Deo concessis obsistunt, damnationem sibi certam acquirunt; illum quippe offendunt qui suæ Ecclesiæ Rectoribus protestatur, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Et ad Samuelem 1. Reg. 8. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Hisce divinis institutis consentanea prædicans summus ille Gregorius Nazianzenus, sic alloquitur præsentem Præfectum provinciæ in orat. 17. quam habuit ad cives timore perculsos, & Præfectum excandescentem: *An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque Imperio meo ac Throno lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus. Addo etiam præstantius ac perfectius. Nisi verò æquum sit spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc meam dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, utpote sacri gregis mei ovis sacra, magnique Pasto is alumna.*

IV. Sanctus Rex Josaphat divino Spiritu ductus duo distinguit Tribunalium genera, quorum singula officiis suis & causarum propriarum ac judiciorum singularitate distinguuntur. Horum primum est Ecclesiasticum & sacrum, quod circa res omnes Ecclesiasticas ac religiosas versatur: alterum seculare, de rebus cognoscens & decernens merè temporalibus. Quæ ambo Tribunalia suis limitibus & finibus coërcentur. Sic ergo loquitur Rex Josaphat lib. 2. Paralip. cap. 19. *Azarias Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismaël, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit quæ ad Regis officium pertinent.* Ex his duabus sic inter se distinctis jurisdictionibus nemini dubium esse potest, quin sacra & Ecclesiastica jurisdictio alteri dignitate præcellat, quantò divina humanis, sacra profanis, cœlestia terrenis, æterna temporalibus, animi immortales corporibus supereminent.

V. Cùm sit facillimum pleraque in hujus rei confirmationem congerere,

rere, non libet tamen extra Galliam noſtram digredi. Quinimò ſilendo innumera Conciliorum Gallicanorum & Sanctorum Patrum teſtimonia, proferre ſolùm libet unius inter Franciæ Reges longè omnium maximi Caroli cognomento Magni. Hic ergo Capitulorum lib. 6. cap. 301. refert atque impensè laudat factum dictumque Conſtantini Auguſti, qui nomen quoque Magni meruit. Cùm enim Nicænam ad Synodum Epiſcopi undequaque conveniſſent, & ob mutua jurgia, præſertim ob recèns natam hæreſim Arianam, quam non pauci Epiſcopi tuebantur, multi ſupplices libelli accuſationum & querelarum adversùs adverſarios Epiſcopos fuiſſent Conſtantino porrecti, ille indicta die præſentibus Epiſcopis libellos omnes in ignem præparatum conjecit, præmiſſo jurejurando ſe nullum eorum legiſſe, & neſcire ſe quid in ſingulis contineretur. Quo facto ſic eſt Epiſcopos alloquutus: *Deus conſtituit vos Sacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis quoque judicandi. Et ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari. Propter quod Dei ſolius interest vos expectate judicium, & veſtra jurgia quæcunque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis Dii, & conveniens non eſt ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Commemorat præterea laudatiſſimum Valentiniani Auguſti reſponſum ad Hypatianum Heracleæ Epiſcopum, dum apud Valentinianum ipſum pro Orthodoxis legationem obiret: *Mihi qui de numero laicorum ſum, nefas eſt de hujuſmodi judicare. Cæterùm Sacerdotes ad quorum judicium iſta pertinent, ad hæc inter ſe judicanda conveniant.* Ita Carolus Magnus, qui licèt indignum judicet Epiſcopos ab Imperatoribus & Regibus, atque ita multò minùs à Magiſtratibus judicari; vult tamen judices & potentes ſeculi ab Epiſcopis, quorum monitis juſtis non obtemperant, excommunicari. Ejus hæc verba ſunt d. l. b. 6. capitul. 313. *Ut judices, aut potentes qui pauperes opprimunt, ſi commoniti à Pontifice ſuo ſe non emendaverint, excommunicentur.*

VI. Duplicem Prælatis Eccleſiæ ſuæ poteſtatem Deus contulit, ſcilicet Ordinis & Juriſdictionis. Poteſtas Ordinis refertur ad Sacramenta Eccleſiæ conficienda & miniſtranda. Poteſtas juriſdictionis refertur ad judicia, quæ cùm ſint in duplici differentia, fori ſcilicet interioris, quod eſt conſcientiæ, & fori exterioris, ſeu contentioſi circa perſonas vel res Eccleſiaſticas, utramque habent à Domino juriſdictionem Prælati Eccleſiæ. De interiori liquet ex Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* De exteriori verò præter rationes & teſtimonia quæ protuli, atteſtatur Paulus ad Timotheum Epheſi Epiſcopum: *Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* 1. Timoth. 5. Præterea Chriſtus Dominus ſic ait Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum*

vel

vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ (hoc est ut Sanctus Chrysostomus exponit, dic Prælato Ecclesiæ :) *& si Ecclesiam audire noluerit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.*

VII. Judicium Ecclesiæ dividitur quoque in Ordinarium, quod exercetur ab illo cui per se competit jurisdictio, Papa scilicet, aut Legato, aut Episcopo ejusque Vicario Generali; & Delegatum, cum nimirum cui Ordinarius commiserit. Utraque potestas, ordinaria & delegata, exerceri potest vel attribui tam in externo quàm in interno foro. Præterea forum externum duplici nititur jurisdictione, gratiosâ seu voluntariâ, quæ est circa liberales concessiones, dispensationes, absolutiones, rehabilitationes, in integrum restitutiones, collationes, ac beneficiorum provisiones: & contentiosa, ubi inter oppositas Partes litigatur.

VIII. Jurisdictio contentiosa non potest extra proprium territorium ac districtum exerceri, cap. *Episcopum non debere*, 11. quæst. 2. & cap. *Novit*, & ibi Gloss. de offic. Legat. & l. 4. D. de offic. Præsid. & l. fin. D. de jurisd. omn. jud. At verò jurisdictio gratiosa seu voluntaria potest exerceri à judice existente in alieno territorio, l. 2. D. de offic. Proconsul. Potest quoque judex absens delegare, quia delegatio fit sine cognitione & contestatione causæ, l. fin. D. de offic. Præf. Urb. & Gloss. in d. cap. *Novit*. Hoc jus voluntariæ jurisdictionis, & maximè collationis Beneficii per absentem à sua Diœcesi Prælatum, viget in Regno Galliæ, ut post Cosmam Guimier notat Bengeus de modis acquir. benef. §. 13. n. 4.

IX. Interioris fori jurisdictio requirit characterem. Etenim duplex confertur potestas in Sacerdotis ordinatione, una circa Christi corpus reale, seu Eucharistiæ sacrificium, quum Episcopus ordinans porrigens patenam cum pane, & vinum cum calice, sic dicit: *Accipe potestatem offerendi & conficiendi pro vivis & mortuis.* Secunda potestas confertur quando idem Episcopus jam consecrati Sacerdotis capiti manus imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis*, &c. Et ita Sacerdos altera instruitur potestate, circa nimirum Christi mysticum corpus, quod est Ecclesia. Verùm ut antè dixi, potestas ista est tantùm habitualis & incompleta, neque completur, aut in actum reduci potest, nisi ex quo Sacerdos sive per ordinariam, sive per delegatam potestatem nanciscitur subditos in quos illam exerceat. Hæc dicitur Clavium potestas, quæ duplex notatur, Clavis scilicet jurisdictionis ad absolvenda vel retinenda peccata; & scientiæ, quæ scientia non est habitus intellectualis, sed est jus in Sacerdote inquirendi quæcumque requiruntur ad dignoscendam pœnitentis conscientiam, animæque statum circa peccatorum species, numerum & circumstantias.

X. Jurisdictionis verò exterioris potestas non requirit Ordinis characterem. Itaque Episcopus electus & à Papa certæ Diœcesi addictus & confirmatus, licet nondum consecratus, habet jus externi Tribunalis, quod

statim

ſtatim exercere per ſe poteſt, ut excommunicare, ſuſpendere, interdicere, deponere, vel has pœnas relaxare : item diſpenſare, cognoſcere, citare, carceri addicere, ſancire, decernere. Jus pariter habet interni tribunalis, non ut per ſe exerceat, ſi caret Ordine ; ſed per eos quos ſibi viſum fuerit delegare.

XI. Regulariter Delegatus ab Ordinario non poteſt alium ſubdelegare, excepto eo ſolo quem Princeps delegaverit, cap. *Cùm cauſam*, de appellat. & l. unic. C. qui pro jurisdict. ſua judic. dar. darive poſſ. Itaque Delegati à Papa ſubdelegare poſſunt quando eis collata fuit poteſtas per modum juriſdictionis, ſed non ſi per modum miniſterii, cap. fin. de offic. & poteſt. judic. deleg. Porrò confertur poteſtas per modum juriſdictionis, quando eligitur non tam perſonæ induſtria, quàm ejus officium. Cenſetur autem electa perſona propter ejus officium, ſi ea poteſtas non eſt limitata ad aliquem ſingularem caſum, v. g. abſolvendi, aut diſpenſandi certam perſonam, aut etiam plures, ſed in una aliqua ſingulari cauſa involutas : quo caſu non poteſt ſubdelegare. Atque ita intelligi debet caput finale, §. *Cæterùm*, de offic. deleg. quo ſtatuitur delegatum à Papa ad excommunicandum, vel abſolvendum aliquos, aut diſpenſandum cum aliquibus, non poſſe id alteri demandare, ſi non eſt Apoſtolicæ Sedis Legatus. At verò ubi Papa generaliorem delegat alicui in Prælatura conſtituto poteſtatem, hic poterit alterum delegare, ut ſtatuit idem caput fin. in principio. Cui conforme eſt caput fin. de offic. Ordin. decernens poſſe Ordinarium ſubdelegare alicui poteſtatem ſibi à Papa collatam abſolvendi eum qui incidit in excommunicationem Papæ reſervatam ob Clerici percuſſionem, cùm ob legitimum impedimentum non poſſet Romam proficiſci ; ſed ut ibidem exprimitur, hæc poteſtas eidem ex officio competeret. Qua eadem ratione Sanchez lib. 2. de matrim. diſput. 40. num. 13. & ſeqq. aſſerit poſſe per Epiſcopos poteſtatem delegari, quam habent diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, & irrita matrimonia inſtaurandi, ubi conveniri nequit à conjugatis Apoſtolica Sedes. Illi namque caſus non ſunt ſingularis alicujus delegationis, ſed generalis & ordinariæ poteſtatis, quam habent Ordinarii quoties non poteſt haberi ad Papam aut Legatum acceſſus. Et rectè dicit Gloſſa in dicto cap. fin. de offic. Ordinarii : Non dicitur delegatum miniſterium in caſibus, in quibus jus aut privilegium perpetuum competit dignitati. Atque ibi reſcriptum Papæ non tam eſt collativum, quàm admonitivum & excitativum jam præhabitæ ac ordinariæ poteſtatis.

XII. Sed ubi Papa delegat novam alicui, quæ priùs ei non competebat, poteſtatem, ſimulque nomen Delegati deſignat, quanvis etiam adjungat ſimul nomen officii, vel dignitatis ejus, atque etiam munus ipſum delegatum ſit generalius, ut abſolvendi à quibuſcumque reſervatis, aut quoſcumque hæreticos, aut quoſcumque qui duello decertaverint in iis

partibus in quibus hi casus sunt Papæ reservati, tunc ipsa proprii nominis designatio argumentum est collati ministerii atque electæ personæ industriæ, ut non possit quidquam illius muneris alteri subdelegare. Ita communiter. Videri potest Graffius decis. part. 1. lib. 1. cap. 13.

XIII. Legatus à latere amplissimo jure delegandi potitur, cap. *Nemini dubium*, de offic. Legat. Idemque, sicut & Papa, conferre potest in præjudicium Ecclesiastici Patroni, non tamen laïci, cap. *Dilectus*, eod. tit. Sanè non potest ex sua generali delegatione Episcopatus transferre, neque Cathedralem Ecclesiam alteri Ecclesiæ subjicere, neque duos Episcopatus unire, aut unum dividere. Sed potest excommunicatos ob gravem Clerici percussionem absolvere, cap. *Nisi*, & cap. *Quod translatione*, eod. tit.

XIV. Judex delegatus debet in citatione tenorem inferere suæ delegationis, ut sciatur quatenus ejus potestas extendenda sit, aut limitanda. Certum quoque tenetur assignare Auditorium ad comparendum. Quorum neutrum requiritur in citatione quæ fit per Ordinarium, cap. *Præterea*, de dilation.

XV. Reconventio quoque, quâ reus vicissim partes actoris sustinet, suumque actorem reum constituit, agitari coram delegato judice potest, quanvis ad unum dumtaxat negotium sine ulla expressione casus reconventionis fuerit delegatus, cap. 1. de mutuis petition. At verò coram arbitris reconventio nullatenus admittitur. Cùm enim fiat compromissum ex mutuo Partium consensu, debet sibi reus imputare si reconventionis causam non curavit in compromisso exprimi. Regulariter tamen in causa criminis, aut depositi non est reconventioni locus antequam se reus purgaverit, aut depositum restituerit.

CAPUT II.

De foro competenti, litis contestatione, processu judiciario, Procuratoribus, & Judicum suspectorum recusatione.

I. CONCILIO Toletano tertio, can. 13. Concilio pariter Carthaginensi tertio, can. 9. item cap. *Si diligenti*, de foro competent. sancitur, Clericum non posse beneficio fori Ecclesiastici renunciare, sive in civili, sive in criminali negotio: cùm non sit beneficium personale, cui renunciari valeat, sed toti Clericali collegio

collegio sit indultum, cui privatorum pactione derogari non possit. Et istud servari in Gallia testatur Mornacius in l. *Si judex*, D. de capite minutis. Et ibidem adducit in exemplum privilegium supremorum Magistratuum, quo non possunt nisi à supremæ Curiæ Officialibus judicari, ne dignitas eorum vilescat. Glossa verò in l. *Si quis in conscribendo*, C. de sacrosc. Eccles. (quæ lex iteratur sub titulo Cod. de pactis,) non est recepta quâ parte admittit istam Ecclesiastici fori renunciationem. Forum autem sortiri aliquis potest diversis modis: 1. ratione originis: 2. domicilii: 3. delicti: 4. contractus: 5. rei litigiosæ immobilis: 6. Beneficii Ecclesiastici, cap. fin. de foro compet. Quin etiam ubi causæ illæ non suppeterent, potest quilibet Clericus jure communi, sed non jure Gallicano, ob Concordatum speciale Bononiense, in Romana Curia conveniri.

II. Domicilium non intelligitur, nisi quatenus ita fixum est, ut animus sit ibi manendi, aut semper, aut majore anni parte. Itaque scholares etiam ultra decennium alicubi commorati studiorum causâ, famuli quoque & milites præsidiarii, nunquam in locis in quibus sic versantur, domicilium contrahunt ad fundandam jurisdictionem contentiosam, sed solùm ad percipienda ibi Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Neque sufficit ad domicilium voluntas habitandi sine actuali habitatione. Animus verò manendi rarò præsumitur, nisi perspicuè ex actibus appareat, qualis est emptio domus cum translatione mobilium, aut habitatio continuata decennio, neque causæ transitoriæ alligata, quales sunt scholarium, famulorum, præsidiariorum militum, argumento legis 2. C. de incolis, lib. 10. Sufficere potest ad argumentum fixi domicilii publica habitatoris declaratio, quod intendat ibidem fixum habere domicilium. Hoc enim ipso statim jus domicilii sine aliquo temporis præcedentis lapsu contrahit, ut docent Baldus lib. 4. consiliorum, cap. 313. Rota decis. 150. & 188. Barbosa de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 4. num. 24.

III. Habitatio etiam annorum quadraginta cum animo recedendi tribuere jus domicilii non potest, juxta Menochium de arbitr. casu 86. n. 7. Barbosam d. alleg. 4. num. 25. & alios.

IV. Qui duos sortitus, pluresve Episcopos, ut originis, domicilii, Beneficii, Tonsuram vel Ordinem ab uno h[illegible]m accepit, non potest ad horum alterum sine dimissoriis pro reliqui[illegible]rdinibus recurrere, utpote priori jam astrictus, ut docent Archidiaconus in cap. *Nec captandæ*, de concess. Præb. Molfesius in sum. Theol. Mor. tract. 2. cap. 2. num. 10. Bonacina tract. de Sacram. Ord. Barbosa de offic. & pot. Episc. p. 2. alleg. 4. num. 1. aliique. Idemque statuendum de Episcopo, quem quis sortitus est titulo familiæ per triennium continuatæ, & sequutâ ordinatione per eundem, beneficiique collatione ad ordinationis titulum, juxta Concil. Trident. sess. 23. cap. 9. ad hoc enim debet dimissorias pro reliquis Ordinibus

accipere, etiam ad Episcopos originis & domicilii. De familia Episcopi hoc quoque tenendum, familiares quoscumque Episcopi gaudere privilegio fori competenti ipsi Episcopo, cap. fin. de officio Archid. his verbis: *Specialibus ipsius Archiepiscopi & hominum familiæ suæ causis duntaxat exceptis.* Et ibi Panormitanus & alii communiter Doctores: & l. 1. & 2. C. de Episc. & Cler. & ibi Albericus & Baldus. Item Rebuffus in praxi, tit. *Forma dimissor. litt.* num. 30. & Zerola 2.p. praxis Episc. tit. *Episcopi*, §. 24. & tit. *Familiares* 9. in fine: qui etiam addunt familiam generaliter gaudere privilegio domini.

V. Cùm fortiatur quoque aliquis forum ratione delicti, si Clericus habens beneficium in alia diœcesi judicetur ab Episcopo loci in quo deliquit, & Beneficii privatione condemnetur, illa depositio exequenda erit ab eo solo Episcopo in cujus diœcesi situm est Beneficium, cap. *Postulasti*, de foro compet. Alia require de foro Ecclesiastico secundùm Galliæ usum superiùs lib. 1. cap. 18. art. 14. 15. & 16.

VI. Quod attinet ad litis contestationem, hæc non fit per simplicem postulationem, aut actionem intentatam, sed per propositam coram judice petitionem, & sequutam defensionem, seu quamcumque responsionem ejus qui citatus est reus, vel ejus procuratoris constituti, l. 1. C. de litis contestat. & cap. 1. eodem. Effectus contestationis litis hic est, ut per ipsam, quanvis non prosequutam, interrumpantur præscriptiones, l. *Moræ litis*, C. de rei vindicat. Ex edicto tamen Ludovici XIV. anni 1667. litis contestatio perficitur etiam absente altera Parte. Vide hujus libri caput ultimum, art. 6.

VII. Regula simul & titulus Decretalium est, Ut lite non contestata ad auditionem testium non procedatur, neque ad sententiam definitivam. Hinc tamen excipitur casus in quo mors testium apparenter timetur, aut eorum diuturna absentia, ne probationis copia per fortuitos casus subtrahatur; ideoque ad actoris petitionem senes, valetudinarii, in remota loca profecturi, aut ubi simile periculum formidatur, etiam lite non contestata examinandi sunt, sive etiam quum reus est absens, aut contumax, ut conveniri non possit. Hanc præcautionem Gallicani Pragmatici vocant *Examen à futur.* Sed si actor non convenerit reum intra annum, ex quo citari & conveniri potuit, aut saltem horum admissionem testium non ei significaverit ac denunciaverit, illa testimonia erunt invalida, ne veniant in fraudem, & processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendos aut convincendos testes opponi non possint, cap. *Quoniam frequenter*, ut lite non contest. Quin etiam testes ad futuram rei memoriam non examinantur in causis beneficialibus, neque in criminalibus pariter. Imò verò jure novissimo in Gallia ex edicto Ludovici XIV. tit. 13. prorsus rejiciuntur ejusmodi probationes.

VIII. Denique conventio, seu citatio est principium ordinis judicia-

rii,

rii ; non enim legitimè proceditur inaudita , vel non citata Parte , cap. *Inter quatuor* , de majorit. & obed. & cap. *Quoniam contra falsam* , de probation. Citationem sequuntur dilationes , & demùm peremptorium edictum, tot. tit. de citationibus. Actor sequi debet forum Rei , cap. *Si Clericus* , & cap. *Cùm sit* , de foro compet. & l. *Juris ordinem* , C. de jurisd. omn. jud. Citato exhibendus est libellus , ut sciat quâ de causa citetur , & paratus compareat , cap. fin. de libelli oblat. Citatio fieri non debet diebus feriatis , tot. tit. de feriis. Sed id non servatur in Gallia. Jure etiam communi actor & reus jurare compelluntur de vitanda calumnia , cap. *Cùm causam*, cap. *Caterùm* , cap. *Cùm in causa* , de juram. calum. Sed neque hoc servatur in Gallia. Sententia lata non citatâ Parte , nulla prorsus & inanis est, cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ* , de constitut. Imò nec valet sententia , si præcedens edictum peremptorium , Gallicè *Forclusion* , non venerit ad absentis notitiam , aut saltem ad ejus domicilium , l. 1. §. *Item cùm ex delicto*, D. quæ sent. sine appellat. Si post ingeminata novæ citationis edicta , quæ vocant *defaux & reajournement* , & tandem insequutum edictum ac terminum peremptorium actor suam probet intentionem , reus contumax condemnatur: sed si actor necdum sufficienter probaverit , datur ei terminus ad probandum : quod si non præstet , causâ cadit , vulgò *il est debouté de sa demande*. Si verò ipse actor die condicta non sistat in judicio ad prosequendam à se intentatam litem , reus ab instantia relaxatur , Gallicè *il obtient congé*. Adhuc tamen liberum est actori causam instaurare novo supplici oblato libello , reúmque secundò in jus vocare , solutis ante omnia prioris instantiæ omnibus expensis , l. *Et post edictum* 5. §. 2. D. de judiciis. Similiter reus qui absens & contumax damnatus fuit , duplici remedio juvari potest , vel appellationis ad superiorem judicem , vel recursus ad ipsum judicem qui sententiam tulit adversus eum condemnationis : atque refusis contumaciæ suæ expensis potest suas proponere exceptiones , quibus sententiam retractari velit.

IX. Ante omnia restituendus est in pristinam possessionem qui se spoliatum queritur & probat ; causa enim possessionis priùs tractanda est , & restitutio facienda , quàm tractetur de jure proprietatis , adeò ut prædo spoliatus sit in primis restituendus ibi unde vi , vel clam , vel precariò dejectus est, cap. *In literis* , de restit. spoliat. Verùm de interdictis & causis possessoriis require quæ pleniùs libro 2. tractavi circa possessorium & petitorium litigiosorum Beneficiorum.

X. Actor suam debet probare intentionem , alioqui ab actione repellitur , cap. *Ut circa* , de elect. in 6. Nullumque reo incumbit probandi onus , cap. *Quoniam* , de probation. & l. *Res alienas*, C. de rei vindicat, nisi quum ipse actorem reconvenit , aut actoris probatam intentionem suâ exceptione necesse habet elidere , cap. 1. de exception. in 6. Alioqui enim actore non probante reus absolvitur , cap. *Accedentibus* , de privileg. Imò

Gloſſa in Clement. fin. de verb. ſign. §. ult. in verb. *Partes*, dicit factum eſſe quod reus probet defenſiones ſuas, niſi priùs intentio actoris ſit fundata. Si ſit æqualis probatio ex parte actoris & rei, & par teſtium non ſuſpectorum numerus, abſolvendus eſt reus & poſſeſſor, cap. *Ex literis*, de probation. & cap. *Quod autem*, de jurepatron. & cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. Et cùm ſunt Partium jura obſcura, reo potiùs favendum eſt quàm actori, cap. *Cùm ſunt*, de regul. jur. in 6. & favorabiliores Rei potiùs quàm Actores habentur, l. *Favorabiliores*, D. de regul. jur.

XI. Regulariter nemo admittitur ad agendam alterius cauſam nomine procuratorio ſine mandato, niſi ſit conjuncta perſona, l. *Sed hæ perſonæ*, in princ. D. de procur. & cap. *Nonnulli*, in fin. de reſcript. Poteſt verò aliquis agere pro conſortibus litis ſine mandato, ut ait Gloſſ. in cap. *Cùm M. Ferrarienſis*, de conſtitution. & plerique Doctores, quos allegat & ſequitur Fagnanus in d. cap. *Cùm M. Ferrarienſis*, num. 6. aſſerens hanc eſſe communem doctrinam. Conſors tamen cavere debet de ratihabitione, ex d. l. *Sed hæ perſonæ*, & d. cap. *Nonnulli*, & l. 2. Cod. de conſort. ejuſd. lit. quæ hoc etiam requirit, ut lis cum omnibus fuerit priùs conteſtata. Jura porrò loquentia de conjuncta perſona, intelligenda ſunt de conſortibus ejuſdem litis, & de ſanguine conjunctis, non de amicis; quia diſſolvi amicitia poteſt, ſed non jura ſanguinis, l. *Ius agnationis*, D. de pactis. Præterea cùm hæ ſine mandato procurationes à regula communi exorbitent, non ſunt trahendæ ad amicos, quos jura prædicta non exprimunt. Ita Fagnanus loco cit. cum pleriſque quos profert Doctoribus.

XII. Ubi de plano judicatur, ac ſine ſtrepitu vel figura judicii, ut fieri ab Ordinariis aſſolet dum viſitant, & à Delegatis quoque, ſi in mandatis habent ut de plano & ſine ſtrepitu judicii procedant, tunc non eſt opus libellum ab actore proferri, neque litem conteſtari. Idemque ſervatur quoties actio contra certam perſonam non intentatur. Et tales proceſſus fieri poſſunt extra Auditorium, & feriarum tempore, verbi gr. autumnalium; non comprehenſis tamen Dominicis aut feſtis diebus. Clem. *Sæpè contingit*, de verbor. ſignif.

XIII. In foro Eccleſiæ ſi Prælatus ſit ſuſpectus, ejus quoque Vicarius ac Officialis abſtinere debet. Panormitanus in cap. *Ex inſinuatione*, de offic. jud. deleg. Parteſque debet compellere ut inter ſe conveniant de arbitris qui cauſas ſuſpicionis inquirant & examinent; & ſi arbitri convenire non poſſint, tertium eligant. Si cauſa ſuſpicionis legitima non probetur, judex recuſatus ſuâ poteſt uti juriſdictione, cap. *Secundò requiris*, §. *Tertiò poſtulas*, de appellation. & cap. *Suſpicionis cauſa*, de offic. & poteſt. jud. deleg. Si verò cauſa ſuſpicionis probata ſit, idem judex de Partium conſenſu, ſi ſit Ordinarius, perſonam idoneam delegare debet ad hoc judicium, cap. *Si quis contra Clericum*, de foro compet. aut cauſam ad Superiorem dirigere, cap. *Cùm ſpeciali*, de appellat. At verò judex delegatus

non

non potest alii causam committere, sed si suspectus judicatur, debet ad Superiorem aut delegantem transmittere causæ judicium. Gloss. in d. cap. *Cùm speciali*, verb. *De recusatoris*. Cæterùm si recusatio proponatur in visitatione, poterit nihilominus Prælatus procedere ulteriùs, recusatione aut appellatione non obstante; salvo tamen jure recusantis aut appellantis, ne res Ecclesiæ pereant, aut divinus cultus retardetur. Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. & sess. 24. cap. 10.

XIV. In causa suspicionis Judicis Ordinarii, ac in aliis omnibus casibus ubi necesse sit declinare ordinariam jurisdictionem, potest ad Papam recurri, ut alium Judicem suo rescripto committat. Ne verò Partes expensis aliisve incommodis ob distantiam fatigentur, olim quidem vetabant Jura ne causæ ullius judicium per Apostolicum rescriptum committeretur ultra duas dietas à finibus diœcesis commensurandas, ex decreto Innocent. III. in Concilio Generali, cap. *Nonnulli*, de rescript. Sed postea Bonifacius VIII. constituit ne ultra unam dietam à finibus diœcesis causæ cognitio per rescriptum committatur, cap. *Statutum*, §. *Cùm verò*, & §. *Cùm autem*, eod. tit. in 6.

CAPUT III.

In causa criminis quemadmodum procedatur.

I. CRIMEN in judicio tribus modis intentatur, denunciando, accusando, & excipiendo. Denuncians non tenetur se inscribere etiam jure communi pro juramento calumniæ, ejusque subeunda pœna & refundendis expensis, nisi denunciet per modum accusationis ad exigendam de reo pœnam judicialem: non verò si hoc fine denunciet solummodò, ne promoveatur ad Ordines, vel ad Beneficium, aut aliud hujusmodi. Porrò inscribere est obligare se ad talionem ac eandem pœnam, si non probaverit, quam reus convictus incurreret, cap. *Quisquis*, & cap. *Qui crimen*, 2. quæst. 8. Excipiendo quoque potest reus accusatorem suum criminis paris aut gravioris accusatione summovere, quia criminosus criminosum accusare non permittitur, cap. 1. & cap. *Nulli*, de accusat. & cap. *Si quis*, & cap. *Quærendum*, 2. q. 7. Et qui trabem habet præ oculis, festucam ex oculo fratris sui eruere non permittitur. Luc. 6. Is quoque reus qui accusando excipit contra sui accusatorem vel testem, non tenetur inscribere, si nihil aliud quàm justam sui defensionem atque intentatæ contra se accusationis repulsam intendat, & non pœnam aliquam. At verò directus criminis accusator jure communi

non

non admittitur vel auditur, nisi postquam inscripserit, cap. *Super his*, de accusation.

II. In criminalibus causis actor & reus non admittuntur ad agendum vel respondendum per procuratores, sed tantùm per seipsos, cap. *Veniens*, de accusation. Procurator autem Officialitatis vel per se solum, vel accusatori se adjungens ut communis morum censor, & criminum vindex litem intentatam urget ac prosequitur. Ideoque totus ei processûs communicatur, ut perspectis probationibus suas adjungat requisitiones, quas vocant Conclusiones.

III. Pro levibus tamen delictis ac injuriis non solet agi criminaliter per inquisitiones & testium depositiones: sed edito supplici libello Judex decernit citationem, ad quam reo comparente, si culpam fatetur, Judex honorariam aliquam verborum reparationem, & assertionem de probitate & honestate conquerentis, & veniæ de offensa postulationem decernit, sicque reparata offensione reus dimittitur, aut leviter pecuniâ ex Judicis sententia multatur, & prohibetur deinceps à similibus offensis. Sed si reus factum inficietur, tunc civilis causa ob inficiationem vertitur in criminosam. Judex ergo decernit inquiri de contentis in libello querimoniali, testes advocari, aut nolentes per apparitorem adduci: tum procedit ad inquisitionem criminalem, quam vocant Informationem; singulos testes juramento priùs adactos separatim audit. Testis namque injuratus nullam facit fidem, sive in civilibus, sive in criminum causis, cap. *Nuper*, de testib. Peractis sive in totum, sive pro parte (quum scilicet de fuga rei timetur) probationibus, auditisque requisitionibus Procuratoris Officialitatis, Judex pro causæ gravitate decernit aut incarcerationem, aut citationem in diem præstitutum accusati per seipsum, non verò per procuratorem resonsuri. Constitutione Ludovici XIV. anni 1670. tit. 6. art. 4. testes antequam deponant, producere jubentur significatam sibi ad testimonium dicendum citationem, cujus etiam facienda mentio in singulorum testium depositionibus. Ejusdem Constitutionis tit. 15. art. 16. & seqq. prohibetur legi coram reo criminis ullum testimonium, nisi postquam responderit interrogatus, num habeat adversùs testem causas suspicionis: sed solùm audietur ad probationes falsi & impugnationis, si quas habeat adversùs testimonium.

IV. Si reus citatus non comparet, ac vadimonium deserit, jubetur apprehendi & incarcerari. Si apprehendi nequit, agitur in contumacem, & post tria, vel quatuor edicta in valvis fori affixa, sententia profertur quâ contumax apertè declaratur, suisque exceptionibus declinatoriis, dilatoriis & peremptoriis submovetur, simulque decernitur testium repetitio: *Recollement des témoins*. Hæc sententia Gallicè dicitur, *Sentence par défaut*. In foro autem seculari tres fieri solent in triviis urbis proclamationes per præconem, singulæ trium dierum, hoc est de triduo in triduum, vulgò

Criées

Criées ou Ajournemens à trois briefs jours. Cæterùm noviſſima lex Ludovici XIV. anni 1670. triduanas illas abſentis Rei per præconem citationes abrogavit, aliaque non pauca immutavit, quæ hujuſce libri capite ultimo ſelegi, quò recurrito. Quibus exactis proceditur contra contumacem abſentem uſque ad judicium definitivum. Teſtes ergo Judex Eccleſiaſticus denuò vocatos repetit, relectis eorum depoſitionibus ſeorſim, ipſis præſentibus & interrogatis, num ad ſingula perſiſtant, num aliquid addere aut retractare velint. Demùm proceditur ad definitivam ſententiam condemnationis in contumacem. Hic tamen ſi poſt ſententiæ promulgationem compareat, ſuamque velit purgare innocentiam, auditur intra quinquennium à die promulgatæ ſententiæ, poſtquam refuderit omnes contumaciæ expenſas, juxta edictum Molinenſe Caroli IX. art. 28. Poſt quinquennium verò non aliter auditur, niſi priùs depoſuerit apud Actuarium mulctas integras pecuniarias ſuæ condemnationis.

V. Si autem reus citationibus obtemperans ſe judicio ſiſtat, illum Judex interrogat de nomine, cognomine & vitæ profeſſione; tum articulatim de omnibus in libello contentis, atque in informationibus de circumſtantiis temporum, locorum & rerum. Ejus reſponſiones in ſcripta redeguntur. Poſt unum alterumve diem Judici denuò repræſentatur, ejuſque reſponſa audienti releguntur, ſitque ei liberum addere vel retractare quæ ei videbuntur. Si de crimine atroci agitur & metuitur fuga, mittitur in cuſtodiam: ſi leve ſit delictum, aut ſi probatio non ſuppetat, relaxatur aut ſimplici repromiſſione, aut fidejuſſore dato de ſiſtendo iterum in judicio ad publicationem ſententiæ, deque judicato ſolvendo. Fidejuſſor porrò liberatur, ſi ſemel eum poſtea repræſentaverit.

VI. Sed ſi reus inficiatur, Judex interloquendo jubet teſtes iterum advocari, & repræſentari. Galli vocant *Accarration & confrontation des témoins, ou procez extraordinaire*. Idque fit diligentiâ & expenſis accuſatoris, aut ſi non ſit accuſator urgens, Procuratoris Officialitatis. Teſtes itaque ſinguli ſeorſim audiuntur, lectaque depoſitione interrogantur an perſiſtant, an addi vel detrahi quid velint: mox accuſatus intra idem Auditorium ducitur; interrogatur an teſtem præſentem noverit, an ejus depoſitioni ſtare velit? Si ſtare nolit, neceſſe eſt cauſas exprimat recuſationis aut ſuſpicionis ſuæ. Si neget noſſe teſtem, inquiritur ſummatim & de plano ſuper qualitate teſtis, iſtaque mox inquiſitio coram reo legitur. Si reus objiciat contra teſtem, quod vocant *dire ſes objects & contredicts*, id omne in ſcripta redigitur, & ſummatim de objectorum veritate inquiritur.

VII. His omnibus peractis ad judicium proceditur, ad quod convocantur aliqui Canonum vel Theologiæ Doctores: fit inter eos totius lectura proceſſus, examinantur accuſationum capita, rei accuſati defenſiones, teſtium depoſitiones, aliæque probationes, quæ ſigillatim recenſentur, ſcriptiſque in tres diſtribuuntur claſſes, ſcilicet quæ ſint bonæ, quæ

nullæ, & quæ in religione, hoc est dubiæ & incertæ, quæ cum aliis collatæ possint fundare aliquam præsumptionem, sed non certam fidem. Si constet de delicto, reus condemnatur, sin minùs absolvitur & relaxatur, aut decernitur amplior inquisitio; quo casu reus relaxatur data cautione, aut certè simplici pollicitatione de sistendo in judicio quum jussus fuerit. Si denique nihil amplius compertum fiat de delicto post elapsa tempora dilationum accusatori præfinitarum ad novos producendum testes, definitivè demùm relaxatur & dimittitur reus, finisque controversiæ imponitur, nisi nova formetur Rei adversùs accusatorem instantia pro læsi honoris reparatione. Reo absoluto declaratur nomen instigatoris qui reum detulit apud Procuratorem, sive Regium, sive Jurisdictionalem, sive Officialitatis; quique se testes & scripturas ad probationem criminis suppeditaturum spoponderat; ab hoc enim reus dimissus habet jus repetendi expensas, & id quod interest. Papo lib. 24. Placitorum, tit. 1.

VIII. Pœnas infligit Ecclesia tum spirituales, ut sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, depositio ac privatio præbendarum, degradatio: tum etiam corporales, ut carcer, sive perpetuus, sive temporaneus, cap. *Quanvis*, de pœnis in 6. etiam in vinculis ferreis. Clement. 1. §. *Propter quod*, de hæret. Jejunia quoque in pane & aqua, cap. *Novimus*, in fin. de verb. signif. Olim frequentior erat pœna flagellationis intra custodiam, non alia tamen manu quàm Clerici vel Monachi, cap. *Universitatis*, de sent. excommun. Cùm tamen Ecclesiastico judicio laïcus possit adhiberi ad capiendum & incarcerandum Clericum, cap. *Ut famæ*, eod. tit. Moderatum debere Episcopum esse in hoc genere pœnæ, admonet cap. *Cum Beatus*, dist. 45. circa Abbates, Sacerdotes & Diaconos, ob dignitatem Ordinis, nisi delicti atrocitas aliud suadeat. Is est canon 6. Concilii Bracarensis tertii. Canon quoque 38. Concilii Agathensis clericos & monachos contumaces verberibus subjicit. Ejusdemque Concilii canon 41. qui est in Decreto cap. fin. dist. 35. hanc pœnam statuit in Clericum ebrietatis convictum. Quod idem sancitur Concilii Venetici can. 13. Cujus etiam pœnæ meminere canon 6. Concilii Leptinensis, his verbis: *Clerici & monachi & moniales fornicantes, carcere, jejuniis in pane & aqua, & flagellationibus plectantur.* Et Cassianus lib. 4. de instit. cœnobior. cap. 16. recensitis gravibus aliquot monachorum delictis, addit: *Hæc vel plagis emendantur, vel expulsione purgantur.* Meminit etiam B. Cyprianus in vita B. Cæsarii Arelatensis.

IX. Quia verò Ecclesia sanguinem, hoc est hominis occisionem & mutilationem abhorret, ideo non ei licet hanc ulli pœnam inferre, sed morem servat in causis capitalibus, accersito seculari Judice, reum postquam processu judiciario convictus fuerit, solenni ritu degradandi, & ejus potestati ac jurisdictioni tradendi, simulque totum judiciarium processum ad instruendum secularem Judicem, reumque convincendum. Sed

tenetur

tenetur Prælatus simul intercedere pro reo, ut mitiùs & citra sanguinis pœnam plectatur, cap. *Novimus*, de verb. signific. Meminere pariter cap. *Clericus*, 3. quæst. 4. & cap. *Si quis Sacerdotum*, 11. quæst. 1. & cap. *Ad falsariorum*, de crim. falsi, & cap. *Ad abolendam*, de hæret. & Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. tam degradationis, quàm traditionis seculari Judici.

X. Quia etiam per Regiæ Jurisdictionis Tribunalia non permittitur Ecclesiæ Gallicanæ ullum habere territorium, idcircò non permittitur Ordinariis condemnatio in exilium, neque relegatio ad triremes. Ita Chopinus de sacra Polit. tit. 3. num. 12. Alibi verò valet Ecclesiastica ad triremes damnatio, teste Zerola 2. parte, verbo *Triremes*, & aliis ibi citatis. Idemque verbo *Excommunicatio*, §. 19. ait damnatos ad triremes Clericos moderatè posse à trierarcha verberari, etsi non fuerint degradati; sed si verberentur ad excessum, incurri excommunicationem, si fuerint tantùm depositi: at si fuerint solenni ritu degradati, cùm amiserint omne privilegium clericale, non incurri quidem censuram, sed graviter peccare immoderatum notabiliter percussorem eorum.

XI. Ultra pœnas jam memoratas Ecclesia pariter decernit mulctas pecuniarias, sive Parti læsæ, sive piis locis applicandas; non tamen Fisco Ecclesiastico, nec Præsuli, nec Officialibus. Si secus fiat, admittitur appellatio tanquam ab abusu ad Curias Regias in Galliæ Regno. Hic sanè abusus damnatur per cap. *Licèt*, de pœnis, & cap. *Irrefragabili*, §. fin. de offic. Ordin. Attamen ubi Prælatis competit jurisdictio temporalis ratione feudi, possunt seculares ab ipsis constituti Judices applicare Prælatis (quemadmodum & aliis temporalibus Dominis solet fieri) pœnas pecuniarias.

XII. Quæritur an possit Judex Ecclesiasticus reum crimen inficiantem torturæ addicere, quemadmodum potest Judex Laïcus in criminibus enormibus semiplenè probatis? Semiplena porrò probatio illa communiter censetur, quæ fit per unicum testem omni exceptione majorem, affirmantem rem sibi visu proprio compertam. Videtur hoc improbari per cap. *Si quandoque*, 15. quæst. 6. Sed ibi sermo est de confessione quam metus injustus extorsit, qualis non est confessio criminis semiplenè probati juridicè extorta. Hanc enim approbant Canones, cap. *Illi qui*, 5. quæst. 5. Glossa in d. cap. *Illi qui*, verb. *Ut dum*: Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 3. num. 10. Pastor de jurisdictione Ecclesiastica, tit. 4. num. 4. Riccius in Praxi, decis. 585. Bengeus tract. de Benefic. Eccl. & alii. Quæritur ulteriùs, an Prælatus uti possit manu laïci ad torquendum clericum? Videtur obstare cap. *Universitatis*, de sent. excommun. quo adstruitur excommunicatum esse Episcopum, vel Abbatem, qui causâ disciplinæ fecerit sibi subditum clericum aut monachum manu alicujus secularis verberari. Sed diversum est quod fit interiori correctione ab eo quod fit publico judicio;

nam caput *Ut famæ*, eod. tit. permittit Judici Ecclesiastico ut faciat Clericum à laïco apprehendi, & si sit opus, violenter detrudi in carcerem. His adde rationem decentiæ clericalis; officium enim lictoris & tortoris Clericum dedecet, cùm tamen non dedeceat activa secundùm ordinem disciplinæ castigatio, jubente Prælato. Igitur Prælatum uti posse manu laïci ad Clerici judicialem torturam, asserit Navarra in cap. *Nullum*, 18. quæst. 2. & consil. 5. de foro compet. & consil. 29. de sent. excomm. & addit hoc passim fieri in Gallia, & in ipsa Urbe Roma. Item Zerola in praxi, part. 1. verb. *Tortura*, §. 1. asserit seipsum in suo Episcopatu hoc juridicè decrevisse in subditos sibi Clericos.

XIII. Ampliatur Ecclesiastica Jurisdictio circa delicta Regularium alioqui exemptorum, si lis in figura judicii terminanda sit, ut in crimine hæresis, in causis seductionis mulierum per Confessionem, in causis publici scandali, aut si Regularis extra Regulam & septa Monasterii enormiter deliquerit, aut scandalosè. Hisce casibus Ordinarius notionem suam interponere debet, cap. *De personæ*, 11. quæst. 1. Idque post tempora privilegiorum Regularibus indultorum confirmat Abbas in cap. *Cùm contingat*, num. 25. de foro competenti, & Authores Gallicani quæst. 408. Capellæ Tolosanæ, Chopinus lib. 1. de sacra Polit. tit. 4. num. 28. Papo lib. 1. Placitorum, tit. de Jurisdict. Eccles. artic. 14. & tit. de jurisdict. tempor. art. 36. Cujacius in cap. 9. de vita & honest. Cleric. Bengeus de divis. benefic. §. 8. num. 11. ipsumque Aurelianense Edictum Caroli IX. art. 11. His adde quæ dixi suprà, lib. 1. de potestate Ordinariorum erga Regulares exemptos.

XIV. Ex oppositio limitatur in Gallia Ordinariorum jurisdictio in delictis Clericorum, quæ dicuntur privilegiata, quorum cognitio reservatur Judicibus Regiis, ad differentiam communium delictorum, de quibus Clerici non alibi accusari & judicari possunt, nisi apud Ordinarios. Statuit Caroli IX. Edictum Molinense art. 39. ne per Officiales Regios sub prætextu privilegiati delicti cognoscatur simul de communi delicto Clerici, pro cujus cognitione jubet Clericum reum remitti ad Ecclesiæ tribunal, postquam Judices Regii cognoverint de privilegiato ejusdem delicto. Deinde Henricus III. Melodunensis Constitutionis art. 22. sanxit ut instructio processus criminalis de privilegiato Clerici delicto fiat conjunctim per proprium Judicem Ecclesiasticum & per Judices Regios, jubetque Commissariis per Curiam Regiam deputatis, ut ipsam jurisdictionis Ecclesiasticæ Sedem adeant, & Prælatum conveniant pro communi processus de privilegiato crimine instructione.

XV. Crimina privilegiata generatim censentur quæ publicam quietem & statum communem Reipublicæ violant, de quibus sigillatim tractat Benedictus in cap. *Raymutius*, verb. *Et uxorem*, num. 433. & seqq. & sunt ista. Crimen læsæ Majestatis in primo & secundo capite, hoc est, si

Clericus

Clericus attentaverit in personam Regis aut Reginæ, aut regiorum liberorum, aut in Rempublicam, aut in Legatos Regis. Infractio salvæ gardiæ à Rege concessæ, quâ etiam comprehenduntur Officiales Regii dum proprium exercent officium, eorumque exequutores & apparitores in sui muneris exercitio; sub hac enim ratione in tutelam Regis suscipiuntur. Item vis publica, aut concitata seditio. His aliqui addunt assassinium, hoc est præmeditatum & per insidias patratum homicidium. Boërius quæst. 199. Faber in suo Cod. de jurisd. omn. Jud. defin. 26. Item crimen falsæ monetæ. Benedictus loco cit. num. 435.

XVI. Quanvis inquisitio & interrogatio Rei conjunctim faciendæ sint à Judice Ecclesiastico & Laïco, si constet de privilegiato & de communi delicto, sintque delicta illa separabilia, uterque tamen Judex judicat seperatim, Ecclesiasticus de communi, Laïcus de privilegiato, ut cum Papone lib. 1. Placitorum, tit. 5. num. 54. & Chopino lib. 2. de sacra Politia, cap. 4. num. 22. scribit Pastor de Jurisd. Eccles. tit. 14. num. 14. Priùs tamen agitur de delicto privilegiato apud Judicem Laïcum, quàm de communi apud Ecclesiasticum, ut infertur ex dicto art. 39. Molinensis Edicti. Atque Ecclesiasticus Judex non potest reum à carcere relaxare, nisi priùs pœnam pecuniariam exsolverit constitutam à Judice Laïco pro crimine privilegiato. Alioqui pro reo tenebitur Judex Ecclesiasticus exsolvere mulctam. Si verò crimen privilegiatum non sit separabile à communi, ut homicidium factum in seditione, privilegium casûs attrahit ad Judicem Laïcum utrumque delictum.

XVII. Casus autem, in quibus crimen privilegiatum separabile est à communi, occurrunt varii, ut in Clerico calumniatore aut falsum deponente, aut falsum instrumentum scienter producente coram Judice Laïco. Injuria namque in judicio Judici Laïco facta potest ab hoc puniri; falsi verò crimen judicari & puniri seorsim à Judice Ecclesiastico. Similiter si Clericus simul incendii & gestationis armorum lege Principis prohibitorum accusetur, Judex Laïcus cognoscet de gestatione armorum, qui casus est privilegiatus: at Ecclesiasticus de incendio, qui casus est communis. Benedictus num. 438. Clericus etiam adulteratus cum uxore illius qui salvam gardiam Regis pro se suaque familia obtinuerat, judicabitur in Tribunali Laïco de infractione salvæ gardiæ: in Ecclesiastico autem de adulterio, quod est delictum commune. Papo lib. 1. tit. 5. num. 34.

XVIII. Sunt & alia delicta mixti fori, in quibus esse solet prævention locus inter Judicem Ecclesiasticum & Laïcum, cujusmodi esse volunt usuram, adulterium, concubinatum, sortilegium. Julius Clarus in praxi criminali, quæst. 37. & Faber in Cod. de crimine sacrilegii. Verùm in Gallia nec Judex Ecclesiasticus de his criminibus contra Laïcos cognoscit, nec Judex Laïcus contra Clericos, ut monet Pastor loco cit. num. 16.

XIX. Constitutiones Ecclesiæ vetant exerceri judicia nocte, ac in

tenebris, cap. *Consuluit*, de offic. jud. deleg. Tametsi Athenis Areopagitæ non interdiu, sed noctu judicare consuevissent, referente Luciano in Sectis, ne personas litigantes, sed ea sola quæ dicebantur considerarent. Sanè transactio nocte facta tenet, l. *Minorem*, C. de transact. Et testamentum nocte factum valet, l. *Ad testium*, §. *Posse*, D. de testam. Consuetum est in Gallia criminales causas non nisi ante prandium judicari, ne vapores inde exurgentes Judicum mentes obnubilent. Cavetur quidem in cap. *Honestum*, 22. quæst. 5. ne quis in judicio ad juramentum admittatur, nisi jejunus. Et in cap. 1. de testib. & attestat. ne quis nisi jejunus testimonium dicat: sed Glossæ utrobique dicunt, hoc de honestate dici, non de necessitate.

CAPUT IV.

De juridica Inquisitione, & Testibus, & Juramento.

I. SICUT in criminalibus causis triplex est procedendi modus: 1. per inquisitionem: 2. per accusationem: 3. per denunciationem; ita etiam triplex est inquirendi modus. Primò generatim, qua ratione solent inquirere Prælati de vitiis communibus subditi populi aut communitatis, ut eorum remediis prospiciant. Secundò speciatim, dum inquiritur in aliquam certam personam, ut utrum Caius hominem occiderit. Tertiò mixtim, ut si inquiritur in commune quisnam hominem certum occiderit, cujus repertum est saucium cadaver: ibi enim delictum est particulare, sed inquisitio de authore delicti est generalictis: & viceversa si inquiratur in speciali de delinquente, & in genere de delictis, ut utrum Caius sit flagitiosus, an aliqua scelera commiserit, aut committere solitus sit.

II. Non est licitum contra certam personam de crimine inquirere, sive speciatim, sive mixtim, nisi præcesserit infamia, vel gravia indicia, vel semiplena probatio, cap. *Inquisitionis*, & cap. *Qualiter* 24. de probation. Quem tamen ordinem non usquequaque sequi tenentur Regularium Præfecti, d. cap. *Qualiter*, in fine. Est verò infamia vox frequens probarum ac honestarum personarum. Legitimæ famæ judicium esse relinquendum prudentis & probi Prælati arbitrio, docent Menochius, Ugolinus, Molina, & alii. Quod enim scribit Sotus, requiri vocem decem honestorum hominum, id parum est in amplissima civitate, & nimis multum in exiguo pago. Indicia urgentia sunt fuga suspectæ personæ statim

post

post perpetratum, vel detectum scelus: gravis præcedens inimicitia cum aliis conjecturis conjuncta, ut sunt minæ, &c. inventio rei furtivæ penes aliquem. Semiplena probatio est unius jurati, nec ullatenus suspecti testis asseveratio quod ipse viderit, aut ab ipso reo audiverit. Prædictorum ratio generalis est, quia alioqui temerè diffamaretur homo, & in grave discrimen absque sufficienti causa conjiceretur. Istæ verò non adeò exactè requiruntur præcautiones ad eam mixtam inquisitionem, in qua constat de particulari crimine; sed in communi ejus author inquiritur, sic enim nemini fit injuria. Ostiensis verò tit. de inquisition. §. *Quomodo procedatur*, num. 4. & Zerola p. 2. tit. *Inquisitio*, cautè procedendum admonent circa infamiam, quia sæpè à malevolis & calumniatoribus aut levibus oritur.

III. Ad accusationem olim pertinebat inscriptio, quam docet Glossa in cap. *Super his*, de accusat. esse obligationem coram Judice, quâ se accusator subjicit eidem pœnæ, si non probet, quam subire cogeretur convictus reus, juxta cap. *Quisquis*, & cap. *Qui crimen*, 2. quæst. 8. Nam ex Damasi Papæ decreto calumniator in accusatione deficiens pœnæ talionis reus fit, cap. *Calumniator*, 2. quæst. 3. Sciendum verò, sive accusatorem, sive testem qui calumniosè alium in grave discrimen vel damnum adduxerit, teneri quoque in conscientia ad ipsum liberandum subire par discrimen honoris, bonorum & propriæ vitæ, eoque fine suam efficaciter retractare calumniam, si vel probabiliter ei profuturus sit. Alioqui enim non tenebitur cum tanto suo damno, eoque frustratorio & inutili, juxta Sotum, Medinam, Navarram, Covarruviam.

IV. Ad sufficienter probandum in judicio, reumque convincendum duo testes conformes, & non suspecti sufficiunt, l. *Ubi numerus*, D. de testib. & cap. *Licet universis*, eod. tit. dicente utriusque Testamenti scriptura: *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Deuteron. 19. vers. 15. Matth. 18. vers. 16. Joan. 8. vers. 17. 2. Cor. 13. vers. 1. Hebr. 10. vers. 18. Inquisitiones criminum redigendæ sunt postquam perfectæ fuerint in acta publica, ut ad eas quotiescunque operæpretium fuerit, possint Judices recurrere.

V. Gravis & admodum agitata quæstio est, utrum unicus testis qui deponere possit in materia criminalis accusationis, aut denunciationis, teneatur interrogatus à Judice criminis veritatem aperire, necne? Affirmant Dominicus Soto, Azorius, eosque sequutus Bonacina in Decalog. disp. 10. quæst. 3. punct. 3. num. 5. quia, aiunt, suppeditabit semiplenam probationem, ex qua poterit reus juridicè interrogari, carcere concludi, torqueri, unde plena tandem criminum cognitio elici solet. Item alioqui crimina impunitate gauderent, & in perniciem humanæ societatis pullularent. Ex opposito teneri verum silere judici interroganti, affirmant Sylvester verb. *Testis*: Petrus Navarra lib. 2. de restitution. cap. 4. num. 167. & 168. Toletus lib. 5. cap. 40. num. 1. & 2. Reginaldus lib. 24. sect. 5. num. 47. Joannes

à

à Cruce in Directorio, addens isto casu interrogatum teneri dicere sub mortali peccato, & in suo sensu, se nihil horum scire. Tertiam sententiam instituit & propugnat Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 49. licere quidem unico testi testificari, sed ad id non teneri, nisi ubi ageretur de resarciendo gravi damno injustè illato, aut de impendenti malo avertendo, sive communi, sive privato. Quibus sanè casibus omnes consentiunt unicum testem teneri revelare, etiam non interrogatum, neque citatum, nisi hoc sciat per Rei Sacramentalem Confessionem.

VI. Addit Martinus Navarra cap. 25. n. 46. & 47. quem sequitur Lessius loco cit. si sit peccatum occultum, nec alteri damnosum, & peccator jam sit emendatus, vel verosimiliter speretur quod post fraternam correptionem se emendabit, non teneri aliquem id manifestare Judici jubenti etiam sub interminatione excommunicationis, donec fraternè corripuerit, & probabilius judicaverit correptum reum non se emendaturum. Cui favere videtur Matth. cap. 18. vers. 15.

VII. S. Thomas 2. 2. quæst. 70. art. 1. multa docet circa jura testium, quæ breviter recenseo. 1. In manifestis criminibus, & in iis de quibus infamia præcessit, teneri hominem, petente secundùm ordinem Juris Superiore suo, ferre testimonium in iis quæ scit. 2. In aliis verò, nimirum non manifestis, & ubi non præcessit infamia aut alia notitia, etiam petente Superiore non teneri. 3. Teneri tamen manifestare etiam Superiore non petente, nec alia præhabita rei cognitione vel fama, si ea manifestatio sit futura utilis ad liberandum eum qui patitur indebitam vexationem, vel ad impediendum grave malum, sive commune, sive privatum. 4. De illis quæ quis scit per pœnitentis Confessionem, nullatenus ullo casu esse testificandum. 5. In illis autem quæ homo scit commissa sibi per secretum humanum seu naturale, distinguendum esse: vel illa vergunt in alienum grave damnum, sive commune, sive particulare; & hæc tenetur revelare, quanvis jurasset se non revelaturum, quia hoc juramentum non obligat, cùm sit contra bonos mores: vel ex oppositio silentio nullum emergit damnum alienum, & sic non potest prodere commissum sibi secretum, quanvis non jurasset id secretum servare, & Superior juberet revelare: nihil enim potest à Superiore præcipi, quod bonæ fidei ac juri naturæ adversetur. 6. Ministros Altaris non posse ab ullo Judice vel Superiore compelli ad ferendum in causa sanguinis testimonium.

VIII. Occurrunt aliquando casus, in quibus is qui responderet ad interrogantis mentem, peccaret mortaliter, aut suo silentio salutem alterius sibi commissam proderet. Titius innocens, quem maligni adversarii persequuntur ad necem, ad me confugit, ut à me occultetur. Hoc ei debitæ charitatis officium præsto in meis ædibus. Adventant paulò post ejus adversarii furore & armis instructi; sciscitantur à me num Titium viderim, num sit intra ædes meas. Si taceam, id silentium reputabitur affirmatio,

irrum

irrumpent illi in domum meam, & relicto ad portam custode nè misellus evadat, cæteri totam domum explorabunt, & abditum facilè reperient, atque repertum trucidabunt. Sanctus Augustinus in suis Confessionibus summoperè laudat industriam & felices successus sanctæ Monicæ matris suæ in conciliandis discordantium animis & sedandis inimicitiis. At verò inter odia tam multæ nascuntur suspiciones novarum offensionum, tam multæ susurrationes & delationes à falsis & malignis discordantium amicis utraque ex parte referuntur, præsertim inter fœminas; quas tamen suspiciones & susurrationes sæpe contingit esse veras, ut si mediatores exteriùs non se perinde gerant ac si suspiciones & susurros falsos esse crederent, atque id aliter esse persuadere industriè non conentur, aut saltem longè diverso animo ea quibus foventur aut recrudescunt odia, facta diætave fuisse quàm pars inimica crediderit, vix ullæ discordiæ sedari & ad pacem componi possint. In judiciis tam sæpe occurrunt conjecturæ ad præsumendum de crimine, quod tamen falsum sit, ut si interrogatus reus innocens illas apertè fateatur, nec tamen possit aliter suam probare innocentiam, vel subiturus sit sententiam capitis, vel sit tormentis lacerandus ad quæstionem, quo fiat ut dimissus reliquam vitam transigat morte ipsa miseriorem.

IX. Non tamen fidem habendam censemus quibusdam sanctis Ecclesiæ Patribus, qui mendacium officiosum licitum asserunt, in quibus sunt S. Chrysostomus lib. 1. de Sacerdotio, & in homiliis 32. & 53. in Genes. & in epist. ad Olympiam: S. Hieronymus in cap. 2. ad Galat. quem eundem locum eidem scribens exprobrat & impugnat S. Augustinus epist. 19. Cassianus quoque in eundem lapidem offendit collat. 17. cap. 15. 16. 17. & lib. 5. de institut. renunc. cap. 37. & cap. 39. Ex oppositio S. Augustinus in illa epist. 19. aliisque locis, præsertim tract. de mendacio ad Consentium, constanter astruit nullo quantumvis bono fine fas esse mentiri, eo quòd jure naturali & divino mendacium sit malum & indispensabiliter prohibitum; nec licitum esse malum facere ut eveniant bona. Id quippe damnat Apostolus Rom. 3. vers. 8. Quocirca dicit cap. *Super eo*, de usur. *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri.*

X. Mendacium definit S. Augustinus lib. 1. de mendacio, Falsam vocis significationem cum intentione fallendi. Vocem hîc intelligendam latiùs esse pro quovis externo signo, etiam nutu, admonet S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 2. nam & nutibus, sicut voce, mentiri homo potest. Idemque sequenti quæst. 111. art. 1. simulationem in factis externis dicit esse mendacium. Ibidemque resp. ad 2. admittit simulationem utilem & licitam. Hanc verò Navarra in cap. *Humana aures*, quæst. 2. num. 10. sic distinguit ab illicita, quatenus quidam sine causa, nec curantes an mentiantur, aliquid seu verbis, seu facto simulant inesse quod non inest, vel non inesse quod inest. Illa verò sit, quâ quidam prudenter & justa de

causa, sine dolo malo dicunt aut faciunt aliquid, quod separatum per se quidem falsum significat, sed ipsum aliquo subintellecto in mente dicentis aut facientis efficitur verum. Idem Navarrus paria dicit Enchirid. cap. 18. n. 8. Reliqua definitionis verba, *Cum intentione fallendi*, explicat Caietanus ad dictum S. Thomæ locum 2.2. quæst. 100. art. 1. cum intentione dicendi falsum. Sed ut constet quàm sit vera regula juris : Omnis definitio in jure periculosa est, l. *Omnis*, D. de regul. jur. non sufficiunt definitioni expositiones adductæ à S. Thoma & Caietano, nisi addatur tertia ex Sylvestro, verb. *Mendacium*, sub init. scilicet dicendi falsum assertivè : non enim involvit mendacium intentio dicendi falsum recitativè, aut repræsentativè; neque mentiuntur qui falsum recitant ex aliena, & non ex propria persona; neque ii qui fabulam aliquam aut historiam quasi ex theatro vel scena repræsentant, tametsi personam repræsentent alicujus impostoris.

XI. Cùm ergo mendacium propriè sumptum sit jure ipso naturæ illicitum hac ratione, quia ut ait S. Augustinus in Enchiridio, cap. 22. *Verba propterea instituta sunt, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat*; nullo casu, aut fine potest esse licitum, ne quidem ad salvandam hominis vitam, ut idem ait Augustinus tract. de mendacio, cap. 14. & Alexander Papa III. cap. *Super eo*, de usur. Consequens est tot sanctissimos, & in Scripturis laudatissimos homines non fuisse reos mendacii, quando urgente aliqua justa causa ita veritatem celare voluerunt, ut verbis usi sint ambiguis & amphibologicis; veris quidem ex ipsorum occulto sensu, quibus tamen intendebant auferre vel impedire periculosam aut nocivam veritatis alterius cognitionem in mente auditorum. Cujusmodi exemplum profert S. Augustinus Abrahæ dicentis ut se mortis discrimini eriperet, Saram esse suam sororem, & volentis amovere ab aliis hanc planè veram persuasionem, quod uxor sua esset. In illo enim ad Consentium tractatu difertè exprimit, & res ipsa perspicua est, sciviſse & voluisse Abraham, ut Ægyptii aliter prorsus intelligerent Saram esse suam sororem longè alio sensu quàm quem ipse intra se in occulto concipiebat, quia si hac re Ægyptiorum intelligentia conformis fuisset latenti intelligentiæ Abrahami, secundùm quam vera fuisset illa sororis compellatio, futurum prævidebat se occisum iri; quod tamen ista æquivocatione & amphibologia vitare intendebat. Hoc ipsum ut suprà examinat S. Augustinus eo tractatu, præsertim cap. 12. & cap. 17. sic loquens : *Ad hanc veritatis regulam mihi videntur non solùm ista* (de Abrahamo & Sara) *verùm etiam si qua sunt talia redigenda, ut aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium; sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum; sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi.* Idem S. Doctor sic ait in quæstion. in Genes. quæst. 26. prout refertur in Decreto, cap. *Quæritur*, 22. quæst. 2. *Quæritur cur Patriarcha mentiri voluit, ut diceret Saram sororem suam, & non potiùs Deo commisit, qui si vellet, ejus pudicitiam*

pudicitiam apud Pharaonem servare posset. Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici: soror enim dicitur, quia filia fratris erat. Et in hoc ostenditur quod nemo debet tentare Deum, dum habet quod rationabili consilio faciat. Fecit quod potuit: quod non potuit, Deo commisit, in quem speravit. Hoc idem aliis passim locis repetit Sanctus Doctor. Itaque nulli dubium esse debet, usum amphibologiarum, ubi justa urget ratio, esse doctrinæ Augustinianæ. Idem sentiendum quod de Abrahamo in aliis Sanctorum æquivocationibus docet Augustinus, scilicet licitas fuisse, & mendacii prorsus immunes, ut quum Jacob consilio Rebeccæ matris persuasit Isaaco patri se esse primogenitum ejus Esaü: quum Joseph se ariolum & augurem esse coram fratribus asseveravit, & in toto illo sanctæ viduæ Judith apud Holofernem colloquio. Si quis autem Augustino rigidior velit illos venialiter peccasse, hoc saltem dici non potest de Angelo Raphaële asserente Tobiæ 5. se unum esse de filiis Israël, nomine Azariam, filium magni Ananiæ; nec de Christo asserente sine alio additamento, se nescire diem judicii, Matth. 24. & Marci 13. aut fingente coram discipulis in Emmaus se longiùs ire.

XII. His suffragatur S. Gregorius Papa lib. 26. Moral. cap. 7. dicens: *Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.* Nihil certè hac de re dilucidius dici, vel scribi potest; & habetur in cap. *Humanæ aures*, 22. q. 5. Sanctus tamen Isidorus posset his opponi lib. 2. de Summo Bono, cap. 11. ubi ait: *Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est ita hoc accipit, sicut is cui juratur intelligit.* Habetur in cap. *Quacumque arte*, 22. quæst. 5. Sed hic locus eos percellit qui mala fide, soloque decipiendi & injustè nocendi animo pravam mentem suam obtegunt; non verò illos quos justa & rationabilis causa cogit bonum quod mente gerunt propositum verbis ambiguis & in aliquo sensu veris dissimulare. Istis verò non quadrat Isidori, sed Gregorii Magni anterior illa sententia. Neque ego sum hujus inter hæc apparenter adversantia conciliationis author, sed S. Thomas 2.2. quæst. 89. art. 7. ad 4. His adjungendum Sancti Raymundi testimonium lib. 1. Summæ, tit. de mendacio, circa finem: *Si reum qui quæratur ad necem domi occultaverim, nec ad redimendam ejus vitam aliud supetat remedium, quàm interrogantibus qui volunt interficere respondere, Non est hîc, respondendum aliquod verbum æquivocum: Non est hic, putà in mensa, vel aliquid simile.** Sed & ipse Augustinus suam explicat mentem dilucidis hisce verbis in Psalmi 5. enarratione: *Ille verò qui non habet duplex cor, nec mendacium ullum quidem dicit. Tanquam v. g. si cui gladius commendetur, & promittat se redditurum, quum ille qui mandavit poposcerit; si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ille non habet duplex cor, quia*

ille cui commendatus est gladius, cùm promittebat se petenti restituturum, non cogitabat furentem posse repetere. Unde consequens est, quod si cogitasset actu ipso posse furentem repetere, non licuisse illi eo etiam casu voluntatem habere furenti reddendi, ne sibi tale homicidium in judicio Dei imputaretur; non enim imputabitur furenti hujus homicidii delictum, sed soli ei qui cùm prævidere debuisset, gladium furibundo tradiderit. Similiter videns aliquis prædones in procinctu esse ad eripiendam alicui vitam & pecuniam, potest illos hortari ut pecuniâ contenti abstineant ab homicidio; tametsi hortator ille officiosus abhorreat simul furtum pecuniæ. Denique utcumque sumas S. Augustini sensum, Sanctorum tamen Gregorii, Thomæ & Isidori doctrina sanctis Scripturis & communi rationi magis est conformis, simulque S. Hieronymo, quem refellere S. Augustinus in suis ad illum epistolis conatur.]

XIII. Hoc denique post Augustinum & Gregorium asserunt communiter inter Scholasticos & Summistas sapientissimi, hoc addentes, in casu necessitatis posse suscipi delatum juramentum ad confirmationem occultæ illius verborum exteriùs prolatorum intelligentiæ. Nullum enim est sine mendacio perjurium. Nullum verò hîc inesse mendacium, frequentibus Sanctorum exemplis, & Sanctorum Doctorum Augustini, Gregorii & Thomæ Aquinatis authoritate probavimus. Ita Joannes Major antiquum Sorbonæ decus in 4. distinct. 15. quæst. 18. quem allegat & sequitur sapientiâ & pietate spectabilis Doctor Navarrus in comment. ad d. cap. *Humanæ aures*, & in Manuali cap. 12. num. 8. & 9. Item Angelus verbo *Juramentum* 5. num. 9. Sylvester verbo *Juramentum* 3. quæst. 2. Dominicus Soto lib. 8. de justit. & jure, quæst. 1. artic. 7. ad 4. Caietanus in 2. 2. quæst. 70. art. 1. Adrianus Papa VI. in 4. quæst. de sigillo confess. Graffius 1. p. lib. 2. cap. 17. num. 9. Lopez 1. part. cap. 42. §. *Injustè rogatus à judice.* Toletus lib. 4. cap. 21. & lib. 5. cap. 58. Lessius lib. 2. de justit. cap. 30. dub. 6. n. 15. Laiman lib. 4. tract. 3. cap. 14. num. 7. Bonacina tom. 2. disput. 4. quæst. 1. puncto 12. & alii communiter, ipseque Bart. in l. fin. num. 7. D. de quæst. Favetque caput *Utilem*, 22. quæst. 2. ex S. Hieronymo desumptum, hortante ad simulationem utilem & in tempore assumendam, exemplo Jehu Regis Israël, & Davidis.

CAPUT

CAPUT V.

Quandonam aliquis non tenetur testificari: & ad quid obligetur qui falsum testimonium dixerit.

1. ALIQUOS jam attigimus casus, quibus occurrentibus non tenetur aliquis testificari etiam requisitus, citatus, & sub pœna excommunicationis obtestatus. Nimirum primò si nulla præcessit infamia aut indicia ad hanc revelandi obligationem sufficientia, neque semiplena probatio. Secundò, si quis rem cognoscat per confessionis sigillum. Tertiò, si sciat per secretum naturale & fiduciarium ab ipsa Parte, quæ consilii, vel opis implorandæ causâ suum aperuerit delictum; quo præsertim secreto tenentur Advocati, Medici, Chirurgi, obstetrices, intimi amici. Secus verò sentiendum, si reus suam malam significasset voluntatem ante admissum delictum; non enim fas est captare consilium ad malè agendum. Quartò si quis probabiliùs credat, esse alios esse qui rem sciant, adeò ut solus & unicus futurus sit testis. Casum istum Lessius lib. 2. de justit. cap. 30. dub. 6. num. 3. extendit pariter ad illum qui rem novit cum aliis duobus aut pluribus testibus, quorum nemo adhuc testificandus sit. Sed hanc extensionem non admittendam duco, quanvis ibi Lessius hanc esse communem doctrinam dicat. Si enim nemo teneretur primus testificari, magna sequeretur criminum impunitas, & ex impunitate licentia; cùm in omni inquisitione fieri aliter non possit, quin aliquis testis primus deponat, sublatoque primo teste nullus dici possit vel esse secundus aut tertius. Quintò, qui scit rem de qua inquiritur, factam fuisse sine culpa saltem mortali, ut si qui furti accusatur, rem subripuerit titulo justæ compensationis; aut homicidium de quo inquiritur, fuisse factum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sextò, si ex revelatione ipsi testi, aut ei conjunctis personis grave damnum impenderet. Septimò si quis rem audivit à levibus, nec fide dignis hominibus. Octavò, si quis sit consanguineus aut affinis delinquentis, argumento legis 4. D. de testib. Quidam hoc limitant in secundo gradu, sed plures cum Avila in quarto gradu inclusivè, usque ad quem protenditur incestus & impedimentum nuptiarum dirimens. Et hoc æquitati & familiarum Gentilium expetendæ paci consentaneum est: hinc tamen excipienda crimina Majestatis, aliáve quæ in publicam perniciem se propagarent. Nonò, si quis sit de familia, & domesticus ejus qui

deliquit, juxta Angelum, Sylvestrum & complures alios. Et utique veteri Romanorum jure servi compelli non poterant, ut adversùs dominos testimonium ferrent, ut inter alios docet Cornelius Tacitus circa Libonis accusationem sub Tiberio Principe, lib. 2. Annalium. Huc spectat lex 8. C. de testib. relata in cap. *Siteſtes*, §. *Servi neque*, 4. quæst. 3. * Repelluntur pariter ab accusationibus & testimoniis cohabitatores inimicorum, cap. *Repelluntur*, de accusat.] Decimò, si illi à quibus aliquis rem uti gesta est accepit, jam deposuerunt; hujus enim supervacanea foret depositio.* Sciendum verò prædictos à judice citatos, & præmisso juramento interrogatos, posse, imò etiam secreto naturali astrictos teneri secreti fidem servare, & quam sciunt veritatem occultare, utendo æquivocationibus & restrictionibus mentalibus, qualis hæc esset, negando se rem scire, apud se cogitando, quam teneantur cum offensa Dei declarare. Neque enim eousque devitandum est mendacium, ut ejus vitandi causâ fides publica violetur, ipsumque jus divinum & naturale perfringatur; quanquam ubi justa necessitas non urget, æquivocationum usum esse profiteamur abusivum, nec esse à veniali culpa unquam immunem. Repugnat enim naturali simplicitati & animorum sinceritati. Nolim equidem omnia mendacia quæ de sancta vidua Judith sacræ Paginæ commemorant, ab omni peccato justificare: sed profitendum est, neque Angelum Raphaëlem, neque Christum ipsum potuisse venialiter unquam peccare.]

II. Indubitatum est, calumniosum testem, aut falsum etiam per veri suppressionem in præjudicium Partis, quanvis nihil falsum positivè protulisset, ut si siluerit reum, contra quem testificatus est, fuisse primùm injusta conquerentis aggressione lacessitum, non modò peccare mortaliter, tum propter injustitiam, tum ratione perjurii; sed etiam teneri ad reparationem damni, si modò in istud efficaciter influxerit. Quod idcircò addo, quia fieri potest ut damnum efficaciter non causaverit, etsi gravissimè deliquerit, ideoque reparare non teneatur. Si enim contingat ut anteriores testes admissi, neque à reo recusati, sufficienter eadem calumniâ reum oneraverint, adeò ut iste additivus & supernumerarius condemnationem ab aliis dudum efficaciter causatam non auxerit, non potest censeri condemnationis author, neque obligatus ad eam reparandam. Aliud tamen judicandum, si testis iste in commune cum aliis qui præcessere testibus, aut cum actore ipso, seu accusatore conspirasset: sic enim efficaciter in damnum ab accusatore & præcedentibus testibus illatum contribuisset, singulique eorum in solidum tenerentur id omne damnum resarcire, tum honorarium, tum pecuniarium. Similis ratio & decisio est in eo Judice vel Consiliario qui præcedentium injusto judicio suum addidit suffragium, si nullâ habitâ communi conspiratione suffragia præcedentia erant in sufficiente ad validum judicium numero, neque causam dedit anterioribus injusti suffragii, & si reliquis insequentibus Consiliariis existentibus

tibus unà cum eo in sufficienti numero ad elidenda anteriorum suffragia, non fuerit author injusti suffragii. Ita Navarra in Manual. cap. 17. num. 18. Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 7. Bonacina tom. 2. disp. 10. quæst. 3. punct. 3. n. 15. & S. Antoninus citans & sequens Paludanum & Ricardum ; cujus Sancti Archiepiscopi verba illa sunt : *Si sine consilio vel mandato fuisset nihilominus facta rapina vel damnificatio, & nihil amplius per illa est additum, non tenentur nisi quantum ad eos ex rapina pervenit. Si verò aliquid aliud ex mandato vel consilio factum est, ad illud amplius tenentur in solidum.* His omnibus facem prætulit S. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 5. ad 3. quæstiunculam, ubi duo ista tradit necesse esse concurrere, ut consulens teneatur ad restitutionem : *Primò ut probabiliter credat consilium suum fuisse efficax; deinde quod sine eo injusta ablatio commissa non fuisset.* Atqui eadem militat ratio non modò in consulente, sed etiam in alio quovis cooperante in damnum tertii, qualis est testis. Verumtamen Officiales ac Judices, sive inefficaciter concurrerint in damnum tertii, cujus omnis efficacitas & influxus refundi debeat in collegas, qui sine prævia cum ultimis conspiratione damnum intulerunt ; sive etiam nihil cooperati fuerint in malum, sed cùm spes probabilis esset, quod si in oppositum institissent, collegas qui priores sua efficaciter ad malum suffragia contulerunt, ab injusta sententia revocassent: hoc supposito, etiam posteriores, qui per se ad injustum damnum non influxere, censendum est in defectum priorum restitutioni pariter obnoxios esse. Pro certa enim regula tenendum est, cæteros qui cùm potuissent damnum proximi impedire, noluerunt impedire, peccasse quidem contra charitatem, non tamen adstringi restitutioni : sed Officiales qui cùm potuissent damnum injustum impedire, per segnitiem tamen non curarunt impedire, non modò contra proprium officium peccasse, sed etiam damnum ipsum teneri resarcire, cui sive per malitiam, sive per segnitiem noluerunt obsistere, cùm impedire potuissent. Sed ubi nulla erat probabilis spes impediendi, cessat ibi restituendi obligatio.

III. Porrò nulla & futilis ratio est eximendi ab obligatione reparandi damnum illatum, si quis dicat : Si hoc damnum non intulissem, alius indubitatè hoc idem intulisset. Cùm enim omne damnum injustè causatum authorem suum obliget ad restitutionem, nihil inde sequitur, nisi hoc unum : Si damnum me nullum inferente alius id intulisset, immunis essem ab onere reparandi, quod alter damnificans in se unum transtulit ; sed quia præveni alterius malitiam, illa obligatio mihi uni incumbit : ille verò cujus malitiam præveniendo inefficacem reddidi, nulli est obnoxius restitutioni.

IV. Evenit nonnunquam ut testis in judicio falsitatem alteri damnosam dicat, putans tamen ex memoriæ confusione verum se dicere. Isti difficultati respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 70. art. 4. ad 1. quem sequitur ibi Cajetanus & S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 19. §. 7. Sylvester verb. *Testis*, quæst. 8.

quæst. 8. sub fin. Dominicus Sotus lib. 5. de just. quæst. 7. art. 4. ad 1. Navar. in Manual. cap. 25. num. 40. & passim recentiores, si testis ejusmodi moralem ad recordandum & testificandum adhibuerit diligentiam, excusari à mortali culpa. Quibus addunt locis citatis Caietanus, & Sotus, & Reginaldus lib. 24. cap. 3. sect. 5. num. 45. esse quoque immunem ab obligatione reparandi damni exinde sequuti. Non enim tenetur ex re accepta, cùm nihil alieni retineat. Neque ex conventione ulla, neque ex injusta damnificatione, cùm sit à culpa immunis; quia ejus memoriæ lapsus est merè naturalis, ut supponitur, eoque tempore invincibilis. Sed si intervenerit aliqua in credendo levitas, aut in præmeditando negligentia venialis, vult ibidem Soto teneri ad restituendam aliquam damni partem pro modulo culpæ hujus venialis.

V. Idem tamen postquam se falsum deposuisse animadverterit, tenetur Partem pro qua testificatus est admonere ut restituat. Sed si Pars neglexerit, aut neglectura certò prævideatur, debet suum testimonium coram Judice revocare, sive in continenti, quòd unum approbat cap. *Præterea*, in fin. de testib. cogend. sive etiam ex intervallo, quod videtur eod. cap. rejici; quia tunc facilè præsumitur ad hoc inductus ab ea Parte cujus interest. Sed Glossa ibid. verb. *In continenti*, & Ostiensis, & Joan. Andreas hoc relinqui volunt arbitrio & prudentiæ Judicis expendentis qualitatem personæ retractantis, cum aliis circumstantiis, ad admittendam vel rejiciendam quæ ex intervallo fit retractationem: saltem valebit retractatio ad debilitandam priorem falsitatem. Reginaldus tamen loc. cit. ejusmodi testem eximendum censet ab hac apud Judicem retractatione post intervallum, si ei periculum exinde aliquod probabiliter formidetur, cùm supponatur falsum ex animi errore inculpabili deposuisse; ubi enim damnificatio fuit inculpata, nullus est pœnæ aut obligationi restituendi locus, si quis inde ditior non evaserit, juxta legem 2. Cod. de petit. hæredit.

VI. Ubi verò testis malitiosè falsum deposuisset, tenetur omne inde resultans damnum reparare, etiam cum propriæ vitæ periculo. Atque ita si ex falsa depositione reus versetur in periculo vitæ, tenetur testis, sicut & calumniosus accusator, Judicem certum facere de calumnia & falsitate, omnemque operam adhibere ut reum eripiat, etiam cum periculo propriæ vitæ: nam in pari discrimine potior est innocentis conditio quàm calumniatoris, aut alterius qui suâ malitiâ immeritum hominem in id periculum adegit. Navarra cap. 25. vers. 17. Quo loco addit, eum qui aliquem occidit, de quo alius accusatus & incarceratus periclitatur de ultimo supplicio, non videri obligatum seipsum prodere cum pari periculo. Id ego non aliter approbaverim, nisi quando homicidium factum fuisset sine delicto mortali, ut si occidisset se vel sua adversus aggressorem defendendo; alioquin magis approbaverim contrariam Medinæ ibidem à Navarra citati opinionem, ut teneatur injustus occisor seipsum deferre ad innocentem falsò

falsò accusatum eripiendum discrimini. Ratio quâ suadeor, hæc est, quia ubi par imminet periculum, justitia exigit ut innocens eripiatur cum periculo & damno delinquentis, si aliter occurri non possit. Præterea potest ea cautio adhiberi, quâ delinquens se periculo subducat; præparatis enim omnibus ad fugam requisitis, potest apud publicum notarium coram testibus suum prodere scelus ad eripiendum discrimini quem scit innocentem, & mox fugam capessere. Aut etiam potest per privatam scripturam à se & fidis testibus subsignatam rem uti est reverà declarare, & Presbytero quasi Confessario pro suæ conscientiæ quiete mandare, ut postquam fugam capessiverit, scriptum illud apud Judicem consignet, qui actum Presbytero juridicum expediat ejus consignationis. Legimus de Sancto Conrado Placentino, ipsum adhuc venationi ferarum & secularibus oblectamentis addictum jussisse aliquando vepres in quibus feræ latitabant succendi, sed perlatum vento ignem ultra quàm voluit proximos agros fœdo incendio devastasse. Cumque homunculus ex infima plebe hujus incendii suspicione captus, & vi tormentorum factum quod non commiserat confessus, damnatus ad supplicium fuisset, tum demùm Conradum conscientiâ excitatum se reum palam confessum fuisse, & divenditis facultatibus suis illata damna compensasse, redactumque ad extremam paupertatem humanis rebus nuntium remisisse.

VII. Quum agitur de avertendo publico imminente damno gravi, vel de liberando particulari reo ob gravem calumniam in causa criminis periclitante, non excusant prædictæ causæ ab obligatione testificandi, exceptâ notitiâ per Sacramentalem Confessionem habitâ, aut gravi damno imminente illi qui testimonium ferret. Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 70. art. 1. Sylvestrum verb. *Testis*, §. 8. Sotum lib. 5. de justitia, quæst. 7. art. 1. Navarram cap. 18. num. 34. Toletum lib. 5. cap. 59. num. 2.

VIII. Postremò circa probationem per testes sic decernit Ludovici XIV. Constitutio anni 1667. tit. 20. art. 5. *Si in una eademque instantia pars multas formet petitiones, de quibus nulla extet probatio, aut probationis initium per scripturam, illæque petitiones simul conjunctæ summam excedant centum librarum, istæ non poterunt testibus verificari, quanvis sint diversæ summæ ex differentibus causis vel temporibus provenientes: hoc tamen excepto, si jura procederent ex successione, donatione, aut alioquin ex differentibus personis.* Si igitur Pars ad probationem per testes admitti prohibetur, multò minùs admitti licebit ad verificandum proprio juramento.

CAPUT VI.

De reo criminis.

I. REus à Judice quidem, sed non juridicè, hoc est non secundùm juris formas, seu non servato juris ordine interrogatus de crimine, non tenetur ipsum confiteri. Ista assertio quæ Doctorum communis est, colligitur & probatur ex cap. *Qualiter & quando*, & cap. *Cùm oporteat*, & cap. *Inquisitionis*, de accusationibus. Idque docet S. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 2. his verbis: *Non tenetur aliquis omnem veritatem fateri, sed illam solam ab eo potest & debet requirere Judex secundùm ordinem juris.* Hinc sequitur reum interrogatum à Judice, sed non secundùm ordinem juris, posse veritatem dissimulare, non tamen mentiri ei licet ullo casu, sed ambiguè respondere, atque à Judice jussum jurare, sed non secundùm Judicis injustè adigentis mentem; nec enim alius supereſt reo injustè adacto recursus. Silentium enim post unam & alteram interrogationem continuatum, pro confessione reputaretur, aut certè reum tormentis ad quæstionem subjiceret. Require quæ superiore capite hac de re plenius circa testes, de illis quæ obtegere tenentur interrogatos disputavi. Docet verò ibidem S. Thomas, quem passim alii sequuntur, tribus eventibus Judicem ex ordine juris interrogare. Primùm si præcessit infamia contra reum circa id crimen, eaque sit legitimè per duos testes probata omni exceptione majores, & quæ nullatenus orta appareat ex malevolentia. Secundò, si reus urgeatur gravibus indiciis, circumstantiis & conjecturis. Tertiò si contra ipsum unus testis non suspectus deposuerit, quod vocatur semiplena probatio. Similiter non tenetur reus confiteri, si dubius est an Judex interroget ex juris ordine. Nemo enim Superiori tenetur obedire cum gravi sui vel alterius damno, nisi constet eum legitimam ad hoc habere authoritatem: & quia in dubiis favendum est reo, cap. *Cùm sunt*, de regul. jur. in 6.

II. Censent aliqui reum agnoscentem se legitimè & juridicè interrogari, non peccare plusquàm venialiter, si crimen diffiteatur, quando pœnâ temporali plectendus esset; sed peccare mortaliter si pœna spiritualis esset infligenda, ut est excommunicatio. Ita Panormitanus in cap. *Cùm super*, de confessis. Sylvester verb. *Confessio delicti*, quæst. 1. Angelus eod. verbo, num. 1. Armilla eod. verb. num. 8. aliique. Verùm communior & approbatione dignior, atque in praxi sequenda sententia est, teneri quæcunque immineat pœna, Judici interroganti confiteri. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 69.

quæst. 69. art. 1. Caietanus ibid. Covarruvias pract. qq. quæst. 23. Navarra cap. 25. num. 23. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 12. Quilibet enim obedire tenetur Superiori legitimè præcipienti. Et Judex hac in parte habet non tantùm jus, sed etiam obligationem interrogandi, & verum eliciendi ex suo officio. Ideoque reus diffitens peccat mortaliter non solùm ob perjurium, cùm in juridica interrogatione non aliter respondere possit, quàm ex Judicis mente; sed alio quoque ex capite, quanvis non juraret, quatenus in re gravis obligationis non obtemperat Superiori justè præcipienti.

III. Confessarius rei juridicè interrogati, sed renuentis suum coram Judice crimen fateri, operam debet quoad potest adhibere, ut reus suum illud crimen Judici interroganti manifestet; ad hoc enim teneri multò probabilius est: sed si hoc ei persuadere nequeat, admonet Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 16. esse reum fateri coram Judice renuentem nihilominus absolvendum, eo quòd non improbabile judicet eum non peccare mortaliter. Causas verò probabilitatis in favorem rei diffitentis adducit istas. Primò quia graviſſimi Authores suprà citati, Panormitanus, Angelus, Sylvester, Armilla & alii eximunt reum ab hac obligatione, dummodo spes affulgeat, posse diffitendo evadere condemnationem. Secundò quia humana præcepta debent esse humanæ conditioni consentanea. Difficillimum verò videtur, eum qui sperat evadere, se gravis pœnæ, aut etiam mortis condemnationi sua confessione addicere. Tertiò, quia nemo ad testimonium contra consanguineos suos ferendum cogi potest, l. 4. D. de testib. Ergo multò minùs contra seipsum. Quartò, quia neque tenetur quis contra alium testificari, si ex hoc ipso incumbat ei suisve gravis alicujus damni periculum, ut unanimiter sentiunt Doctores: Navarra cap. 25. num. 50. Covarruvias pract. quæst. cap. 18. Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 6. At reus iste non tam periculum quàm certitudinem extremi mali sustinet fatendo apertè crimen. Quintò, quia lex *Nimis grave*, C. de testib. decernit, *Neminem teneri contra se exhibere id per quod sibi negotium fiat.* Nihil autem durius esse potest, quàm ut qui aliunde sperat evadere incolumis, cogatur arma Judici proferre, quibus eum jugulet. Sextò, quia est receptissima & communis Doctorum consensio, reum criminis, sive ante, sive post condemnationem capitalem posse de carcere effugere, & hac ratione se condemnatio[illegible]btrahere. Hoc docent S. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 4. Caietanus ibid. Sotus lib. 5. de just. quæst. 6. art. 4. Covarruvias lib. 1. variar. resolut. cap. 2. num. 11. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 5. quanvis ex fuga damnum Commentariensi obveniat, atque etiam carcere penitus pertuso reliqui simul detenti evasuri sint. Ergo multò magis videbitur eidem criminis reo licitum esse apud Judicem suum crimen inficiari, eodem modo quo posset si non juridicè interrogaretur, cùm agatur de pari evitando supplicio; cùm evadere licitum sit reo juridicè convicto, &

multò minùs in alios incommodum reſultet ex inficiatione, quàm ex carceris effractione. Iſta quidem probabiliter profert Leſſius: ſed cùm idem multò aſſerat eſſe probabiliorem ſententiam oppoſitam, nego licere ſive iſti reo juridicè interrogato diffiteri, ſive Confeſſario reum ſic malè affectum abſolvere. Eſt enim contra jus naturale ac bonam fidem, ſi quis ubi ſubeſt periculum mortalis culpæ, opinionem eligat minùs probabilem & minùs tutam in conſcientia, relinquendo probabiliorem ſimul & tutiorem. Sed prudens Sacerdos recuſabit abſolvere reum, utpote indignum, ſimulque præſtolabitur eventum. Aut enim reus diffitens dimittetur; dimiſſus porrò non tenebitur poſthac apud Judicem confiteri, ſed ei ſola ſacramentalis Confeſſio cum ſatisfactione ſufficiet ad ſalutem: vel econtrà reus non confeſſus condemnabitur, eoque caſu cùm nihil ſuperſit quod ampliùs metuat, neque poſſit ſemel facta condemnatio augeri, Confeſſarius illum faciliùs ad confitendum judicialiter ſcelus ſuum adiget; ad hoc enim obligatur quandiu eſt ſub juridica poteſtate detentus. Poſtquam verò reus huic ſatisfecerit obligationi, tum demùm illum Sacerdos ſacramentaliter abſolvet.

IV. Denique de reo criminis Clerico Eccleſiaſticum habente Beneficium, utrùm & qua ratione poſſit ſuum abdicare in alterius favorem Beneficium, gravis eſt & illuſtris quæſtio, quæ hac diſtinctione reſolvenda eſt. Criminum alia inducunt Beneficii vacationem ipſo ſolo facto, alia verò non niſi per Judicis ſententiam. Atque in his ultimis, non autem in prioribus illis poteſt reus ſuo Beneficio apud Papam vel Legatum renunciare in alterius favorem ante ſuæ condemnationis ſententiam; quin etiam poſt ſententiam, dummodo ſit per appellationem ſuſpenſa: quibus etiam caſibus poteſt apud Ordinarium ſimpliciter reſignare. Hæc docent Rebuffus in praxi, tit. de modis amit. benef. num. 52. & tract. de pacif. poſſeſſ. num. 362. & ſeqq. Probus in addit. ad Gloſſ. pragmat. ſanct. tit. de collationib. verb. *Diſponere*, addit. 12. Boërius deciſ. Burdegal. 200. Mainardus deciſ. Toloſ. 61. Papo Notariorum p. 3. lib. 8. tit. 1. de interdictis & action. poſſeſſ. Mornacius ad tit. D. de his qui not. infam. Bengeus tit. quibus mod. vac. aut amit. benef. §. 6. num. 16. 17. 18. & 19.

V. Crimina ipſo ſolo facto, & ante Judicis ſententiam inducentia Beneficii vacationem, ſunt quædam atrociora, in quibus cenſentur crimen læſæ Majeſtatis in primo capite, aſſaſſinium, ſodomia. In his vacat Beneficium ipſo quo admiſſum eſt momento, etiam ante accuſationem, nec valet poſt delictum facta reſignatio, & poteſt quilibet non incapax Clericus impetrare, dummodo ſive ab initio, ſive ex poſtfacto conſtet de ſcelere. Homicidium quod non comitantur atroces circumſtantiæ, quales reperiuntur in aſſaſſinio, & parricidio, non inducit ipſo facto vacationem, ſed expectanda eſt Judicis ſententia. Siquidem decernit cap. *Ex literis*, de exceſ. Prælat. Prælatum qui conſilium furem quendam ſuſpendendi dederat,

dederat, & exequutioni suam præsentiam corporalem exhibuerat, incurrisse irregularitatem ex crimine homicidii; ideoque mandat eum admoneri ut Episcopatui cedat, aut si detrectet, eum per sententiam deponi jubet, aliumque ejus in locum canonicè eligi. Sed clariùs & expressiùs decernitur in cap. *Henricus*, de cler. pugn. in duello, Henricum Presbyterum, qui per tertiam personam fecerat alium occîdi, deponi ab Ordinum sacrorum exercitio; illi tamen misericorditer Beneficium conservari. Et in cap. *Studeat*, dist. 50. mandatur ut si probetur ex percussione per Sacerdotem facta mortuum fuisse Diaconum, Sacerdos à sacris arceatur: ei tamen Beneficium ad victum concedatur.

CAPUT VII.

De Beneficiorum possessorio & petitorio judicio.

I. IN titulo Beneficii duplex causa spectari solet, possessionis scilicet & proprietatis. Clement. unica, de causis possess. & propriet. Inde duplex actio ratione Beneficii competit; altera quæ possessorium spectat; altera quæ petitorium. Et priùs quidem tractatur causa possessorii quàm petitorii, ut ex rubricis constat de ordine cognit. Actiones versantes circa possessorium dicuntur interdicta propter intentatam prohibitionem, ne quid fiat quod possessioni obsistat, *Défenses de troubler en la possession.*

II. Duæ verò sunt possessoriorum interdictorum species, nimirum retinendæ possessionis, aut ejusdem recuperandæ: hoc est, ut qui turbatur, conservetur in possessione, quod est interdictum *Uti possidetis*, Gallicè *Complainte en cas de saisine & nouveauté contre celuy qui fait le trouble*: aut ut de possessione pulsus in eandem restituatur; spoliatum enim ante omnia restitui jubet cap. *Oportet*, 2. q. 2. & cap. *Redintegranda*, 3. q. 1. & totus tit. de restit. spoliat. Istud vocatur interdictum *Unde vi*. Primum illud interdictum *Uti possidetis*, seu retinendæ possessionis, attenditur in possessione, quæ toto ultimo qui præcessit anno, neque vi, neque clam, neque precario processit, l. 1. §. 4. D. uti possidetis. Sed interdictum *Unde vi*, seu recuperandæ, quamlibet etiam minoris temporis quàm anni possessionem complectitur & tuetur, l. *Qui momentariæ*, C. unde vi. Porrò in causis interdicti Retinendæ, seu Uti possidetis, evenire solet ut litigans uterque sit simul actor & reus, l. 2. D. de interdictis.

III. Tametsi causam possessionis & proprietatis ab uno & eodem Judice terminandam esse decernat cap. 1. de causa possess. & propriet. oppo-

ſitum tamen fieri ſolet quoad cauſas Eccleſiaſticas in Gallia, ut lis de poſſeſſione Beneficii agitetur apud Regios Judices; de proprietate autem Beneficii contendatur apud Judices Eccleſiaſticos. Ad petitionem enim Caroli VII. Franciæ Regis reſcripſit Pontifex Martinus V. agitari poſſe cauſas poſſeſſorias Beneficiorum, & judicari apud Regias Curias, ſolo reſervato petitorii judicio Eccleſiaſticæ cognitioni. Refertur hoc Pontificium diploma à Guidone Papæ quæſt. 1. & à Joanne Feralto de jurib. & privilegiis Franciæ Regum, privilegio 11. Dicit tamen ibi Guido Papæ hanc Regiarum Curiarum cognitionem circa Beneficiorum poſſeſſionem limitari ad interdicta retinendæ aut recuperandæ, nullatenus verò circa interdicta acquirendæ poſſeſſionis. *De poſſeſſorio autem* (inquit) *adipiſcendæ in beneficialibus non conſuevit Curia cognoſcere, quia plus habet petitorii.* Iſtudque adeò verum eſt, ut Gallicani Juriſconſulti, Guidonis Papæ Scholiaſtes Ferrerius ad quæſt. 1. & 71. Antonius Deſpeiſſeus tom. 3. tract. de Benef. Eccleſ. tit. ult. doceant nullatenus aſtringi Judicem Eccleſiaſticum eidem Parti petitorium decernere, cui Regius Judex poſſeſſorium antea adjudicaverit; ſed poſſe illum de poſſeſſione deturbare adjudicando petitorium Parti oppoſitæ: neque præterea licere ab hujuſmodi Eccleſiaſtico judicio tanquam ab abuſu provocare, quanvis ex iiſdem titulis & ſcripturis cauſæ poſſeſſionis & petitionis fuerint judicatæ. Poſſeſſorium enim ſummariè ac per proviſionem judicatur, juxta edicta Caroli VII. anni 1453. art. 83. & Caroli VIII. anni 1493. art. 58. At verò petitorium pleniori cognitione & indagine dijudicatur. Idemque Deſpeiſſeus profert Senatuſconſultum Curiæ Toloſanæ, quo appellatio quaſi ab abuſu rejecta in ſimili cauſa fuit. Præterea ubi ſemel adjudicatum fuit per Eccleſiæ ſententiam petitorium, nullus ſupereſt pro poſſeſſorio recurſus ad Judicem Regium. Ratio eſt, quia petitorium trahit ad ſe poſſeſſorium. Hoc docet Joannes Galli Regius in Senatu Pariſienſi Advocatus quæſt. 131. idque Senatuſconſulto confirmat in cauſa Rectoris Prioratus Caldifontis. Idemque quæſt. 145. ſic ait: *Curia non vult cognoſcere de jure ſpirituali, vel de collatione beneficiali ad Epiſcopum pertinente.*

IV. Etiamſi Curiæ Regiæ in Gallia judicium poſſeſſorium in cauſis Eccleſiaſticis ſibi aſſerant, judicium tamen petitorium non aliis quàm Eccleſiæ Prælatis competit: collatio verò Benficiorum adeò horum propria eſt, ut citra ſacrilegium non poſſit ab alio quoquam uſurpari. Reges Chriſtianiſſimi iſtud Prælatorum Sanctæ Eccleſiæ jus inviolabile eſſe caverunt. Sanctus Ludovicus in ſua Pragmatica Sanctione: *Statuimus* (ait) *& ordinamus ut Prælati Regni noſtri, patronique Beneficiorum collatores jus ſuum plenarium habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur.* Carolus etiam VI. in diplomate anni 1419. *Volumus & ordinamus Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas ad ſuas antiquas franchiſias & libertates reducendo, quod Eccleſiis non electivis per præſentationes, collationes & inſtitutiones Ordinariorum, quibus de*

jure

jure communi seu consuetudine pertinet, secundùm antiqua jura communia, Conciliaque generalia de personis idoneis providebitur. Carolus verò IX. Edicto anni 1571. art. 11. edicit: *Non poterunt Ballivi, Senescalli, eorum Locumtenentes, aliique Judices, neque nostri Parlamenti Curiæ cogere Prælatos & Collatores Beneficiorum, ut conferant Partibus Beneficia: sed Partes prætendentes remittent ad illorum Prælatorum Superiores, ut ad illorum Prælatorum recusationem ipsis Partibus provideatur à Superioribus Prælatis secundùm jus.* Hoc idem statuit Henricus III. Blesensi Edicto, art. 64. & Melodunensi art. 16. & Ludovicus XIII. Constitutione anni 1629. art. 22. Cùm verò Rothomagensis Senatus hæc infregisset Edicta, & citare ausus fuisset Sagiensem Episcopum ad dicendam causam cur recusaret ad Beneficium quoddam admittere Jacobum Heccium Sacerdotem, Rex ad querelam Episcopi hanc citationem cassavit in suo sanctiore Consilio, prohibuitque Senatui cognitionem deinceps talium ab Ordinariis recusationum, & Jacobum remisit ad Metropolitanum, aliosve Superiores, juxta sanctorum Canonum præscripta, qui cognoscerent de jure quod ipse ad eam Præbendam prætendebat, & de causis recusationis Episcopi, an. 1630. Julii 31.

CAPUT VIII.

Alii proponuntur casus, in quibus Judices seculares de Clericis & causis Ecclesiasticis cognoscere solent in Regno Galliæ.

I. CLERICI, quibus competit jus declinatorium ad Ecclesiasticum Judicem, soli illi censentur in Gallia qui sunt Ordine sacro, saltem Subdiaconatus initiati, necnon quilibet alii Tonsurati, dummodo habitum & tonsuram gestent clericalem, simulque scholastici sint, aut beneficiati, aut alicujus Ecclesiæ obsequio mancipati, ut præscribitur Caroli IX. edicto Molinensi, art. 4. & 8. In Gallia quoque per matrimonium amittitur privilegium clericale, & Beneficium antè possessum ipso facto vacat, ex veteri Philippi III. Constitutione. Quanvis autem cap. 1. & cap. *Quod à te*, & cap. *Joannes*, de cler. conjug. dicant Clericos conjugatos esse Beneficiis privandos, hoc intelligendum est de possessione Beneficiorum non abdicata, cùm jam vacaverint ipso jure ex hora iniți matrimonii.

II. Consuetudo tamen Gallicana Clericos quanvis fori privilegium habentes, non eximit in multis casibus à laïcorum jurisdictione. In causis quidem

quidem personalibus illos eximit, sed non in realibus. In criminibus quoque privilegiatis non eximit eosdem, sed eximit in aliis delictis. Hæ consuetudines probandæ sunt veterum Jurisconsultorum Regni testimoniis, ut ostendatur earum antiquitas. In primis Aufrerius Tolosani Senatus Præses in addition. ad repetit. Clement. 1. de offic. judic. ordin. *Clerici* (inquit) *non possunt de crimine coram seculari Judice conveniri, nec valet consuetudo contraria: propter quod Rex & officiarii ejus debent habere facultatem judicandi & puniendi Clericos in certis casibus, quos privilegiatos appellant. De hac Rex & Officiarii ejus sunt in possessione & saisina à tanto tempore, cujus initii memoria non existit, quod tempus immemoriale idem operatur ac privilegium.* Hæc Aufrerius. Præterea Guillelmus Benedicti olim Consiliarius in Senatu Burdegalensi, in repetit. ad cap. *Raynutius*, verbo *Et uxorem nomine Adela*, num. 432. eadem dicit, & simul exponit quæ sint privilegiata crimina. *In hoc Regno* (inquit) *Judices Regii in tribus casibus contra Clericos procedunt, & de excessibus eorum cognoscunt, ac etiam corrigunt. Primùm ubi crimen à Clerico commissum qualitatem habet attentati in odium litis pendentis civiliter coram Iudice seculari, ubi cognitio civilis ad eum pertinet, ut in possessoriis omnibus. Pariter si contra clericos in testes productos dentur objectus de crimine, poterit Iudex cognoscere; & si probentur, eos à testimonio repellere. Similiter eos punire, si falsum testimonium deposuerint, aut aliàs ejus authoritatem vel aures offenderint, pœnâ quidem pecuniariâ, non corporali. Secundò de omni crimine privilegiato, ut sunt læsæ Majestatis, falsæ monetæ, infractio Salvegardiæ Regiæ, vel assecuramenti brisati, vel si Clerici manum regiam appositam violaverint. Inter quæ crimina est portus armorum: quod intelligendum est de portu in turma, si in forma belli arma moveantur, & ex delicto ex eo sequuto: aliter si esset privatus insultus. Tertiò ubi clericus officium seculare gerens delinquit in officio, puniri potest per captionem temporalitatis, ac venditionem bonorum mobilium, & suspendi aut privari officio.* Hæc Benedicti. Tertium porrò istud caput refert Franciscus I. in Edicto suo de monetis anni 1540. ad Papæ Indultum. *Secundum Pontificis* (inquit) *Indultum, nostrasque Ordinationes, si aliqui deprehendantur delinquentes in suis officiis, privandi sunt privilegio clericali, neque in casu delicti admittentur allegationes eorum Clericatus.*

III. Ille idem Tolosanus Præses Aufrerius loco citato consuetudinem in Franciæ Regno pridem receptam, quâ Clerici in civilibus causis conveniri solebant coram Judicibus secularibus, reprobat his verbis: *Clerici in causa civili etiam volentes de jure non possunt coram seculari Iudice conveniri, contrariâ consuetudine non obstante.* Approbat in hoc juris communis dispositionem, quæ habetur passim in Decreto, & in toto tit. de foro compet. Cæterùm in Gallia jam inde à multis seculis invaluit usus, ut distinguantur causæ reales à personalibus, adeò ut in personalibus quidem gaudeant Clerici privilegio fori Ecclesiastici, non verò in realibus. Sic verò decernit Philippi Pulchri Constitutio anni 1303. *Personæ Clericorum*

non

non compellantur in foro seculari super actionibus merè personalibus litigare. Reales causæ in quibus consuetudo Gallicana Clericos subjicit secularium Judicum cognitioni, reducuntur ad civiles merè pecuniarias ac profanas, neque extendi debent ad sacras & Ecclesiasticas, quæ exceptis merè possessoriis pertinent ad forum Ecclesiæ. Guillelmus Benedicti Consiliarius in Parlamento Burdigalensi, loco cit. num. 410. sic loquitur: *In Actionibus merè personalibus, civilibus & pecuniariis, ut de illis Officiarii Regis cognoscant in Clericos, non valet consuetudo, nec Judici seculari dare potest jurisdictionem etiam de consensu litigantium, nec aliquid operatur permissio Episcopi. Imò Episcopus debet prohibere Clericis coram secularibus litigare in actione personali.*

IV. Joannes Faber olim Regni Franciæ meritissimus Cancellarius, in suis Commentariis Institutionum, tit. de actionib. §. *Item Serviana*, distinguit causas Clericorum personales, quas solis attribuit Judicibus Ecclesiæ, à causis realibus & hypothecariis, quæ realibus accensentur; & istas ad seculare judicium asserit pertinere. Massuerius item Gallicanus Scriptor in sua Praxi Forensi, tit. de Judicibus & eorum jurisdictione, sic scribit: *Item sciendum, quod Clericus solutus in causa assecurationis non tenetur respondere coram Judice laïco, nec etiam in actione personali, sed est dimittendus coram Iudice Ecclesiastico. Secus in actione reali, vel si agatur ad agnitionem scedulæ manu sua scriptæ, vel signatæ; quia in his non potest declinare forum Iudicis temporalis. Et idem in causa excessus vel delicti, quando casus est privilegiatus, ut in salvagardia fracta, vel in assecuramento brisato. Et tunc concludendum est, quod delinquens tenetur solvere emendam per captionem & detentionem suæ temperalitatis.*

V. Prædictis adjungi potest multò major authoritas Gallicani Concilii Epaunensis, cui præsedit vir planè Apostolicus Sanctus Avitus Archiepiscopus Viennensis anno quingentesimo decimoseptimo, cujus canon 11. ita statuit: *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire vel interpellare publicum non præsumant; sed si pulsati* (id est in jus vocati) *fuerint, sequi ad seculare judicium non morentur.*

VI. Charondas in Codicem Henriceum lib. 1. tit. 15. art. 14. jus & praxim Gallicanam sic accuratè describit circa Clericorum criminales causas. Quoties vir Ecclesiasticus delictum privilegiatum commisit, ejus quidem personale privilegium subjicit eundem Judici Ecclesiastico, sed delicti privilegium eundem subjicit cognitioni Regii Judicis, ut pœnâ plectatur corporali, qualem decernunt leges civiles, quibus Ecclesia non utitur. Attamen quod ad formam attinet formandi processus & judicii, valde disputatum fuit. Olim namque Regius Judex reum Clericum carcere detinens procedebat & judicabat circa delictum privilegiatum, priusquam reum ad Ecclesiasticum Judicem remitteret judicandum de ejus communi delicto, prout sanxerat Edictum Molinense anni 1556. art. 39. Sed ea Constitutio

abolita fuit. Ex oppoſito igitur Judex Eccleſiaſticus detinens in carceribus Officialitatis clericum, deque ejus delicto communi cognoſcens, nullatenus curabat Regium Judicem aut Procuratorem de ejuſdem Clerici privilegiato delicto admonere. Igitur ut ambobus incommodis provideretur, & utriuſque Judicis propria ſervaretur juriſdictio, conſtitutum eſt Melodunenſi Edicto anni 1580. ſub Henrico III. art. 22. ut fiat inſtructio litis criminalis adversùs reum Clericum ſimul & conjunctim per Judicem Eccleſiaſticum & Judicem Regium aut Commiſſarium, qui eo fine accedet ad Epiſcopale Auditorium: ſed tamen ſinguli ſeorſim ſententiam ferent circa ſuæ juriſdictionis delictum; ipſique reo licebit ab his ſententiis reſpectivè appellare: ad Superiorem quidem Eccleſiaſticum circa commune delictum: ad ſuperius verò Seculare Tribunal circa privilegiatum. Ita ex Melodunenſi Edicto Charondas. Eadem tradit Papo lib. 1. Placitorum, tit. 5. num. 54. Chopinus lib. 2. de ſacra Politia, cap. 4. num. 22. Paſtor de juriſdict. Eccleſ. tit. 14. num. 13 & 14. aliique communiter Gallicani Juriſconſulti.

VII. Fori declinatio peti poteſt à Clerico in quemcumque ſtatum deducta ſit lis, ſive initio, ſive in progreſſu, ſive ſub finem, cap. *Si diligenti*, & cap. *Significaſti*, de foro compet. & cap. *Si contingit*, de ſent. excommun. & l. *Religionis*, C. Theodoſ. de Epiſcoporum judic. Imò etiam poſt ſententiam, teſte Chaſſaneo Præſide in Senatu Aquiſextienſi, ad conſuetud. Burgundiæ, tit. *Des juſtices*, rubr. 1. §. 5. ad verbum, *Et s'il n'a grace*, num. 45. *Hæc* (inquit) *exceptio fori declinatoria in Clericis etiam poſt ſententiam poteſt proponi, ex quo reddit judicium retro nullum.* Addit alterius Gallicani Senatus Præſes Aufrerius loco cit. num. 33. *Clericus non declinans forum laïci venit puniendus; ſi cogatur, debet proteſtari.* Neque poteſt ullus Clericus exceptioni declinatoriæ fori renunciare, eaque renunciatione nihil obſtante poterit adhùc admitti ad declinandum, d. cap. *Si diligenti*, de foro compet. Talis enim exceptio eſt in gratiam Ordinis Eccleſiaſtici: & privatorum pactis juri publico non derogatur, l. *Jus publicum*, D. de pactis. Atque exceptis cauſis ſuperiùs expreſſis, in quibus Clericus ſubjicitur Officialium juriſdictioni, poteſt Clericus à Judice Eccleſiaſtico per Procuratorem Officialitatis requiri, & vindicari de Judice Laïco. Quanvis enim lex *Si quis* 50. C. de Epiſc. & Cler. permittat Clerico renunciare privilegio fori, id revocatur per caput *Si diligenti*, de foro compet.

VIII. Labente Occidentali Imperio Valentinianus III. Novella 12. edixit Epiſcopos forum non habere, nec niſi de cauſis Religionis poſſe cognoſcere jure ordinario: de cæteris verò cauſis nullatenus judicare, niſi Partes in Epiſcopum mutuo conſenſu compromiſerint. Conſtitutionem iſtam Edictis præcedentibus Conſtantini Magni & Valentiniani II. necnon Gratiani & Theodoſii ſenioris cognomento Magni uſque adeò contrariam abrogavit Valentiniani illius III. ſucceſſor Majorianus, nec illam

illam in suo Codice Justinianus inserere dignatus est. Mirum tamen est, eam statim à nativitate sepultam, his ultimis temporibus, nullo Regum Edicto, sed Regiarum Curiarum generali consensione revixisse intra hoc Regnum. Nunc itaque toto Regno consuetudo invaluit, Ecclesiam Gallicanam, solis exceptis feudalibus quæ habet territoriis, nullum habere jurisdictionis territorium : ideoque invalidas & abusivas esse Judicum Ecclesiasticorum sententias extra locum Auditorii Ecclesiastici latas, exceptis cognitionibus & ordinationibus quæ de plano fiunt, ut contingit in visitationibus diœcesis. Eaque ex causa non permittitur Episcopis & Officialibus ullum etiam Clericum ex causa delicti condemnare exilio. Et abrogatur in Galliæ Regno cap. *Cum Episcopus*, de offic. Ordin. in 6. quo decernitur, posse Episcopum in quolibet non exempto diœcesis suæ loco sedere pro tribunali, & judicare, & judicata exequi.

IX. Ecclesia in Gallia potestatem non habet proprias sententias & judicia exequendi, nisi implorato Brachii secularis auxilio. Potest quidem pignori addicere & sequestrare, ut ipse non est ausus diffiteri Molineus in cap. *Olim*, de rescript. atque ita decernere, exempli causâ, ut certa pars fructuum Beneficii oppigneretur & sequestretur in manus inquilini, ad ea persolvenda vel exequenda, quibus per sententiam fuerit astrictus Beneficiatus, ut sunt reparationes, ornamenta & impensæ præscriptæ, aut pœnales mulctæ : sed tamen istiusmodi pignora distrahi non possunt, neque personæ etiam Clericorum in causis criminalibus capi vel incarcerari extra locum Auditorii Ecclesiastici, ex Episcopi vel Officialis decreto, nisi authoritate implorati apud Judicem laicum Brachii secularis.

X. Implorato per Judicem Ecclesiasticum Brachio seculari auxilii, sciendum est primò, teneri secularem Magistratum sine ulla causæ disquisitione præstare per suos apparitores, aut etiam ubi necesse erit, per militarem manum postulatum officium & opem præbere. Secundò si aliqua inter exequendum formetur oppositio, non posse de ea cognosci per Magistratum, sed ejus judicium esse ad Ecclesiasticum Judicem remittendum. Edictum enim Melodunense sub Henrico III. sic sancit art. 24. *Injungimus Judicibus nostris, ut præstent opem & robur ad exequendas Judicum Ecclesiasticorum sententias Brachium seculare implorantium. Atque eisdem prohibemus sumere de judiciis exequendis cognitionem, salvo tamen in partibus litigantibus jure providendi sibi per appellationem tanquam ab abusu, secundum nostras Constitutiones.* Hoc idem renovatur per Ludovicum XIII. anno 1612. art. 5. qui pariter vetat cognitionem oppositionum formandarum adversùs hujusmodi exequutiones Brachii secularis ; sed eas cum suis cunctis circumstantiis & dependentiis remitti jubet ad Judicem ipsum Ecclesiæ.

XI. Denique per appellationem tanquam ab abusu, devolvuntur in Gallia causæ Ecclesiasticæ ad secularium Judicum cognitionem. Tractationem istam requirito infra hujusce libri cap. 12.

CAPUT IX.

Si Judex tanquam suspectus recusetur: & aliqua materia recensentur ad Ecclesiæ Jurisdictionem spectantes.

I. CAUSA recusationis in foro seculari proponitur Judici à quo admittenda est, si sit justa: si verò frivola sit, rejicitur. Si causa prætenditur justa, de cujus tamen veritate non liqueat, sed testibus, vel scripturis probanda sit, Judex recusatus partes remittit ad eum Judicem qui vice ejus jurisdictionem exercet, ut de probationibus cognoscat; & si intra diem præstitutum causa recusationis non probetur, Judex recusatus prosequitur judiciariè in processu. Sed si probetur, Judex recusatus tenetur abstinere. At in foro Ecclesiæ, quando Prælatus est suspectus, ejus quoque Vicarius abstinere debet; sed non ex adverso. Ideo Judex, sive ordinarius, sive delegatus, qui recusatur, Partes admonere debet ut simul conveniant; aut si recusans non habet adversarium, debet Judex cum illo convenire de arbitris, qui de causa suspicionis inquirant. Et si ambo convenire nequeant, uterque unum eligat: & si arbitri ipsi convenire nequeant, tertium advocent. Ubi verò causa suspicionis intra terminum præfixum probata non sit, poterit Judex recusatus jurisdictionem suam exercere, & processum ejus causæ prosequi. Si verò causa recusationis probetur, idem Judex de Partium consensu alterum idoneum, nec suspectum delegabit, si sit ordinarius, aut ad Superiorem transmittet. Si verò sit delegatus Judex, cùm non possit subdelegare, transmittet partes ad delegantem. Hæc statuuntur in cap. *Secundò requiris*, §. *Tertiò postulas*, de appellation. & cap. *Cùm speciali*, eod. tit. & cap. *Suspicionis causa*, de offic. & potest. jud. deleg. & cap. *Si quis*, de foro compet.

II. Si Vicarius Generalis sit in aliqua causa suspectus, non eliguntur arbitri, ut in Episcopo, sed juxta stylum Signaturæ tribuitur ab Episcopo adjunctus, causaque ipsa suspicionis non coram arbitris, sed coram Episcopo agitari debet. Additiones in 1. decis. Rotæ de offic. Vicar. in novissl. Felinus in cap. *Cùm venissent*, num. 8. de judic. & Abbas in cap. *Super quæstionum*, §. *Quem verò*, de offic. delegat. Zerola 1. part. verb. *Vicarius*, in fin.

III. Non tantùm jure communi ubique recepto, sed etiam jure & usu

ùfu Gallicano cauſæ matrimoniales ob reſpectum Sacramenti quod magnum eſt in Chriſto & Eccleſia, ut atteſtatur Apoſtolus Epheſ. 5. pertinent ad Eccleſiæ cognitionem. Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. quo anathemati ſubjiciuntur qui oppoſitum ſentiunt. Henricus IV. in Edicto anni 1606. art. 12. *Volumus* (inquit) *ut cauſæ matrimonium concernentes pertineant ad juriſdictionem Eccleſiæ.* Papo tit. de juriſdictione Eccleſiæ, art. 4. Paſtor de juriſdictione Eccleſiaſtica, tit. 13. num. 6. & plures Gallicani Scriptores, quos allegat & ſequitur Tarradus diſp. 7. quæſt. 2. num. 47. Nec ſolùm de matrimonio dijudicat Eccleſia, ſed etiam de ſponſalibus & promiſſione futurarum nuptiarum, ut præambulis matrimonii. Quam in rem Paſtor ibid. num. 7. adducit duo Aquiſextienſis Supremæ Curiæ Senatuſconſulta ad Epiſcopum remittentia appellantes tanquam ab abuſu ab ejus ſententia, quâ juſſi fuerant uxores ducere illas quibus conſtabat promiſiſſe matrimonium cum eis contrahendum. Sanè de his quæ matrimoniis per accidens adveniunt, & merè civilia ſunt, quales ſunt cauſæ dotium, donationiſque propter nuptias & arrharum ſponſalitiarum, licèt Jus Canonicum hæc Eccleſiaſticis judiciis ſubjiciat tanquam matrimoniorum acceſſoria, cap. *De prudentia*, de donation. int. vir. & uxor. in hoc tamen Regno hæc judicantur in foro ſeculari. Chopinus lib. 2. de ſacra Polit. cap. 1. num. 4.

IV. Solus item Judex Eccleſiaſticus in hoc Regno cognoſcit de petitione congruæ portionis. Qua de re Mainardus multa profert judicia Supremarum Regni Curiarum, ac præſertim Toloſanæ. Tarradus d. diſput. 7. q. 2. n. 47. Louetus lit. *C*, n. 84.

V. Solus item cognoſcit de præcedentiis Clericorum, ſive ſecularium, ſive regularium diœceſis ſuæ. Quo jure Senatus Toloſanus anno 1636. Archidiaconum & Præcentorem Eccleſiæ Cathedralis Lodovienſis de præcedentia contendentes remiſit ad ipſorum Epiſcopum. Tarradus ibid. n. 54. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 13.

VI. Ad ſolum quoque Prælatum ſpectat judicium petitorium decimarum in hoc Regno. Matthæus in notis ad Guidonem Papæ, quæſt. 5. *Actio* (inquit) *decimarum, cùm ſit negotii ſpiritualis, in petitorio apud Judicem Eccleſiaſticum, cujus intereſt res Eccleſiæ ſalvas tueri; in poſſeſſorio verò apud Judicem laïcum expediri debet.* Idem tradit Louetus lit. *D*, tit. 29. & lit. *G*, tit. 7. allegans multa Senatuſconſulta remiſſiva in cauſis decimarum petitoriis ad Judices Eccleſiaſticos. Item Ægidius Bordinus art. 1. conſtitutionis anni 1539. & Papo tit. de juriſdict. Eccleſ. art. 1. Annæus Robertus lib. 3. rerum judicatarum, cap. 5. ſæpiùs ita in Pariſienſi Senatu judicatum referunt; & Tarradus diſput. 7. quæſt. 2. num. 7. & 8. Poſſeſſorium autem decimarum negant Tarradus num. 20. Guido Papæ d. quæſt. 1. Brodeus in Louetum lit. *D*, tit. 29. eſſe juriſdictionis Eccleſiaſticæ in Gallia, ubi viget Conſtitutio Martini Papæ V. diſtinguens ad ſingulas juriſdictio-

num possessorium à petitorio. Et est textus singularis in cap. *Causam*, qui fil. sint legit. ubi Alexander Papa III. indulget ut causa possessorii disceptetur coram Rege Angliæ, ejusque Officialibus in lite, cujus petitorium decernendum est ab Episcopis; agebatur enim de validitate matrimonii ac legitimitate natalium. De decimis tamen Pastor d. tit. 13. num. 10. allegans & sequens Antonium Fabrum C. de jurisd. omnium judic. & Constitutionem Philippi IV. anni 1302. ita distinguit: Aut quæstio est de jure, utrum debeantur decimæ, vel cui debeantur, vel in quanam quota debeantur; & de his esse experiundum coram Ecclesia: vel disceptatur de facto, an sint solutæ; & hoc pertinere ad Judicum laïcorum cognitionem.

VII. Edictum Blesense art. 13. jubet Rectores Confraternitatum, & Hospitalium de legatis relictis ob piam causam, & de fructibus & redditibus earundem Confraternitatum & Hospitalium coram Episcopis, eorumve Officialibus, & si agatur de re Hospitalis, adhibitis Consulibus loci; vel si Episcopus vel ejus Officialis absint, coram Parocho & Consulibus rationes reddere; sed neque Episcopo, nec ejus Officialibus, nec Parocho, neque Consulibus licere ullum eo nomine capere salarium. Ita judicatum refert Pastor n. 14. Senatus Aquisextiensis Placito anno 1624. Idemque ante Blesensem Constitutionem sancitum fuerat per l. *Nulli*, C. de Episc. & Cler.

*CAPUT X.

De provisionibus sub forma Dignum : *de Examine &* Visa *Ordinarii, & de Devolutis secundùm Gallicanam praxim.*

I. SÆPE contingit ut Romanus Pontifex alicui provideat de Beneficio vacante, vel vacaturo, per rescriptum quod vulgò dicitur *In forma dignum*, mandans Ordinario ut conferat Clerico ibi denominato, si sit idoneus. Et quia ibi apponitur ista clausula, *Dignum arbitramur & congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita suffragantur*; ideò hujusmodi rescriptum vocatur, *In forma dignum.* Etiamsi verò in Franciæ Regno Curiæ Regiæ id obtinuerint, ut causarum Ecclesiasticarum judicium ipsis ascribatur; hoc tamen exercere judicium ipsis non licet circa provisiones beneficiarias in Romana Curia expeditas in forma *Dignum.* Sic enim provisi vetantur Edicto Henrici III. in Comitiis Blesensibus edito, art. 12.

judicio

judicio possessorio experiri antequam se Ordinario stiterint, ejusque examen subiverint, ipsiusque *Visa*, quod vocant, obtinuerint, in quo expressa fiat mentio examinis præcedentis. Ubi autem Ordinarius, facto examine incapacem judicaverit postulantem, ideoque à petitione repulerit, non potest postulans aliò recurrere quàm ad superiorem Prælatum, cujus erit officium causas recusationis diligenter explorare. Ideoque præscribitur Ordinariis, ad quos rescripta Papæ diriguntur, ut causas sigillatim scriptis exprimant suæ recusationis. Atque in hoc toto discussionis processu Regiis Curiis districtè vetatur se ullatenus ingerere, sive compulsorio judicio, sive per appellationem admissam, sive per sequestrationem, sive per recredentiam, sive per petitorii adjudicationem, donec iste de recusatione, sive de incapacitate processus fuerit inter Ecclesiasticos Prælatos diremptus. Hæc omnia sanciuntur Edicti Blesensis art. 12. & insuper Melodunensi Constitutione anni 1580. art. 14. 15. & 16.

II. Devolutarii quilibet postquam impetrarunt provisionem super vacatione cujuscumque Beneficii Ecclesiastici, non aliter ad prosequendum ab eis prætensum devolutum admittuntur, nisi postquam idoneâ & sufficienti cautione satisfecerint, domicilium que elegerint, atque intra trimestre computandum à die sumptæ ab eis possessionis litem contestati fuerint, eamque ita disposuerint, ut ad summum intra biennium terminetur. Harum conditionum defectu Judicibus Regiis prohibetur prorsus in causa devolutarii se immiscere, ipsisque devolutariis inhibetur fructibus litigiosi Beneficii se ingerere antequam sententiam provisionalem aut definitivam in judicio contradictorio obtinuerint. Hæc singillatim edicuntur Comitiorum Blesensium anni 1579. art. 46. & iisdem ferè verbis Edicto Melodunensi anni 1580. art. 17.]

CAPUT XI.

De subrogatione collitigantium, & variis formis ad praxim Beneficiariam servandis.

I. IUs commune subrogandi collitigantes in re Beneficiaria solet quoque admitti in foro Gallicano. Si enim contingat alterum sive super possessorio, sive super petitorio Beneficii Ecclesiastici pendente lite ex vivis excedere, procurat superstes collitigans se in ejus locum subrogari, atque in jus illius succedere. Licèt enim Bonifacius Papa VIII. hujusmodi damnet subrogationes, cap. 2. ut lite pendente, in 6. perspicuum tamen est, hanc ejus antiquatam fuisse

fuisse Constitutionem, nec in ipsa Romana Cancellaria servari, in qua viget Regula de subrogandis collitigantibus. Qua eadem regula jubetur subrogatio ista contendentium de Beneficio, & extranei excluduntur, ne per accessum & adjectionem novæ personæ lites inter Clericos augeantur, & Beneficia Ecclesiastica diutiùs in incerto fluctuent. Hæc regula habet aliquid conforme cum l. *Ab Anastasio*, & l. *Per diversas*, C. Mandati, statuentibus ut litis unius consortes, exclusis extraneis ex unius litigantium cessione jus prætendentibus, invicem sufficiantur. Quam legem Louetus & Scholiastes in lit. *C*, num. 5. & 13. & in lit. *L*, num. 8. & Bengeus tit. quib. mod. conserv. benef. §. 3. num. 4. invaluisse tandem in Gallia multis probant Senatusconsultis.

II. Si plures de eodem Beneficio provisi inter se litigent, potest vel uterque, vel unus ex eis literas impetrare subrogationis, ut alteri collitiganti in casu cessus, vel decessus subrogetur. Effectus harum literarum hic est, ut qui illas impetravit, si intra mensem à die computandum, quo alter litigans cessit, vel decessit, petat in vim suarum literarum subrogari ei, præferendus sit aliis quibuscumque, tametsi cæteri contendentes fuerint in data anteriores. Rebuffus in praxi, p. 2. in regulam de subrogand. collitig. glos. 3. Qui idem tit. de subrogationib. num. 13. docet consuetudine receptum esse, ut hæc regula indifferenter prosit tam actori quàm defensori; etsi cap. 2. ut lite pendent. in 6. neget quemquam subrogandum in jus petitoris, sed solius defensoris.

III. In Gallia ad subrogationis effectum non solùm impetrandæ sunt literæ subrogatoriæ ab Apostolica Cancellaria, sed aliæ præterea literæ à Cancellaria Regia ad obtinendam possessionem, ad quam jus obtentum fuit per Apostolicas literas: sed jus in re plenius acquiri necesse est per Literas Regias; quoniam in Gallia causæ possessionum circa res Ecclesiasticas ventilantur in foro seculari. Rescriptum Papæ obtineri debet intra mensem: Literæ verò Regiæ ad possessionem subrogati Beneficii debent necessariò intra annum impetrari, quia in Gallia cognitio & judicium de possessorio spectat, ut dictum est, ad Regiam jurisdictionem; & insuper interdicta possessoria anni spatio perimuntur, l. 1. in princ. D. uti possidet. & l. *In honorariis*, D. de obligat. & action. Hæc docet Rebuffus in praxi, tit. de subrogat. num. 28. & Papo lib. 8. Placitorum, tit. 17. §. 3. 4. 5. ubi multis probat Senatusconsultis, nullum dari locum restitutioni adversùs temporis lapsum, si quis intra annum Literas Regias non impetraverit. Et Bengeus tit. quib. mod. conserv. benef. §. 2. n. 10. 11. 12.

IV. Per obtentam à collitigante subrogationem provisio Tertii irrita redditur ipso jure, sive provisus fuerit per cessum aut decessum alterius litigantis, sive fuerit à Patrono præsentatus, adeò ut nec possit convalescere adveniente subrogati morte, vel depositione, ut docet Gomesius ad hanc regul. de subrogand. collitig. quæst. 10. & 13. Hactenus supradicta exactè

exactè servata sunt in Gallia. Cæterùm nova Constitutio Ludovici XIV. anni 1667. tit. 15. art. 6. & 11. abrogavit in ejusmodi subrogationibus usum subrogatoriarum literarum, edixitque ut collitigans subrogetur ad suam simplicem petitionem, cum sola exhibitione attestationis de obitu collitigantis ex libro Ecclesiasticorum actuum transcriptæ.

V. Sanè si inter duos plureſve collitigantes novus exurgat adversarius, hic poterit admitti sub clausula ista, *Si neutri, si nulli jus sit quæsitum*; adeò ut his causâ cadentibus, tertius iste subrogetur. Sed si quid juris illi habent, tertius iste submovebitur: non enim suis rescriptis Summus Pontifex intendit quæsito alterius juri præjudicare, cap. *Quamvis*, de rescriptis in 6.

VI. Is quì in Beneficium triennali pacifico succedit, ad nihil amplius tenetur quàm ad probandam illam præcessoris sui triennem possessionem. Abbas in cap. *Cùm venerabilis*, de exception. n. 24. nec circa qualitates, conditiones aut incapacitates præcessoris compellitur disceptare, cùm neque ab illo jus suum habere censendus sit, neque ejus hac in re censeri possit hæres. Bengeus loco cit. n. 8.

VII. In civilibus quidem rebus ad usucapiendum continuantur simul tempora possessionis inter emptorem & venditorem, inter defunctum quoque & hæredem. Institut. de usucap. §. 12. & seq. Secus tamen accidit in pacifica Beneficii possessione; non enim computatur nisi intra solum illius tempus qui in præsenti possidet, ut omnis evitetur hæreditariæ in his rebus successionis suspicio, aut alienationis per mutuum contractum. Glossa Pragmat. Sanct. tit. de pacif. possess. in verb. *Possedit*, Probus addit. 4. ibid. Bengœus tit. quib. mod. conserv. benef. §. 4. num. 13. & 14. Solent à plerisque in Gallia levari literæ Regiæ, quibus mandatur ut ubi constiterit de pacifica possessione, Judices possidentem tueantur: eoque solo jure perspecto, neque discussis aliunde titulis, hoc solo temporis beneficio litem dirimant. Semper tamen excipiunt simoniæ aut intrusionis vitium, contra quod triennis possessio non præscribit.

VIII. Exactè observandæ sunt rerum beneficialium insinuationes, quas præscribit Henrici II. Edictum anno 1553. Fontisbellaquei editum, ut omnes collationes, præsentationes, & aliæ quæcumque provisiones Beneficiorum, Officiorum & Dignitatum Ecclesiasticarum profectæ sive ab Apostolica Sede, sive ab illius Legatis, sive ab Ordinariis, sive à Patronis, referantur in acta publica & tabularia Episcopatuum, in quibus diœcesibus sita sunt illa collata Beneficia, art. 1. Similiter ut insinuentur omnes sumptiones, seu additiones possessionum, art. 4. Item omnes creationes & extinctiones Ecclesiasticarum super Beneficiis pensionum, art. 5. Præterea omnia concordata, & eorum homologationes atque authorisationes, necnon eorumdem revocationes & renunciationes, art. 6. Insuper omnes Vicariatus, & omnes insequentes revocationes, art. 8. Præterea

omnes literæ Tonſuræ atque Ordinationum, art. 9. Ad hæc omnes literæ profeſſionis religioſæ, ſive ad diligentiam Superioris Regularis, ſive ipſius Religioſi profeſſi, art. 9. Item univerſa Mandata & Literæ Apoſtolicæ, temporum ſtudii certificationes, & nominationes ad Beneficia, art. 10. Atque in cauſis dijudicandis poſſeſſorii Beneficiorum, aliorumque quorum ſpectat cognitio ad Regios Officiales, prohibet Edictum ullam haberi præfatorum rationem, ſi non fuerint debitè inſinuata.

IX. Eodem Edicto tempora præfiguntur intra quæ fieri debeant inſinuationes. Literæ Signaturarum ad Beneficia, penſiones quæ in Romana Curia expediuntur, concordata quibus penſio extinguitur, & Mandata quæ fiunt ad reſignandum & conſentiendum ac providendum, debent intra ſemeſtre inſinuari cum ipſo mandato procuratorio, quod ſit ad inſinuandum, ex eodem Edicto art. 2. 7. 8. & 9. Literæ Legati & Ordinarii intra duos menſes ab ipſarum data: & ſi Actuarius ſit conſtitutus in eodem loco in quo Literæ conceſſæ ſunt, intra dies octo, art. 4. Acta verò miſſionis in poſſeſſionem intra menſem à die miſſionis elapſum inſinuanda ſunt, art. 6. Literæ Tonſuræ ac Ordinum ante Beneficii acceptationem aut immiſſionem in poſſeſſionem, art. 11. Literæ Vicariatus ad præſentandum aut conferendum, antequam Vicarius ſe muneri ingerat, art. 10. Alioqui defectu inſinuationis acta ſupradicta nullam in judicio fidem facient, ex eadem Conſtitutione, art. 17. non tamen irrita fiunt. Si verò juſtum intervenerit impedimentum, quale hac in re facilè præſumitur, niſi ſit ſuſpicio fraudis & colluſionis, datur in integrum reſtitutio, & poſt præfixum tempus, virtute literatum reſtitutionis licebit inſinuare, ex eadem Conſtitutione, art. 3. Notat Theveneus ad Ordinationes Regias, tit. 28. *de l'Eſtat Eccleſiaſtique*, art. 1. Edictum inſinuationis juſtè deſpectui haberi apud probos Judices, niſi præſumptio fraudis, vel falſi aliunde urgeret contra non inſinuantem. Eſt enim merè quæſtuoſum, & pecuniæ corrogandæ causâ editum: ideoque ſæpe poſt præſtituta in eo tempora permittitur adhuc inſinuatio.

X. Quid demùm in ambiguis judicandum vel decernendum ſit, addiſcimus ex Sancto Gregorio Papa dicente, in dubiis & ambiguis rebus abſolutum debere abeſſe judicium, lib. 2. epiſt. 44. & habetur in cap. *Habuiſſe*, diſt. 33. Quo loco Gloſſa præclarè diſtinguit tres ambiguitatum ſpecies, vel juris, vel facti, vel perſonæ cum certitudine facti: docetque in dubio juris procedendum eſſe à ſimilibus diſpoſitionibus juris ad ſimilia: eamque ſimilitudinem in eo ſpectandam eſſe, ut ſit par, vel affinis utrobique ratio. In dubio autem facti nunquam ferendam eſſe ſententiam in cujuſquam præjudicium; idque confirmat d. cap. *Habuiſſe*, diſt. 33. & cap. *Grave*, 11. quæſt. 3. Si verò in nullius præjudicium ſententia reduret, quin potiùs in alicujus bonum, tunc benè in dubio facti certa ferenda eſt ſententia, v. g. ut talis homo baptizetur, de cujus Baptiſmo dubitatur,

tatur, si aliunde veritas comperiri non potest: ut talis Ecclesia consecretur; ut talis de novo ordinetur, si de consecratione præcedenti vel ordinatione dubium sit. Item in dubio juris aut facti judicandum est pro possidente, 2. quæst. 5. §. 1. & 6. quæst. 5. cap. 1. & l. fin. C. de rei vendicat. & l. *Justa*, D. uti possid. Denique ubi [illegible]im est de persona, & certitudo de facto, tunc certa potest ferri sententia in eum, quicumque reus sit, sine designatione personæ in singulari, cap. *Quidam maligni*, 5. quæst. 1.

CAPUT XII.

De Appellationibus.

I. IURE communi, tam Cæsareo quàm Canonico, concedun-tur decem dies ad appellandum, qui sunt computandi à die notificatæ sententiæ, ex Justiniani 23. Novella citata 2. q. 6. can. *Anteriorum.* Deinde intra dies triginta tenetur appellans petere à Judice à quo appellat literas dimissorias, quæ vocantur apostoli, can. *Post appellationem*, 2. quæst. 6. Ad prosequendam appellationem indul-get Justinianus annum: aut ubi justa causa intercesserit, biennium, Au-thent. *Ei qui*, C. de temp. & repar. appellat. & citatur 2. q. 6. can. *Ei qui.* Potest tamen Judex à quo hunc terminum ex justa causa moderari, cap. *Personas*, de appellat. & cap. *Cum speciali*, §. *Excessus*, eodem: quibus etiam statuitur, eo elapso termino, Judicem à quo debere suam præceden-tem sententiam exequi. Ab actibus quoque extrajudicialibus, ut sunt electio, præsentatio, collatio Beneficii, & similes, appellandum pariter est intra decem dies à die notitiæ computandos, extra quos non datur re-cursus ad appellandum; sed tamen supersunt alia juris remedia. Exempli gratiâ, is qui prætendit alteri collatum Beneficium sibi deberi, potest ex-periri per interdicta recuperandæ aut retinendæ possessionis, aut per devo-lutionem ad superius Tribunal, si provisus sit incapax, cap. *Concertationi*, de appellat. in 6.

II. In Francico Regno aliter proceditur. Primùm enim abrogantur apostoli prædicti per Edictum Francisci I. anni 1539. artic. 117. Ille verò qui se gravatum prætendit, appellare debet intra dies quadraginta comput-andos à publicatione sententiæ. Quibus elapsis Judex ad alterius Partis postulationem jubet appellantem literas appellatorias exhibere, si quas habet, simulque apparitoris relationem, dictam *Exploit*, quâ constet de citatione ad superius judicium: ad quam edendam præfigitur à Judice tri-duum, aut longior pro locorum distantia terminus; quo demùm exacto,

si appellator non pareat, tum declaratur irrita appellatio, quod vocant Pragmatici *Appel peri & defert, ou desertion d'appel*; & locus datur exequutioni sententiæ.

III. Potest tamen adhuc appellans etiam post juridicam exequutionem in integrum per literas Principis restitui, ut appellare possit. Et hactenus quidem (dummodò sententiæ acquievisse illum non liqueret) poterat restitui usque ad annos triginta. Sed hoc effugium præclusit Ludovicus XIV. Constitutione anni 1667. tit. 27. artic. 17. statuens ut post decennium à significatione sententiæ, aut vicennium, quod solùm indulgetur Ecclesiis, piisque locis & Collegiis, tam inter absentes, quàm præsentes nemini liceat ullam sententiam infirmare. Ibidemque art. 12. jus attribuit ei cui sententia favet, ut post triennium ab ejus significatione possit adversarium interpellare ad acquiescendum sententiæ, vel ab ea appellandum: qua interpellatione facta, si intra sex insequentes menses non appellet, nullatenus posthac licebit ei illud judicium declinare aut infirmare. Ecclesiis tamen & Collegiis, Xenodochiis, Nosocomiis, aliisque piis locis pro triennio prædicto indulget sexennium. Denique condemnati ad dimittendam possessionem, si post dies quindecim significatæ sive in persona, sive in domicilio sententiæ non obediverint, incurrunt mulctam ducentarum librarum nullatenus moderabilem, partim erga Fiscum, & partim erga Partem: quin etiam poterunt corporis detentione compelli ad obtemparandum, & exsolvendas Partis impensas & damna. Ibidem artic. 1. & 3.

IV. Providè sanxit Concilium Trident. sess. 24. cap. 20. causas omnes Ecclesiastici fori intra biennium à die motæ litis terminari, alioqui liberum esse Partibus, aut earum alteri post id spatium Judices superiores adire, qui causam in illo in quo fuerit statu assumant, & quamprimùm terminari curent. Ibidem statuitur, ut expensis appellantis acta appellatoria transferantur ad appellationis Judicem: alioqui post edicta dilatoria sententia Judicis exequutioni mandabitur. In causa tamen criminis non est cogendus reus arma contra se parare, l. *Qui accusare*, C. de edendo. Itaque expensis actoris id fieri convenit, salvo jure repetendi. Sed in Gallia per Edictum Ludovici XIV. anni 1667. tit. 11. art. 14. & 19. post appellationem utraque Pars tenetur producere ad prosequendam appellationis instantiam; & Pars quæ fuerit diligentior jus habet compellendi adversariam Partem ut suas justificationes aut gravamina coram superiore Tribunali edat, ad quod devolvitur appellatio, & contra morosam Partem current dilationes.

V. Judex appellationis, si temerè appellatum sit, non potest sibi causam retinere ac sententiam prioris Judicis sua authoritate exequi: sed Partes remittat oportet ad prioris instantiæ Judicem, qui suam sententiam curabit exequi, cap. *Cum in Ecclesia*, & cap. *Ut debitus*, de appellat.

VI. Si

VI. Si ex pluribus in eadem causa succumbentibus unus eorum appellaverit & vicerit, hujus victoria reliquis etiam profutura est, cap. *Una sententia*, eod. tit.

VII. Sententia excommunicationis, suspensionis, aut interdicti lata sub futura conditione contumaciæ, si sit appellatum ante conditionis eventum omninò suspenditur, cap. *Præterea* 40. de appellat. Sed si talis sententia sit absoluta, non suspenditur per appellationem, sed tantùm devolvitur ejus cognitio ad Judicem superiorem, cap. *Cùm ad hæc*, eod. Itaque post ipsam appellationem potest Judex inferior ipsum denunciare excommunicatum, donec aliter judicatum fuerit, eumque proventibus Ecclesiæ vel Beneficii privare, *cap. Pastoralis* 53. §. *Verùm*, eod. Eo tamen casu potest appellans petere à Judice appellationis absolutionem censuræ ad cautelam, donec aliter ab eodem fuerit judicatum, cap. *Ad præsentiam* 16. eod. At si Judex à quo sententiam ferat censuræ post appellationem, ea censura nullatenus ligat, cap. *Dilectus*, eod.

VIII. Gradatim, nec ullatenus prætermisso Judice medio, appellandum est, nisi quis undecumque extra Galliam appellet ad Papam, cap. *Dilecti* 66. eod. Appellationum ordo legitimus est ab Archidiacono ad Episcopum, cap. *Romana Ecclesia*, de appellat. in 6. & ab Episcopo ad Metropolitanum, hinc ad Patriarcham aut Primatem, inde ad Papam. Cæterùm in Gallia ex jure Concordati Bononiensis non valet appellatio, omisso medio Tribunali. Id etiam vetat Jus Cæsareum, l. *Præcipimus*, Cod. de appellat. & in Authent. de appellat. & intra quod tempus, §. ult. collat. 4. Item quando ex partibus Gallicanis appellatio interjicitur ad Papam, committit Papa Judices in ipsis partibus, ne cogantur Franci extra regnum causas suas prosequi, ut statuitur Concordato Leonis X. & Francisci I. tit. de Causis.

IX. Quando Judex à quo non tenetur deferre appellationi, potest eâ non obstante ulteriùs procedere, & suum exequi judicium. Imò æqualiter puniendus erit, sive injustè non deferat, sive frivolè deferat appellationi. Si tamen Judice inferiore appellationi non deferente, appellans persistit, non remorabitur appellatio; & Judex ad quem cognoscet, benè an malè sit appellatum. Zerola p. 2. verbo *Appellatio*, num. 10. & 11.

X. Sententia evidenter injusta vel erronea, nulla est ipso jure, etiam citra appellationem, cap. 1. de sent. & re judic. & cap. *Inter cæteras*, eod. & Gratianus in addit. ad can. fin. 2. quæst. 6.

XI. Si sententia ex qua primùm appellatum fuit, duabus aliis sententiis, sive per delegatos à Papa Judices, sive per Ordinarios fuerit confirmata, non licebit ulteriùs appellare, cap. *Sua nobis*, de appellat. & tit. Cod. ne liceat in una eademque causa tertiò provocare. Expedit enim causarum judiciis modum præfigi, ne lites diutiùs protelentur. Concordatum verò Bononiense, tit. de frivolis appellat. non permittit appellari post duas

conformes sententias interloquutorias in causis Gallicanis, ut neque post tres definitivas conformes. Papa quoque quum Judices delegat, clausulam quandoque apponit istam, *Remota appellatione*; & tunc non licet ulteriùs provocare, toto passim tit. de appellat.

XII. Ab Officialis aut Vicarii Generalis sententia non provocatur ad Episcopum. Est enim horum atque Episcopi unum & idem tribunal; sed ad Metropolitanum, cap. *Romana Ecclesia*, de appellat. in 6. Ita ut ipse Vicarius Generalis, aut Officialis Archiepiscopi cognoscat de appellationibus quæ à sententiis suffraganeorum Episcoporum interjiciuntur. Et si lis agitetur inter suffraganeos Episcopos, Judex eorum competens est Archiepiscopus, argumento cap. *Sanè*, de foro comper. & Gloss. in cap. *Pastoralis*, verb. *Invitum*, de offic. Ordinar. Covarruvias pract. qq. cap. 9. num. 2. Item si lis emergat inter Episcopum & subditos ejus actores, sitque Episcopus reus, Judex proprius eorum erit Metropolitanus, can. *Si Clericus*, 11. quæst. 1. Si verò Episcopus sit actor, & subditus ejus reus, eligendi sunt arbitri; potestque Episcopus ad hos eligendos subditum suum cogere, cap. *Suspicionis causa*, de offic. jud. deleg. cap. *Si quis*, de foro compet. & cap. *Secundò requiris*, §. *Tertiò postulas*, & cap. *Cum speciali*, de appellat. Eoque casu ad Metropolitanum non appellatur à judicio arbitrorum, sed ad Papam. Zerola 1. part. praxis, verb. *Appellatio*, §. 16. allegans ad hoc sacræ Cardinalium Congregationis decisionem. Sed jure Gallicano non modò ubi Episcopus partes rei sustineret, judicium deberet esse, ut vidimus, penes Archiepiscopum, hoc argumento, quia actor sequi debet forum rei; sed etiam ubi Episcopus esset actor, quia jura Concordati vetant provocationem ad Papam, non interpellato Metropolitano, nisi in provocatione à sententia Delegati à Papa.

XIII. A collatione, electione, sententia, vel deliberatione Capituli, cui Episcopus ipse interfuit non tanquam Prælatus, sed ut Canonicus, potest ad ipsummet Episcopum appellari. At si ibidem interfuit tanquam Episcopus, non potest ad Episcopum, sed ad hujus superiorem provocari, cap. *Postulastis*, de concess. præbend. & cap. *A collatione*, de appellation. in 6. Quo loco dicit Glossa, si sit speciale Statutum, ut Episcopus Capitulo interfit tanquam unus Canonicorum, standum esse huic Statuto, nec Statuto derogari, etiamsi Episcopus inter Canonicos sedeat primo loco; id enim attribuitur venerationi & observantiæ quam sponte ei Canonici deferunt, modò ejus suffragium reliquis non præponderet. Sed si nihil hac de re Statutum exprimat, hoc ipso quod supra Decanum aut Archidiaconum, aliamve primam Capituli dignitatem sedet aut subsignat, dicendus est interesse ut Prælatus, sive ut Episcopus.

XIV. Regulariter appellatio duplicem vim habet: primò devolutivam causæ ad judicium Superioris: secundò suspensivam sententiæ anterioris Judicis, l. unica, D. nihil novari appellat. interpos. & cap. *Ad*

hæc,

hæc, & cap. *Proposuit*, de appellat. Verumtamen in reliquis causis non eximitur appellans ab ejusdem Judicis jurisdictione, nec potest ejus forum in aliis declinare, l. unica, D. apud eum à quo fuit appellatum aliam causam agere compellendum.

XV. In quibusdam tamen casibus appellatio sententiam non suspendit, adeò ut possit Judex appellatione nihil obstante suam exequi sententiam. Id contingit primò, si à sententia correctionis modum Canone vel Statuto præscriptum non excedentis appellatum sit, correctio non est differenda, ne detur occasio licentiùs delinquendi, cap. *Ad nostram*, de appellat. Idemque decernit Gallicanis Edictis Caroli IX. anni 1571. art. 5. & Blesensium sub Henrico III. Comitiorum art. 59. Idque jus valet tam in appellationibus ab abusu, quàm in appellationibus simplicibus. Atque ita, ut paulò antè admonui, sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ligat pendente appellatione. De absolutione tamen censuræ quæ appellanti solet indulgeri ad cautelam, agere instituam lib. 5. tit. de absolutione à censuris: quem si opus est, require.

XVI. Secundò non suspenditur per appellationem decretum Episcopi ad componendas in Processionibus, aut in Ecclesiasticis Comitiis controversias de præcedentia, tam secularis quàm regularis Cleri; mandantur enim exequutioni præsenti, non obstante appellatione. Concil. Trid. sess. 24. de Regularib. cap. 13.

XVII. Tertiò neque suspenditur Episcopi aut ejus Vicarii sententia, maximè verò in visitationibus circa reparationes Ecclesiæ, & provisiones de divinis officiis & sacris ministeriis, & morum in Clero disciplinam. Ita providit Concilium Trident. sess. 24. cap. 10. de reform. *Nec in his ubi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, exequutionem eorum quæ ab his* (Episcopis) *mandata, decreta aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.* Edictum quoque Melodunense art. 1. Henrici III. anni 1579. & Blesense quoque art. 62. declarant appellationes tanquam ab abusu in materia Ecclesiasticæ disciplinæ, & correctionis, nullum habere suspensivum effectum, sed solùm devolutivum. Hoc idem sanxerat Franciscus I. anno 1539. art. 1. & seq.

XVIII. Quartò in causa criminali, si à decreto vel processu appelletur, non debet per hoc retardari aut suspendi processus, ne inter moras probatio dispereat, & delictum impunitum maneat, l. *Eos*, §. *Super*, C. de appellat.

XIX. Quintò non admittitur appellatio ab Ecclesiastica sententia interloquutoria prætextu gravaminis, si istud tale sit, ut possit vel ante definitivam sententiam, vel per definitivam ipsam reparari. Sed poterit Judex Ecclesiasticus, sive sit ordinarius, sive delegatus, etiam post appellationem reparare suæ interloquutoriæ gravamen, atque ita effectum

appellatio

appellationis impedire, & sic in causæ principalis cognitionem usque ad judicium definitivum procedere, re adhuc integra, necdum ad superiorem Judicem devoluta, ne processus causæ principalis frivolis occasionibus incidentibus retardetur, cap. *Cùm cessante*, 60. de appellat. Potest verò Judex suæ interloquutoriæ gravamen reparare etiam post decem dies, re tamen integra. Glossa ibid. Prudenter etiam Concilium Tridentinum sess. 13. de reform. cap. 1. sic providet: *In causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, necnon criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitivam sententiam, ab interloquutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur; nec Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivolæ, deferre teneatur, sed eâ, ac quacunque inhibitione ab appellationis judice emanatâ, necnon omni stylo & consuetudine etiam immemorabili contrariâ non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per diffinitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit.*

XX. Jam hîc quæritur, quodnam dicatur gravamen irreparabile? Respondeo cum Zerola 1. p. verb. *Absolutio*, §. *Ad sextum*, talem esse omnem actum irretractabilem ac ferentem secum actualem & præsentaneam exequutionem. Hujusmodi censeri debet actualis & præsens excommunicatio, incarceratio, tortura. Etenim sequens definitiva potest quidem liberare ab excommunicatione & carcere, sed non potest efficere quominus homo ista mala actu sustinuerit. Ubi tamen causæ meritum & pondus ista requirerent decreta fieri, non esset admittenda ab istis appellatio, nisi conjunctam haberent secum nimiam Judicis inhumanitatem, qualis convinceretur si loci ipsius tanta esset incommoditas, ut detentum in vitæ discrimen esset adducturа; aut si studiosè litem quæ brevi dirimi possit, Judex prolongaret, ut miserum longa detentione vexaret. Jure civili carcer deputatur ad reorum custodiam, & non in pœnam, l. 2. & ult. C. de custod. reor. & l. *Aut damnum*, §. *Solent*, D. de pœnis: Jure autem Canonico etiam aliquando in pœnam, cap. *Quanvis*, de pœnis in 6.

XXI. Alii duo casus supersunt, in quibus appellationi non est deferendum, qui possunt in judiciis secularibus non infrequenter accidere, sed rariùs in judiciis Prælatorum Ecclesiæ, saltem in Galliæ Regno. Sunt verò isti.

XXII. Sextò non retardatur per appellationem exequutio sententiæ vel decreti de inventario conficiendo, aut de bonis sequestrandis, aut de administratione bonorum prodigo interdicta, aut de curatore dato, vel de famulorum aut mercenariorum salariis triennium non excedentibus, aut de alimentis, datâ cautione. Hæc edixit Ludovici XII. Constitutio anni 1499. art. 8.

XXIII. Septimò sententia recredentiæ in causa beneficiali exequutoria est, non obstante appellatione, modò satisfetur sufficienter ad futuram

ram de petitorio causam. Ejusdem Constitutionis anni 1499. art. 83. hosce duos articulos 8. & 83. innovavit Ludovici XIV. Constitutio anni 1667. tit. 17. art. 3. & 5. & 14.

CAPUT XIII.

De Appellationibus tanquam ab abusu.

I. HOc appellationum genus proprium est Regni Gallicani, solet-que interjici à sententiis Judicum Ecclesiasticorum ad Curias Regias, quando appellans prætexit Prælati sui sententiam esse latam contra Regia Edicta, contra sacrorum Canonum præscripta, contra jura & libertates Ecclesiæ Gallicanæ, aut excessisse limites propriæ jurisdictionis per usurpationem Regiæ jurisdictionis. His enim quatuor causis nituntur istæ appellationes, quarum defectu theorica Jurisprudentia Curiarum Regiarum profitetur tales appellationes fore illicitas & injuriosas: sed huic theoriæ quia praxis ipsa plerumque non conformabatur ob frequentes Clericorum vitilitigatorum, & adversus justas Prælatorum sententias nullâ suspicione horum quatuor defectuum laborantes insolescentium importunas & frequentiores querelas, ideo frequentibus Edictis Reges Christianissimi effusiorem istam sine justa causa appellandi licentiam conati sunt coërcere ac moderari.

II. Gallicana Jurisprudentia duplicem distinguit à Prælatorum Ecclesiæ judiciis appellandi speciem: unam quidem simplicem, quæ omnibus seculis post Ecclesiæ exordia invaluit, quæque in universis Christianis gentibus viget, quâ nimirum ab inferioris Prælati judicio ad superiorem Prælatum Ecclesiasticum provocatur: alteram verò tanquam ab abusu, quâ provocatur à judicio Ecclesiæ ad Tribunal seculare hoc solo nomine, & non aliter, quia abusiva est Prælati sententia uno aliquo ex præfatis abusibus quatuor.

III. Quæritur quonam tempore usus istarum ab abusu appellationum receptus in Regno isto fuerit? Respondeo hunc usum inchoasse sub finem regni Ludovici XI. aut ineunte regno Caroli VIII. successoris ejus. Id apertè constat, quia Massuerius qui regnante Ludovico XI. suam Curiarum Gallicanarum praxim edidit, non modò nullatenus hujusmodi appellationum meminit, sed etiam absolutè his verbis affirmat tit. de appellationibus, §. 22. *A Judice Ecclesiastico non est appellandum ad Judicem secularem, nec econtrà.* Antiquus etiam stylus Parlamenti Parisiensis, in quo multa de appellationibus congeruntur, nihil commemorat de his appella-

tionibus ab Eccleſiaſticis judiciis ad Judices ſeculares. Joannes quoque Galli Regius olim in eodem Senatu Pariſienſi Advocatus, qui exactè collegit ſuprema illius circa multiplices appellationes judicia, ad annum uſque milleſimum quadringenteſimum decimumquartum nullam habet de iſtis mentionem. Primus qui hujus meminerit appellationis Scriptor eſt Aufrerius Senatus Toloſani digniſſimus Præſes, qui floruit & ſcripſit ſub Ludovici XI. regno. Hic igitur in repetitione Clementinæ 1. de offic. Ordinar. regul. 2. n. 30. ſic atteſtatur: *Nunquam audivi, nec vidi niſi ſemel, quod ſuper meritis hujuſmodi cauſarum Eccleſiaſticarum appellationum fuerit pronunciatum; ſed dumtaxat vel appellationes annullari, aut quod appellantes non erant ut appellantes recipiendi: quia à Judice ſpirituali non eſt ad Judicem ſecularem appellandum.* Hæc ille. Principes quidem Chriſtiani, eorumque Officiales officium quidem protectionis, ſimulque religioſum obſequium ſanctæ Dei Eccleſiæ præſtare tenentur; non tamen imperium & authoritatem ſibi licet ſupra eam aſſumere. Sapienterque admonet Franciſcus Salgado tract. de regia protectione, in epilogo procemiali, & in 1. p. cap. 1. n. 205. & ſeqq. eum cui commendata eſt alicujus protectio, non propterea nanciſci juriſdictionem aut dominatum, ſed ſolùm defenſionis contra opprimentes officium.

IV. Quod expoſtulat S. Bernardus apud Eugenium Summum Pontificem, erigi ad cumulum inſolentiæ pervicaces contra proprios Præſules Clericos, & laxari nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, neque deinceps pios & ſanctos Epiſcopos audere ſuis Eccleſiis per ſententias canonicas providere, aut ſubditorum ſibi Clericorum ſcandala reprimere, eo quòd temerariæ ipſorum appellationes indiſcriminatim admitterentur & foverentur in Romana, ad quam provocabant, Curia; adeò ut inde victores, atque ideò arrogantiores & ſceleratiores regrederentur. *Prorumpunt* (inquit Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium Papam) *ad appellandum non tam gravati quàm gravare volentes.* Hoc, inquam, utinam ſolicitè conſiderent ſecularis fori Magiſtratus, nec appellationibus dictis *Ab abuſu*, deferant, niſi manifeſti comperiantur abuſus, quibus ſolis ut occurratur adinventum eſt in Regno genus iſtud appellationum. Atque ut Chriſtianos decet, meminerint ſe Regi Regum Jeſu Chriſto, per quem ut ſacra loquuntur oracula, Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt, reddituros rationem exactiſſimam omnium judiciorum, per quæ, ſeu ex nimia facilitate, ſeu alia ex cauſa contingit, ut injuriam Sponſæ Chriſti & Fidelium omnium Matri ſacroſanctæ Eccleſiæ irrogaverint; quibus diſciplina ſacra, quâ neceſſe eſt Fidelium, maximè verò Clericorum inordinatè viventium mores contineri, diſſolvatur. Poterunt ex uſu Regni aliquæ ab Eccleſiaſticis ſententiis provocationes admitti, ſed non aliter, niſi manifeſtam contineant injuſtitiam, oppreſſionem, vel abuſionem, ut Regum Edicta præſcribunt.

V. Non

V. Non possunt transiliri fines quos Christianissimi Reges circa hujusmodi appellationes sibi subditis Magistratibus præfixerunt, quin pariter violetur incommutabile, atque indispensabile Jus divinum. Non enim tam malè consulit Ecclesiæ suæ Deus, ut potestatem quam ei contulit circa res sacras ac spirituales, libidini laicorum submiserit quoquo modo voluerint protendam, vel dissipandam. Itaque Francisci I. Edictum anni 1539. art. 1. 2. 3. 4. jubet appellantem ab abusu malè fundatum, indispensabiliter condemnari ad multam ordinariam & extraordinariam. Constitutio etiam Caroli IX. anni 1571. art. 5. *Ne* (inquit) *disciplina Ecclesiastica per appellationes tanquam ab abusu impediatur aut remoretur, declaramus nolle nos istas appellationes admitti nisi in casibus contraventionum Edictorum: & statuimus eas in casibus correctionis & disciplinæ non habere suspensivum, sed tantummodò devolutivum effectum.* Eadem statuuntur ab Henrico III. Edicti Melodunensis anni 1579. art. 1. & Blesensis art. 59. Idem sanxerunt cap. *Ad nostram*, & cap. *Reprehensibilis*, de appellat. Itemque Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. & sess. 22. cap. 1. & sess. 24. cap. 10. de reform. Insuper Henrici IV. Constitutio anni 1606. art. 2. prohibet Supremis Curiis in causis appellationum tanquam ab abusu uti formulis litem inter Partes dirimentibus, *De mettre les Parties hors de Cour & de procez*. Sed jubet semper pronunciari benè, an malè appellatum fuerit, simulque irrogare multam temerariæ appellationis, quæ nunquam minor taxetur centum viginti libris argenti. Ibidemque renovat antè sæpe constituta de effectu devolutivo, nec tamen suspensivo appellationis factæ à correctione decreta, disciplinaque Ecclesiastica.

VI. Edixit pariter Ludovicus XIII. Constitutione anni 1625. mense Octobris, ne ausint Curiæ Supremæ citare ac intimare Episcopos, eorumque Vicarios, Officiales, aliosve Ecclesiasticos Judices ad respondendum de suis judiciis in casibus appellationum tanquam ab abusu, eosque ab istiusmodi assignationibus ac responsionibus prorsus eximit.

VII. Præterea Carolus IX. Edicto anni 1571. art. 11. & Henricus III. Edicto Blesensi, art. 64. prohibent districtè quibuscunque Judicibus & Curiis supremis compellere Prælatos aut alios quoscunque collatores, ut Partibus sive appellantibus, sive conquerentibus Beneficia Ecclesiastica conferant; sed Partes ipsas ad superiores Prælatos remittant, coram quibus liberum erit Partibus sibi, si eis videbitur, consulere per simplicem & canonicam appellationem ad superiorem Prælatum.

CAPUT XIV.

Quanam concessiones, vel acta morte Judicis aut Prælati, ejusve abdicatione exspirent, vel non exspirent.

I. QUOTIDIANÆ occurrunt causæ, in quibus ista versatur disputatio. In primis quæritur de illo qui Judex delegatus fuit, utrum potestas ejus expiret morte delegantis? Hac una distinctione quæstio ista dirimitur. Si delegatus in causa delegata processit usque ad primam litis contestationem, & sub hæc delegans Superior intereat vel deponatur, poterit delegatus inchoatum officium prosequi, cap. *Relatum*, de offic. jud. deleg. Sin minus, atque re adhuc integra intactaque, ejus omninò potestas desinit, quemadmodum finitur mandatum morte mandantis, l. *Mandatum*, C. mandati.

II. Innumeræ sunt concessionum species quæ nullatenus desinunt per obitum concedentis, aut ejus ab officio abdicationem, nisi ab ejus successore vel generatim, vel in aliquo particulari revocentur. In his comprehenduntur literæ dimissoriæ ad Tonsuram, vel ad Ordines; facultates audiendi Confessiones Sacramentales, aut etiam absolvendi à reservatis: item dispensandi vel commutandi vota vel juramenta; licentia non residendi studiorum causâ, aut celebrandi Missas in domo privata, aut in loco non benedicto, aliæque gratiosæ concessiones.

III. Secus verò judicandum in pœnalibus ac odiosis; odia quippe restringi, favores convenit ampliari, cap. *Odia*, de regul. jur. in 6. Hoc patet in censuris à Prælato impositis contra futuros delinquentes. Istæ enim nequaquam eos ligant qui post mortem aut abdicationem Prælati decretum infringunt. Illi tamen qui vivente & adhuc proviso Superiore illas suâ culpâ incurrerunt, non solvuntur per ejus subsequentem obitum, sed adhuc ligati permanent. Id verò quod diximus, restringendum est ad censuras promulgatas à Prælato tanquam ab homine, seu Judice. Quæ enim à Prælato impositæ fuerunt tanquam Legislatore, seu per modum Statuti, hæ in suo robore, illo etiam mortuo vel abdicato, perdurant, adeò ut Statuti post ejus obitum vel translationem transgressor perinde censuris ligetur, ac si author Statuti Prælatus adhuc in eadem Prælatura viveret, nisi ante transgressionis actum successor aut Superior hoc idem Statutum revocasset, saltem quoad pœnam transgressoribus comminatam;

aut

aut idem Statutum contraria consuetudine jam exoleviſſet, cap. fin. de offic. Legat.

IV. Quod dixi de odioſis ultra Judicis mortem non extendendis, patet in caſuum reſervatione, quæ ceſſat morte aut abdicatione reſervantis, nec reviviſcit niſi à ſucceſſore renovetur. Excipe hinc tamen reſervationem caſuum per ſynodalem deliberationem roboratam; tunc enim Statuti vim habet, ac proinde non exſpirat amoto Prælato. Zerola Prax. Epiſc. part. 1. verb. *Caſus reſervati*, num. 4.

V. Quia verò frequens exoritur quæſtio de literis dimiſſoriis, quod hæ non deſinant morte concedentis, utpote favorabiles & gratioſæ, & jam acceptatæ, docent Zerola part. 1. Praxis, verb. *Dimiſſoriæ*, §. *Ad nonum*: Navarra in cap. *Placuit*, num. 30. & 162. de pœnit. diſt. 6. Suarez lib. 8. de legibus, cap. 31. num. 19. Azorius p. 2. lib. 3. cap. 49. num. 5. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 28. num. 76. 77. 83. & 85. Bonacina de legib. diſp. 1. quæſt. 3. puncto 8. num. 27. Gratia namque perpetua eſt dum ſit acceptata, l. *Falſæ*, C. de diverſ. reſcr. & cap. *Decet*, de reg. jur. in 6. Decet conceſſum à Principe privilegium eſſe manſurum. Sanè poteſt ſucceſſor gratioſas præceſſoris ſui conceſſiones revocare, ac abolere, ſive generales, ſive particulares, can. *Sententiam*, 35. quæſt. 9. & cap. 2. & 3. de precariis.

VI. Quod dictum eſt fundatur in regula generali, quam admittunt communiter Doctores, privilegium ritè obtentum, ſeu gratiam jam collatam non ceſſare morte vel amotione concedentis, niſi aliquâ particulâ reſtringatur. Id apertè fundatur per caput *Si cui* 36. de præbend. in 6. ex quo Gloſſa ibid. ita infert: *Nota quod gratia facta non exſpirat per mortem concedentis, etiamſi nondum ejus effectus ſit adimpletus*. Et in cap. *Si ſuper gratia*, de offic. jud. deleg. in 6. ubi dicit Papa gratiam à Papa conceſſam poſſe poſt concedentis mortem etiam re integra exequutioni demandari. Ita Navarra cap. 27. num. 153. & conſil. 1. de privileg. num. 1. Suarez lib. 8. de legibus, cap. 31. Sanchez lib. 8. de matrim. diſput. 28. num. 64. Laiman lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 18. Filliucius tract. 10. cap. 10. quæſt. 10. Bonacina de legib. diſput. 1. quæſt. 3. puncto 8. num. 19. & plures alii. Gratia verò cui annectitur particula limitans, finitur morte concedentis: ejuſmodi particulæ eſſe poſſunt, *Quandiu vixero*, aut *Uſque ad beneplacitum noſtrum*, aut *Quandiu voluero*, aut *dum nobis placuerit*, aut *Ad arbitrium noſtræ voluntatis*. Etenim conſenſus, voluntas, beneplacitum deſinit morte concedentis: ergo etiam privilegium, re integra, quod ab his dependet. Si autem dictum fuerit, *Donec revocavero*, non deſinit privilegium exempto è vivis concedente, niſi vivens revocaverit, ut præcitati Doctores ſcribunt. Inferendum hinc eſt, facultates illimitatè conceſſas extra contentioſam juriſdictionem, ut ſunt literæ dimiſſoriæ, diſpenſationes, facultates audiendi confeſſiones, aut abſolvendi à reſervatis, aliaſque his ſimiles conceſſiones non exſpirare obitu concedentis.

VII. At verò contrarium tenendum est de literis justitiæ, aut de contentiosa jurisdictione delegata. Illa enim jurisdictio cessat concedente mortuo, aut amoto ab officio, modò res adhuc integra sit, hoc est usus illius jurisdictionis inchoatus non fuerit ante mortem vel amotionem concedentis. Inchoatus autem censendus est jurisdictionis contentiosæ usus, si à Iudice delegato pars fuerit citata juridicè, cap. *Relatum*, cap. *Gratum*, cap. *Licet undique*, de offic. jud. deleg. Deinceps enim delegatus Judex poterit semel inchoatam per citationem, aut litis contestationem causam mortuo delegante prosequi usque ad sententiam definitivam.

VIII. Idemque juris esse quidam dicunt in delegata potestate, non generali, sed particulari absolvendi certam aliquam personam à reservatis, aut dispensandi cum aliqua particulari persona; talis enim gratia differt à generali concessione, quia generalis concessio absolvendi aut dispensandi fit in gratiam Confessarii, ideoque statim atque concessa vel acceptata est, dicitur facta & completa: & ut talis potest in usum reduci, etiamsi ante omnem ejus usum Prælatus concedens subinde mortuus fuerit. At verò concessio quæ alicui tribuitur in gratiam tertiæ particularis personæ, non censetur esse in gratiam delegati, sed in gratiam illius propter quem specialiter fit delegatio: ideoque non dicitur gratia facta, vel completa, nisi postquam ejus usus fuerit inchoatus. Ideoque si ante usus istius inchoationem delegans excedat è vita, vel ab officio, talis concessio seu gratia non dicitur facta, sed solùm quodammodo initiata vel destinata, donec extra suas causas in actum cœperit reduci, putà per inchoatam confessionem: sic enim res jam non est integra, adeò ut si moriatur inter hanc inchoationem, & necdum datam absolutionem aut dispensationem Prælatus qui delegaverat, debeat nihilominus persona delegata inchoatam potestatem prosequi ad perfectam exequutionem. Ita post Caietanum Bonacina loco cit. num. 25. Quæ tamen doctrina quoad hanc ultimam partem non est adeò firma & certa, quin plerique graves Doctores, ut Suarez, Majolus, Filliucius & alii oppositum asserant, posse nimirum quemlibet delegatum Confessorem indifferenter uti potestate sibi delegata in gratiam tertiæ particularis personæ, re adhuc integra, post mortem delegantis; quemadmodum posset uti generali facultate sibi collata ad confessiones audiendas & absolvendas generaliter reservata, eaque uti incipere post mortem concedentis. Hanc sententiam ultimam longè antecedenti præferendam duco: tum quia præsumendum est, Ecclesiam esse in favorem fori conscientiæ propensiorem, adeò ut nullâ ratione habitâ subtilioris istius distinctionis inter concessionem generalem aut particularem, habentes unum & eundem ordinem ad forum internum, quæ nusquam legitur in toto corpore Canonum, velit Ecclesia hasce indifferenter concessiones in favorem & gratiam pœnitentium perdurare post obitum quoque concedentis, nisi revocentur. Omnes verò canones qui in oppositum proferuntur, de solo loquuntur

loquuntur externo foro, sive contentioso, sive gratioso, ut de literis beneficiorum provisoriis, aliisque literis publicam habentibus exequutionem. Præallegata enim cap. *Relatum*, cap. *Gratum*, & cap. *Licèt undique*, de offic. jud. deleg. apertè loquuntur de jurisdictionis contentiosæ delegatione.

IX. In aliis autem causis aut privilegiis quæ sunt quidem fori externi, sed non contentiosi, distinguendum est inter concessa privilegia odiosa aut favorabilia. Sacri enim Canones edicunt in privilegiis odiosis, qualia omnes fatentur illa esse quæ Ordinariorum potestatem diminuunt, aliorumque jus subtrahunt, ut in aliquos particulares totum transferatur; in his, inquam, statuunt ut exspirent morte concedentis re adhuc integrâ. Itaque Mandata Apostolica de providendo vacaturo Beneficio in favorem Tertii alicujus, cùm sint maximè odiosa ob tres causas: primò quia præripiunt Ordinariorum potestatem & libertatem conferendi: secundò quia innumeros idoneos excludunt qui poterant illud Beneficium jure adipisci: tertiò quia sic infringitur Constitutio Lateranensis sub Alexandro III. Concilii: *Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur antequam vacent*, cap. *Nulla*, de concess. præbend. his de causis optimè distinguit cap. *Si cui* 36. de præbend. in 6. in Beneficiis quorum collatio de jure reservatur supremæ Sedi, ut qui habet ab eadem Sede privilegium conferendi personis idoneis Beneficium ad Apostolicam Sedem jure devolutum, aut in eadem Sede, ejusve confiniis vacans, possit etiam re integra post decessum etiam Papæ concedentis, & re adhuc integra, illud Beneficium cui volet idoneo conferre. Secus tamen ibidem decernitur, si per illam Apostolicam concessionem fuerit certa designata persona cui conferatur: eo enim casu vult Papa gratiam illam morte concedentis statim extingui, si res adhuc integra sit, hoc est si nondum processum fuerat ad collationem ante obitum Papæ concedentis: quia nimirum prædesignatio certæ personæ cui conferatur, est odiosa, ut dictum est. Ideoque ibidem decernitur hanc, re integra, per mortem Summi Pontificis extingui potestatem. Ex adverso ubi nulla fuit particularis persona designata, cui conferatur, tum hoc idem caput *Si cui*, de præbend. in 6. tum etiam cap. *Si super gratia*, de offic. jud. deleg. in 6. luculenter statuunt, istud collationis privilegium & gratiam, utpote favorabilem, exequutioni esse demandandam, quanvis antequam id fiat, Papa re adhuc integrâ decesserit. *Ipsa* (inquit) *gratia, licèt nondum sit in ejus exequutione processum, morte non perimitur concedentis*. Atque ista tanquam vera & germana tenenda est inter favorabilia & odiosa privilegia Distinctio, secundùm quam literæ dimissoriæ, literæ absolutoriæ, literæ dispensatoriæ, literæ Beneficiorum actu vacantium provisoriæ, aliæque similes non modò in interiori, sed etiam in exteriori foro non contentioso exequendæ validæ perseverant, etiam postquam re integra is à quo concessæ fuerunt, decesserit. Distinctio verò illa vulgò recepta inter gratiam factam & non factam, & quæstiones illæ plenæ

plenæ anxietatis & incertitudinis, quibus circumstantiis discernendæ sint gratiæ factæ à non factis, nihil habent lucis aut soliditatis, suntque effugia & perplexa latibula illorum, quibus melior non occurrit ratio Canones in speciem oppositos distinguendi. Denique sicut gratiæ vel privilegia quæ aliorum jus commune transferunt in quarundam personarum particularem utilitatem, sunt odiosa atque stricti juris, cap. *Porrò*, & cap. *Cùm capella*, de privilegiis: sic ex opposito privilegia quæ nemini præjudicant, locum sibi vindicant inter favorabiles concessiones.

CAPUT XV.

Nova jura Gallicana circa judiciarios causarum processus.

I. QUÆ libro isto hactenus retuli de judiciariis processibus & causarum instructionibus, ad jus commune pertinent, atque etiam ad Francicos qui hactenus viguerunt usus. Cæterùm qui nunc temporis Dei gratiâ Regni hujus sceptra tenet Ludovicus XIV. studio laudabili adductus litium ambages extricandi & prolixitates resecandi, duas edidit in plures distinctas titulos & articulos Constitutiones. Primam quidem anni 1667. posteriorem anni 1670. Quarum prior providet circa civiles majori ex parte; at posterior circa criminales processus. Utriusque Constitutionis præcipua capita exponenda censui, ut Lectoribus ulterior in his practicis rebus cognitio suppeditetur.

II. Priore Constitutione edicuntur quæ hìc subjicio. Omnes in judicium citationes, Gallicè *Ajournemens*, erunt libellatæ in omni tam Ecclesiastica quàm Seculari Jurisdictione; hoc est, summatim comprehendent causam citationis, qualis ab actore in supplici libello exposita fuit, ejusque petitionem cum Judicis decreto, sub pœna nullitatis & infligendæ multæ, tit. 2. art. 1. Scilicet ut citatus ad responsionem præparatus adveniat, cap. *Si Primates*, 5. quæst. 2.

III. Tenetur apparitor duos secum testes sumere, qui citationi subscribent, art. 2. In citatione mentio fiet eorum quibus significatum fuerit, & transsumptum citationis datum. Si nemo in domicilio repertus sit, tenebitur apparitor transsumptum citationis ad januam domicilii affigere, & viciniorem admonere, quem faciet in charta citationis subsignare; aut saltem ejus mentionem scripto faciet, si vicinus non vult, aut nescit signare. Ubi autem vicinus nullus erit, recurret apparitor ad loci Judicem, aut antiquiorem Pragmaticum, qui citationis chartam lineâ calamo ductâ circumscri

cumscribet, Gallicè *Parafer*. Successit tamen ejusdem Ludovici XIV. Edictum *du contrerolle des exploits*, anni 1669. eximens apparitores ab illa obligatione testes assumendi.

IV. Extraneis verò qui in aliorum Principum ditionibus degunt, citatio fiet in domiciliis Procuratorum generalium ejus Parlamenti ad quod devolvi solent appellationes à sententiis Judicum eorum subalternorum, quorum decreto fit citatio. Et abolentur fieri pridem solitæ assignationes ad Regni fines, d. tit. 2. art. 3. 4. 5. Damnati in exilium, vel ad triremes ad aliquod præfixum tempus, necnon indigenæ seu originarii Regni assignabuntur intra ultimum quod in Regno habuerunt domicilium, art. 8. Absentes qui nullum habent, quod sciri possit, domicilium, assignandi sunt per præconem in præcipua platea mercatûs ejus loci, in quo sita est jurisdictio ad quam citantur rei, & chartam citatoriam lineâ circumscribet Judex ipse loci, art. 9.

V. Dilationes assignationum ad certum tempus limitatæ non comprehendunt diem significationis, seu citationis, neque diem comparitionis. Sed reliqui dies his duobus intermedii sic erunt continui, ut in his computentur simul Dominici, festivi, & feriales, tit. 3. art. 6. & 7.

VI. In omni materia deserti vadimonii, *de defaut*, prohibentur fieri citationes iteratæ, *réajournemens*, tit. 5. art. 2.

VII. Lis contestata censetur per primum judicii actum advenientem sive contradictoriè ac præsente utraque Parte, sive una earum absente ac deficiente, quanvis id primum judicium non fuerit significatum ac intimatum Parti absenti. Significatio quippe non pertinet ad contestationem, sed ad exequutionem, tit. 14. art. 13. Huc tendit ista Constitutio ad divertendas evasiones & ludificationes rei citati, nec comparentis. Jure autem communi, tum Pontificio, tum Cæsareo, non censetur lis contestata nisi per propositam petitionem, & sequutam in judicio responsionem alterius Partis, l. unica, C. de litis contest. & cap. unico, eod. Porrò litis contestatio impedit decursum præscriptionis, l. *Moræ litis*, Cod. de rei vindic.

VIII. Citatio circa Beneficii possessorium debet esse libellata, atque ita exprimere titulum provisionis, & genus vacationis super qua litigans provisus fuit, & titulos & capacitates ipsius. Atque ista omnia cum citationis dato scripto transsumpto sunt exhibenda Parti citatæ, & ejus in manibus relinquenda cum subscriptionibus actoris, apparitoris & duorum assumptorum testium, tit. 14. art. 2. Similiter debet reus in suis defensionibus titulum explicare suæ provisionis, & genus vacationis super qua provisus fuerit, art. 6.

IX. Post triduum à communicatione defensionum causa deferetur ad audientiam ad requisitionem illius ex Partium procuratoribus, qui erit diligentior; in qua audientia pronunciabitur aut de retinendo Beneficio,

maintenuë; aut de proviſoria poſſeſſione, *recreance*; aut de fructuum ſequeſtratione, art. 7.

X. Nulla fides habebitur ſignaturis, aliiſve expeditionibus Romanæ Curiæ, niſi ſint verificatæ à duobus trapezitis, *Banquiers*, ac expeditionariis certificantibus ſuper ipſo originali, art. 8.

XI. Sententiæ proviſionariæ poſſeſſionis, ſeu recredentiæ, mandabuntur exequutioni ad cautionem juratoriam, nihil obſtantibus quibuſcumque oppoſitionibus & appellationibus; citra tamen harum præjudicium. Nec procedetur ad judicium petitorii aut manutentionis, niſi poſt recredentiæ aut ſequeſtrationis plenam exequutionem, art. 9. & 10.

XII. Si pendente proceſſu poſſeſſor actualis Beneficii è vivis excedat, adjudicabuntur fructus alteri Parti ad ſimplicem ejus petitionem, exhibentis in Audientia tranſſumptum regiſtri mortuarii, art. 11.

XIII. Is qui proviſionem accepit titulo devoluti, non audietur in judicio donec ſufficientem de ſumma quingentarum librarum cautionem dederit intra tempus à Judice præſtitutum: ſin minùs, excidet devolutarius à jure ſuo, nec admittetur ad purgandam moram, art. 13.

XIV. Miſnor annis 25. de Beneficio proviſus, capax eſt ad agendum in judicio ſine authoritate, vel aſſiſtentia tutoris aut curatoris in cauſa Beneficiaria, art. 14. Mirum alicui videri poſſit, eſſe jus idem ſtatutum de illis qui ob minorem ætatem à tutoribus, ac de illis qui à curatoribus reguntur. Sed tamen remedium facile occurrit, ut liceat eis ob ætatis infirmitatem in integrum reſtitui: quo remedio ſi uti non libeat, acta per eos valebunt. Jus commune aliter de conſtitutis in pupillari ætate diſpoſuit, *l. Contra juris*, D. de pactis, l. *Pupillus*, D. de acquir. rer. dom. & Inſtit. de authorit. tut. in princ. ut ſine interventu tutoris poſſint quidem acquirere, ſuamque meliorem facere conditionem; ſed nullatenus deteriorem, aut ſe ullatenus obligare, vel de ſuis alienare.

XV. Si ante poſſeſſorii judicium Pars reſignet jus ſuum, ſive ſimpliciter, ſive in favorem, poterit nihilominus continuari proceſſus contra reſignantem, donec reſignatarius comparuerit, aut ſucceſſor ejus, art. 15.

XVI. Poterit fieri ſubrogatio per Judicem, & prohibetur expeditio literarum ſubrogationis de Cancellaria, art. 16.

XVII. Ad ſententiam recredentiæ vel ſequeſtrationis requiruntur ad minimum quinque Judices, qui debent in ipſa ſententia, quæ ſcripto Partibus expedietur, eſſe ſubſcripti. Si interveniat condemnatio reſtitutionis fructuum & expenſarum & damnorum, atque ejus quod intereſt, exequutioni mandabitur contra ipſum reſignatarium, etiam pro fructibus & expenſis quæ reſignationem præceſſerunt. Sed tamen in eis quæ præceſſerunt, reſignator juridicè interpellatus compelletur præſtare indemnem, *relever & garentir*, reſignatarium, art. 18.

XVIII. Petitorium Beneficiorum quæ vacaverint in regalia, ventilabitur

labitur in sola Magna Camera Parlamenti Parisiensis, & non alibi usquam, art. 19. Idem statuerat Ludovicus XI. Edicto anni 1464.

XIX. Possessorii circa Beneficia cognitio solis competit Judicibus Regiis, tit. 15. art. 4.

XX. In Officialitatibus causæ personales quæ summam non excedunt ducentarum librarum, censendæ sunt summariæ, atque ita summariè sunt cognoscendæ & judicandæ. Causæ porrò summariæ agitari possunt sine concursu ac interventu Advocatorum & Procuratorum, idque in Audientiis ad hoc particularibus, in quibus testes audientur summariè, præsentibus etiam & audientibus Partibus quæ comparere voluerint, tit. 17. artic. 1. 6. 7. & 8. Quæ verò intra unam audientiam plenè cognosci vel judicari non potuerint, relictis ad mensam, *sur le bureau*, titulis & probationibus Partium, sine inventariorum productionibus, & sine utrimque scripturis, remittentur ad aliam audientiam terminandæ. Neque Judices ulla salaria aut vacationes sibi attribuent de summariè cognitis aut cognoscendis causis, sub pœna in quadruplum restituendi, art. 10.

XXI. Petitiones quoque relaxationis aut provisionis personarum carcere detentarum, aut relaxationis pignorum, mobilium, aut sequestrationum, redintegrandæ quoque, atque pro alimentis provisiones, mercedes & salaria operariorum, Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum, Procuratorum, Apparitorum, aliorumque Officiariorum, aliave jura quæcunque celerem provisionem requirunt, quanvis horum aliqua ducentas libras excederent, dum non excedant valorem mille librarum, summariè dijudicanda sunt, art. 3. & 5. Denique in omni summaria materia non excedente mille libras sententiæ provisionis exequutioni mandabuntur, non obstante appellatione, & sine hujus tamen præjudicio, debitamque præstando cautionem, art. 14. Eadem quoad appellationem in hujusmodi causis non admittendam edixerat Ludovicus XII. Constitutione anni 1499. art. 8. & 83.

XXII. Abrogatur stylus quo requirebatur, ut sententiæ provisionales & definitivæ separatim ferrentur. Et Judicibus injungitur, ut si utraque instantia causæ provisionis, & causæ definitivæ in eo statu sint, ut uno judicio terminentur, Judex unam sententiam pro utriusque proferat, cum ista præcautione, ut si appelletur ab hoc judicio, Pars illa nihilominus quæ provisionem concernit exequutioni mandetur, non obstante appellatione, sed tamen data sufficienti satisdatione, tit. 17. art. 17.

XXIII. Quæcumque obligationes valorem centum librarum excedentes apud acta Notariorum redigentur, neque ulla admitteretur probatio per testes, nisi in necessariis quibusdam casibus, licèt in istis quoque minor esset quàm centum librarum valor, ut sunt deposita ob repentinum & improvisum casum, ut in incendio, tumultu; & deposita advenarum in manus hospitis, cauponis, institoris, tit. 20. artic. 2. 3. & 4. contra

l. *Proprietatis*, de probationib. & l. *Teſtium*, Cod. de teſtib. & l. 3. §. *Ejuſdem*, D. de teſtib. decernentes defectum ſcripturæ ad probationem poſſe per teſtes ſuppleri. Huic Ludovici Conſtitutioni parem ſanciverat Carolus IX. Edicti Molinenſis articulo 54.

XXIV. In materiis in quibus ſufficit Expertorum ſeu prudentum relatio, prohibetur Judicibus ad ipſa loca ſe transferre, niſi ſcripto requirantur, ſub pœna nullitatis & reſtitutionis vacationum, damnorum, expenſarum & intereſſe, tit. 21. art. 1.

XXV. Excluduntur teſtimonia conſanguineorum & affinium uſque ad quartum gradum incluſivè, tit. 22. articulo 11. Iidem pariter gradus à judiciis cauſarum excluduntur, præbentque juſtam recuſationis Judicum cauſam, titulo 24. articulo 1. Quinimò in criminalibus cauſis quintus quoque gradus excluditur, art. 2.

XXVI. Condemnatus per ſententiam ſibi juridicè ſignificatam poteſt poſt triennium ab illa ſententia ſignificata interpellari ad adverſaria Parte ad appellandum, vel acquieſcendum judicio. Sic enim fiet ut poſt ſex ab illa ſolenni interpellatione menſes, ſine ulla ſpe in integrum reſtitutionis excludatur prorſus ab appellatione. Nec inde excipiuntur Eccleſiæ, Collegia, pietatis loca, Xenodochia, Noſocomia, niſi in hoc uno, quod loco dicti triennii indulgeantur eis ſex anni, quibus reſtitui poſſint ad appellandum, tit. 27. art. 12.

XXVII. Si titularis poſſeſſor Beneficii judicio condemnatu, moriatur intra dictum ſuperiore articulo ſexennium, indulgetur ejus ſucceſſori annus integer pacificus; quo exacto, decurret tempus omne quod ſupererat non adimpleti à prædeceſſore ſexennii, eoque finito, poteſt ab adverſario interpellari, ut vel appellationem proſequatur, vel acquieſcat judicio. Et ſubinde poſt ſex ab iſta interpellatione menſes non poterit ad appellandum reſtitui, art. 13.

XXVIII. Ubi prædicta poſt triennium aut ſexennium interpellatio facta non fuerit, quanvis ſententia fuerit exequutioni mandata, dinumerandum eſt tam inter abſentes, quàm inter præſentes decennium à die ſignificatæ ſententiæ: aut ſi agatur de piis locis, ut ſunt Eccleſiæ, Noſocomia, Xenodochia, viginti anni, quibus exactis nulla poſſit obtineri ad appellandum reſtitutio, d. tit. 27. art. 17.

XXIX. Verùm ad præcludendas prolixitates & evaſiones, ſtatuitur d. tit. 27. art. 1. & 3. condemnatos ad dimittendam poſſeſſionem, ſi poſt dies duodecim ſignificatæ ſive ad perſonam, ſive ad ejus domicilium ſententiæ non obtemperaverint, incurrere mulctam ducentarum librarum nullatenus moderabilem, partim erga Fiſcum, partim erga Partem; atque etiam poſſe corporis detentione contumaces cogi ad obediendum, & ad exſolvendas Partis impenſas & damna.

XXX. Jubetur ut quicunque judicio ſuccumbunt, damnentur in-

diſpenſa-

dispensabiliter, & sine ulla moderatione ad universas litis expensas, tit. 31. art. 1.

XXXI. Constitutorum in sacris Ordinibus pignori capi aut distrahi non possunt mobilia divino cultui destinata, neque etiam pertinentia ad necessarios ipsorum usus, cujuscunque valoris sint, neque eorumdem libri, nisi ultra valorem centum & quinquaginta librarum, tit. 33. art. 15. Hæc eadem sanxerat Carolus IX. Edicto Aurelianensi, art. 28. & ex parte favet lex *Sancimus*, C. de sacros. Eccles.

XXXII. Similiter neque capi aut distrahi possunt agricolarum boves aut equi aratorii, aratra, ligones, cæteraque instrumenta quæcunque ad agriculturam necessaria, ne quidem pro iis quæ Fisco debentur, art. 16. Poterunt tamen oppignorari pro solutione pretii crediti ad hæc emenda, aut pro pretio conductionis villarum & agrorum colendorum, in quibus existent illa pecuaria & utensilia: ibid. Eadem statuerat lex *Exequutores*, & lex *Pignorum*, C. quæ res pign. oblig. poss. Similis est pariter Constitutio Francisci I. an. 1540. art. 29. & altera Henrici IV. an. 1595. art. 9.

XXXIII. Aboletur praxis capturæ corporum post quatuor assignatos ad solutionem menses introducta, per art. 48. Edicti Molinensis sub Carolo IX. Prohibetur autem quibuscumque Judicibus & Curiis damnare quemquam carcere pro civilibus obligationibus: excipit tamen adjudicatas expensas, si adæquent vel excedant ducentas libras, nec intra quatuor à condemnatione menses exsolutæ fuerint, tit. 34. art. 1. & 2. Incarcerari tamen permittit Fisci debitores, & exactorum seu publicanorum jurium Regiorum circa mercatus, portoria, & similia jura Regia, art. 5.

XXXIV. Hinc progrediendum ad editas pro causis criminalibus Constitutiones anni 1670. In causis criminum impuberes utriusque sexus admitti possunt in testes: sed in judicio habenda erit ratio tum necessitatis præsentis causæ, tum imbecillitatis, vel ingenii particularis personarum ejus ætatis deponentium, tit. 6. art. 2.

XXXV. Assignatæ ad testificandum personæ post primum comparendi edictum, & ex contumacia defectum cogi possunt mulctis pecuniariis, quandoque etiam pœnâ carceris, art. 3.

XXXVI. Testes antequam testificentur, producere debent sibi significatam comparendi jussionem, cujus etiam mentio facienda est in ipsorum depositione. Possunt tamen Judices ex officio testimonia eorum audire in casu flagrantis delicti, sine præcedenti significatione, art. 4.

XXXVII. Non legitur coram accusato testimonium adversùs eum dictum, nisi postquam interroganti Judici responderit, si quas habet suspicionis aut recusationis causas contrà testem. Postquam enim reus depositionem testis audivit, non admititur ad allegandas suspicionum causas. Perlecta depositione coram teste, interrogandus est ipse testis, num hæc omnia vera sint? num in his persistat? Eo persistente, interrogatur reus

non jam de suspicione testis, sed de veritate testimonii. Judicis interrogata, omniaque testis & rei responsa, dictaque scriptis mandantur, & mox subsignantur à Judice & Scriba, tit. 15. art. 16.17.18.19.

XXXVIII. Si testis post repetitam auditionem, quæ dicitur *Recollement*, retractet ea quæ deposuit, aut aliquam saltem essentialem & decisivam circumstantiam in materia criminis, procedendum erit contra ipsum ut falsi reum, art. 11. Istæque declarationes & rectationes pro nullis habentur, nec deinceps in processu admittendæ sunt. Atque ubi causæ gravitas majorem pœnam non postulabit, mulctandus erit testis erga Fiscum libris quadringentis, art. 21.

XXXIX. Si decretum incarcerationis exequutioni mandari non potest, perquiretur reus, ejus bona intercipientur & annotabuntur. Perquisitio fiet ad ejus domicilium aut domum residentiæ. Sed si domicilio caret, aut non residet eo loco ubi processus instruitur, sufficiet affixio decreti seu edicti ad valvas Auditorii. Interea dies expectabuntur quindecim: his exactis, si non compareat, assignabitur præconis proclamatione uno, & non tribus, ut antehac, diebus ad se judicio sistendum. Exacto post hæc octiduo, solennior fiet à præcone per sonum buccinæ tribus locis intra unum diem proclamatio, scilicet ante portam Auditorii, & in platea publica, & ad accusati, si quod habet, domicilium aut residentiam. Dies porrò citationis significatæ, & dies comparitionis non comprehenduntur intra dies assignatos. Districtè prohibetur Judicibus alias his addere citationes, aut proclamationes in reum. Sed Judex his peractis testes denuò interrogandos seu recolendos assignabit; novaque ista interrogatio, quæ dicitur *Recollement*, valebit pro confrontatione, quæ fieret inter reum & testes: & demùm procedetur ad definitivam absentis contumacis condemnationem, tit. 17. ab art. 1. ad 15.

XL. In omni criminali inquisitione, *Information*, testes præstabunt initio juramentum; eorum nomina, cognomina, ætas, status ac professio, atque habitatio exprimetur; & quod non sint famuli ac domestici, vel cognati, affinesve Partium in gradibus à jure prohibitis: atque aliqua ex his omissio reddet nullum & invalidum testimonium, tit. 6. art. 5. Eadem præcipiuntur in inquisitionibus causarum civilium per superiùs memoratam Constitutionem anni 1667. tit. 22. art. 14. Adjuncti non adhibebuntur sicut priùs in informationibus, nisi in casibus Edicti Nannetensis, d. tit. 6. art. 8. neque in inquisitionibus civilibus, d. tit. 22. art. 12.

XLI. Neque in civilibus, neque in criminalibus instantiis ullâ poterit appellatione impediri aut retardari exequutio decretorum, instructio processus, aut futurum causæ judicium. Constit. anni 1667. tit. 26. art. 3.

LIBER

LIBER QUINTUS,
Qui est de delictis, eorumque pœnis canonicis.

CAPUT PRIMUM.
De delicto non residentiæ.

1. IPso divino Jure naturali omnes Episcopi & Beneficiarii, quibus cura incumbit animarum, obliganturad residentiam. Id perspicuè definitur à Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera pastoralia munia incumbere; quæ omnia nequaquam præstari & impleri ab iis possunt qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Cùm ergo Episcopi & Parochi teneantur indispensabili vinculo ad ea præstanda quæ sui officii sunt; ea verò recensita per Tridentinam Sanctionem eisdem divino præcepto imposita non possint ab absentibus exhiberi, consequens est ut eodem divino præcepto residere teneantur. Nec verò sufficit si per alios hæc præstent officia. Quicumque enim recipit emolumentum ac mercedem pro officio

officio, suam idem obligat personam ad id officium quod per se præstare possit; nec licet ei onus illud in aliquem transferre, nisi ex rationabili simul & urgente causa.

II. Ista in Episcopatu proprio residendi obligatio ipsos quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales adstringit, ut ibidem declarat Concilium his verbis, *Etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam.* Eodem Tridentino Concilio d. sess. 23. cap. 1. declaratur, posse Episcopos quotannis, sive continuè, sive interruptè, tribus mensibus à suis Ecclesiis abesse sine Superioris licentia, vel Approbatione, modò justa causa subsit. Ut verò possint plusquam tres menses abesse, duo simul requiruntur, justa causa, & licentia seu approbatio, quæ petenda est vel à summo Pontifice, vel à Metropolitano, vel hoc absente, ab antiquiore Suffraganeo: debetque esse in scriptis, & non aliter, ut præcipit Concilium d. cap. 1. Ubi etiam justas causas exponit, quæ sunt Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. Non tamen requiritur Superiorum licentia quando abscessurus est Episcopus ad aliquod publicum officium Episcopatui suo adnexum, ut quando debet Comitiis Ordinum interesse, aut ad Concilium generale, vel nationale se transferre.

III. Quando ultra tres menses, sive Episcopus, sive Parochus sine Superioris approbatione abfuerit, nullatenus facit fructus suos, sed tenetur pro rata absentiæ temporis illos sive fabricæ aut cultui Ecclesiæ, sive pauperibus erogare. Prohibetque dicta Tridentina Constitutio tales fructus, cùm sint indebiti & malè percepti, condonari, vel remitti, sive in toto, sive in parte: atque ita revocat præcedens ejusdem Trindentini Decretum sess. 6. cap. 1. de reform. quo absentia sex mensium solâ quartâ fructuum anni parte mulctabatur.

IV. Parochis, & quibuscumque aliis Beneficiariis curam habentibus animarum Concilium Tridentinum d. sess. 23. cap. 1. non permittit longiorem quàm bimestrem absentiam, ultra quam si sine legitima causa per Episcopum approbata eis abesse contingat, præter mortale peccatum, cujus apud Deum constituuntur rei, fructus quoque amittunt pro rata temporis absentiæ. Navarra Manualis cap. 25. num. 121. existimat Parochum ad bimestrem tantùm absentiam non opus habere aliqua Superioris approbatione, eique sufficere conscientiam justæ causæ: tum quia de Episcopis nihil aliud requirit ad trimestrem absentiam Concilium Tridentinum, quàm justam ejus causam: tum quia ante Tridentinam Sanctionem ejusmodi licentiæ petendæ non adstringebantur Parochi ad bimestrem in anno absentiam: ergo neque post provisionem Concilii nihil tale ipsis præscribentem. Si quis tamen Parochus sine justa causa etiam minùs duobus mensibus absit, peccabit mortaliter, nisi sit parvi temporis absentia, qualis posset esse quindecim, aut ad summum viginti dierum, sine ulla justa

alioqui

alioqui causa, modò reliquerit idoneum substitutum. Quod verò de Parochis Concilium d. cap. 1. sancit: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant*; nihil aliud enunciat, quàm ne Parocho licentia abscedendi ultra duos menses indulgeatur, nisi gravi urgente causa: sed nullatenus enunciat licentiam esse petendam pro minori quàm duorum mensium absentia, quanvis ista quoque sit illicita, nisi justa & urgente causâ nitatur. Quod verò statutum est de residentia Parochorum, id etiam locum habet in perpetuis eorum coadjutoribus, juxta Lessium.

V. Omnes in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis provisi de Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis ac Portionibus residentiam propter Chorum aliudve publicum Ecclesiæ ministerium requirentibus, non possunt totis singulis annis diutiùs abesse quàm tribus ad summum mensibus, sive continuis, sive interruptis. Qui secus egerint, primo anno hujusmodi absentiæ privandi sunt dimidiâ fructuum talis Præbendæ parte: secundo anno, si iterum sic absint, omnibus fructibus quos illo anno lucrari potuissent. Ita constituit Tridentina sessio 24. cap. 12. de reform. Continet verò ista dispositio pœnam ferendæ, sed non latæ sententiæ circa fructus, ut docet Navarra cap. 25. num. 121.

VI. Quod autem ad quotidianas distributiones attinet, non est dubium eas amitti ipso jure per absentiam, cùm non nisi solis debeantur qui personaliter divinis Officiis interfunt, ut statuit cap. 1. de Cler. non resid. in 6. quo pariter reprobantur & damnantur quæcunque statuta & consuetudines in oppositum: & declaratur eos qui cùm absentes fuissent, receperint distributiones, nullatenus earum dominium acquirere, nec facere illas suas, sed ad earum omnium restitutionem teneri, exceptis solis quas infirmitas, aut justa & rationabilis necessitas corporis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. illam Bonifacii Constitutionem instaurat. Si quis tamen abesse cogatur ad curanda Ecclesiæ cujus est præbendatus negotia ex Capituli commissione, aut omninò involuntariè absit, non solùm ex morbo, sed etiam captivitate, excommunicatione injusta, vel injusto exilio, aliáve quam culpa non præcesserit necessitate, non est distributionibus privandus. Denique eadem jura in defunctorum anniversariis servari debent quæ in distributionibus quotidianis, ut statuitur d. cap. 1. in fine, de Cler. non resid. in 6.

VII. Sunt aliquæ legitimæ causæ à residentia dispensantes, quas colligit Navarra d. cap. 25. num. 121. quas Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 29. n. 163. aliique communiter approbant. Prima est studium Theologiæ ad quinquennium, adeò ut asserat Navarra licentiam Episcopi ad hoc non requiri, cùm indulgeatur ab ipso Jure, cap. fin. de Magistris, & Concilio Trident. sess. 5. cap. 1. Secunda est studium Juris Pontificii, juxta Abbatem in d.

cap. fin. & Archidiaconum in cap. 2. de privileg. in 6. Et sanè hoc caput 2. desumptum ex generali Concilio Lugdunensi sub Innocentio IV. sancit eos qui in scholis Jurisprudentiæ studeant, debere, quanvis absint, fructus integros percipere: tanti æstimat Ecclesia in suis Clericis eruditionem. Ad alias autem scientias, ut illis studens possit absens fructus Beneficii residenti ... deposcentis percipere, necessaria est Prælati licentia. Cæterùm Sanctissimus consultus à Sacra Congregatione Concilii, ut refert Fagnanus in cap. *Super specula*, de Magistr. num. 17. respondit, ordinavitque, non posse dispensari cum Parochis, ut studiorum causâ abesse possint. Tertia, si duo Canonici sint in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, cap. *Ad audientiam*, de Cler. non resid. Quod Navarra lib. 3. consil. 11. de præbendis, extendit ad obsequium Cardinalis non Episcopi, ut possit secum habere in ministerium aut consilium pro rebus Ecclesiæ unum saltem tituli sui Canonicum. Quarta obsequium Papæ ad Ecclesiæ pariter utilitatem, cap. *Cum dilectus*, de Cler. non resid. Quinta, legitima licentia ex alia quavis justa causa, juxta Gloss. in cap. *Inter quatuor*, eodem titulo. Sexta prætenditur causa honesta consuetudo. Talis autem non est censenda, quantumvis multorum annorum decursu invaluerit, per quam sine justa causa dispensatur cum Clericis per aliquod tempus ab officio residentiæ, ut admonet Navarra; non enim ex levi causa fraudare licet Ecclesiam debito obsequio: non enim datur Beneficium nisi propter officium & sacrum ministerium adnexum.

* VIII. De privata Missæ celebratione temporibus officiorum Chori Panormitanus in cap. *Cùm olim*, de sent. & re jud. num. 6. Azorius part. 1. lib. 3. cap. 11. quæst. 19. Augustinus Barbosa ad Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. num. 57. Bonac. tract. de his quæ ad Divin. Offic. recit. pertin. disp. 2. quæst. 5. §. 4. num. 1. Riccius in praxi distributionum, decis. 492. num. 2. ubi allegat decretum sacræ Congregationis Cardinalium, aliique Canonum peritissimi asserunt, Canonicum celebrando Missam etiam intra propriam Ecclesiam, non posse recipere distributiones ejus vel earum Horarum, quarum tempore celebravit, nisi id fiat ex rationabili causa, approbante Prælato, putà ob supervenientem advenarum Processionem, aut sublimis dignitatis personam. Foret enim pernicioſi exempli, si pecuniam laborantibus in Choro destinatam, prætextu Missæ quæ in aliam remitti horam posset, liceret aliò transferre pro solatio privatæ personæ, quæ mallet suis commodis consulere cum diminutione publici cantus, propter quem institutæ sunt distributiones.]

CAPUT

CAPUT II.

De delicto violentæ manuum injectionis in Clericum, vel Monachum.

I. CONCILIUM Lateranense sub Innocentio III. sic edicit can. 5. qui refertur can. *Si quis suadente*, 17. quæst. 4. *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat. Et nullus Episcopus illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus susceperit mandatum.* Canon iste cum suo anathemate locum habet si Clericus etiam sine sui corporis læsione detineatur inclusus per vim aut injuriam, cap. *Nuper*, de sent. excommun. Glossa quoque in d. cap. *Si quis*, extendit has pœnas in illum qui injuriosè conspuit in Clericum, aut qui aquâ per contumeliam perfundit, aut qui Clerici vestem dilacerat, quâ ille est indutus. Sylvester in verb. *Excommunicatio*, hujus Canonis pœnam illi accommodat qui violentiam exercet in quascumque res personæ Clerici vel Monachi inhærentes, ut si quis equum quo ille vehitur violenter sistat, alióve deducat per injuriosam malitiam.

II. Clericum hîc intellige illum etiam qui solâ Tonsurâ fuit initiatus, dummodò habitum gestet clericalem, cap. *Cùm contingat*, de ætat. & qual. & ordin. Quin etiam Glossa in cap. *Qui verè*, 16. quæst. 1. in verbo *Verò*, hîc Eremitas comprehendit, aitque eos frui privilegio clericali. Sed id restringendum est cum Sylvestro in verbo *Eremita*, ad solos Eremitas, qui quamvis Clerici non sint, subjiciuntur tamen alicui probatæ Regulæ & Superiori. Sub isto quoque Canonis privilegio comprehenduntur Milites & Hospitalarii S. Joannis, quippe qui solennia vota emittunt, & legitimo Superiori, Regulæque D. Augustini subjiciuntur.

III. Hoc eodem Canone comprehenduntur mandantes istam manuum injectionem, effectu sequuto, cap. *Mulieres*, de sent. excommun. Item qui suo nomine factam illam ratam habent, etsi non mandaverint, cap. *Cum quis*, eod. tit. in 6. Item qui eidem consenserunt, aut quomodolibet faverunt, aut qui cùm commodè possent, non impediverunt, cap. *Quanta*, de sent. excommun.

IV. Multis casibus remanente ista excommunicatione, ejus tamen tollitur Papalis reservatio. Nam si alicujus Potestatis ostiarius sub officii sui prætextu malignatus Clericum læserit, ab Episcopo suo absolvi potest; nisi

fortè eundem Clericum graviter vulneraverit. Officialis autem pro manuum in Clericum injectione non potest sine mandato Romani Pontificis absolvi, quia nulli laïco super Clericum tanta datur authoritas ; ideoque authoritas indebita & temerè attentata hujus sacrilegii crimen auget : nisi fortè turbam arcendo , non ex animi deliberatione , sed fortuito occursu Clericum læserit. Sed si Clericum aliquis vim sibi inferentem vi repellat aut lædat , non debet propterea ad Sedem Apostolicam amandari , cùm vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant , l. *Ut vim* , D. de justit. & jure. Hæc statuuntur in cap. *Si verò* 3. de sent. excommun. Sed duobus istis casibus, officialis turbam arcentis Clericumque fortuitò ac indeliberatè lædentis,ejusque qui vim à Clerico sibi illatam in continenti se defendendo repellit,nulla incurritur excommunicatio.

V. Ista quæ subjicitur excommunicationi manuum adversùs Clericum injectio distinguitur tripliciter, in gravem seu atrocem, mediocrem , & levem , non ea quidem levitate quæ culpam mortalem excludat , ibi enim nulla incurreretur excommunicatio ; sed ea levitate quæ spectatur per comparationem cum gravi , aut mediocri violentia contra Clericum. Gravis ac enormis describitur in cap. *Cùm illorum* , §. *Qui claustrales* , de sent. excommunic. illa quâ vel mutilatur aliquod membrum , vel copiosùs sanguis effunditur aliunde quàm ex naribus ; vel quâ infertur Episcopo vel Abbati quævis violenta manus. Mutilationis verbo hîc comprehendit Sylvester & quidam alii vulnus quo deinceps membrum inhabilitatur, etsi non abscindatur : sed propriè vox ista connotat à reliquo corpore separationem.

VI. Levis percussio declaratur per Extravagantem quam Ostiensis, Navarra & alii citant , ea nimirum, quæ facta manu , pede, digito , vel lapide , nullam relinquit plagam , vel sugillationem carnis , nec dentes effringit aut evellit , nec multos evellit capillos , nec sanguinis copiam elicit : licèt illa extravagans quæ incipit *Perlectis*, cujus author Papa nescitur, declaret non sequi , ut quoties copia sanguinis effunditur, judicanda eo solo sit gravis percussio pugno, vel ungue inflicta , sed alias insuper exigi circumstantias , sive ex parte modi , sive ex parte plagæ inflictæ. His addit , in istis discernendis spectandum esse Clerici gradum & circumstantiam loci in quo facta fuit injuria. Nam percussio quæ ex parte substantiæ ac rei levis foret, fit plerumque gravis aut mediocris ex parte circumstantiæ,ut si percutiatur Clericus stans ad sacrum Altaris ministerium , aut dum vacat sacris & publicis officiis , sive in choro , sive in actu processionis ac supplicationis publicæ. Gravior quoque irrogatur injuria Clerico intra Ecclesiam , quàm in profano loco. Item si sine plaga , vel sugillatione inferatur personæ Clerici vis aut injuria atrociter contumeliosa , ut si denudetur , si atramento vel stercore vultus ejus fœdetur.

VII. Denique illa eadem Constitutio Pontificia remittit istiusmodi

discrimina

discrimina prudentiorum arbitrio, & admonet in re ambigua judicandam potiùs esse gravem aut mediocrem, quàm levem percussionem ac injuriam. Denique mediocris percussio quæ censenda sit, cùm certa regula tradi non possit, relinquitur prudentis Episcopi, vel Confessarii arbitrio: talisque utplurimùm judicanda est ubi dens eruitur, capillorum copia evellitur, aut carnium contusio & sugillatio relinquitur citra graviorem læsionem, injuriam, aut morbum. Ipseque Navarra cap. 27. num. 92. allegat & approbat qui scripserunt, fuisse levem percussionem à qua possit proinde Episcopus absolvere, alapam quam impegit Sacellanus quidam Aretinæ Ecclesiæ cuidam in eadem Ecclesia Canonico sine sanguine, & similiter rixam duorum Clericorum qui pugnis & calcibus sese in itinere impetiverunt.

VIII. A gravi & à mediocri percussione Clerici solus Papa regulariter absolvere potest, juxta d. cap. *Si quis suadente*, & cap. *Pervenit*, de sent. excomm. In quibusdam tamen casibus potestatem habet Episcopus etiam ab ea quæ mediocris sit, & interdum etiam à gravi absolvere. Si enim inter Clericos collegialiter viventes alter alterum mediocriter læserit, poterit percussor per Episcopum, aut eum cui Episcopus delegaverit, absolvi, cap. *Quoniam*, de vita & honest. cler. De omni autem levi percussione posse Episcopum absolutionis beneficium impertire, certum est ex cap. *Pervenit*, de sent. excom.

IX. Quando inter Regulares in claustro conviventes exorto jurgio alter alterum sive leviter, sive mediocriter percussit, potest per proprium Superiorem Regularem absolvi. Sed si percussio intervenerit inter diversorum claustrorum Regulares, is qui percussit necesse habet ab utriusque claustri Superioribus absolvi, cap. *Cùm illorum*, de sent. excomm. Quo eodem etiam capite statuitur, Regularem à quo secularis Clericus percussus est, à solo Papa absolvi posse. Hoc intellige de gravi aut mediocri percussione; nam de levi poterit Episcopus percussorem absolvere, sed non ejus Regularis Prælatus, si percussus sit Clericus secularis, cap. *Religioso*, de sent. excomm. in 6.

X. Potest quilibet impubes qui Clericum vel monachum quocunque modo percusserit, etiam ab enormi percussione per Episcopum absolvi, licèt quo tempore absolvi desiderat jam major ætate factus sit, cap. 1. & fin. de sent. excomm.

XI. Mulieres item à quacunque Clerici, vel Monachi, Monialisve percussione etiam atroci possunt per Episcopum absolvi, cap. *Mulieres*, eod. tit. Quod idem statuitur de Monialibus quæ vel Clericum, vel Monachum, aut aliquam de seipsis Monialem percusserunt enormiter, cap. *De Monialibus*, eod. Item eodem jure potiuntur pauperes, cap. *Quod de his*, eod. & pariter senes, ut possint per Episcopos à gravi percussione Clerici, vel Monachi absolvi, cap. *Quamvis*. eod. tit.

* XII. Ex causa correctionis nulla incurritur excommunicatio ex percussione Clerici vel Monachi, aut Monialis, si fiat à superiore persona jus habente correctionis: id enim non fit suadente diabolo, sed suadente justitia vel charitate vel zelo Dei ac disciplinæ, cap. 1. cap. *Ex tenore*, cap. *Universitatis*, cap. *Cùm voluntas*, §. fin. de sent. excommun. Atque in ea re conveniunt unanimes Doctores, cædi à patre vel præceptore posse Clericum filium, ac discipulum sine percussoris culpa, dum non excedatur enormiter modus. Idem censendum de Prælatis Regularium, aut magistris seu præfectis novitiorum: qui viget usus inter cœnobitas, dum non fiat ex odio, sed ad bonum finem, aut etiam animo promovendi ad altiorem perfectionem. Ut enim ait Abbas Joannes apud Cassianum collat. 19. cap. 8. *Finis cœnobitæ est omnes suas mortificare & crucifigere voluntates.* Idemque Cassianus lib. 4. de institutis renunciantium, cap. 16. ait extraordinariam & furtivam cibi refectionem, & his similia plagis corripi. Regula etiam S. Pachomii, quam in Latinum S. Hieronymus transtulit, decernit in quibusdam culpis Monachorum pœnam verberum. Legitur in actis canonizationis S. Mariæ de Pazzis, quæ multis annis curam gessit novitiarum in suo Monasterio; & refertur in ejus conscripta vita ab ipsius Directore Vincentio Puccino, cap. 111. illam solitam fuisse disciplinis percutere sibi subjectas Moniales eo zelo & severitate, ut illas ad lacrymas & ejulatus ictus multiplicando compelleret. Dicebat aliquando ictus & flagella multiplicando: Nunc videre volo quisnam fortior sit ad victoriam, Deúsne cujus ego vices gero, an satanas qui hujus puellæ menti insidet: nec desinam verberare donec advertam diabolum ab ea discessisse. Nec tamen in illo Monasterio, quod erat sanctarum animarum receptaculum, ullæ nisi leves culpæ committebantur, omnesque ad summam perfectionem enitebantur. In summa neque ista, neque alia unquam excommunicatio quemquam attingit, nisi peccatum mortale præcesserit. Vide Bonacinam tract. de excommunicat. disput. 2. quæst. 4. puncto 4.]

XIII. Illi qui ratione impedimenti adeundi Summum Pontificem, vel Legatum absoluti fuerunt ab Episcopo, vel Sacerdote, ut fieri solet in articulo mortis, ubi [illegible]stimodùm cessaverit impedimentum conveniendi supremam Sedem, & [illegible]enire neglexerint, reincidunt in pristinam à qua absoluti fuerant excommunicationem, cap. *Quanvis*, eod. tit. & cap. *Eos qui*, eod. in 6. Unde communiter monent Summistæ, Sacerdotem qui ratione periculi, vel impotentiæ absolvit à reservatis, teneri præmonere pœnitentem illius reincidentiæ, quin etiam exigere ab illo juramentum recurrendi, cùm primùm commodè poterit, ad Papam aut alium qui polleat hac absolvendi potestate. Scribunt tamen Gallicani quidam, eam reincidentiam nullatenus esse in hoc Regno usu receptam. Ita Petrus Miliardus de Sacramento Pœnitentiæ cap. 37. num. 9. & Baunius in Summa, cap. 32. circa fin.

XIV. Istud

XIV. Istud saltem in confesso est apud omnes, si Clerici percussio sit occulta, quantumcunque gravis, neque in forum deducta contentiosum, nullibi terrarum opus esse ut conveniatur prima Sedes, ex quo providit Concilium Tridentinum, posse ab Ordinariis locorum omnem absolvi censuram supremæ Sedi reservatam, modò casus quo illa incurritur sit occultus, solo excepto voluntario homicidio aut delicto quod ad forum contentiosum fuerit deductum. Si ergo Clericus ex percussione non interierit, & author percussionis sit occultus & ignotus, potest ab Episcopo in foro conscientiæ absolvi, nec tenetur ullo tempore Papam aut Legatum convenire. Hæc enim potestas competit Episcopis jure ordinario ex Tridentina sess. 24. cap. 6. Potestque Episcopus i[illegible] alteri delegare potestatem, ut cum plerisque Doctoribus quos citat, asserit Bonacina tract. de censuris particularibus, disp. 2. quæst. 3. punct. 6. sect. 5. n. 19. & 20.

CAPUT III.

De Simonia.

I. NULLA delicti species est quæ tot tantisque difficultatibus implicetur, ut simonia: ideoque necesse est hanc tractationem esse paulò prolixiorem. Sic tamen illam pro virili agitabo, ut neque prolixitas fastidium, nec brevitas obscuritatem pariat, aut quidquam illorum supprimat quæ ad accuratam & perfectam hujusce materiæ cognitionem exigi possint. Simonia est emptio venditio rei spiritualis aut spirituali annexæ. Nomine emptionis venditionis comprehenduntur in hac materia omnes contractus non gratuiti, ut sunt permutatio, transactio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Spiritualibus annexa illa dicuntur, quæ cùm per se spiritualia non sint, dependent tamen à spiritualibus, aut ad hæc ordinantur, cujusmodi sunt Sepulturæ, Præbendæ ac Beneficia, vasa sacra, juspatronatus.

II. Præclarè S. Thomas 2.2. quæst. 100. art. 4. bifariam distinguit spiritualibus annexa, scilicet annexa antecedenter, & annexa consequenter. Annexa antecedenter ea sunt quæ cùm ex natura sua materialia sint, præcedunt rem sacram ad quam referuntur, cujusmodi sunt Calices & Altaria & sacra Vestimenta, quæ cùm primariò & ex se materialia sint, induunt spiritualem formam ex consecratione illis accedente. Atque ista pretio distrahi non prohibentur, dummodo æstimetur in eis sola materia cum forma artificiali, nullâ habitâ ratione benedictionis aut consecrationis.

nis. His accedit juſpatronatus, quia antecedit nominationem ſeu præſentationem ad Beneficia. Hoc jus per ſe vendi non poteſt, ſed tamen tranſfertur in alium per venditionem bonorum temporalium, quibus juſpatronatus annexum eſt, cap. *Cùm ſeculum*, & cap. *De jure*, ſub tit. de jurepatron. Conſequenter autem ſpiritualibus annexa ſunt Beneficia, utpote quæ ſequuntur divina Officia, pro quibus celebrandis inſtituta ſunt Beneficia. Atque iſta non poſſunt ſine ſimonia vendi, cap. *Si quis objecerit*, 1. quæſt. 3.

III. Triplex quoque ſimonia diſtinguitur. Prima mentalis, quæ non procedit ad externum opus, vel procedit quidem, ſed ſine pacto exteriùs expreſſo. Secunda conventionalis, in qua intervenit quidem pactum exteriùs expreſſum, non tamen quidquam datum fuit, niſi fortè ab una Partium, ut ſi emptor recepit quidem Beneficium, ſed pretium conventum non exſolvit; aut ſi viceverſa pretium quidem exſolvit, ſed Beneficium non recepit. Tertia realis, in qua hæc tria concurrerent actu, ſcilicet pactio ſimoniaca, ſolutio pretii, & receptio rei ſacræ.

IV. Pretium quoque ſimoniacum triplex eſt, ut docet cap. *Salvator*, §. *Quiſquis*, 1. quæſt. 3. ſcilicet munus à lingua, nempe ſolicitationes, & in alterius gratiam preces. Munus ab obſequio, ut ſi Beneficium hac lege tradam alicui, ut mihi meiſve Philoſophiam prælegat, aut mea negotia gerat. Denique munus à manu per pecuniæ, aut rei pecuniâ æſtimabilis largitionem, cap. *Sunt nonnulli*, 1. quæſt. 1.

V. Itaque ſimonia committitur etiam in ipſo pacto reparandi Eccleſiam, aut Noſocomium, vel Xenodochium, aut redimendi captivum, aut erogandi eleemoſynas, cap. *Non eſt putanda*, 1. quæſt. 1. & cap. *Ex multis*, 1. quæſt. 3. Licèt enim hæc ſint pietatis opera, habent tamen materiam temporalem pretio æſtimabilem; & ſi fiant ex pacto conſequendi rem ſacram, in ſimoniam degenerant.

VI. Sanè ſola largitio, vel ſola ſpes ipſius largitionis quæ non fuerit in pactum deducta, nullam parere videtur ſimoniam, licèt ex motivo gratitudinis res ſacra tradatur, aut ex gratitudine ob traditam rem ſacram moveatur quis ad largitionem muneris à manu, dum nulla, ſive tacita, ſive expreſſa conventio intervenerit, cap. *Tua nos*, de ſimon. & ibi Gloſſa in verb. *Purè conſentiant.*

VII. Simoniam ille committit, qui pecuniâ ſeu pretio ſibi devincit familiarem Epiſcopi hac pactione, ut pro ſe, aut ſibi conjuncto Beneficium ab Epiſcopo petat, licèt neque Epiſcopus qui confert, neque Clericus cui confertur Beneficium, hujus illicitæ pactionis aut traditionis ullam prorſus notitiam habeant. Ille verò qui quantumvis bonâ fide recepit, ſtatim atque pactionis ſimoniacæ pro ſe id ignorante factæ notitiam habuerit, non poteſt deinceps id Beneficium poſſidere, ſed ipſum debet reſignare in manus Papæ, vel Legati, vel Ordinarii; qui tamen poterunt

eidem

eidem de novo liberè conferre : purgata enim per resignationem alienâ simoniâ, novum ei jus acquiretur per novam ejusdem Beneficii collationem. Sed si Ordinarius eidem de novo conferat, cùm non habeat jus dispensandi aut rehabilitandi, quale habet Summus Pontifex, necesse erit tria hæc simul concurrere. Primò ut hic resignans dum providebatur de illo Beneficio, prorsus ignoraverit illam simoniacam conventionem. Secundò ut postquam illam resciverit, sine mora & quamprimùm commodè potuerit Beneficium resignaverit ; alioqui enim esset in culpa, quæ dispensatione supremæ Sedis indigeret, ad quam nihil posset Ordinarius. Tertiò denique, ut illud sit simplex, & non curatum Beneficium, ad quod solus Papa potest in isto casu dispensare. Hæc decernuntur in cap. *Quicumque*, & cap. *Præsentium*, 1. quæst. 5. & cap. *De Regularibus*, & cap. *Ex insinuatione*, & cap. *Sicut*, de simon. Tres verò istæ conditiones, in quarum concursu potest Episcopus resignanti de novo conferre, comprehenduntur in cap. *Si alicujus*, penult. de election. Si quæras de fructibus Beneficii quod Clericus ille possedit per aliorum, quam ignoravit, simoniam ? Respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3. teneri solùm restituere fructus extantes, sed non consumptos, ob bonam fidem. Itaque distinctio utrum ex consumptis fuerit factus ditior aut non, minimè hîc requiritur.

VIII. Simonia nulla ineſt ubi fit cessio aut largitio alicujus rei ad injustam redimendam vexationem, nimirum ex parte redimentis, cap. *Dilectus* 28. de simon. Obstare fortasse videbitur cap. *Matthæus*, eod. tit. ubi statuitur eum qui fuerit de voluntate majoris partis Capituli electus, si pecuniæ largitione paucorum de Capitulo contradictionem redemerit, esse hoc ipso simoniacum & obligatione astrictum renunciandi Beneficio; cùm tamen injusta videatur illa paucorum contradictio, quandoquidem in omni capitulari deliberatione ex majoris partis consensu jus tribuatur, cap. *Cùm in cunctis*, de his quæ fiunt à majori parte Capit. Respondet Glossa in d. cap. *Cùm in cunctis*, verb. *Paucis*, supponendum hîc esse quod illa paucorum oppositio haberet justam contradicendi causam, ob quam electio ipso jure invalida foret. Aliter verò respondent Innocentius ibid. Navarra Manual. cap. 23. num. 102. Rebuffus, Bonacina & alii communiter, non licere vexationem pretio redimere antequam jus acquisitum fuerit per confirmationem electionis, quanvis ipsa vexatio injusta esset ; sed licere redimere post confirmationem, aut Beneficii collationem, dummodo sit injusta vexatio. Ubi enim oppositio justa & legitima esset, non posset etiam post collationem pretio redimi. Distinguendum itaque inter habentem jus ad rem, & habentem jus in re : huic enim, sed non illi permittitur redimere pecuniâ vexationem iniquam. Quam decisivam distinctionem juris ad rem, & juris in re circa licitam aut illicitam redemptionem vexationis, dudum ante præcitatos Authores tradiderat insignis Doctor Sanctus Raimundus in Summa, lib. 1. tit. 1. de simonia, §. 20.

IX. Circa pretium simoniæ constitutivum invexere hujus nostræ seculorum fæcis haud pauci Scriptores novam & antiquis omnibus invisam opinionem : Licitum esse pactum conferendi rem spiritualem ac Ecclesiastica Beneficia pro pecunia, aliáve quavis re pecuniâ æstimabili, dummodo pecunia illa non intendatur sub ratione pretii, sed sub consideratione motivi quo quis excitetur ad Beneficium aut aliud quid spirituale alteri attribuendum vel procurandum. Ad objectionem verò sumptam ex absoluta Canonum contra hujusmodi prohibitione, respondere solent, illam absolutam sub pœna simoniæ prohibitionem non esse Juris Divini, sed tantùm Ecclesiastici ; & similiter simoniam illam non à Jure Divino, sed à Canonibus invectam, atque ita posse per contrariam consuetudinem facilè aboleri, solo excepto casu quo quis ex animi imperitia sibi proponet rationem pretii, quod est divina lege prohibitum ; cùm tamen pari facilitate proponere sibi possit rationem motivi, quæ divino præcepto non adversatur, & possit hac arte sine animi noxa nummorum copiam corrogare : præsertim si Beneficium prævideat sibi fore deinceps inutile, eo quòd nepotibus careat in quos illud transmittere possit, nimirum nullos habens nisi conjugatos, aut per ætatem aliave impedimenta inhabiles.

X. Opinio ista conformis est admodum huic alteri, quam ex eadem officina profectam damnavit, & sub anathematis pœna supremæ Sedi præterquam in articulo mortis reservati, tueri, aut in praxim reduci prohibuit Alexander Papa VII. in Bulla incipiente *Sanctissimus Dominus noster audivit*, anni 1665. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator illa conferens pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.* Ipsa certè intentio quam aliquis ad excusandas excusationes in peccatis sibi effingit, non immutat actionis naturam, quam liberè & cum cognitione operatur. Sic ille qui sciens & prudens contractum exercet usurarium, & tamen sibi in animo effingit intentionem nullatenus fœnerandi, sed tantummodò paciscendi aliquid lucri supra mutuatam sortem, non ut quid usurarium, sed tanquam motivum aut justum emolumentum gratificationis quâ se illi astringit cui mutuum dare non tenebatur ; illa, inquam, fictitia intentio destrueretur per intrinsecam ipsius, quem operatur, actûs malitiam. Et is qui prædium sub pacto & obligatione ducentorum aureorum in alium transferret, quanvis illam summam vellet computari non ut pretium, sed ut motivum sine quo procul dubio non intenderet se suo prædio abdicare, atque ideo afleveraret se prædium nullatenus vendere ; illa quidem fictitia intentio destrueretur per contrarium veræ venditionis actum cum pretii conventione. Idem illis usuvenit qui cùm ad magos sponte recurrant, eorumque præstigiis & sortilegiis utantur, & his actibus ad dæmones recurrant, eosque invocent;

protestantur

protestantur tamen se nullum cum dæmonibus velle consortium, eisque verbo renunciant; cùm tamen reipsa cum illis commercium exerceant, & eis famulentur.

XI. Circa celebrem illam quæstionem, utrum sit mentalis simonia ubi sine ullo pacto aliqua exhibentur obsequia Prælatis ab ipsis Beneficiariis eo fine ut quis Beneficium hac via consequatur? Et an Prælatus Beneficium Ecclesiasticum horum obsequiorum intuitu conferens simoniæ culpam incurrat? Item utrum Canonicus assistens Officiis Chori pro distributionibus lucrandis simoniâ delinquat? Non est hîc respondendum per distinctionem pretii aut motivi, quâ panderetur infamis via omnibus Beneficiorum aliarumque sacrarum rerum nundinationibus. Et præterea ficta illa & chimærica intentio naturam actus contrarii non potest immutare, ut dictum est. Meliùs igitur respondent Glossa in cap. unic. de Cleric. non resid. in 6. Ostiensis, Joannes Andreas, Angelus, Joannes Major, Navarra, Covarruvias, Suarez per distinctionem primariæ & secundariæ intentionis. Eum scilicet qui primaria intentione Prælati amicitiam cupit demereri, secundaria verò intentione, mox e illâ amicitiâ proponit Beneficium adipisci; Prælatum quoque qui tam obsequia per gratitudinem antidoralem remuneratur collatione Præbendæ, non ut debito justitiæ, sed motu gratitudinis, nulla interveniente pactione; hos, inquam, omnes esse immunes à simoniæ labe. Sed si versetur intentio immediatè, primariò & per se ad acquisitionem Beneficii, aut si Prælatus intendat primariò ista sibi obsequia deferri pro lucrando Beneficio, aut si studens avaritiæ ad parcendum impensis, quibus ista sibi essent conducenda obsequia, substituit pro locationis pretio quasi ex debito justitiæ attributionem Præbendarum, tunc fœdum simoniæ crimen exerceri. Similiter si Canonicus dum Choro interest, vel solummodò, vel saltem primariò lucrum intendat distributionum, reum fieri simoniæ: sed si primariò Divinum Officium aut Dei cultum animo proponat, secundariò autem distributiones etiam tanquam ex obligatione justitiæ sibi debitas, nullatenus simoniâ implicari. Minimè porrò necesse est finem illum esse de se solo efficacem; sæpenumero enim fit, ut primarius finis alio fine secundario roboretur ad operationis efficaciam, ut in eo contingit qui in bellum proficiscitur primariò propter Principis sui aut Reipublicæ studium; qui tamen militiæ nomen non dedisset, nisi accessisset secundaria intentio, & spes vel gloriæ apud homines, vel stipendii, vel honorariorum munerum acquirendorum. Aut ut utar similitudine desumpta ex Sancto Bonaventura, aliquis sibi sponsam assumit primariò non quia nasum habet, sed propter nobilitatem aut bonos ejus mores, aut etiam propter dotem; quam tamen nullo modo duceret si nasum non haberet. In summa munus ab obsequio excitatum primariò aliquo fine honesto, remotaque omni pactione, nullam parit simoniam.

XII. Recepta communiter Gloſſa in cap. *Ex parte* 1. de offic. deleg. eademque iterata Gloſſa in cap. *Cùm pridem*, verb. *Illicitæ pactionis ſpeciem*, de pact. duplicem ſimoniam diſtinguit, ſcilicet prohibitam ideò, quia talis eſt, iſtaque eſt Jure Divino vetita; & ſimoniam ideò habitam, quia prohibita eſt, ſcilicet à Canone: atque iſta ſimoniæ ſpecies introducta eſt non à Deo immediatè, ſed ab Eccleſia. Papa verò poteſt ab hac Eccleſiaſtica ſimonia diſpenſare, ſed non ab illa prima, quæ ad Jus divinum & naturale pertinet.

XIII. Proſper Fagnanus has quæ ſequuntur, tres ſimoniæ ſpecies, nullatenus à Deo conſtitutas, ſed ſolùm ab Eccleſiaſtico Canone, recenſet in cap. *Cùm pridem*, de pact. Prima habetur in cap. *Salvator*, 1. quæſt. 3. quo vendi prohibentur officium Oeconomi Eccleſiæ, aut Sacriſtæ, aut Protectoris. Horum enim officiorum venditio non eſt contra Jus divinum, quia neque perſonæ iſtæ, neque res ſunt per ſe ſacræ, nec eas Eccleſia facit eſſe ſacras, ſicut ſacra facit per conſecrationem Altaria, Calices, Templa, Sacerdotes. Secundum Exemplum eſt in commutationibus Beneficiorum, in quibus res ſpiritualis cum alia æquè ſpirituali compenſatur. Huc etiam pertinet quod ante Fagnanum docuerat Navarra Manual. cap. 23. num. 100. non eſſe ſimoniam ex Divina, ſed ex Eccleſiaſtica tantùm prohibitione, cùm quis ſuo Beneficio in alterius favorem renunciat hac lege ut ille, vel alius aliquis renunciet alteri ſuo Beneficio in favorem alicujus alterius: hoc enim pactum verſatur circa res utrimque ſpirituales, neque intervenit pecunia, aliudve pecuniâ æſtimabile. Tertium profert Fagnanus exemplum, quod tamen minùs eſt certum quàm præcedentia, in reſignatione Præbendæ cum pacto ſolvendi penſionem: cui tamen obſtare videtur quod penſio illa conventa conſiſtit in pecuniis, aut ſaltem ſit pecuniâ æſtimabilis. Verùm reſponderi poteſt, eam penſionem non habere rationem pretii, ſed ſolùm alimentorum atque ſtipendii Eccleſiaſtici pro Clerico qui ſe majoribus ſtipendiis abdicavit ejuſdem Beneficii, quique per hanc penſionem ex Conſtitutione Pii V. adſtringitur hujus penſionis ſtipendio ad aliquod Eccleſiaſticum Officium. Ratio quâ Fagnanus ſuadet hoc genus penſionis non vetari Jure Divino, iſta eſt, quia Papa in his diſpenſat, qui tamen non poteſt à Jure Divino diſpenſare. Porrò jus & petitio alimentorum quæ ſacro miniſterio conjunguntur, Divino Juri convenire, neque ſimoniam redolere docet Apoſtolus 1. Cor. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non comedit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

XIV. Quod attinet ad quæſtionem, utrum accipere pecuniam ad Beneficia Eccleſiaſtica alienanda, vel dare ad ea acquirenda, ſit Divino Jure prohibitum? Affirmativam propugnant omnes ferè Theologi & Canoniſtæ de omnibus curatis Beneficiis, & quibuſcumque annexa eſt Ordinis ſacri exequutio, vel poteſtas Clavium. Licèt enim & Ordinis, & Clavium poteſtas

testas esse possit sine Beneficio, nullatenus tamen sejungi potest curatum Beneficium ab illa sacra potestate, ob quam præcisè institutum fuit cum stipendiis ad illam exercendam potestatem institutis. Et sapienter admonet Paschalis Papa cap. *Si quis objecerit*, 1. quæst. 3. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

XV. Quod verò spectat ad simplicia Beneficia, non est par omnium consensus. Plerique enim Canonistæ illud Paschalis dictum limitant ad sola curata Beneficia, asserentes simplicium Præbendarum venditionem, ut sunt Canonicatus, non esse Divino Jure, sed Canonico prohibitam, atque ita non aliâ infici quàm Ecclesiasticâ simoniâ, quæ possit Papæ dispensatione adimi. Ita censent Cardinalis Zabarella in cap. 1. de simon. num. 2. Henricus Boich. in cap. 1. in princ. ne Prælati vic. suas: Felinus in cap. *Ex parte* 1. num. 1. de offic. deleg. & in cap. 1. num. 2. de simon. Præpositus in cap. *Latorem*, 1. quæst. 1. à num. 28. Joan. de Anan. in cap. 1. de simon. à num. 7. Ostiensis & Joan. Andreæ in cap. fin. de simon. Alexander consil. 93. Abbas in cap. 1. num. 6. de simon. & in cap. *Exstirpandæ*, §. *Qui verò*, num. 53. 55. & 58. de præbend. Julius Clarus pract. crimin. §. *Simonia*, num. 5. qui communem hanc esse asserit Doctorum opinionem. Ab his tamen dissentiunt Cardinalis Joannes de Turrecremata in cap. *Latorem*, 1. quæst. 1. num. 9. Caietanus tom. 2. opusc. tract. 9. de simonia, quæst. 1. Thomas Campegius tract. an Papa labem simoniæ incurrere possit, Joan. Gerson tract. de simonia, Ancharanus in cap. 1. de constitut. oppos. 11. Item Durandus, Petrus de Palude, & maxima Theologorum pars. Idque ista ratione probat Caietanus, quia cùm contrariæ sententiæ assertores doceant, Papam non posse citra simoniam conferre pretio curatum Beneficium: ergo neque simplex, quia eadem ratio in utroque convincit. In primo quidem ob annexam curato Beneficio potestatem Ordinis & Clavium: in secundo verò ob annexum Officium Clericale, quod est spirituale, atque ita in materia divinitus vetita. Licèt enim in spiritualibus sint diversi gradus, & sit potestas Ordinis & Clavium sacratior Officio Clericali; sunt tamen utraque sub eodem spiritualium genere: non enim magis & minùs distingunt speciem, ut docet Aristoteles, & patet inductione omnium ferè specierum. Additque Caietanus, oppositam sententiam esse Canonistarum errorem. Et Petrus Ancharanus affirmat, quod praxis opinionis illius universum Ecclesiæ statum denigraret.

XVI. Id ulteriùs comprobatur, quia sacra Chalcedonensis Synodus cap. 1. simili pœnâ dignos judicat utrosque simoniacos, tam illos qui pecuniâ vel conferunt, vel acquirunt quæcumque Ecclesiastica officia & munera, quàm eos qui sacram manuum ad Ordines impositionem mercantur: & habetur in cap. *Si quis Episcopus*, 1. quæst. 1. Idemque repetit Alexander Papa II. cap. *Ex multis*, 1. quæst. 3. ubi hoc etiam adjungit, Christum Dominum, quando flagello ejecit è templo vendentes columbas,

damnasse illos qui sacras Ordinationes, per quas datur Spiritus Sanctus, simoniacè mercantur: quum verò ejecit nummularios, eorumque æs mensasque subvertit, damnasse illos qui simoniam exercent circa Ecclesiæ Beneficia. Scriptura etiam sacra istud simoniæ genus reprehendit 3. Reg. 13. circa Sacerdotes pecuniario pretio constitutos ab Jeroboamo. Ipseque Christus præcipit suis Apostolis eorumque successoribus, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et Apostolorum Princeps Simonem Magum cum oblata pecunia his verbis execratus est, Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Atqui interdona Ecclesiæ à Deo collata ad spiritualem finem, indubitatè recensèri debent Ecclesiastica Beneficia simplicia, cùm primariò, & per se deputentur ad Dei cultum & spirituales actus in Ecclesia Dei exercendos, ut apertè declarat Clementina *Ut ii*, de ætat. & qualit. & ord. & Concilium Trident. sess. 21. cap. 3. & sess. 24. cap. 12.

XVII. Neque ullatenus in oppositum valet ista distinctio, quod Beneficium duo complectatur, unum spirituale, alterum temporale: & hoc pecuniâ rependi possit, non verò illud. Esse namque duo ista prorsus individua & inseparabilia, docet d. cap. *Si quis objecerit*, 1. q. 3. *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur: nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale quid sine corporalibus rebus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel Prabendam, vel aliquid Ecclesiasticum: nec pastellum, vel pastum anteà vel posteà pro hujusmodi solvat.* Superiùs ex Cajetano probavi Canonem istum ob rationis paritatem æquè valere circa simplicia ac circa curata Beneficia.

XVIII. Ut igitur cœptum prosequar argumentum, certum est duo exigi ut possit quis donare quamcumque rem. Necesse primùm est ut rei donandæ habeat dominium: secundò ut ejusdem liberam habeat administrationem. Non enim sufficit sola administratio sine dominio; etenim tutores, curatores, procuratores, quanvis eis credita sit administratio, donare non possunt ea quæ administrant, quia carent dominio. Neque sufficit dominium sine administratione; nam pupilli & minores curatoribus provisi, & prodigi, quanvis rerum suarum sint domini, earumque proprietatem & usumfructum habeant, non possunt quidquam de rebus suis donare, quarum administratione carent; quo sensu ait Apostolus: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est.* Atqui Papa & inferiores Prælati, ut diserte asserit Sanctus Thomas, rerum Ecclesiæ dominio carent, sed tantùm eis credita est illarum dispensatio, 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 7. Cùm igitur nemo possit alienare, seu donare, nisi proprius dominus, cap. *Abbati*, dist. 55. Papa verò ipse non sit Beneficiorum dominus, nullatenus dicendum

dum est eum donare proventus Beneficii, sed solùm ex officio dispensatoris personam assignare, quæ officium Beneficio annexum exequendo jus habeat potiundi ejus fructibus & proventu. Sit igitur argumentum: Dare spirituale pro consequendo temporali, aut pro acquirendo spirituali dare temporale, vetitum est Jure Divino & naturali. At quisquis pecuniam dat pro consequendo Canonicatu alióve simplici Beneficio, dat temporale pro acquirendo spirituali. Et aliunde non potest dici quod Papa aut alius Collator donet Beneficium dum illud confert, quandoquidem ut docet S. Thomas loco cit. non est rerum Ecclesiæ dominus, nec dare, vel alienare potest ea quorum dominio caret, ut probavimus; sed est solùm fiduciarius dispensator, dicente Apostolo: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei: hîc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ex quibus sequitur, quod pretium quod Papa pro Beneficio acciperet, non caderet super temporali illius Beneficii, cujus ipse Papa neque est dominus, neque per consequens donator, ut probavi: sed pretium caderet super dispensatione, seu collatione, seu assignatione ad sacrum officium cui redditus destinantur; quæ dispensatio seu collatio est sacra, & ex divino jure profecta. At verò quæcunque Deus sive Summi Pontificis, sive aliorum Prælatorum dispensationi credidit, sub hac obligatione credidit: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10. Et præterea infidelis est dispensator quisquis bona domini sui suæ administrationi credita vendit, retentò sibi pretio. Ex quibus sequitur Papam non posse talia agere, præsertim in Beneficiis quæ sunt jura spiritualia; neque posse cum aliis dispensare ut talia agant contra Jus divinum & indispensabile.

XIX. Opponet aliquis, Calicem consecratum licitè vendi, modò pretium non augeatur propter consecrationem, cap. *Hoc jus porrectum*, 10. quæst. 2. Et jus patronatus transire per venditionem cum cæteris juribus temporalibus quibus est annexum, cap. *Cum seculum*, & cap. *De jure*, tit. de jurepatron. Ad hæc respondetur duplicem in his esse disparitatem. Primò, quia venditio Calicis aut jurium rerumque temporalium non cadit super consecrationem, aut super inhærens rebus jus patronatus; sed horum utrumque suum principale & temporale subjectum, cui inhæret, tanquam accessorium comitatur. At in venditione Beneficii probatum jam est pecuniam oblatam, sive pretium non cadere super fructus, quorum Collator nullum, ut probavimus, habet dominium; sed super institutionem ipsam ad divinum ministerium, quæ planè spiritualis est. Secundò, quia in calice & jurepatronatus res sacra est quid accessorium, res autem temporalis est ipsum principale. Atque hæc sunt temporalia quæ paulò antè art. 2. vocavimus post sanctum Thomam antecedenter spiritualibus annexa. In his accessorium sequitur naturam sui principalis, cap. *Accessorium*, de regul. jur. in 6. Sed non econtrà. Enimverò in temporalibus annexis rei spirituali consequenter, ut contingit in Beneficiis, res ipsa sacra est

ipsum

ipsum principale, & res temporalis est accessorium ; nam Beneficium non datur nisi propter officium, cap. fin. de rescript. in 6. Officium autem est simul sacrum & principale.

XX. Instabit aliquis ex adverso, Beneficiorum divisionem & præbendarum assignationem esse Juris Ecclesiastici & positivi, & non Divini aut naturalis. Atqui Papa est super omne Jus Divinum & Ecclesiasticum. Respondet Caietanus tom. 2. opusc. tract. 9. istud esse sophisma non causæ ut causæ. Nam dependentia titulorum à Jure Ecclesiastico non est causa illicitæ horum venditionis, sed ipsamet spiritualitas Beneficii. Res enim spirituales, quantumvis à jure positivo dependeant, sunt extra humanum commercium, nec vendi nisi per simoniam possunt. Tales sunt consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Calicum, Virginum, Vestium, Campanarum, quæ sunt positivi quidem juris, sed illicitè ac simoniacè venales. Ad valorem itaque hujus argumenti necessarium esset probare titulum Beneficii rem profanam esse & merè temporalem, non verò esse quid positivum. Sic quoque licèt ordo Episcopalis sit divinæ institutionis, tamen numerus Episcoporum & Episcopatuum erectiones & limites sunt positivi & Ecclesiastici Juris, cùm constet Ecclesiam posse diœceses multiplicare, aut reducere plures in unam, aut unam in plures dividere, limites arctare vel proferre, novos Episcopatus inter barbaras nationes erigere, cap. 1. & 2. dist. 22. & cap. *Cùm olim*, dist. 95. Et tamen constat non posse ullum Episcopatum nequidem novæ erectionis à Summo Pontifice vendi. Et qui hoc attentaret duo crimina perpetraret, unum simoniæ, alterum injustæ usurpationis & venditionis rei non suæ, cùm non sit dominus, sed tantùm dispensator rerum Ecclesiæ, ac præsertim sacrarum Dignitatum & Titulorum. Præstat audire S. Thomam loco cit. 2. 2. quæst. 100. art. 1. *Papa* (inquit) *potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim in aliqua persona tantò gravius est, quantò majorem obtinet locum. Quamvis ergo res Ecclesiæ sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris : & ideo si reciperet pro re aliqua spirituali pecuniam ex redditibus Ecclesiæ, non careret vitio simoniæ. Et similiter posset simoniam committere recipiendo pecuniam aliquam à laico non de bonis Ecclesiæ.* Eadem docet in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2. Et in Summa loco cit. art. 4. affirmat Beneficium Ecclesiasticum esse spiritualibus annexum, & ab his dependens. Itaque longè à vero aberrat Navarra cap. 23. num. 108. asserendo Beneficia ex natura rei, & seclusâ humanâ prohibitione posse eadem facilitate vendi qua sacri Calices, vel Altaria consecrata, æstimando duntaxat quod in illis inest solùm materiale, & præscindendo à conjuncto illis spirituali.

XXI. Si quis objiciat annatas pecuniarias, quas solent Romani Pontifices ab iis exigere quos provident Episcopatu aliáve Consistoriali Dignitate : Respondeo ex intentionum diversitate posse annatas esse licitas

aut

aut illicitas. Si istæ annatæ exigantur propter dignitatis Ecclesiasticæ collationem, aut si imponantur personæ provisæ, non verò redditibus, annatarum impositio erit simoniaca: sed si imponantur supra redditus, & non supra personam; aut si non pro collatione, sed pro debito ære alieno imponantur, neque simoniacæ erunt, neque illicitæ. Potest enim Papa hoc jus imponere & exigere, non ratione collationis aut provisionis; sic enim conferret rem sacram pretio pecuniario; sed cùm habeat jus pro sustentandis oneribus Pontificiis, quæ gravia & multiplicia sunt, aliquid super proventibus Dignitatum & Beneficiorum imponendi, & impositum exigendi: quod possunt etiam inferiores Episcopi super Diœcesis suæ Beneficiis titulo cathedratici aut charitativi subsidii, ut à sacris Canonibus ipsis permittitur; aut pro erigendo & fundando Seminario, ut eis per Concilium Tridentinum permittitur. Hæ verò annatæ imponuntur ut æs alienum Papæ debitum pro gravissimorum Papæ incumbentium onerum sustentatione, aut etiam (qui finis quoque licitus est) pro recognitione dominii Pontificii in omnes sibi subditas Diœceses & Ecclesias. Et in veteri Lege minores Sacerdotes qui pro sacro stipendio decimas à populo sumebant, obligabantur Dei præcepto decimarum suarum alias subductas decimas Pontifici Legali contribuere, Numerorum 18. vers. 26. 27. 28.

CAPUT IV.

Variæ circa simoniam difficultates solvuntur.

1. QUÆRITUR primò, utrum simoniaca sit mutua Beneficiorum permutatio? Respondeo non aliam inesse simoniam, quàm Juris Canonici & Ecclesiastici, quatenus Concilium Turonense citatum in cap. *Majoribus*, de præbend. probibet Dignitatum Ecclesiasticarum commutationem. Deinde vetita fuit generatim mutua quorumcunque Beneficiorum permutatio, cap. *Quæsitum*, cap. *Cùm olim*, cap. *Cùm universorum*, de rer. permut. Sed cùm spirituale altero spirituali commutetur, fatendum est prohibitionem istam non esse Divini Juris. Hujusmodi permutationem Bonifacius VIII. fieri demùm permisit hac lege, ut admittatur ab Ordinario Episcopalem habente potestatem, cap. unico de rer. permut. in 6. Itaque inferiores Prælati, quanvis habentes jus conferendi, non possunt conferre ex causa permutationis, ut post Bellameram docet Pastor lib. 3. de beneficiis, tit. 11. Quid si contingat Beneficia compermutanda esse in diversis diœcesibus? Respondeo id fieri posse uno ex tribus his modis: vel fiet in manibus utriusque Episcopi am-

borum Beneficiorum resignatio, vel quilibet seorsim resignabit in manibus sui Episcopi, vel alter Episcopus alteri Episcopo suam committet authoritatem, & subinde ambo simul in manibus unius Episcopi renunciabunt in mutuum favorem; & hoc videtur melius, ut Glossa dicit in d. cap. unico, verb. *Collationem.*

II. Quæritur secundò, quid juris sit ubi quis suo renunciat Beneficio in alterius favorem, hac lege ut ille resignatarius, aut alius aliquis tertius suo quoque alteri Beneficio renunciet, sive in favorem prioris resignantis, sive in favorem alterius cujuscumque? Quæ complicatæ resignationes vocantur à quibusdam triangulares. Respondeo inesse quoque ibi simoniam, non contra Jus Divinum, sed contra Jus Canonicum. Huc enim extenditur prædicta duorum Beneficiorum mutua permutatio, cùm sit in his par ratio. Rebuffus in praxi, tit. de resignat. conditionali, num. 1. & 2. Navarra Manual. cap. 23. num. 100. Azorius institut. moral. p. 2. lib. 7. cap. 27. Hanc tamen Ecclesiasticæ simoniæ labem non potest purgare, sed solam mutuam Beneficiorum permutationem, quibus provisi sunt compermutantes, ut ibidem Navarra docet. Cæteræ quoque omnes in Beneficiis consequendis pactiones & conditiones, etsi nihil interveniat pecuniæ, vetantur absolutè ut simoniacæ Canonico seu Ecclesiastico Jure, sed non Divino, cap. fin. de pactis. Atque in his ut valeant requiritur authoritas Papæ, cujusmodi sunt resignationes in favorem citra præfatam mutuam compermutationem. Rebuffus loco cit.

III. Tertiò quæritur, utrum simonia sit ubi quis proprio Beneficio renunciat in favorem hac lege ut sibi resignatarius refarciat impensas quas resignans sustinuit in adeptione aut conservatione ejusdem quod resignat Beneficii, quandoquidem illæ expensæ proficiunt resignatario; nisi enim resignans per has expensas sibi Beneficium procurasset, aut conservasset, eo careret, atque ita non potuisset transmittere ad resignatarium? Respondent egregiè Parisius, Suarez, Reginaldus, Binsfeldius, Bonacina, Filliucius, esse simoniacam conventionem. Neque instes abesse simoniam ubi nihil præter indemnitatem quæritur. Non enim alia in hac materia indemnitas approbatur, nisi sola quæ compenset laborem aut expensas cum ...sa resignatione conjunctas in resignatarii favorem, sed nullatenus illas ...as hic resignans olim sustinuit ut sibi Beneficium assereret: istæ namque nihil habent cum resignatione commune, neque factæ sunt propter resignationem præsentem, sed propter commodum & possessionem ejus qui nunc resignat. Et quanvis resignatarius inde commodum accipiat, id evenit per accidens & indirectè, sed non directè, neque per se. Probatur responsio authoritate pariter capitis *Cum pridem*, de pactis: ubi Alexander III. rogatus approbare renuit conventionem, quâ quis renunciabat liti à se intentatæ super Beneficio, dummodo sibi reficerentur illius litis expensæ. Et ratio hujus exclusionis est, quia iste transigens non expenderat

in

in gratiam collitigantis, sed in sui ipsius gratiam; ideoque non erat justâ illas resarciendi causa.

IV. Quartò quæritur, an simoniâ peccet is qui bona sua confert ad novi Beneficii fundationem, cum pacto ut idem sibi Beneficium conferatur? Respondeo peccare simoniâ, idque asseritur per cap. *Non est putanda*, 1. quæst. 2. & cap. *Ex multis*, 1. quæst. 3. & cap. *Tua nos*, de simon. ubi præterea hoc sancitur, quod si remotâ omni pactione & intentione simoniacâ, etiam occultâ & mentali, fundator preces adhibet ut sibi istud à se fundatum Beneficium conferatur liberè & spontaneè, eo casu poterit eidem conferri. Quod verò ibi statuitur de præbenda nullatenus ex pacto conferenda fundatori ejusdem, hoc idem statuendum de alia quavis præbenda quam aliquis sibi aut alicui suorum conferri paciscceretur dum fundat aliud Beneficium, quasi in compensationem aut remunerationem antidoralem, aut in permutationem suæ novæ fundationis. Augebitur verò, & gravius erit simoniæ delictum, si pactio hujusmodi fiat super Beneficio necdum fundato, sed fundando, ut contingit cùm quis ad obtinendum sibi aut filio Beneficium jam existens, confert prædium, vel numeratam pecuniam, ex qua novum aliud fundetur beneficium: tunc enim fit commutatio rei temporalis ad rem sacram; Beneficium namque fundandum, non est Beneficium, & priùs quàm facta sit, & ab Ordinario recepta & approbata fundatio, prædium aut pecunia ad hóc destinata manet adhuc sub genere rei merè temporalis & profanæ, & sub ista conditione magis reprobabitur per d. cap. *Tua nos*. Sanè potest quis ex jure communi, & citra omnem Papæ dispensationem, postquam novum de suis opibus Beneficium fundaverit, & hoc facto jus sibi patronatus acquisiverit, præsentare collatori ad fundatum à se Beneficium aliquem suorum qui sit capax, non tamen seipsum, ut dictum est superiùs sub tit. de jurepatronatus. Collator verò tenebitur præsentatum instituere, etiamsi proprium filium patronus præsentaverit. Non enim in hujusmodi censentur pater & filius pro una eademque persona, neque fictio juris attenditur in spiritualibus, ut nec in naturalibus rebus, cap. *Si annum*, §. final. de judiciis in 6.

V. Quintò quæritur, an simoniacæ vel illicitæ sint consuetudines vel statuta, quorum præscripto Canonici dant aliquid in sua receptione? Opinio multorum est, hæc esse licita, Joan. Andreæ in cap. *Nemo*, de regul. jur. in 6. Joan. de Anan. in cap. *Jacobus*, de simon. Cosmæ Guimier in Pragmat. Sanct. tit. de annatis, verb. *Consuetudinis*: Fagnani in cap. *Præterea*, num. 65. & num. 81. Ipseque Cosmas Guimier approbat consuetudinem tota ferè Normannia & in diœcesi Parisiensi receptam, aliisque multis locis, ut Episcopi & Archidiaconi fructus percipiant primi anni vacantium Beneficiorum, quod vulgò dicitur *Jus deportus*. Tali consuetudini Jus alicubi favere videtur; decernit enim cap. *Significatum*, de præbend. posse à Prælato, vel à Capitulo imponi aliquod onus Præbendæ vacanti, ad

quod postea teneatur Præbendarius. Et cap. *Præsenti*, de offic. jud. ordin. in 6. tales consuetudines legitimè præscriptas approbat circa onera quæ vacantibus Ecclesiis imponuntur. His superaddit Fagnanus judicium sacræ Congregationis Tridentini Concilii, quo Cardinales approbarunt consuetudinem illam quâ fructus vacantium præstimoniorum pro medietate cedunt in utilitatem Capitularis Mensæ: neque his refragari Concilium Trident. sess. 24. cap. 14. eo quòd, inquit Fagnanus, Concilii mens intendat reprobare onera quæ Beneficiatis, non verò quæ Beneficiis imponuntur; ut non recusèt licitè imponi onera Beneficiis, sed illicitè & simoniacè Beneficiatis. Qua eadem distinctione contendit ibidem annatas Dignitatum licitè exigi à suprema Sede, spectatas quasi onera ipsis Dignitatibus, sed non personis provisorum Prælatorum imposita.

VI. Hìc aliquis demirabitur illam Fagnani distinctionem, ut simoniæ vitandæ gratiâ necesse sit onerari Beneficium, non autem Beneficiarii personam. Cùm tamen ex adverso sacri Canones reprobent quasi simoniacum si Ecclesiæ, vel Præbendæ onus imponatur: probent verò si Præbendato idem onus imponatur, ut liquet ex cap. *Nisi*, de præbend. his verbis: *Nos eam provisionem adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata.* Eandem requirunt præcautionem cap. *Veniens*, de transaction. & cap. *Cùm venissent*, de institution. Verumtamen Canones qui statuunt onerandum Præbendatum, sed nullatenus Præbendam, hoc unum volunt, ut mortuo Præbendato cesset onus, nec transmittatur ad successores, & ne Præbenda oneretur, hoc est ne onus transeat cum Præbenda à prædecessoribus ad successores. Sed diverso sensu Fagnanus non vult onerari Præbendatum hoc ipso respectu, quod de Præbenda provisus fuit, ne id onus temporale induat rationem pretii ab ipso propter collatam sibi Præbendam exsolvendi, quod esset apertè simoniacum: sed vult istud onus insidere Præbendæ quasi æs alienum ex ipsius fructibus persolvendum, ut contingit in aliis quibuscunque pecuniariis debitis, pro quibus oppignorari solent etiam Beneficii fructus.

VII. Omnibus tamen sedulò exploratis standum est demùm huic distinctioni, quam perhibet ipsum Tridentinum Concilium sess. 24. de refor. cap. 14. Vel munera illa quæ jure consuetudinis vel statuti exigi solent in Canonicorum admissione, cedunt lucris particularium de Capitulo, vel conferuntur ad pias causas, scilicet ipsius Ecclesiæ, vel pauperum: & hoc solo pietatis casu esse approbandas, non autem si cedant in lucrum collegarum, utpote sordidum, abusivum, & simoniacum. Hæc quoque diu pridem reprobata fuerunt per can. *Cùm omnis*, 1. q. 1. & cap. *Sicut pro certo*, de simon. & cap. *Sanè*, in extravag. comm. de simonia: ubi dantes & recipientes pastus, dulciaria, jocalia, vel hujusmodi pro admissione in Ecclesiam, Prioratum, vel Monasterium cujusvis sexus, declarantur ipso facto

facto excommunicati ; Capitula verò & Monasteria suspensione puniuntur : quarum censurarum absolutio soli Papæ reservatur. Easdem innovavit pœnas Pius Papa V. in Bulla 104. quæ incipit, *Durum nimis*. Illæ tamen censuræ ob continuam ac ferè generalem oppositam praxim sine ullo ad Apostolicam absolutionem contravenientium recursu nunquam receptæ ac admissæ in hoc Regno fuerunt. Eos qui persolvunt hujusmodi ad redimendam vexationem, sub qua certissimè in judicio succumberent, à peccato equidem hoc in Regno exemerim, sed non eos ullatenus qui ab aliis recipiunt, cùm ad hoc à nemine adigantur. Lessius quidem generaliùs affirmat lib. 2. cap. 35. dub. 23. num. 131. ipsam Extravagantem non esse absolutè receptam.

VIII. Sextò quæritur de transactione circa litigiosa Beneficia, utrum sit simoniaca ? Non ambigitur quin gratuita cessio litis sit omninò licita, quippe quæ nullâ afficitur pactione onerosâ, ideoque approbatur in rebus spiritualibus & sacris, cap. *Super eo*, de transaction. Sed tota volvitur difficultas circa transactionem, quæ ritè definitur, Pacti non gratuita de re dubia & incerta ad litem dirimendam. Transigitur itaque vel compensando rem spiritualem cum temporali, vel rem spiritualem cum alia spirituali. Neque huc pertinet tertium transactionis genus, quo temporale cum alio temporali compensatur.

IX. Transactio rei temporalis cum re spirituali compensata est apertè atque indubiè simoniaca, cap. *Cùm pridem*, de pactis, cap. fin. de rer. permut. cap. *Præterea*, 1. & 2. de transact. Atque ita illicitum est componere litem Beneficiariam traditâ, vel promissâ pecuniâ, vel re pecuniâ æstimabili, cap. *Constitutus*, de transaction. Similiter simoniaca est transactio pecuniaria circa Reliquias. Bonacina tract. de simonia, disp. 1. q. 4. §. 5. num. 3. Non tamen ex illius parte qui cùm aliter non possit, Reliquias pecuniâ redimit ab injustò detentore. Hac enim ratione Christiani olim Martyrum corpora à carnificibus redimere solebant. Neque ambigendum, posse Sanctissimam Eucharistiam de impiorum aut infidelium manibus pretio redimi. Item simoniacum est acquirere jus præsentandi adhibitâ pecuniâ, cap. *Præterea* 1. de transaction. Item subjectionem Ecclesiæ, aut Ecclesiasticam jurisdictionem, cap. *Præterea* 2. eod. tit. Potest tamen Episcopus, modò nihil interveniat pecuniæ vel pretii, sua approbatione validam reddere transactionem, per quam census super aliquam Ecclesiam imponatur, cap. *De cætero*, de transaction.

X. Transactio verò rei spiritualis cum alia re spirituali Divino Jure licita est, etsi fieret propria, privatáque authoritate. Sed est quandoque illicita & humano jure simoniaca, propter Ecclesiæ prohibitionem. In primis enim vetat Ecclesia omnem cum laïcis compositionem circa decimas citra Papæ approbationem, can. *Decimas*, 16. quæst. 7. cap. *Veniens*, de transaction. cap. *Venerabiles*, de confirm. utili, vel inut. At verò inter

Ecclesiasticas utrimque personas de jure decimarum contendentes non exigitur Papæ approbatio, cùm sufficiat Episcopi consensus, cap. *Statuimus*, de transaction.

XI. Secundùm Summorum Pontificum Decretales explorati juris est, posse ab Episcopis constitui pensiones super Beneficiis propriæ collationis, tum in permutatione mutua Beneficiorum, ad compensandos pinguioris ac ditioris Beneficii fructus cum tenuiori compermutato, dummodò pensio illa ad successores Beneficii non transmittatur. Hoc enim disertè sancivit Alexander III. cap. *De cætero*, de transaction. & Clemens III. cap. *Ad quæstiones*, de rerum permut. Tum etiam in transactionibus ad componendas lites & dissidia, quæ sine ulla fraude, aut Partium collusione moventur, ut pari perspicuitate decernit Innocentius III. cap. *Nisi essent*, de præbend. ut uni contendentium Episcopus Beneficium, alteri pensionem adjudicet.

XII. Quia tamen sive ad pleniorem cautionem, sive per ignorantiam juris contigit, ut Episcopi hac potestate rarò usi sint, quatenus Partes, omissis Ordinariis, ad solum Romanum Pontificem recurrere consueverunt, discordant ab invicem Doctores, utrum sacra ista potestas integra penes Episcopos perduret, an verò per non usum prorsus exoleverit? Perdurare in primis affirmat Glossa in cap. *Audivimus*, verb. *Pensio*, de colluf. deteg. item Gigas tract. de pension. quæst. 6. pro hac parte allegans Felinum & Antonium de Butrio. Similiter Ancharanus consil. 280. Oldradus consil. 226. Gomesius tract. de utraque Signatura, Abbas in d. cap. *Nisi essent*, de præbend. & in cap. *Pastoralis*, num. 4. de his quæ fiunt à Prælat. Paulus Romanus tract. de Pensionibus, cap. 15. num. 10. Azorius part. 2. lib. 8. cap. 6. quæst. 1. docent in pensionibus super Beneficiis imponendis hoc solo Episcopos discriminari à Papa, quia pensionum ab Episcopis impositarum onera sunt personalia, quatenus Beneficiis non imponuntur, sed solius Beneficiarii præsentis personæ, atque ita ad successorem non derivantur; cùm tamen Papa jus habeat pensionem constituendi super ipso Beneficio, ut ad successorem transmittatur, dum erit superstes præsens pensionarius. Idem sentit Caietanus 2. 2. quæst. 100. art. 4. Sylvester verb. *Permutatio* 2. quæst. 6. Tabiena verb. *Beneficium* 3. num. 15. Contrariam tamen tuentur sententiam Navarra Manual. cap. 23. num. 100. vers. 3. Covarruvias lib. 1. variar. resolut. cap. 5. num. 8. & seqq. Sotus lib. 9. de justit. quæst. 5. art. 2. & quæst. 7. art. 2. Bonacina tract. de simonia, disp. 1. quæst. 12. n. 10. aliique solo non usu Ordinariorum innixi. De Gallia verò nostra testatur Louetus lit. *C*, cap. 40. ejusque Scholiastes Brodeus, Episcopos ista excludi posse potestate, quam tamen eis adhuc competere, noviss imè scripsit Pastor Gallicanus Jurisconsultus lib. 3. de Beneficiis, tit. 11. num. 9. & tit. 12. num. 9. Rebuffus verò in praxi, tit. de reservationib. num. 29. ignorationem Juris Canonici, qua laborant Gallicanæ Curiæ, vituperat; quæ cùm ex officio proprio profiteri soleant Pragmaticam Sanctionem sequi Sancti

Ludovici

Ludovici prohibentis Gallicanas pecunias pro Ecclesiasticis rebus extra Regnum transportari, suique jactant officii esse tueri sacros Canones usque adeò hac in re perspicuos & sæpiùs iteratos, simulque Bononiense Concordatum, quo reservationes Romanæ Curiæ coarctantur, hoc Episcoporum jus à sacris Canonibus concessum inane in hoc Regno esse patiuntur. Verùm discussis ignorantiæ Canonum tenebris, posset jus istud in Galliam postliminio reverti.

XIII. Quin etiam non solùm antiquiores ex Italia Canonistæ superiùs prolati, verùm etiam nostris diebus Sanlegerius Consultorum S. Officii Decanus, Romanis in causis exercitatissimus, parte 2. qq. Beneficial. cap. 1. §. 4. num. 75. ita resolvit: *Potest igitur Episcopus pensioni super Beneficio creandæ authoritatem interponere, quando id fit cum justa causa; & tunc hæc sufficit absque eo quod necesse sit ad Apostolicam Sedem recurrt. Causæ autem justæ sunt veluti pro bono pacis, vel pro studio alicujus pauperis scholaris, vel ad utilitatem Ecclesiæ, ad sedandas lites, vel pro alimentis illius qui Beneficio renunciavit, dummodò id fiat in quantitate moderata, & nullâ Partium conventione præcedente. Rebuffus de pacif. possess. num. 122. qui addit alias etiam causas, nempe senectutis, paupertatis, necessitatis ob æs alienum, & similes, de quibus Gigas etiam de pensionib. quæst. 1. num. 4. Inter cæteras justas causas imponendæ, & creandæ Episcopali authoritate pensionis, hanc alias Romana Rota admisit, si Episcopus proprio nepoti pensionem assignaverit, quo facilius studio Theologiæ incumbere possit, ut in decis. 166. num. 4. parte 2. in recentior. In dubio verò pensio, si nihil dictum sit, censetur in causam alimentorum reservata. Gabriel consil. 191. num. 2. lib. 2. & post eum Gratianus disceptat. forens. 548. num. 24. Sed inter pensionem authoritate Pontificia impositam, & illam quæ Episcopi authoritate nititur, hæc est notabilis differentia, quod illa quæ fit approbatione Episcopi successorem in Beneficio non ligat: secus est de Pontificia pensione, quæ etiam successores in Beneficio ligat & afficit. Gigas tract de pensionib. q. 6. n. 4. Limita, nisi pensio imposita, & creata fuisset pro bono pacis, & ad sedandas lites; quia tunc etiam afficit Beneficii successores, quantumvis solius Episcopi authoritas in illius creatione intervenerit. Gratianus disceptat. forens. cap. 617. num. 16.* Hactenus verba Sanlegerii, per quæ graves resolvuntur disceptationes. Verumtamen ut valeant ab Episcopo constitutæ pensiones beneficiariæ, idem Rebuffus ibid. num. 121. & 122. duo admonet esse cavenda. Primum, ne Episcopus constituat pensionem super quotam redditiuum partem, v. g. tertiam, vel quartam fructuum; sed potiùs designet numerum aut quantitatem certam ac individuam, tot nummos, tot tritici medimnos, tot vini amphoras. Cæterùm ut sincerè loquar, præcautio ista plus habet inanitatis quàm soliditatis, neque solo isto defectu infirmanda foret Episcopalis pensio. Secundò ne constituatur ex præcedente Partium conventione, quæ licita esset penes Pontificem, sed simoniam saperet penes Episcopum; sic enim decernitur in cap. *Nisi essent*, in fine, de præbend. *Possunt*

licitè

licitè, non quidem ex pactione Partium, sed ex jussione Judicum provisionem hujusmodi exhibere.

XIV. Ubi pensio assignata terminum Canone vel consuetudine præscriptum excederet, qualis est in Italia dimidium fructuum, in Gallia verò tertia eorumdem pars, non ideò esset pensio prorsus dissolvenda, sed solummodò ad terminos à jure præfixos reducenda, scilicet in Italia ad semissem, seu dimidium; & in Gallia ad trientem, id est tertiam partem reducenda, ut docent Parisius de resignat. lib. 6. quæst. 2. num. 144. Mantica decis. 153. num. 2. Gratianus discept. 995. num. 11. Sanlegerius d. §. 4. n. 41. 42. & 43.

XV. Rebuffus tit. de simonia in resignatione, num. 17. rectè admonet non posse citra simoniæ labem dari pecuniam aut aliud temporale, etiam ad redimendam vexationem, pro nondum adepto Beneficio, quantumvis aliquis habeat jus ad rem; sed tantùm pro Beneficio acquisito, & in quo habet ipsum jus in re. Id constat ex cap. *Matthæus*, de simonia, ubi is qui fuerat à majore Capituli parte nominatus ad præbendam, sed nondum provisus ob minoris numeri contradictionem, pecuniâ redemit hanc vexationem minoris numeri, atque ita nemine discrepante provisus fuit; jubetur nihilominus ut se abdicet eadem Præbenda, ex causa simoniæ quæ provisionem illam præcesserat.

XVI. Si Canonici conveniant invicem, Des mihi pro meo nepote tuum suffragium ac votum in ista Præbenda, & ego polliceor tibi vicissim meum pro tuo nepote suffragium ad alteram primùm vacaturam Præbendam; est pactio apertè simoniaca, quia omnis conventio in spiritualibus ableganda est, cap. *Quàm pio*, 1. quæst. 2. cap. *Cùm pridem*, & cap. *Pactiones*, de pactis. Similiter simoniacum est, si quis dicat, Nunquam me vivo fiet iste Canonicus, nisi is pro quo rogavi eligatur. Joan. de Selva de Benefic. parte 1. quæst. 7. num. 64. Rebuffus tract. de pacificis possessoribus, num. 136. Sicque multi comperiuntur Canonici simoniæ rei.

CAPUT V.

Altera elucidatur in materia simoniæ difficultas circa Monasteriorum ingressum.

I. SEPTIMÒ quæritur, utrum contrahatur simonia quoties in ingressu Monasterii ex mutua conventione aliquid datur, vel exigitur titulo alimentorum & onerum Monasterii? Hæc verò verba de alimentis & oneribus Monasterii ideò hîc appono, quia indubium esse apud omnes debet, committi simoniam si pactio pecuniaria

pecuniaria versetur circa ipsam in Monasterium admissionem : quandoquidem Religio sacra quædam res est, tam in pauperibus, quàm in opulentibus Monasteriis. Atque juremeritò damnatur omnis convento pretio adveniens Monasteriorum ingressus tanquam simoniacus in Nicæno Concilio secundo act. 8. can. 18. Deinde in Lateranensi sub Alexandro III. can. 10. Postmodùm in alio Lateranensi sub Innocentio III. can. 64. & habetur in cap. *Quoniam simoniacam*, de simon. & in aliis Juris locis.

II. Restrictim autem circa titulum alimentorum aliarumque communium & particularium Monasterii expensarum, sive ordinariè, sive extraordinariè occurrentium difficultas in duas potissimùm discinditur sententias. Quidam enim indistinctè docent hoc præcisè titulo licitum esse paciscì etiam in opulentis Monasteriis. Horum summa ratio est, quia cùm alimenta & reliqua pecuniarias expensas exigentia Monasteriorum onera sint res merè temporales, nullatenus esse possunt materia simoniæ Divino Jure vetitæ. Adduntque ad suæ munimen sententiæ, in Matrimoniis Fidelium iniri dotales conventiones & pecuniarias pactiones ad onera matrimonii sustinenda, juxta legem *Pro oneribus*, C. de jure dot. etiam in opulentissimis familiis : quæ tamen immunes sunt à labe simoniæ, quanvis matrimonium ipsum, cui pecuniariæ illæ conventiones accidunt, non modò sit res sacra, sed etiam Scripturâ teste magnum Sacramentum in Christo & in Ecclesia, Ephes. 5. 32. Hæc est opinio Dominici Soto, Bonacinæ tract. de simonia, disp. 1. quæst. 7. §. 4. num. 4. 5. 6. Lessii lib. 2. cap. 35. dub. 23. ubi dicendo licitam esse dotis conventionem pro alimentis Monialis, maximè si Monasterium tenue sit, perspicuè insinuat locum esse quoque huic definitioni in Monasteriis commodis, sed majori tamen ratione in tenuibus. Azorius item 1. p. lib. 13. cap. 9. quæst. 1. indistinctè approbat istas in Monasteriorum ingressu conventiones, modò pro dote & alimentis conveniatur, & non præcisè pro admissione in Religionem. Et postquam citavit S. Thomam 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. ubi Sanctus Doctor reprobat istas pactiones si fiant in Monasteriis opulentis, respondet ibi Azorius hoc genus prohibitionis & simoniæ esse solummodò Ecclesiastici Juris, & non Divini ; eique jam inde à plurimis annis receptam ubique locorum consuetudinem oppositam derogasse, & demùm illud prorsus abrogasse ; ita ut Canones Conciliorum qui hoc simoniæ genus invexerant jampridem, nullatenus obligent. Ista quidem opinio quanvis longè invaluerit, laxa nimis & periculosa mihi visa est, & subinde probabo per eam violari Jus quoque Divinum, tam in Monasteriis tenuibus, quàm in opulentis, si conventio pecuniaria versetur circa ipsam in Monasterium admissionem, cùm utrobique res sacra per pactionem pecuniariam conferatur & recipiatur ; quod utique ipsam includit simoniæ definitionem. Si verò pactio ista fiat præcisè propter alimenta & onera Monasterii sustinenda, commonstrabo esse simoniacam, & contra Jus Divinum

in Monasterits opulentis, nullatenus verò in illis quæ inopiâ laborant. Alia est quorumdam in oppositam extremitatem cadens opinio, nullatenus fas esse de pecuniaria contributione paciſci, ſive conveniatur pro alimentis aliisque expenſarum Monaſterii oneribus, ſive pro ipſamet admiſſione in Religionem; ſive Monaſterium indigeat, ſive commodum ſit: quæ rigiditas magis in affectu ad extrema omnia rigida conſectanda, quàm in ulla ratione fundatur.

III. Tertia, eaque reliquis duabus longè præferenda ſententia eſt Sancti Thomæ, Sancti Bonaventuræ, S. Raymundi, & aliorum mox citandorum ſic diſtinguentium. Primùm quidem nefas & ſimoniacum eſſe etiam in Monaſteriis inopiâ laborantibus paciſci pecuniariam contributionem pro admiſſione in Religionem, idque Divino Jure prohiberi, cùm Religio ipſa ſit res ſpiritualis & ſacra, & ſimonia jure naturali prohibita omnis illa ſit quæ rem ſacram contribuit propter pecuniariam contributionem: eaque de cauſa Concilium Lateranenſe damnat in can. 64. omnes eas Moniales quæ prætextu paupertatis pretio aliquas in Sorores recipiebant. Ubi verò pactio pecuniaria circa ſolas temporales monaſterii expenſas & alimenta præſtanda verſatur, non verò circa bonum ipſum ſpirituale Religionis, ita diſtingui volunt: Vel Monaſterio bona temporalia ita ſuppetunt, ut his expenſis & alimentis commodè ſufficiant; & iſto caſu pactiones pro his initas docent eſſe ſimoniacas etiam contra Jus Divinum: Vel Monaſterium ita indiget, ut non poſſit expenſas iſtas & alimenta præſtare, niſi perſona poſtulans pro his temporalibus ea quæ ſunt neceſſaria contribuat; & iſto caſu nullam exiſtere contra Jus Divinum ſimoniam, & licitum eſſe ita paciſci reſpectu Monaſteriorum indigentium, ſed non opulentorum.

IV. Objiciet aliquis hanc eſſe ſupervacaneam diſtinctionem; alimentaque à Monaſterio præſtanda, cùm ſint merè temporalia, poſſe pecuniariâ pactione compenſari indiſtinctè ab ipſis etiam opulentis Monaſteriis; quandoquidem opulentia Monaſteriorum non immutat rerum naturam, & in hac pactione peræquè in opulentis Monaſteriis atque in Monaſteriis indigentibus res temporalis aliâ re temporali compenſetur; cùm tamen ſimoniæ conceptus & definitio includat neceſſariò aliquid ſpirituale. Ad hæc reſpondeo, licèt temporalia Monaſteriorum bona ſeorſim ſpectata ſint aliquid temporale, eſſe tamen ſpirituale jus Religioſo acquiſitum, ut participet opibus Monaſterii in iis quæ ad victum ſibi à Religione præſtandum pertinent. Si ergo Monaſterium temporalia poſſidens in ea quantitate ut poſſit poſtulanti ſemel admiſſo omnia ad corporis vitam neceſſaria præſtare, paciſcatur pecuniam pro alimentis ei præſtandis, vendit ei pretio jus illud quo tenetur Monaſterium de bonis temporalibus quæ poſſidet ſuppeditare Religioſis omnia neceſſaria ad victum intra Religionem tranſigendum. Monaſterium verò his temporalibus carens quæ victui poſtulantis

stulantis sufficere possent, non censetur vendere ea quæ non habet, neque ea suppeditare tenetur quæ non habet; atque ita liberè potest de iis pacisci quæ postulanti cùm fuerit admissus præstare pro victu teneatur. Atque in his Monasteriorum temporalibus facultatibus inest par ratio quæ in Beneficiorum temporalibus: & utraque temporalia Monasteriorum & Præbendarum sunt spiritualibus conjuncta. Et quemadmodum non potest in Beneficio conferendo, aut per resignationem in alium quempiam transmittendo, vendi citra simoniam jus illud fruendi proventibus Beneficii temporalibus, ob ejusmodi cum spirituali re connexionem, adeò ut qui unum vendit, alterum, nimirum spirituale, non relinquat inventum, ut decernitur per cap. *Si quis objecerit*, 1. quæst. 3. eadem viget ratio in Monasterii temporalibus bonis quæ Religionis communibus & particularibus necessitatibus & commodis destinata sunt. Etenim in Religionem seu Monasterium assumptio nihil est aliud quàm admissio ad communia Monasterii bona, tum spiritualia, tum temporalia. Cùm igitur inter religiosæ ac monasticæ vitæ bona recensendum sit jus singulis Monachis aut Monialibus competens, ut de communibus bonis Monasterii alantur, illud jus planè spirituale existit, & à vita religiosa indivulsum; ideoque non potest pactione pecuniariâ futuris Religiosis vendi. Secus est in tenuibus Monasteriis, quæ cùm bonis careant quibus noviter admittendus ali possit, hæc quæ non existunt bona, neque sacra, neque spiritualia dici possunt; imò neque bona, quia juxta Philosophum non entis nullæ sunt qualitates.

V. Objectio porrò de pactis dotalibus nihil obsistit. Quandoquidem pacta illa nullatenus pertinent ad Matrimonium, ut est Sacramentum, sed ut est civilis contractus omnibus gentibus etiam infidelibus communis. Ipsæque dotes & nuptiales conventiones erant in communi usu matrimoniorum antequam lex Christi Matrimonia Fidelium elevasset ad dignitatem Sacramenti, quæ posterior est & accessoria ad civilem contractum, sicut consecratio posterior est & accessoria, prorsusque accidentaria Calici, nec impedit quin licitè Calix vendi possit.

VI. Posse verò Monasterium inopiâ laborans de pecunia pacisci in alimoniam ejus qui suam in Religione prosequitur admissionem, & cujus victui Monasterium suppeditare non sufficit, modò ne plus petatur quàm opus sit, docent duo illa in Ecclesiæ cœlo primæ magnitudinis sydera, & professionis regularis, cujus utique officia ignorare non poterant, præcipua columina Sancti Thomas & Bonaventura. Ex his S. Thomas duobus præsertim locis, in 4. Sent. dist. 25. quæst. 3. art. 2. ad 7. & in Summa Theologica 2.2. quæst. 100. art. 3. totus est in hac distinctione dati & accepti pro pretio rei spiritualis, quæ est Religio; & dati & accepti pro alimonia, quæ est temporalis: & istud quidem nullam involvere simoniam probat ex 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis pascit gregem,*

& de lacte illius non manducat ? Secundò idem probat ex ſtipendiis Clericorum ad ſacra obeunda miniſteria, ad pſallendum in Choro, ad Miſſarum onera, ſeu pro vivis, ſeu pro defunctis; ad aſſiſtendum Proceſſioni. Deinde ad quartum argumentum quod ipſe ſibi objecerat de Monaſteriis in quibus aliquid à perſonis quas recipiunt exigitur, reſpondet his verbis: *Dicendum quod pro ingreſſu Monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium: licet tamen ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiunt Monaſterii opes.* Hæc ultima verba, *Si ad hoc non ſufficiunt Monaſterii opes*, omnem præcludunt evaſionem illorum qui verba S. Thomæ reſtringenda præſumerent ad ſponte oblata; quandoquidem in confeſſo eſt apud omnes, licere ſponte aliquid offerre, etiamſi ſufficerent Monaſterii opes; non enim ſponte & liberaliter oblata, ſed pactiones pecuniariæ ſimoniam conſtituunt.

VII. Sanctus verò Bonaventura non poſſet dilucidiùs mentem ſuam explicare. In libello enim Apologetico adversùs illos qui Ordini Fratrum Minorum adverſantur, & habetur in primo tomo opuſculorum ejus, proponit quæſt. 18. hanc adverſantium ſuo Ordini objectionem. *Cùm ergo ſitis informatores earum* (loquitur de Monialibus S. Claræ) *quare permittitis quod plures apud eas impurè, id eſt per pecuniam, recipiuntur, quæ ſi nihil ſecum ferrent, nullatenus reciperentur, & ut certè ſimonia videtur? Reſponſio: Si illud alii faciant, de hoc non à nobis, ſed ab illis eſt ratio exigenda. Sed tamen ut ſatisfaciamus quærentibus, ſciendum quod quantum ſpectat ad hanc materiam quadruplex eſt forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Prima quando aliquis recipitur nec pro pecunia, nec cum pecunia, ſed purè pro Deo: & iſta eſt puriſſima coram Deo & hominibus. Secunda quando aliquis recipitur non pro pecunia, ſed cum pecunia, ita ut ſi nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo: & ſimiliter hoc purum eſt coram Deo, ſed cautè agendum eſt coram hominibus, ne detur eis occaſio ſcandali, & ne ſit ibi affectus avaritiæ infectus ex ſpe lucri. Tertia quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur ſine pecunia, eo quòd non habent aliter ei qui eum recipiunt in neceſſitatibus corporis providere, cùm tenues facultates domus vix ſufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, & iſtos ſuis neceſſitatibus ſpoliare: ita quod talis perſona quæ ſic recipitur, ſi abundaret locus, ſine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias & nobilitatem ejus quæ habet naſum; nec tamen propter hoc ducit eam, quia naſum habet, quam tamen ſi naſo carreret, nullatenus duxiſſet. Et hoc non eſt impurum, licèt non appareat forſitan pulchrum. Quarta cùm aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod ſi poſſent illam pecuniam habere ſine perſona, non reciperent perſonam; ſed ut habeant pecuniam, perſonam recipiunt. Et hoc penitus impurum eſt & ſimoniacum; quia ibi pecunia eſt cauſa receptionis perſonæ, non è converſo. Ubi ergo recipitur perſona propter pecuniam, ſimonia eſt;*

quia

quia ibi venditur spirituale, id est consortium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur. De talibus dicit Ecclesiasticus cap. 27. Propter inopiam multi deliquerunt. Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam aliàs libenter reciperent si haberent unde eam pascerent, non videtur esse simonia, dummodò forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus quod Sorores Sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, siquando oportet eas plures personas recipere quàm de facultatibus Monasterii congruè valeant sustentari.

VIII. Doctor ergo Seraphicus negat esse simoniacum, si Monasterium non habens sufficientes facultates ad victum ejus quæ de novo postulat admitti, recuset illam admittere, nisi augmentum temporale pro suo victu conferat in Monasterium; sed si conferat, tunc postulans recipiatur, dummodo duo ista quæ sola exprimit, simul concurrant: primò ut Monasterium sit inops & insufficiens ad victum personæ postulanti suppeditandum: secundò ut persona propter Deum solummodò admittatur, & non propter pecuniam quam defert, adeò ut si Monasterii facultates ejus quoque victui sufficerent, nec persona postulans quidquam secum afferret, nihilo tamen minus in Monasterium reciperetur. Primam conditionem illam notent Monasteria quibus facultates suppetunt ad victum novæ postulantis; quam tamen admittere volunt sub obligatione dotis pecuniariæ, sed planè recusant citra talem obligationem: Sancti enim Doctores Ecclesiæ Thomas & Bonaventura apertè docent id esse illicitum & simoniacum. Secundam verò conditionem notent ipsa etiam Monasteria quæ inopia laborant, sed recipiunt personas non purè & simpliciter propter Deum tantum, sed propter dotem. Illa namque impura intentio nullatenus excusatur à simonia prætextu paupertatis, ut generale Concilium Lateranense dicto can. 64. apertè declarat: & Sanctis Thomas & Bonaventura locis citatis docent, ad evitandam simoniam debere personam admitti propter solum Deum, adeò ut si Monasterii opes sufficerent, nihilominus persona reciperetur sine ulla dotis conditione aut exactione; dos verò nullatenus in pactum deducatur, nisi hac sola consideratione alimentorum, quæ tenues Monasterii facultates exhibere non possunt.

IX. Utrum verò contributio postulantis pecuniaria deducatur in pactum cum duabus prædictis conditionibus quas Sancti Thomas & Bonaventura apertè requirunt ad hoc ut simonia vitetur, an verò sine pacto sponte offeratur, nihil pertinet ad quæstionem. Nam & in contributione spontanea sine ulla pactione interveniret mentalis simoniæ crimen, juxta utriusque Sancti doctrinam, tam in indigente, quàm in opulento Monasterio, si persona postulans reciperetur propter temporale commodum sponte oblatum, alioqui ne quidem in opulento Monasterio recipienda.

X. Petrus etiam Cantor Parisiensis Doctor qui duodecimo seculo floruit, sic loquitur in tractatu de Verbo Abbreviato, cap. 38. *Si monasterium adeò inops est ut non possit recipere aut nutrire sine pecuniæ contributione illum qui se offert ad Religionem, poterit huic concedere Confraternitatem spiritualem, non autem corporalem: vel etiam habito respectu ad domus inopiam & ad necessarias pro alimentis ipsius postulantis expensas,* EXIGERE ab illo ut SUB EA CONDITIONE ADMITTATUR, *quod suppeditabit Monasterio reddibus temporales ad subsidium & alimoniam vitæ suæ.* Hic Author apertè approbat pactiones & exactiones pro alimentis quando Monasterium est inops; & apertè reprobat quando Monasterium est commodum. Scripsit & obiit hic Author ante ortum Mendicantium Ordinum, & ante memoratum ipsum Lateranense Concilium.

XI. His adstipulatur Canonistarum coryphæus, à quo Decretalium volumen Gregorio Papa IX. jubente habemus, quique primus traditur Summam casuum conscientiæ composuisse S. Raimundus lib. 1. tit. 1. §. 22. in hæc ipsa verba: *Si Monasterium esset adeò tenue vel paupertate depressum, quod redditus vel vix, vel non sufficerent personis præsentibus, non solum intentionem possent habere, sed etiam credo quod possent dicere, Non sufficiunt nobis, libenter suscipimus te ad spiritualia; ad temporalia non possumus nisi habeamus plures possessiones: & tunc ille offerat se & sua. Quod autem dicitur in constitutione* (nimirum jamdicti Lateranensis Concilii) *eodem cap. Quoniam, vers. Paupertatis prætextu, de simon. intelligitur cùm hoc dicebant in fraudem.* Hactenus S. Raimundus.

XII. Franciscus Suarez de censuris disp. 22. sect. 5. num. 11. juremeritò reprehendit Dominicum Soto, qui lib. 9. de justitia & jure, quæst. 6. in fine, contra S. Thomæ, aliorumque veterum doctrinam asseruit licitum divitibus Monasteriis paciscì titulo alimentorum ante admissionem. Cùm enim Monasterium satis habeat unde admissa alatur, eaque bona sint ad Monialium alimoniam destinata, falsò prætexitur ad novam contributionem causa victus; atque ita pactio, vel exactio ista non cadit super alimentorum necessitatem, sed supra admissionem. Idem Suarez eadem repetit tomo 1. de Religione, lib. 4. cap. 17. Cujus vestigiis insistens Filliucius idem docet circa commoda Monasteria, tract. 45. cap. 4. num. 23. Eandem approbant distinctionem pauperis vel divitis Monasterii Caietanus in 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. Navarra Manualis cap. 27. num. 106. Toletus lib. 1. cap. 36. num. 9. asserentes licere paciscì præcisè pro solis alimoniis in Monasteriis inopibus, non in divitibus.

XIII. Taxatio verò facultatum Monasterii temporalium, secundùm quam minimè liceat ampliùs exigere ab admittendis, imprudentiùs à quibusdam determinatur ad arctam necessitatem. Majore prudentiâ & circumspectione sic providit Tridentina Synodus sess. 25. cap. 3. de Regularib. *In temporalibus Monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem, ut Monialium*

nialium numerus COMMODE *sustentari possit.* Præfatus Sanctus Bonaventura non est Doctor, cùm fuerit totius Ordinis sui Generalis Minister, qui argui possit modicæ circa res Monasteriorum experientiæ, neque permittit ejus eximia sanctitas ut à quoquam arguatur nimiæ erga Dei providentiam diffidentiæ. Ipse verò in tractatu determinationum quæstionum circa Regulam Sancti Francisci, quæst. 19. inter causas cur Communitas (ut loquitur) in religionis spiritu deficiat, allegat paupertatem nimiam: *Ex qua* (inquit) *Religiosi coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia ob nimiam inopiam non providetur eis in commune.* Hoc docent quotidiana quæ videmus Monasteriorum Monialium infortunia, & casus commiseratione digni; virorum namque Monasteria faciliùs ab hujusmodi damnis emergunt. Videmus in permultis virginum Monasteriis ad gravem inopiam redactis fuisse eò quandoque redactos Prælatos, ut solutâ clausurâ virgines ad proprios parentes transmiserint nutriendas, suasque operas, ne à propriis parentibus repellerentur, famulitia & opificia pro pane apud eos quærendo locaturas. Vidimus multoties facilè dissipatis Monasteriorum exiguis facultatibus, necesse fuisse quasi in communi naufragio, ut singulæ Moniales privatim suo victui consulerent, suas operas externis pretio ad vitæ subsidium exhiberent, proprietatem rerum quascumque corradere possent, sibi ad vitæ privatæ necessitates assererent, tempora orationi, vel lectioni destinata manuum labori insumerent, colloquia cum externis, à quibus subsidium aliquod sperabant, miscerent, ex quibus contingeret omnem interiorem & exteriorem disciplinam prorsus evanescere.

XIV. Et utique si adhibitis duabus superiùs præscriptis conditionibus, adhuc illicitum, & simoniacum esset de alimentorum contributione in Monasteriis convenire; pari, aut etiam fortiori ratione simoniacum esset Sacerdotibus circa justam & approbatam taxationem pacisci cum illis qui ab eis Missas, aut Missarum anniversarias celebrationes postulant: nec enim sacratior est, aut augustior intra Monasterium admissio quàm incruentum corporis & sanguinis Dominici Sacrificium, cùm nihil habeat Ecclesia quod hujus celebrationis sanctitatem æquiparet. Pari quoque ratione vocabitur simoniaca quæcumque protestatio, conventio & exactio distributionum pro Officiis Divinis in Choro, & quorumcunque stipendiorum pro Ecclesiasticis & sacris ministeriis, & procurationum pro Ecclesiarum visitationibus. Et certè justissima horum stipendiorum causa, omniumque præcipua eadem est tum in sacris Ecclesiæ ministeriis, tum in religiosa Monialium societate victus & alimonia Deo ministrantium.

XV. Inter Sanctissimos Præsules qui omnium seculorum decursu commissas sibi Ecclesias sanctissimè administrarunt, vix, imò ne vix quidem ullus censeri queat canonicæ disciplinæ tenacior Sancto Carolo Borromeo

romeo Mediolanensi Antistite, quem proposuit Deus omnibus Ecclesiæ Pastoribus in exemplum sacri zeli, constantiæ & vigilantiæ Episcopalis. Cùm verò ejus omnes Constitutiones tum ad Diœcesim amplissimam, tum ad universam, cui ut Metropolitanus præerat, provinciam spectantes exactissimâ diligentiâ collectæ fuerint in amplissimum volumem inscriptum *Acta Mediolanensis Ecclesiæ*; cumque accuratissima ipsius vitæ historia à pluribus qui diu cum illo versati fuerant Scriptoribus edita fuerit, nullum tamen tum in illis Constitutionum ejus collectionibus, tum in ejus vitæ serie, vel leve indicium reperitur, quo possit quis judicare sanctissimum & vigilantissimum Antistitem conatum fuisse ex tam multis, quibus invigilabat Monasteriis, imaginarium istud simoniæ genus pro necessariis in pauperibus Monasteriis postulantium puellarum alimentis eradicare.

XVI. Circa istas ingredientium Monasteria, sive ultroneas, sive conventionales obligationes temporalium facultatum, operæpretium fuerit referre Constitutiones ejusdem Sancti Caroli, per quas prudenter consulitur & puellarum ingredientium libertati circa professionem, & ipsorum Monasteriorum indemnitati. Constitutiones istæ habentur in duabus quibus vir Sanctus præsedit Synodis provincialibus, scilicet in prima anni 1565. cap. de novitiis ad professionem recipiendis: & in secunda anni 1569. tit. 3. de iis quæ ad Moniales pertinent. In his ergo statuitur, ut in ipso initio admissionis puellæ intra Monasterium contributio dotalis neque relinquatur in manibus parentum puellæ, neque in manus Monasterii consignetur, sed deponatur in manibus probi & facultatibus commodè instructi viri ab ipso Monasterio approbati, hac lege, ut si puella vel moriatur novitia, vel professionem emittere nolit, reddatur pecunia illis qui eam contribuerant. Sic enim providetur libertati puellæ, si dos de manibus Monialium non sit repetenda, sed de manibus depositarii, vel sequestri. Si verò contingat puellam exacto probationis anno profiteri, consulitur juri Monasteriorum, quæ pleruinque non possunt à morosis parentibus promissam dotem recuperare, qua ex causâ Monasteria sæpe ad paupertatis angustias redigi solent.

XVII. Extravagans Urbani IV. quæ est 1. de simonia, excommunicat cum reservatione ad supremam Sedem omnes exigentes aut paciscentes atque solventes aliquid, tam viros quàm fœminas, pro ingressu Monasteriorum cujusvis sexus, cœnas, prandia, pastus, pecunias, jocalia, aliásve quascunque res etiam ad usum Ecclesiæ vel pietatis destinatas. Ipsos verò Conventus, Capitula, Monasteria suspensionis sententiæ subjicit. Hanc extravagantem posteriores Summi Pontifices mitigarunt, Innocentius VIII. Martinus V. Clemens VII. Ex his Martinus V. declaravit se eximere ab hujus Extravagantis pœnis Moniales, aliásve personas de dote negotiantes aut convenientes ad ingressum fœminarum in Monasteriis recipiendarum, ut refert Sylvester verb. *Simonia*, num. 15. Hoc idem declaravit

ravit per speciale Breve Clemens VIII. non esse Moniales simoniæ reas paciscendo de dote recipiendarum pro sufficienti & congrua sustentatione. Et refertur à Basilæo Capucino in compendio privilegior. verbo *Moniales*, num. 16. & à Ludovico Miranda tract. de Monialibus, quæst. 8. art. 7. conclus. 1. Navarra in comment. ad cap. *Quoniam*, de simon. & in Manuali, cap. 27. num. 106. Lessio lib. 2. cap. 35. dub. 23. num. 131. Bonacina tract. de excommunic. in particulari, disput. 2. quæst. 3. puncto 29. num. 6. Quatenus autem Sylvester verb. *Simonia*, quæst. 19. & Navarra Manual. cap. 23. num. 111. dicunt excommunicationem nullam incurri nisi in Ordine & Beneficio, significant hoc ipso non esse receptam istam Extravagantem, quæ excommunicat simoniacos in Religionis ingressu; quod idem absolutè asserit loco citato Lessius. Verumtamen cùm mitigationes prædictæ Summorum Pontificum sola exonerent fœminarum Monasteria, posset adhuc ista Extravagans in suo robore perdurare circa Conventus & Monasteria virorum.

XVIII. Statuit caput unicum, §. *Sanè*, de statu Regul. in 6. in hunc finem, ut Monialium clausura commodiùs observetur, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ deinceps recipiantur in Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari. Ne, ut ait ibi Glossa, contra proprium institutum cogantur mendicare. Concilium verò Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 3. constituit ut in Monasteriis & domibus, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujus generis declarat solas esse de cætero Fratrum Capucinorum & Minorum de Observantia domos, is tantùm numerus constituatur & conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. His verò Constitutionibus cumulatè satisfaciunt & obtemperant Monasteria, quæ cùm non habeant sufficientes redditus ad victum noviter postulantium, requirunt ab eis contributiones, quarum præsidio possit Monasterium eis victum commodè subministrare. Cùm enim nova illa contributio inter Monasterii facultates computetur, sequitur per novas illas admissiones in Religionem nullatenus excedi numerum eorum qui ex redditibus Monasterii, aut ex consuetis eleemosynis ali possunt. Et intentio Concilii violaretur, si ad Religionem tales postulantes absque sustentatione admitterentur.

CAPUT VI.

Alia quædam circa simoniam difficultates elucidantur.

I. QUAVÒ quæritur, an sit simoniaca Reliquiarum venditio, aut locatio? Respondendum affirmativè, cùm Reliquiæ sint res sacræ, & in venditione & locatione pretium necessariò intercederet. Ita decernit Concilium Generale sub Innocentio III. can.62. & habetur in cap.fin. de Reliquiis & venerat. Sanctorum. His suffragatur Jus Civile, l. 3. C. de sacrosc. Ecclesiis. Sanè ut de Vasis sacris superiùs docui, ac de Calicibus consecratis, possunt eadem ratione vasa emi aut vendi, in quibus conditæ sunt sacræ Reliquiæ, dum nullatenus intendatur Reliquiarum venditio, neque harum ratione pretium augeatur. Abbas in cap. fin. de Reliq. Sylvester verbo *Reliquiæ*, Suarez tom. 1. de Religione, lib.4. cap.14. num.24. Præterea licitum est Reliquias de infidelium aut impiorum manibus pretio redimere. Proinde celebratur pietas Sancti Bonifacii Martyris, qui Martyrum Reliquias de carnificibus pretio redimebat; nec non Luitprandi devotio Longobardorum Regis, corpus Sancti Augustini Ecclesiæ Doctoris de manibus Barbarorum qui Sardiniæ dominabantur, ea insula ingenti persoluto pretio Ticinum transferentis.

II. Quæritur nonò, utrum aliis quoque titulis præter jam recensitos fas sit pecuniam pro rerum spiritualium contributione dare, vel accipere? Respondeo licere, tum ratione laboris, tum ratione debiti ad ministri sustentationem stipendii: nunquam tamen præcisè ratione sacri ipsius ministerii. Hæc propositio divinis testimoniis adstruitur, dicit enim Christus Dominus de sacris Ministris; *Dignus est operarius mercede sua.* Matth. 10. Apostolus quoque 1.Cor.9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte ejus non manducat? Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos vestra carnalia metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; & qui altari deserviunt, de altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Idemque 1.Timoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Idque apud omnes gentes etiam infideles naturalis luminis ductu receptum est. Ideoque Gentiles Ægyptiorum Sacerdotes sumptibus publicis alebantur, Gen. 47.

III. Decimò

III. Decimò quæritur, num possit Episcopus aut Parochus pecuniam exigere ad sacrum & spirituale ministerium, quod ipse tenetur ex officio præstare? Supponimus enim, posse exigere in iis quæ non tenetur exhibere ex obligatione officii. Distinguendum ità est: Vel ad ea præstanda quæ sunt officii sui habet congrua, & vitæ suæ honestè sustentandæ stipendia; vel non habet. Si habet, nihil potest exigere; & si quid exegerit, tenetur restituere, ut docent Caietanus ad 2. 2. quæst. 100. art. 3. Petrus Navarra lib. 4. de restitutionibus, cap. 12. num. 97. & Jus ita disponit cap. *Suam nobis*, de simon. ubi Papa Capellanum condemnat qui pro exequiis defunctorum, & pro nuptiarum benedictionibus pecuniam exigebat; & Episcopo ejus mandat non solùm ut ei prohibeat, sed etiam compellat ad debitam restitutionem. Ibique Glossa docet, quando redditus ad vitam sufficientes desunt, licitum esse Parocho aliquid pro exequiis exigere etiam ab invitis, modò justam & rationabilem summam (præsertim si quæ ab Episcopo, vel à statuto taxata fuerit) non excedat, neque exigat per debiti ministerii sui subtractionem, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. in corp. Qui ibid. ad 3. perspicuè dicit, quod si habet statuta stipendia ex Ecclesiæ redditibus (bona enim patrimonialia huic exactioni minimè obstant) nihil potest efflagitare pro debito suscepti officii: quod pariter docet & probat Caietanus ad art. 2. d. quæst. 100. Cæterùm ubi Canones aut approbata statuta permittunt exigi etiam à Ministris Ecclesiastico proventu sufficienter provisis pro certis quibusdam debitis functionibus, qualis est Episcopis permissa à jure procuratio pro Diœcesis visitatione, aut pro Ecclesiarum consecratione; itemque Canonicis distributiones diatiæ pro assistentia in Choro, tametsi fructus habeant ex Præbendis sufficientes; his & aliis casibus jure communi aut statuto particulari expressis poterit stipendium ejusmodi exigi, & non aliter. Vide Glossam in d. cap. *Suam nobis*. His adde ubi piâ fidelium consuetudine receptum fuerit ut aliquid Parocho contribuatur, eam servari consuetudinem jubere Concilium Generale relatum in cap. *Ad Apostolicam*, de simon.

IV. Sponte quoque oblata recipi non prohibentur, dum absit abusus, vel scandalum. Sanè quæ sit mens Ecclesiæ circa exactiones pro debitis in visitatione procurationibus, non meliùs resciri potest quàm ex duobus œcumenicis Conciliis Lugdunensi & Tridentino. In primis Lugdunense sub Gregorio X. prohibet Prælatis visitantibus aliquid nomine procurationis etiam sponte oblatum recipere præter sola victualia moderata, cap. 1. & 2. de censib. in 6. Deinde Bonifacius VIII. hoc limitat, ut possint debitorum victualium accipere à volentibus æquivalentem pecuniam, sed præterea nihil, cap. 3. eod. tit. Postremò Concilium Trident. sess. 24. cap. 3. prædictam Constitutionem Concilii Lugdunensis instaurat, jubetque visitatorum, sed non ipsius visitantis arbitrio relinqui optionem suppeditandi moderata victualia, aut horum loco pecuniam illis æquivalen-

tem. Districtéque prohibet, ne cujuscumque vetéris consuetudinis obtentu aliud quidquam à visitantibus petatur, aut etiam sponte oblatum accipiatur.

V. Cùm igitur vetet Tridentinum visitantibus quidquam aliud accipere, licèt vetus consuetudo eis indulgeret oppositum, præter sola victualia moderata, pari ratione non est facilè indulgendum in sacris ministeriis ex officio debitis, ut minister sufficientibus aliunde proventibus Ecclesiasticis provisus, obtentu consuetudinis & authoritate d. cap. *Apostolicam*, de simon. indiscriminatim à particularibus exigat. Neque enim pia liberalitas parochianorum quorundam fortasse ditiorum aliis parochianis præjudicare, aut cupiditati Parochi obsecundare debet. Hac enim ratione turpis aspergitur Ecclesiæ labes avaritiæ, sacrorumque ministeriorum nundinationes prostant, decor & honestas status Ecclesiastici disperditur ex effusiore licentia lucrum captandi, vel munera recipiendi. Sic enim fit ut pudeſiant, & ut cum Apostolo loquar, confundantur ii qui non habent, nec ausint præ pudore Parochum interpellare. Evenit etiam quandoque, ut ministrorum cupiditas quasi jure piæ & præscriptæ consuetudinis illud exigat quod ab initio fuerit in aliquibus fortè voluntarium, in aliis verò ex pudoris respectu coactum. Dicit verò Lessius lib. 2. de justitia, cap. 35. dub. 8. num. 49. optandum esse ut sic introductæ consuetudines abrogentur; quia speciem quandam referunt negociationis, & tenuibus parochianis sunt onerosæ. Quicunque verò existimant quæstum esse pietatem, audiant monentem Apostolum 1. Timoth. 6. *Est autem magnus quæstus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

VI. Undecimò quæritur, an licita sit compositio pecuniaria in causis dispensationum, sive penes Romanam Curiam, sive penes Ordinarios? Pro certo statuendum est, nihil posse exigi, vel dari in pretium dispensationis, nec summo ipsi Pontifici; cùm dispensatio sit actus Ecclesiasticæ & spiritualis potestatis, quæ non potest citra simoniam Juri Divino oppositam pecuniâ compensari, Christo præcipiente Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et Concilium Trident. sess. 25. cap. 18. decernit apertè, nonnisi gratis & cum justa causa, simulque urgente dispensari posse per quoscunque Prælatos. Sanè hac voce, *gratis*, non vetat onus imponere erogandi eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ; sed hoc solùm prohibet, ne ipse Prælatus ex dispensatione lucrum sibi suisve captet, ut benè Lessius notat.

VII. Duodecima difficultas, utrum Vasa sacra, Altaria, sacræ Vestes, & Ecclesiarum ædificia vendi possint? Respondeo affirmativè de Vasis & Vestibus sacris, & de Altaribus, cùm hæc omnia sint secundùm substantiam materialia, spiritualibus verò tantummodò antecedenter annexa

nexa, dummodo pretium & intentio versentur solummodò circa id quod est materiale, nullo respectu habito ad consecrationem, vel benedictionem his accessoriam & annexam. Ita post S. Thomam 2. 2. quæst. 100. art. 2. Navarra Manual. cap. 23. num. 99. in fine, & Bonacina de simon. disp. 1. quæst. 4. num. 12. & ibid. §. 11. num. 2. At verò secus dicendum de Ecclesiis; etsi namque in his quoque par videatur ratio, earumque sit materialis substantia cui accessoriè jungitur benedictio vel consecratio; Jus tamen Canonicum de his speciatim declarat, neque vendi, neque redimi posse, cap. *Querelam*, de simon. Quinimò dispar quoque in his ratio existit; Calices enim, portatilia Altaria, Coronæ, vel Imagines benedictæ, quibus est annexa Indulgentia, possunt ad privatorum dominium pertinere; Templa verò semel Deo dicata publici juris sunt, cap. *Noverint*, 10. q. 1. & l. *In tantum*, §. *Sacra*, D. de rer. divis. & l. *Ædes sacræ*, D. de contrah. empt. & Instit. de rer. divis. §. *Locus*.

VIII. Postremò quæritur, utrum sine simonia vendi possit terra ad sepulturam? Quanvis terra ad sepulturam benedicta censeatur inter res antecedenter spiritualibus annexas, quarum materia, quæ adhuc supereſt, antecessit qualitatem illam, seu accidens spiritualitatis; atque ita videatur idem in hac parte statuendum, quod de Calicibus & Altaribus consecratis, quæ fatentur omnes propter eandum materiam pretio æstimabilem vendi posse; attamen vendi sepulturas multiplices prohibent Canones. Concilii Meldensis canon 72. hoc fieri districtè vetat. Item canon *Questa est*, cum tribus canonibus seqq. 13. quæst. 2. & caput *Abolendæ*, de sepult. & caput *Audivimus*, de simon. Quin Legislatores sapienter perspexerunt, sepulturam esse ultimum Christianæ pietatis officium, & maximè odiosam fore Sacerdotum avaritiam, si exinde quæstum captarent. Cæterùm si quis sibi suisque hæredibus velit Sepulturæ locum ita proprium acquirere, ut non sit deinceps liberum aliorum Fidelium corpora cò inferre, tunc ratio prohibitionis canonicæ cessat, propter peculiare, & cum aliis incommunicabile dominium loci, atque sub hac ratione pretio rationabili vendi posse locum sepulturæ docent Suarez de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 14. num. 18. & seqq. Reginaldus lib. 23. cap. 16. num. 22. & alii. Sicque usus ubique receptus obtinet. Ratio liquet, quia debitæ sepulturæ denegatio, quam urget canon *In Ecclesiastico*, 13. q. 2. non secum involvit perpetuam & hæreditariam dominii translationem, neque ipsius ad alicujus personæ aut familiæ servitutem perpetuam: quæ quidem obligatio & servitus nullatenus est ad debitam & Ecclesiasticam Fidelium sepulturam necessaria, cùm possit cadaver aliquod terræ mandari, eadem remanente terrâ sub dominio & potestate Ecclesiæ: illa verò perpetua servitus, & dominii alienatio est proculdubio pretio æstimabilis.

CAPUT VII.

Utrum simonia committatur in pensionibus Beneficiorum? Jura quoque harum pensionum discutiuntur, necnon Ecclesiasticarum dispensationum.

I. IAM hîc quæritur qua ratione Papa possit absque delicto simoniæ permittere & constituere pensiones, etiam cum obligatione illas largiore pecuniâ redimendi super Beneficiis & Episcopatibus, de quibus pleno jure providet; aut ipse per se conferat Dignitates Ecclesiasticas & Beneficia cum pensionum obligatione in tertias personas, quæ nihil unquam juris habuerunt circa Dignitates illas aut Beneficia? Multa quidem speciem mali habent, & multis in Ecclesia malis & abusionibus causam præbent, & præstaret nunquam introducta fuisse; sed ex quo introducta sunt, magnum sibi Theologi & Canonistæ laborem præscribunt, & diverticula tenuissimarum rationum hinc inde perquirunt, quibus illa semel introducta justificari posse videantur: cùm tamen satius foret præjudicia nimiâ facilitate, aut etiam per adulantium & Partibus addictorum quorundam Curialium Doctorum consilia & suggestiones introducta nunquam de cætero in consequentiam vel exemplum proponi, sed quamprimùm aboleri. Diversi ergo diversa respondent. Quidam existimant, Papam nullam posse committere simoniam, & quidquid ejus permissu fit, eo ipso ab omni simonia purgari. Alii esse rerum Ecclesiæ dominum, & proinde posse ad libitum de illis pleno jure disponere. Alii nullam contra Jus Divinum esse simoniam, nisi præcisè intendatur ratio pretii circa illam Beneficii partem quæ spiritualis est; ratione autem motivi conferre pecuniam pro Beneficio, non esse Jure Divino, sed tantùm Canonico prohibitum, sed isto Jure Papam non astringi. Aliis placet ad solum Summum Pontificem pertinere jus ac potestatem sejungendi à spiritualibus ea quæ sunt spiritualibus annexa temporalia, tum in re beneficiaria, tum in aliis quibuscunque rebus; atque ista temporalia ita sejuncta posse sub eadem authoritate quâ fuêre sejuncta, tradi pecuniæ interventu. Cæterùm opiniones istas satis superque refutavi hujusce libri cap. 1. & cum S. Thoma probavi Papam & peccare posse delicto simoniæ, eundemque non esse dominum, sed tantùm dispensatorem

pensatorem à Domino Deo constitutum rerum Ecclesiæ, reddendæ rationi bonæ aut malæ dispensationis obnoxium apud Deum, à quo constitutus fuit. Vide S. Thomam 2.2. quæst. 100. art. 1. ad 7. Hoc insuper probavi initio libri, omnem pecuniæ contributionem ad Beneficia consequenda, directè opponi tam divinæ & naturali, quàm canonicæ & Ecclesiasticæ prohibitioni.

II. Itaque ad stabiliendam illam in Summo Pontifice potestatem circa Beneficiorum & Dignitatum diminutiones pro constituenda clericali pensione in alterius gratiam, sufficit non esse Jure Divino prohibitam, quando justa & rationabilis causa suadet: sed ubi non subest justa causa in his dispensandis, peccare tum ipsum Summum Pontificem, tum illum qui ex hac dispensatione lucrum percipit, eo quòd non fuerit fideliter & ad mentem supremi omnium Domini dispensatum; quemadmodum Sanctus Bernardus innumeris locis, tum in libris de consideratione ad Eugenium Papam, tum in suis passim epistolis, tum in tractatu de præcepto & dispensat. applicat Summo Pontifici illud Pauli Apostoli: *Jam hîc quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Idemque Apostolus testatur datam sibi à Domino potestatem in ædificationem, & non in destructionem, 2. Cor. 13. Talis esset, exempli gratiâ, pensio super proventibus Episcopatus unius ad gratificandum alteri Prælato prædiviti, & in Aula sive Apostolica, sive Regali magnum consequuto favorem, quique nullum speciale jus ad illum sic oneratum Episcopatum habuerit. Talis enim dispensatio sacrilega est & mera rerum Ecclesiæ dissipatio ad gratificandum luxui & ambitioni seculari, vel avaritiæ hominis, qui vel uno ex his vitiis se planè arguit indignum omni Prælatura & Ecclesiastico Gradu. Sed ubi pensio applicaretur necessitatibus Ecclesiæ, aut alimoniis pauperum, aut reservaretur ad vitam resignantis in favorem, aut constitueretur in ejus gratiam qui studio pacis transigit in lite mota super Beneficio; itemque in mutua Beneficiorum habentium inæquales proventus permutatione, ut statutâ pensione illa inæqualitas compensetur: his certè casibus Superior dispensans nullo modo peccaret, quia tunc justæ & rationabiles causæ id suaderent. In hoc similiter licitarum super Beneficiis pensionum genere illæ sunt quæ reservantur ad victum Coadjutoris constituti in locum provisi de Beneficio, qui præ animi, vel corporis infirmitate non potest munera & officia quibus obstrictum est Beneficium exercere. Sed plenius de pensionibus egi suprà, libro 2. cap. 13. quò Lectorem remitto.

III. Quædam sunt etiam Divini Juris obligationes, non omnes utique, sed illæ solæ quibus nemo adstringitur nisi dependenter à propria & libera hominis electione, à quibus Ecclesia ad salubre animarum regimen accepit non à seipsa, sed à Christo Domino potestatem ex justa & rationabili causa dispensandi, in his verbis contentam: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Hoc enim prorsus necesse est ad regimen

men animarum quod primariis Ecclesiæ suæ Pastoribus Deus contulit, habita ratione infirmitatis & mutabilitatis humanæ. Frequenter enim contingit ut homines insolito quandoque fervore, nec satis prævisis quæ postmodùm se exerent difficultatibus & incommodis, adstringant se religione voti satis quidem voluntariè, sed non satis providè aut considerate: unde in eas prolabuntur angustias, ex quibus si Ecclesiæ miseratio ac potestas illos per dispensationem aut commutationem aliquam non expediat, æterna illorum salus ex animi desperatione, aut inconstantia infirmitateque deplorata sit. Neque habent hac in parte Novatores hæretici unde Sanctæ Christi Ecclesiæ insultent, quasi sibi jura divinitatis usurpet; cùm ipsi omnia Orthodoxorum vota & supererogationis opera despiciant, & violanda esse doceant: eorumque Patriarchæ post integri anni probationem & deliberationem, nuncupata Deo solennia vota audacissimè effregerint, & adhuc videamus effringere libidinis effrenatæ stimulis percitos, *habentes damnationem,* manifesto Apostoli testimonio, *quia primam fidem fregerunt.* 1. Timoth. 5. *Adolescentiores* (inquit) *viduas devita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Jus itaque divisum duplex spectandum est; unum quidem quod omnes indiscriminatim homines adstringit, quale est falsos Deos non colere, non pejerare, non adulterari, Superioribus subesse, Deum venerari, proximo in necessariis opitulari. Hæc & similia nullam admittunt dispensationem Ecclesiasticam. Aliud verò genus neminem adstringit nisi eos qui se propria libertate & spontaneè devinxerunt, religiosa scilicet pollicitatione apud Deum; cùm ejus tota materia non nisi in supererogatoriis operibus subsistat. Atque in his dispensatione laxandis potestatem habet à Christo Ecclesia, à quo regimen accepit animarum, ut quæ ad hunc finem solverit in terris, soluta habeantur & in cœlis, dummodò non temerè ac abusivè, sed judicio & ratione procedat, quemadmodum debet in aliis quoque dispensationibus, cùm potestas ista collata ei fuerit, teste Apostolo, in ædificationem, & non in destructionem.

IV. Ut autem tractationem istam pensionum materia concludat, sciendum tres esse pensionum species earum quæ ex alieno Beneficio percipiuntur, scilicet temporalem, spiritualem, & mediam. Temporalis est quæ datur ab Ecclesia propter aliquod ministerium temporale, sive præstitum, sive præstandum Ecclesiæ: ut si pensio ex Beneficiis vel Decimis præstetur alicui Principi ad hoc ut suis armis tueatur Ecclesiam adversùs Infideles; aut Oeconomo negotia Ecclesiastica gerenti, aut Advocato pro Ecclesia patrocinanti, aut procuratori ad lites. Spiritualis est quæ fundatur in ministerio merè spirituali, qualis est quæ datur Coadjutori Episcopi, vel Parochi. Media est quæ in causa quidem spirituali constituitur, non tamen refertur ad præstandum officium spirituale, qualis est quæ inopi Clerico ad vitæ sustentationem conceditur. Harum trium prima species est laïca,

laïca, reliquæ duæ Ecclesiasticæ. Ad has justa requiritur causa, sine qua ii qui obtinent, peccant etiamsi cum eis Papa dispensaverit, ut docet Toletus lib. 5. cap. 73. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 38. num. 204. eaque communis est Theologorum sententia, duce S. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 7. qui æquiparat peccatum ejus qui pecuniam accipit à dispensatore aut procuratore, quem scit malè commissam sibi pecuniam dispensare, cum eo qui sine justa causa quæ vergat in Ecclesiæ commodum aut utilitatem, recipit pensionem Ecclesiasticam ex Papæ dispensatione.

V. Pensio laïca quæ propter aliquod ministerium temporale tribuitur sive laïco, sive Clerico de bonis Ecclesiæ, potest redimi, atque etiam pretio vendi sine simonia; nec spectatur conditio personæ, etiam Sacerdotis, si tribuatur pro ministerio merè temporali, qualis est pulsatio campanarum, aliquorum negotiorum gestio. At verò pensio clericalis, quæ non nisi Clerico dari potest, & traditur pro officio spirituali, non potest vendi, ac pretio commutari citra simoniam. Et præclarè dicit Toletus lib. 5. cap. 83. num. 2. *Sicut Papa cùm dispensat in voto non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit, ita in pensionum & Beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona: si enim nullâ viâ in Ecclesiæ hujus, vel Universalis utilitatem tendat, non est causa legitima.* Hæc Toletus.

VI. De onere impositio vel imponendo in renunciatione Beneficiorum aut Dignitatum Ecclesiæ, ut resignatarius, aut quicunque de novo provisus teneatur annuam pensionem oblatâ protinus integrâ summâ redimere atque extinguere, quanvis fortasse moriturus sit eodem ipso anno, eodemque per ejus mortem, quæ omnia solvit, extingui pensionem necesse sit; & quanvis alia hæc succurrat ratio, quia pensio clericalis quæ in vim Bullæ Pii V. quæ incipit, *Ex proximo*, editæ anno 1571. pensiones super Beneficiis, & aliæ quæcumque Ecclesiasticæ factæ fuerint Juris sacri & spiritualis, atque ex consequenti non possint in pactionem pecuniariam deduci, ne quidem in Gallia, ubi videmus hanc Pii Bullam vigere & servari ab omnibus qui timoratæ sunt conscientiæ: his tamen sacris repagulis non obstantibus, illi qui apertâ nundinatione suos Episcopatus & Præbendas lubenter venditioni exponerent, nec alia impediuntur ratione quàm quia id sibi successurum desperant, excogitarunt demùm novam vafritiem, cujus nullum est in toto Jure Canonico vestigium, ut scilicet impositioni annuæ pensionis adjungatur obligatio illius vel statim, vel paulò post extinguendæ, oblatâ illa summâ multò copiosioris pecuniæ, quo pretio cupivissent Episcopatum aut Præbendam vendere, nisi pudor aut desperatio successus obstitisset. Cæterùm id ipsum quod simpliciori & directâ viâ non succederet, id moliuntur & obtinent per ambages & viæ circuitum, superadjuncto ad vitium simoniæ altero calliditatis hominibus illudentis vitio per excogitatam istam sacræ pensionis per

septuplo ampliorem pecuniam simul & semel extinguendæ obligationem: ut his postremis seculis evidentiùs quàm olim verificetur sancti Davidis querimonia ista: *In circuitu impii ambulant.* Certè duo meritissimi Cardinales inter eruditissimos præcipui, diuque in Romana Curia versati, Cajetanus opusc. 16. quæst. 10. & Toletus lib. 5. cap. 92. num. 2. constanter affirmant illum esse simoniacum, quicumque cedit alteri Beneficium cum pensionis onere, addito pacto ut statim pensio redimatur; qui nunc abusus est usus in Curia frequentissimus. Quanvis idem Toletus admittat licitum esse ex postfacto, & præter habitam ab initio conventionem, si successu temporis Partes inter se conveniant libertate mutua & spontanea, ut extinguatur pensio solutione quinque annatarum, irrequisitâ etiam Summi Pontificis aut Ordinariorum approbatione: quâ tamen in re neminem Toletus suffragatorem habet.

VII. Idemque nunquam satis laudatus Cardinalis Toletus, qui ex omnium Theologorum sententiâ damnat simoniæ omnem super Beneficio etiam à Summo Pontifice constitutam pensionem, nisi justâ & rationabili causâ nitatur, & hanc causam asserit in ipsius Ecclesiæ, cujus sunt bona, utilitatem necesse esse provenire, his verbis concludit libri 5. caput 83. *Secundò requiritur modus, ne tot cumulentur pensiones ut sustentationem excedant convenientem hominis. Unde mirabilis est abusus eorum qui multis hinc inde se onerant pensionibus, cùm unde vivere possint pro conditione sua habeant. Et quod pejus est, nulla adest causa propter quam vel unam possint habere; quibus vix potest persuaderi, ut vel minimam pensionem à se expellant, sed morte coguntur malè possessa & retenta dimittere.* Tam frequens est hic abusus, & quod ex illo sequitur animarum exitium, ut nunquam satis damnari, vel deplorari à piis & sanctis hominibus possit, quos cum Regio Propheta zelus domus Domini comedit, & cum eo diligunt decorem domus Dei: domus, inquam, illius quam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Idemque Toletus d. lib. 5. cap. 81. num. 4. ait dispensationem Papæ valere in foro externo, sed nullatenus in foro conscientiæ, nisi nitatur justâ causâ utilitatis aut necessitatis Ecclesiæ. Eadem asserit Cajetanus verb. *Beneficium*, num. 9. & ante hos sanctus Bernardus lib. de consider. cap. 10. *Ubi necessitas urget, dispensatio excusabilis est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria; nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio.* Hæc S. Bernardus secundùm alteram editionem lib. 3. de consideral. versùs finem.

CAPUT

CAPUT VIII.

Simoniacorum pœnæ canonicæ.

I. Pœnæ quas simoniacis Canones infligunt, tres distinguuntur in Extravaganti *Cùm detestabile*, de simonia. Prima est censuræ, nimirum excommunicationis latæ sententiæ, quæ ipso facto incurritur à particularibus; & suspensionis ab Ordinum exercitio, cum utriusque pœnæ reservatione ad supremam Sedem. Secunda est invaliditatis actus simoniacè facti, quod spectat ad Beneficii aut pensionis Ecclesiasticæ collationem, ut teneatur sic provisus Beneficio quamprimùm aut clericali pensione se absolutè abdicare, omnesque perceptos à se fructus restituere. Tertia est onus restituendi pretium, de quo infrà tract. 6. tit. 9. Mediatores item simoniæ eadem censurâ Papæ reservatâ ligantur, si realiter completa simonia fuerit in Beneficio, vel in Ordine, aut etiam in Religionis ingressu, sicubi viget Extravagans *Sanè*, de simon.

II. Porrò simoniacorum pœnæ canonicæ, præsertim verò excommunicatio, non habent locum nisi ex quo simonia ab utraque parte completa fuerit reipsa, hoc est ut ex una parte datum fuerit pretium simoniacum, sive in totum, sive etiam ex parte; & contributa fuerit altera ex parte res spiritualis ac sacra. Unum enim horum sine altero minimè sufficit ad hoc genus pœnæ. Ita docent Gomesius in regul. Cancellariæ de trien. quæst. 12. Navarra Manual. cap. 23. num. 104. ambo asserentes hanc esse praxim & stylum Romanæ Curiæ & Rotæ, ut Beneficium simoniacè receptum non vacet ipso jure, & qui sic provisus fuit, non sit excommunicatus; & si [illegible]tè Sacrum celebret, non evadat irregularis quandiu pollicitum pretium [illegible] fuerit saltem pro parte exsolutum, quanvis ob eam culpam justè possit [illegible]udicis sententiam excommunicari, aut privari malè parto Beneficio. [illegible] quoque qui tot annos Romæ docuit & scripsit, affirmat hanc pariter esse Romanæ Pœnitentiariæ praxim. Zerola quoque parte 1. verbo *Simonia*, num. 7. & Bonacina tract. de simon. disput. 1. quæst. 7. puncto 2. num. 25. aliique communiter docent, posse in conscientia retineri Beneficium ab eo qui ut illud obtineret, pactus fuerat de pretio, quod tamen realiter non solvit, neque promissis stetit.

III. Si quis bona fide Beneficium obtinuit alieno interventu, ignorans simoniam pro hac re ab altero commissam, juvabitur Beneficio triennalis possessionis pacificæ, si integro triennio hujus simoniæ no[illegible]m non

habuerit. Gomesius ad regul. de trien. possess. quæst. 12. Rebuffus tract. de pacific. possessor. num. 241. Bonacina de simon. disp. 1. quæst. 7. §. 2. num. 12. Sed nondum dilapso triennio, ex quo provisus simoniacè istam simoniam se inscio factam resciverit, tenebitur purè resignare, præterquam duobus in casibus. Primò si ea simonia ab altero facta fuerit malitiosè ad infirmandam Beneficii futuram collationem. Secundò si is qui sic provisus fuit, ei præsè admonuerat ne ad hunc finem ulla fieret pecuniaria conventio, cap. *Nobis fuit*, & cap. *Sicut tuis literis*, de simon. Utroque ex his duobus casibus provisus nulla indiget dispensatione, quia Jus ei sufficienter providit. Verumtamen qui citra duos casus istos ignorans alterius pro se factam simoniam fuerit bona fide provisus, sed ante exactum triennium simoniæ hujus notitiam habet, poterit à proprio Episcopo dispensari, quanvis pretium simoniacum fuerit ab altero sine provisi culpa persolutum, & sic a suo Ordinario rehabilitatus poterit de novo provideri de eodem Beneficio citra recursum ad Papam. Guillelmus Durandus Speculi Juris lib. 1. tit. de diversis sententiarum [illegible]nis, num. 50. Joannes Andreas ejus Commentator ibid. Navarra consil. 97. num. 5. de simon. Zerola parte 1. de simonia, num. 4. & parte 2. eod. tit. num. 4. Deselva, cæterique communiter. Quin etiam Glossa hoc idem docet in cap. *De simoniacè*, & cap. *Ex insinuatione*, de simon. Licèt igitur caput *Nobis fuit*, in fin. eod. tit. neget posse per Episcopum in facta electione simoniaca dispensari, hoc esse intelligendum Glossa docet de simonia quam provisus rescivit & ratam habuit. Secus autem si bona fide ignoraverit, ut facilè colligitur ex d. cap. *De simoniacè*. Sed nihil est opus Doctorum decisiones scrutari, ubi Canones ipsi decernunt. At verò Canon 3. Concilii Placentini Generalis, cui Urbanus Papa II. præsedit, & refertur can. *Si qui de simoniacis*, 1. quæst. 1. decernit, inquam, Placentinus Canon 3. *Si qui tamen à simoniacis non simoniacè ordinati sunt, si quidem probare potuerint, se cum ordinarentur, eos nescisse esse simoniacos, & tunc pro Catholicis habebantur in Ecclesiâ, talium ordinationes misericorditer sustinemus; si tamen laudabilis eos vita commendat.* Deinde Canon qui sequitur quartus hæc addit: *Qui verò scienter se à simoniacis consecrari, imò exsecrari passi sunt, eorum consecrationem omninò irritam esse decernimus.* Et demùm qui sequitur Canon 5. ita constituit: *Quicumque sanè cupiditate parentum, cum adhuc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum partes per pecunias adepti sunt, postquàm eas omninò dimiserint, si canonicè in eis vivere voluerint, pro misericordia ibidem eos esse concedimus; neque pro hoc facto à sacris Ordinibus removemus, si inveniantur aliàs digni.* His succinit caput *De simoniacè*, de simonia. *De simoniacè ordinatis certum non possumus dare responsum, nisi plenius cognoscamus qualiter fuerint ordinati; cum quidam licèt secundum quandam speciem simoniæ, utpote simoniacè, ipsis ignorantibus ordinentur, possint, quia simoniaci non sunt, in suis Ordinibus remanere.* Concilium itaque Placentinum sic distinguit de iis qui innocenter Ordines,

aut

aut pari ratione Beneficium innocenter per aliorum à se ignoratam simoniam, aut per simoniacum Collatorem, sed ut talem à seipsis ignoratum susceperint, ut Ordines quidem, cùm sint inamovibiles, retineant, eisque uti permittit: sed Beneficium, cùm sit amovibile, simpliciter resignent. Idque apertè significatur his Concilii verbis, *Postquam eas omninò dimiserint, sed mox sinceriore collatione de novo resumant.*

IV. De pensione clericali certum est quidem materiam esse simoniæ ei qui pretio illam in alterum transfert, aut per anticipatas solutiones privata authoritate extinguit. Sed controversia est inter Doctores, utrum in his incurratur excommunicatio? Respondeo cum Navarra cap. 23. n. 111. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 55. num. 22. Lessio lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137. Reginaldo lib. 23. cap. 12. num. 175. cæterisque communiter, non incurri censuras in pensionibus. Non enim pœnæ sunt ampliandæ ultra casus à jure expressos, sed potiùs restringendæ, cap. *Pœna*, de pœnit. dist. 1. cap. *Odia*, de reg. jur. in 6. l. *Aut facta*, §. ult. D. de pœnis. Et nomine Beneficiorum non comprehendi solent pensiones temporales super Beneficiis impositæ.

V. Item quæritur de Prælaturis Regularium, ut sunt Abbatum, Priorum, Guardianorum, Provincialium, aut Generalium, quæ non consistunt in commissione ad nutum revocabili, sed per electionem aliámve providendi rationem alicui tanquam munus ordinarium deferuntur, utrum simonia in his completa & realis, perinde ac in Beneficiis inducat nullitatem actus, obligationem ad dimittendam Superioritatem, & excommunicationem Papæ reservatam. Respondendum ad hæc singula affirmativè, non modò quia eadem est ratio quæ in Beneficiis, aut quia hæ quoque Superioritates haud impropriè inter Beneficia computantur; sed etiam quia Extravagans *Cùm detestabile*, de simonia, hæc perspicuè decernit his verbis: *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniacâ contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Prioratibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis.* Eademque Constitutione Paulus Papa II. simoniæ realis crimen in his commissum à quocumque, etiamsi Cardinalitiâ, vel Regali dignitate fulgeret, reservat solius Apostolici Culminis absolutioni. Ita docent Caietanus in Summula, verbo *Excommunicatio*, cap. 72. Armilla verbo *Excommunicatio*, cap. 59. Navarra cap. 23. num. 111. versic. *At nullus simoniacus*, & cap. 27. num. 106. Suarez de censuris, disputat. 22. sect. 5. num. 24. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137. Qui omnes asserunt tenere hanc Constitutionem quoad supradicta, & quoad easdem pœnas excommunicationis; quas declarat incurri ab hujus simoniæ mediatoribus; simulque asserunt illas Regulares Prælaturas inter Beneficia rectè computari: verba verò Extravagantis *Officiis Ecclesiasticis*, si de aliis quàm illis electivis aut fixis Beneficiis, sed in significatione strictiori & communi intelligantur,

non esse usu & consuetudine recepta. His consequenter iidem Authores qua parte Extravagans illa districtè injungit iis qui resciverint hanc factam alicubi simoniacam pravitatem, ut admoneant hujus facti Summum Pontificem, asserunt non esse usu receptam, nec ad id obligari ullum, nisi fortè sit Curialis Sedis Apostolicæ. Eadem Extravaganti declarantur omnes qui Beneficia aut Regulares Prælaturas per simoniam adepti fuerint, sub animæ suæ periculo adstricti obligatione fructus omnes quoscumque inde percerperint restituendi. His assentitur Bonacina tract. de simonia, disp. 1. quæst. 7. §. 2. ubi hanc materiam multò solidiùs pertractat quàm in alio tractatu suo de Censuris in particulari, disp. 2. q. 3. punct. 24. ubi opposita quædam concludit contrarius sibi, & allegat Doctores quos ego exactè legens adverti planè oppositum docere quàm ipsis Author hic attribuat in hoc posteriore tractatu. Nec id vitio vertendum viro erudito, & de Ecclesia optimè merito.

VI. Extravagans 1. de simon. inter communes, declarat ipso facto incurri à singularibus personis dantibus & accipientibus, vel exigentibus pastus, jocalia, pecuniam pro Religionis ingressu excommunicationem; à Capitulis autem & Conventibus suspensionem ipso facto incurri, cujus utriusque vinculi solvendi extra mortis articulum potestas sit penes solum Romanum Pontificem. Sed hanc pœnalem Constitutionem non recipi docet ipsa ejusdem Extravagantis Glossa, & quamplurimi veteres & recentiores, quotquot docent excommunicationes de simonia ad solas restringi Ordinationes & Beneficia.

VII. Simonia in materia Beneficii omni ex parte completa facit reum inhabilem ad idem Beneficium. Disputatur an privet aliis pariter Beneficiis antea ritè obtentis? Item an reddat incapacem ad alia in futurum obtinenda? Quoad Beneficia legitimè antea obtenta tenendum est non vacare per simoniam supervenientem; nulla enim talis pœna in Jure hac in parte exprimitur, neque fieri in pœnalibus permittitur extensio ab una delicti specie in alteram, juxta textus suprà citatos, num. 4. Ita concludunt Suarez de religione, tom. 1. lib. 4. cap. 56. num. 19. & cap. 58. num. 3. Avila de censuris, p. 3. disp. 5. ad fin. Bonacina de simonia, disp. 1. quæst. 7. puncto 2. difficultate 1. num 1. & 2. ubi pariter hanc excludit pœnam ab anterioribus actibus ad acquirendum Beneficium ordinatis, ut electione, præsentatione. Adeò ut si electio, aut præsentatio puræ sint à simoniæ labe, sed subsequens collatio facta sit per simoniam, ipsa quidem collatio sit nulla & invalida, sed præcedens tamen electio & præsentatio validæ perseverent, quo fiat ut post obtentam à collatione simoniaca dispensationem nullatenus opus sit nova electione, vel præsentatione, sed solùm nova collatione.

VIII. Idemque Bonacina tract. de suspension. in particul. disp. 3. quæst. 1. punct. 5. n. 13. & inter Canonistas Felinus in cap. *Insinuatum*, de simon.

simon. Abbas in cap. *Cùm Clerici*, de pactis num. 2. Ugolinus de simon. tab. 1. cap. 19. & Gallicani Doctores Gregorius Tolosanus instit. benefic. cap. 26. num. 2. Papo tom. 1. Notariorum, lib. 2. pag. 90. Pastor lib. 3. de benefic. tit. 18. num. 17. Bengeus de simon. in benef. num. 43. secus de Beneficiis post simoniam acquisitis judicant. Cùm enim admittant nullatenus vacare antea legitimè acquisita Beneficia, consentiunt tamen quæcunque acquiruntur post excommunicationem Beneficia, necdum obtentâ dispensatione ac rehabilitatione à Summo Pontifice, nullatenus teneri posse, eorumve fructus percipi, sed perceptos esse restituendos; Beneficia verò ipsa vacare ipso jure, Extrav. *Cùm detestabile*, de simon. junctis Constitutionibus Pii IV. & Pii V. quas in hoc Regno usu receptas testatur ibidem Pastor. Junge his can. *Erga simoniacos*, 1. quæst. 1. quo statuitur simoniacos *esse omnino deponendos*. Ratio petitur ex incapacitate quam producit præcedens simonia.

IX. Verumtamen sublato per absolutionem illo incapacitatis obice, tum demùm debitè absolutus capacitatem recuperat ad nova Beneficia, juxta Martinum Navarram consil. 91. num. 5. & consil. 92. de simonia: & Petrum Navarram lib. 2. de restitutionib. cap. 2. num. 435. & seqq. Suarez de Religione tom. 1. lib. 4. cap. 58. ad fin. & plerosque alios dicentes ipsam Pii V. Bullam nec in ipsa Italia esse receptam quoad istam quam continet clausulam: *Ut perpetuò sit inhabilis ad quæcunque alia Beneficia obtinenda*. Sed ne huic Bullæ præjudicium fiat, nego eam esse intelligendam de interno, seu conscientiæ foro, secundùm quod semel debitè absolutus pristinam resumit capacitatem ad Beneficia futura, quanvis omninò excidat à Beneficiis vel simoniacè, vel durante simoniaca labe acceptis, nisi specialiter cum eo dispensatum sit à Suprema Sede. Quod ergo Bulla hæc de solo externo seu contentioso foro sit exponenda, perspicuum faciunt hæc ejus verba: *Quicunque detestabile crimen simoniacæ pravitatis commisisse convictus fuerit*. Nec ullatenus obstat Bonacinæ objectio ista, quod in dispensationibus Romanæ Pœnitentiariæ solet plerumque apponi clausula dispensans occultos quoscunque simoniacos circa istam ad futura Beneficia inhabilitatem. Stylus enim Scribarum & Notariorum vim juris nullam habet. Et sæpenumero clausulæ superfluæ apponi solent, vel ad excludendos injustos litigantium cavillos, aut ad sedandos cumulatiùs hominum scrupulos, aut ad largius captandum lucrum ab iis quorum requisitioni conceditur expeditio.

X. Quod attinet ad simoniacam in Beneficiis confidentiam, sciendum primò istiusmodi confidentiam esse conventionem, sive tacitam, sive apertis verbis expressam, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum posthac in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus ab alio percipi sinat. Pius Papa IV. multa constituit ad istam reprimendam perversitatem, quæ successor ejus Pius V. confirmavit & ampliavit per Bullam anni 1569.

quæ

quæ incipit *Intolerabilis*. Hîc obſervandum cum Navarra Manual. cap. 23. num. 108. & 109. his duabus Conſtitutionibus nihil prohiberi quod jam antea non fuiſſet prohibitum ; atque ita non eſſe illicitam aut vetitam confidentiam, quâ quis ſine ulla pactione confidit Collatorem collaturum renunciatum Beneficium ei cui renuncians conferri deſiderat, vel ſupplicat ; aut Patronum nullo adhibito pacto præſentaturum ad id cui renunciatur Beneficium. Eademque ratione non eſt prohibitum conferre Beneficium, vel procurare citra pactum ullum ut conferatur alicui ea intentione & ſpe, quod is aliquando cedet in favorem alterius à ſe nominandi, vel ſui ipſius conferentis aut procurantis ; dummodo nullum pactum, nullúſque modus, nullaque conditio adjiciatur. Quæ cùm licita ſint attento jure antiquo, nullatenus evaſere illicita per has geminas Conſtitutiones. Ita ferè loquitur Navarra, cui reliqui ſuffragantur Doctores. Nullâ itaque ſuperadditâ prohibitione novâ, tantùm novæ imponuntur, & graviores quàm olim pœnæ ab utroque Pio infliguntur reis ſimoniacæ confidentiæ.

XI. In primis enim duabus his Conſtitutionibus utriuſque Pii ſtatuitur, ut ſimul atque aliquis accipit confidentiariè Beneficium, antequam promiſſa impleat, ſit jam inde ipſo jure excommunicatus, adeoque collatio ei facta nulla ſit ipſo jure, teneaturque renuntiare Beneficio, & reſtituere quoſcunque de illo fructus perceperit : cùm tamen ſuprà viderimus has pœnas non incurri in ſimonia beneficiaria, niſi poſtquam utraque ex parte ſimonia completa fuerit. Præterea reſervantur ſolius Apoſtolicæ Sedis collationi & diſpoſitioni Beneficia collata & accepta in confidentiam nondum ex utraque parte completam : cùm tamen ſimonia realis Beneficiaria, etiam ex utraque parte exequutioni mandata, non auferat Ordinario poteſtatem conferendi, neque reſervet Papæ. Poteſt enim ſimoniâ utrimque completâ ſimoniacus renunciare in manus Ordinarii ; hic verò ſic renunciatum Beneficium conferre cui libuerit. Quare monent providè Navarra, Leſſius, aliique, ut ſibi caveant qui Beneficia per confidentiam vacantia accipiunt per Ordinariorum collationem ; non enim jure illa poſſident. Sed tamen in Galliæ Regno nulla hujus rei habetur ratio, ejuſque perpetua inobſervatio jus habet præſcriptæ conſuetudinis. Inſuper cùm paulò antè docuerim ſimoniam beneficiariam non privare ipſo jure aliis Beneficiis antea legitimè obtentis, neque inhabilem facere ad Beneficia poſt abſolutionem obventura, ſecus evenit in confidentiariis ; deperdunt enim Beneficia antea quæſita, & prorſus inhabiles fiunt ad futura in perpetuum, niſi ſpecialiter hac de re cum eis diſpenſetur, ſaltem ſicubi pars illa præfatæ Bullæ Pii V. recepta ſit. Inſuper fructus Beneficiorum per hujuſmodi confidentiam acquiſitorum, & penſionum confidentiariis conſtitutarum reſervantur Cameræ Papæ ab ipſo die collationis & conſtitutionis : quod eſt notandum (ut inquit Navarra) quo eis conſulatur qui hac in re deliquerunt.

XII. Porrò

XII. Porrò Papæ reservatam excommunicationem simul incurrunt resignans per confidentialem conventionem, & resignatarius, & mediatores, juxta Extrav. *Cùm detestabile* 2. de simon. Ita censet Navarra cap. 23. num. 110. vers. *Undecimò quod mediator*: Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 26. num. 147. Stephanus Quaranta verb. *Simonia*, fol. penult. vers. *Est & alia pœna*. Licèt enim Pii Constitutiones adversùs confidentiam loquantur quoad incurrendas pœnas de solo recipiente; quia tamen confidentia est quædam species simoniæ in Beneficio, statuendum videtur, omnes hujus criminis reos & participes subjici pœnis generalibus, quibus à jure communi afficiuntur simoniaci circa Beneficia: pœnales enim novæ Constitutiones non abolent antiquas, nisi eis palam derogent. Secus tamen sentiendum circa Beneficiorum quorumcunque, aut pensionum vacationem. Hæc enim pœna non decernitur à jure communi & veteri contra resignantes, nisi ratione solius Beneficii per realem simoniam resignati: & aliunde Constitutiones Pii IV. & V. pœnas novas non superaddunt ratione confidentiæ, nisi contra solum illum qui per confidentiam prohibitam recipit Beneficium, ut ex earum lectione perspicuum est, & speciatim ex verbis istis: *Omnes & singulos qui Beneficia aut pensiones hoc intercedente vitio receperint*. Itaque jacturæ cæterorum Beneficiorum atque pensionum & officiorum reliquorum, & inhabilitati in futurum perpetuæ soli subjiciuntur recipientes, non autem resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes. Verumtamen neque ista excommunicatio, neque cæteræ hîc expressæ pœnæ incurruntur ab illis qui Beneficia in confidentiam receperint, dummodò statim ad se reversi & resipiscentes celeri dimissione malè accepti Beneficii sibi prospexerint, ut expressè decernit ipsa Pii V. Constitutio.

XIII. Altera nascitur difficultas ex verbis Pii V. circa materiam confidentialem, sic dicentis: *Etiamsi solâ dimittentis intentione receperit*. Et ibidem: *Conscientiâ tantùm unius Partis*. Utrum recipiens Beneficium ab eo qui cum manifestata conditione ac intentione confidentiali sibi resignat, sed resignatarius non intendit recipere in confidentiam, incidat in excommunicationem aliasque pœnas præfatæ Constitutionis? Negant incidere Navarra loco cit. vers. *Sextò quod hæc Extravagans*. Suarez de censuris disp. 22. sect. 6. num. 18. Lessius d. cap. 35. dub. 26. num. 148. Rationem dant, quia mens Legislatorum in hac parte non fuit reddere illicita, & his pœnis subjicere illa quæ antea fuerant licita. Sed antea licitum erat tale recipere Beneficium sine consensu, & sine ulla significatione consensus ad illam confidentiam; ne scilicet resignans apertâ in contrarium declaratione repulsus, alium quæreret & inveniret qui pravæ ejus voluntati consentiret: atque ita utraque ex parte contra Jus Divinum graviter peccaretur, & transmitteretur id Beneficium ad indigniorem personam. Sed cùm ad exstirpandum confidentiarum abusum Papa diversas proferat

præsumptiones, ex quibus in externo foro judicari velit initam fuisse utrimque confidentialem pactionem, jubet eam ob rem ut ubi constiterit de prava offerentis intentione, conjiciatur pravam fuisse receptantis acceptationem: ideoque non dicit per hoc fieri mutuam confidentiam, sed consentiendam esse talem, hoc est ita præsumi velle in externo & contentioso foro. Nam in foro pœnitentiæ interiori non præsumptio, sed rei veritas à pœnitente secundùm propriam conscientiam prolata prævalet.

XIV. Omnes verò unanimi consensu Authores admonent istas multiplices confidentiarii delicti præsumpriones in his Constitutionibus contentas referri ad forum dumtaxat exterius. Et utique, ut monet Suarez, iste recipiens dici non potest quod Beneficium recipiat in confidentiam, supponendo ejus mentem ab ea intentione esse alienissimam, licèt alter eidet in confidentiam. Nec malitiam confidentiæ ex parte sua habet qui sic recipit, cùm nec verbo, nec intentione, nec ipso facto annuat voluntati dimittentis; sed possit insuper apud Deum promereri ex pio affectu impediendi effectum confidentiæ, quam offerens cum alio sibi consentiente completurus erat; modò, ut dixi, neque assensum, neque externam talis assensus significationem iste recipiens præbeat. Si verò præbuerit, quanvis sic recipiens non intendat opere id exequi quod pollicitus fuit, hoc ipso peccavit mortaliter, suoque expresso actu se complicem effecit nefariæ confidentiæ. Atque in hoc solo Bonacinæ assentior docenti sic recipientem incidere in omnes hujus Constitutionis pœnas, tum in tractatu de simonia, disp. 1. q. 7. §. 1. num. 4. tum in tractatu de censuris in particulari, disp. 1. q. 3. puncto 25. num. 5.

XV. Si objiciat quis, Ecclesiam de internis non judicare, & consensum intrinsecè malum non subjacere pœnis canonicis, argumento cap. *Sicut simoniaca*, de simon. Respondendum cum Suarez & aliis, non puniri præcisè actum internum, sed effectum externum à pravitate actus interni procedentem. Quanvis autem dimittens confidentialiter Beneficium non minùs peccet quàm recipiens, non tamen pares cum recipiente pœnas sustinet, quia tota geminæ hujus Constitutionis severitas solos quos exprimit, recipientes perstringit, hac forsan ratione, quia homines procliviores sunt ad recipiendum quàm ad dandum.

XVI. Eisdem pariter subjicitur pœnis hujusce geminæ Constitutionis confidentiaria pensionis Ecclesiasticæ receptio, quibus & Beneficii, ut patet ex Bullæ Pii IV. verbis: *Omnes & singulos qui Beneficia, vel pensiones hoc intercedente vitio receperunt, vel quidquid tale admiserint in futurum.*

XVII. Denique hìc observa tres simoniacæ pravitatis casus inducentes privationem omnium quæ quis possidet Beneficiorum, & inhabilitatem ad futura recipienda. Primus occurrit in hac materia confidentiali. Secundus in simoniaca Summi Pontificis electione, ut statuit Concilium Lateranense sub Julio II. sess. 5. Tertius in simonia, per quam Examinatores futuro

futurorum Parochorum aliquid accipiunt, sive antea, sive post examen, ut sanxit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. de reform. Docent verò Navarra consil. 32. de simonia, Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 26. n. 148. Laiman lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 73. & 74. in his omnibus non videri usu receptum, ut non teneatur quis sua Beneficia dimittere ante Judicis sententiam. De aliis Beneficiis antea canonicè acquisitis, aut de iis quæ postquam absolutus aliquis à censura fuerit, sine simoniaca, vel confidentiali culpa acquirere potuerit, alii viderint. At verò de simoniacè acquisitis, vel confidentiali culpâ adeptis: itemque de illis quæ proveniunt quomodocumque, nondum ablato per absolutionem censuræ impedimento, nullatenus admittenda est tanta laxitas, quam qui introduxerit, non video qua ratione à gravi & toti Ecclesiæ pernicioſa culpa excusari possit. Tum quia Canones innumeri ab exordiis Ecclesiæ ad hæc nostra tempora constantissimè ita sanxerunt. Tum quia casuum atrocitas, & hominum propensissima cupiditas, quæ innumera in Sanctuarium Dei scandala invehit, his frenis & quasi repagulis necesse est ut coërceratur. Tum quia non adeo collapsa est Ecclesiastica disciplina, quin videamus ubique ferè ista à piis & peritis animarum directoribus ex officio, & ut ad æternam salutem necessaria pœnitentibus præscribi: ipsosque pœnitentes, quos verus & sincerus timor Dei urget, his bona fide præscriptis remediis canonicis obtemperare. Itaque prætexi non potest universalis in oppositum consuetudo: & ubi tam exitialiter cum Ecclesia Christi actum esset, ut talis existeret, & prævaleret consuetudo, omni ope collaborandum nobis foret, ut sanctissimis, & in rebus tanti momenti absolutè necessariis Ecclesiæ regulis, quarum defectu Ecclesia Christi in speluncam latronum evaderet, pristina restitueretur authoritas.

CAPUT IX.

De facienda restitutione rei simoniacè acceptæ.

I. QUi pretium accepit, sed rem spiritualem non tradidit, tenetur restituere, non quidem Ecclesiæ, vel pauperibus, id enim nullo jure constitutum est; sed eidem à quo accepit. Hic enim habet jus repetendi, quippe qui non dedit nisi sub conditione non adimpleta, & ob causam minimè sequutam, neque pretio exequendam. Caietanus in Sum. verb. *Simonia*, Navarra in Manual. cap. 23. num. 104. Bonacina citans pro hoc Doctorum catervam, tract. de simonia, disp. 1. quæst. 7. punct. 3. diff. 1. n. 1. & 2.

II. Pretium simul & simoniacè contra virtutem religionis, & injustè contra virtutem justitiæ acceptum, restituendum est illi qui inculpabiliter, neque liberè dedit, etiamsi res spiritualis fuerit eidem collata, quandoquidem res illa spiritualis eidem ex justitia gratis debebatur. Hujusmodi est pretium datum ad redimendam vexationem injustam in causa spirituali, quale est Beneficium. Item datum Parocho ad Sacramentum administrandum. Hæc aliaque similia subsunt obligationi Juris Divini naturalis, ut fiat restitutio Parti quæ pretium contribuit.

III. Jure autem Ecclesiastico nulla extat lex obligans ad restituendum pretium simoniacè acceptum, nisi per modum pœnæ, non verò in vim juris naturalis, ut docent Suarez, Lessius, Bonacina. Et istiusmodi pœnali restitutioni censent Ecclesiam adstringere tribus casibus eos qui pretium simoniacum acceperunt. Primus est ubi pretium acceptum fuit pro collatione Beneficii, alióve actu ad hunc finem ordinato, ut sunt electio, præsentatio, confirmatio, &c. Idque statuitur per cap. *De hoc*, de simon. Atque iste casus obligationem inducit in jure restituendi totum simoniacum pretium ipsimet Ecclesiæ, cui hæc injuria facta fuit, etiam ante omnem Judicis sententiam, quatenus hæc ibidem ratio redditur: *Quia acceptum illud sine gravi salutis suæ periculo retinere non possunt.* Cùm tamen constet id quod non est restituendum ante Judicis sententiam, posse interea fine ullo salutis periculo retineri. Porrò istud caput versatur circa pretium simoniacum ab eo persolutum quibusdam electoribus & seculi Principibus, qui hoc modo emerat sui ipsius ad aliquem Episcopatum electionem, & qui hoc modo non tantùm electionem sui obtinuerat, verùm etiam confirmatâ electione fuerat demùm ordinatus Episcopus, ut inde patet, quia ibi Papa illum non aliter quàm nomine Episcopi designat. Unde generaliter concludunt Doctores, acceptum pretium ab illo simoniacè contributum, qui demùm factus voti maligni compos rem spiritualem, quam captabat, impetravit, non esse ei restituendum, sed ipsi Ecclesiæ, cui facta fuit tam [illegible]nis injuria. Nisi fortè obtineatur compositio à sacra Pœnitentiaria dum crimen est occultum, aut ab Apostolica Dataria, si sit publicum: aut nisi consuetudine alicubi receptum sit ut restituatur paueribus.

IV. Secundus casus habetur in cap. *Veniens*, de simon. circa pretium simoniacè acceptum in Religionis ingressu. Ibi enim statuitur compellendum esse Monasterium quod in Religionem interveniente pecuniâ admiserat, ut eandem pecuniam restituat illi qui admissus est (qui utique bona fide exactam à se jure consuetudinis, quam nesciebat esse illicitam, largitus fuerat) ipsique Religioso injungatur, ut aliud Monasterium in quo Deo deserviat ingrediatur. Ista Constitutione longè posterior Extravagans 1. de simon. his aliqua ex parte derogat. Concedit enim ut persona in Monasterium pretio ingressa ibidem permaneat, & id quod ab eadem

fuerat

fuerat exactum & receptum, retineatur in Monasterio, dummodo impendatur ad communem Monasterii usum, non verò in particularem Abbatis, vel Abbatissæ. Et Lessius d. cap. 41. dub. 30. num. 169. & Bonacina d. disp. 1. quæst. 7. punct. 3. difficult. 1. num. 20. tract. de simon. ex verbis d. cap. *Veniens*, ibi: *Abbatem & Monachos ad restituendam pecuniam compellas, Abbatem ab officii exequutione suspendas, præcipias dicto Fratri ut in alio Monasterio in habitu monastico Domino studeat deservire*; concludunt non aliter decerni hanc restitutionem quàm ex Judicis sententia.

V. Tertius casus communiter allegari solet in pretio simoniacè accepto pro collatione Ordinum, vel aliorum Sacramentorum, aut sacramentalium, si res data notabiliter excedat id quod pro congrua sustentatione poterat deberi. Plerique Canonistæ docent, id quod excedit esse restituendum: sed plerique alii negant. Potest esse fortassis obligatio restituendi ex jure naturali divino, non tam ratione simoniæ quâ fit injuria Deo, quàm ratione adjunctæ adversùs hominem injustitiæ, quâ compellitur pecuniam pro re contribuere, quæ gratis illi conferenda erat. Quæ restituendi obligatio est de genere obligationum de quibus egi hoc ipso capite, num. 2. Et nullatenus spectat ad eas quæ Jure Ecclesiastico adstringunt, cùm nulla Ecclesiastica Constitutio, vel Canon quidquam providerit de restitutione acceptorum pro Ordinum collatione. Neque assentior Bonacinæ dicenti tract. de simon. d. disp. 1. quæst. 7. punct. 3. diff. 1. num. 22. non esse in hoc tertio casu acceptum illud pretium obnoxium restitutioni ante Judicis sententiam, quia scilicet existimat non esse obligatoriam istam restitutionem ex divino jure quod conscientiam statim adstringit, nec hominis jussionem exspectat. Itaque exinde sequeretur, Sacerdotem qui in remoto aliquo deserto, aut in partibus Infidelium noluisset alicujus ibidem Fidelis confessionem audire, vel ei sacram ministrare Eucharistiam nisi pretio trium millium aureorum, posse tuta conscientia illud sibi pretium retinere: quanvis enim supponas Sacerdotem non fuisse Parochum, neque obligatum ad ista exhibenda Sacramenta alio quàm christianæ charitatis vinculo; huic tamen obligationi comitem adjunxit gravem injustitiam dum pretium indebitum exegit: quemadmodum homo qui non teneretur alteri pecuniam mutuare nisi debito charitatis, teneretur nihilominus obligatione restituendi ex injustitia, quâ noluit ei mutuari nisi cum usuris.

VI. Cùm itaque satis ostenderim, præfatum, qui solet allegari, tertium casum nullatenus ad hanc materiam Ecclesiasticæ obligationis, sed potiùs ad Jus Divinum pertinere, alius convenientior tertius casus huic est subrogandus, desumptus ex cap. *Audivimus*, de simon. ubi apertè continetur obligatio Ecclesiastica pretium simoniacè acceptum restituendi. Etenim Episcopi quidam qui compulerant Ecclesias sibi subditas ad pecuniariam contributionem, ad hoc ut in ipsis Rectores instituerent: &

præterea Monasteria quædam quæ pro admissione ad Religionem, aut pro defunctorum sepultura similiter pecuniam exegerant, simul & indifferenter damnantur pecunias sic exactas in duplum restituere. Caput istud duo complectitur diversa jura. Quatenus enim sancit ut pretium his casibus restituatur, hoc pertinet ad Jus naturale & Divinum, quatenus peccatum injustitiæ conjungitur simul cum peccato simoniæ, quæ religioni opponitur; & in hoc minimè expectanda est humani Judicis sententia. Illa verò in duplum condemnatio spectat ad Jus Ecclesiasticum; non enim Jus Divinum obligat ulteriùs quàm ad æquivalens. In eo verò quod superat, non abnuo posse exspectari humani Judicis jussionem.

VII. Discussis circa pretii simoniaci restitutionem ambiguitatibus, restat ut de rei spiritualis simoniacè obtentæ restitutione quid sentiendum sit exploremus. Dicendum spiritualem rem simoniacè acceptam, non esse restituendi obligationi obnoxiam Jure Divino naturali. Hæc est communis Doctorum assertio, Cessii lib. 2. cap. 35. dub. 29. Suarez de simon. cap. 59. num. 28. & seqq. Bonacinæ de simonia disp. 1. quæst. 7. punct. 3. diffic. 2. num. 1. à quibus multi alii allegantur Authores. Probatur de Beneficio in quo præsertim versatur difficultas, quia illa naturaliter collatio tenet, in qua concurrunt ex parte conferentis potestas simul & voluntas; ex parte verò subjecti recipiendi capacitas: hæc enim sufficiunt in quavis re ad transferendum dominium. Nec obsistit si quod in his interveniat peccatum, ut patet in Sacramentis cum peccato & illicitè collatis, quæ tamen validè conferuntur. Et constat simoniacè professum verè esse Religiosum. Et qui sibi peccati mortalis conscius suscepit Sacerdotalem Ordinem, fecit contra Dei voluntatem; sed postquam peccatum pœnitentiâ deleverit, nihil agit contra Dei voluntatem dum Sacerdotio illicitè suscepto fungitur. Quod autem dicit S. Gregorius Magnus can. 115. *Si quis*, 1. quæst. 1. eum qui simoniacè Sacerdotium vel Dignitatem Ecclesiasticam acceperit, nisi sponte reliquerit, in æternum periturum; nihil aliud probat quàm Ecclesiastici Juris, quod tunc vigebat, antiquitatem; non verò affirmat id esse Divino & naturali Jure constitutum.

VIII. Quin etiam solis exceptis Beneficiis jus Ecclesiasticum neminem obligat ad restitutionem rei spiritualis per simoniam adeptæ: & de solis Beneficiis renunciandis præcepit d. can. *Si quis*, 1. quæst. 1. & Extrav. *Cùm detestabile*, de simon. Et constat res alias spirituales validè conferri, Sacramenta, Ordines sacros, Religiosam Professionem, Consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Virginum.

IX. Quemadmodum ex Canonum præscripto qui Beneficium simoniacè acquisivit, debet ei quamprimùm renunciare, idem jus valet in fructibus ex Beneficio per simoniam adepto perceptis; tenetur namque universos restituere ante omnem Judicis sententiam. Cùm enim nihil juris habeat in beneficio, nullum pariter jus in fructibus habet. Ita edicit dicta

Extrava

Extravagans *Cùm detestabile*, his verbis: *Nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percipit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Restitutio ista fructuum fieri potest vel Cameræ Apostolicæ, ubi spoliorum jus viget, quod non est receptum in Gallia; aut quod menti Sancti Thomæ accommodatur, vel Ecclesiæ quæ læsa fuit, vel egenorum necessitatibus, 2. 2. quæst. 10. art. 6. ad 4. quo loco S. Thomas non requirit Superioris authoritatem ut læsæ Ecclesiæ restituatur, sed eam requirit ut pauperibus fiat restitutio, vel alteri Ecclesiæ quæ per simoniam illam offensa non fuerit. Mediatores quoque simoniæ tenentur ad eandem fructuum restitutionem in defectum Beneficiarii simoniaci non restituentis, cùm ipsi causam damni suâ culpâ dederint. Navarra cap. 23. num. 106. Eademque excommunicatione Papæ reservata ipso facto ligantur, Extravaganti *Cùm detestabile*, de simon.

CAPUT X.

De censuris Ecclesiasticis generatim.

1. ORDO nunc postulat, ut pœnas delictorum Ecclesiasticas discutiamus, cujusmodi sunt censuræ in tres species distinctæ, Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum. Sunt aliæ insuper pœnæ quas infligit Ecclesia, ut sunt Irregularitas illa quæ ex delicto exoritur: item Depositio à Beneficio, vel officio; & Degradatio.

II. Excommunicatio est censura seu pœna Ecclesiastica, per quam Christianus bonis Ecclesiæ communibus privatur. Hæc bona sunt triplicia: Sacramentorum usus, Suffragia & Orationes Ecclesiæ, exterior Fidelium conversatio.

III. Duplex recensetur excommunicatio, scilicet major & minor. Minor privat solâ Sacramentorum receptione passivâ, sed non eorumdem collatione. Quo fit ut qui hanc incurrit, si conferat Sacramentum, etiam citra necessitatis causam, non peccet saltem mortaliter. Si enim peccaret mortaliter, falsa esset Juris suppositio, quod scilicet non privet excommunicatio minor communicatione activa Sacramentorum. Sed tamen juxta Sotum, Avilam, Sayrum, Reginaldum, Coninch, Alterium, peccat venialiter ubi non est necessitas, cùm expresse dicat caput *Si celebrat*, de Clerico excommunic. minist. *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta.* At verò secundùm Navarram cap. 27. num. 24. Covarruviam in cap. *Alma mater*, 1. parte, §. 8. Suarez tom. 5. disput. 24. sect. 2. num. 12. Bonacinam

cinam de censuris in genere, disp. 2. quæst. 3. num. 4. nullatenus, nec quidem venialiter peccat. Istique exponunt dictum caput *Si celebrat*, quod peccet quidem, atque adeò mortaliter, si celebret ad communicandum alios, non quidem quatenus aliis confert, sed quatenus ipse suscipit Eucharistiæ Sacramentum. Ea tamen expositio violenta est, cùm dicat textus signanter, *Peccat conferendo*. Privat præterea minor excommunicatio electione, non activa quidem, sed passiva ad Beneficia, ut possit quis eligere, sed non eligi, d. cap. *Si celebrat*. Quod idem caput statuit præterea non privari quemquam per minorem excommunicationem Ecclesiastica jurisdictione. Est verò unicus in Jure receptus casus, quo ista minor excommunicatio incurritur, scilicet communicando cum excommunicato vitando, cap. *Noper*, de sent. excomm. & cap. *Cùm excommunicatio*, 11. quæst. 3. Dico cum vitando, quia per Extravagantem Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda scandala*, nemo tenetur alios excommunicatos evitare, nisi solos illos qui nominatim & publicè denunciati sunt, & notorios Clericorum percussores. Hæc de minori excommunicatione. Major autem & activa & passiva Sacramentorum communicatione, & suffragiis pariter Ecclesiæ, simulque externa Fidelium conversatione privat, nec nisi per mortale peccatum incurritur.

IV. Præterea excommunicationum aliæ sunt comminatoriæ, seu ferendæ sententiæ; & istæ non ligant ipso solo contraventionis facto, nisi accedat posterior Judicis Ecclesiastici sententia. Aliæ verò dicuntur latæ sententiæ, seu ipso facto, quæ statim sola contraventione incurruntur. Harum specierum discrimina ex ipsius Canonis verbis dignosci possunt. Si enim Canon dicat his verbis aut particulis, *ipso facto*, vel *ipso jure*, vel *latæ sententiæ*; aut his adverbiis, *statim, confestim, continuò, ex tunc, illicò, in continenti, protinus*; aut si verbis utatur præsentis, aut præteriti temporis, *qui hoc fecerit excommunicatur*, *suspenditur*; aut, *sit excommunicatus*, *sit suspensus*, *sit anathema*; aut, *noverit se excommunicatum*, vel *suspensum*; aut, *noverit se excommunicari*, *suspendi*; aut, *excommunicamus*, *suspendimus*, *judicamus*, *declaramus*, *decernimus esse excommunicatum*, *suspensum*; aut, *incurrat*, vel *incidat in excommunicationem*; vel, *habeatur pro excommunicato*, *suspenso*, *interdicto*: hæc omnia connotant censuram latæ sententiæ.

V. At verò comminatoriam, seu ferendæ sententiæ censuram connotant verborum expressiones, *Præcipimus sub pœna excommunicationis*, vel *suspensionis*, vel *interdicti*, vel *sub interminatione anathematis*; vel, *incurrat censuram comminatoriam*; vel, *decernimus excommunicandum*. Hæc & similia satis insinuant non incurri censuram solo ipso facto.

VI. Si verò Canon sic dicat, *Excommunicetur*, *suspendatur*, vel *subjaceat*, aut *subdatur excommunicationi*, quæ formulæ ambiguæ sunt, eo quòd intelligi possint & de præsenti, quod ex se infert pœnam latæ sententiæ; & de futuro, quod non nisi ferendam à Judice significat; in his casibus

explo

exploranda erit ex aliis verbis in Canone contentis ipsa Legislatoris mens. Sed si neque hac via explorari possit, tunc judicandum esse censent communiter Doctores, censuram non esse latæ, sed ferendæ sententiæ: quia in pœnis benignior est interpretatio facienda, cap. *In pœnis*, de reg. jur. in 6. Idemque judicandum de hac formula, *Excommunicationem noveris te incursurum*, tanquam de comminatoria, juxta Felinum in cap. *Rodulfum*, de rescript. Bonacinam de censuris in communi, disp. 1. quæst. 1. puncto 1. num. 6.

VII. Præterea censuræ aliæ sunt à Jure, quæ scilicet Canone, vel Statuto decernuntur: aliæ ab homine, quæ per Judicis sententiam infliguntur. Ambæ inter se differunt. Primò, quia quæ à jure est, semper generalis est; quæ autem ab homine, potest esse indiscriminatim aut generalis, aut particularis contra determinatas aliquas personas. Secundò quia prior perdurat & viget etiam post Legislatoris mortem, aut amotionem ab officio: secunda desinit per mortem, aut ab officio amotionem Judicis. Tertiò, quia prior si non sit specialiter per Canonem reservata, potest absolvi per quemlibet Confessarium approbatum: secundam autem, id est ab homine, solùs tollere potest Judex, sive Prælatus qui eam decrevit, aut ejus Successor, aut ejusdem Superior, aut is etiam cui Judex ipse hanc delegaverit potestatem. Neque ullatenus potestas ista absolvendi censuras quæ sunt ab homine, comprehenditur sub generali potestate absolvendi à censuris etiam reservatis, sed est specialiter exprimenda. Censuræ enim reservatæ non aliæ intelligi solent quàm quæ à jure sunt.

VIII. Ut verò aliquis potestate polleat ferendi censuras, necesse est esse Clericum, atque in externo foro Judicem, cujusmodi sunt Prælati, sive Seculares, sive Regulares, sive ordinarii, sive delegati, cap. *Transmissum*, & cap. *Suffraganeis*, de elect. & cap. *Cùm ab Ecclesiarum*, de offic. Ordinar.

IX. Episcopus porrò in aliena Diœcesi existens ne suos quidem subditos potest aliquâ censurâ afficere, quia nullam ibi ha[illegible] contentiosam jurisdictionem: potest tamen extra suam diœcesim uti [illegible]ratiosa jurisdictione, suumque subditum in aliena diœcesi non modò in Sacramento Pœnitentiæ absolvere à peccatis & censuris, quin etiam extra Sacramentum potest à censuris eundem absolvere, itemque dispensare, delegare, literas dimissorias aut testimoniales expedire. Sed si Episcopus indebitè fuerit à propria diœcesi expulsus, potest in vicinia commorari, petitaque à loci Episcopo veniâ, jurisdictionem ibi contentiosam exercere inter proprios subditos, & ubi opus fuerit, excommunicare. Clement. unica de foro compet. His adjunge, posse in sua diœcesi censuras decernere in alienum subditum ratione vel delicti in sua diœcesi seu territorio admissi, vel contractus ibi facti, vel rei aut prædii ibidem siti, cap. final. de foro compet. cap. 1. de privileg. in 6.

X. Inter injuſtas quoque cenſuras aliæ validæ ſunt & ſubditos ligant, aliæ invalidæ ac nullæ ſunt. Validæ porrò, ſimulque injuſtæ ſunt illæ quæ offendunt in reo cauſam materialem, ſcilicet mortalem culpam; ſed habent in Judice cauſam injuſtam, ſcilicet odium aut vindictam, non verò laudabilem diſciplinæ zelum. Item illæ in quibus Judex ordinem Juris non ſervat, qualis eſt trina præmonitio aut cenſura in ſcripturam cum expreſſione cauſæ redacta, cap. 1. & cap. *Statuimus*, de ſent. excommunic. in 6. ordinem, inquam, Juris accidentarium, ſervato tamen neceſſario & eſſentiali Juris ordine, qui conſiſtit in una ſaltem præmonitione. Atque de hujuſmodi cenſuris, non autem de prorſus invalidis Doctores communiter exponunt effatum illud S. Gregorii Papæ homil. 6. in Evangel. *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta ſit, timenda eſt.*

XI. Cæterùm cenſura quæ non fundatur in culpa mortali perſonæ contra quam fertur, etiamſi falſa, quæ mortalis foret, cauſa fuerit ſufficienter in judicio probata, nulla penitus & invalida eſt apud Deum, neque conſcien[illegible]n Rei ligat, ut omnes unanimiter docent. Ratio eſt, quia cum ſententia ſit actus juſtitiæ, cujus eſt ſuum cuique tribuere ad æqualitatem, eatenus ſolùm obligat & valet, quatenus veritati & juſtitiæ conformatur. Suffragantur his Sancti Patres, ex quibus S. Hieronymus in Levit. 3. ſcribit: *Si quis non recto judicio eorum qui præſunt Eccleſiæ depellatur & foras mittatur, ſi ipſe non antè exiit, hoc eſt ſi non ita egit ut mereretur exire, nihil læditur in eo quod non recto judicio ab hominibus videtur expulſus. Et ita ſit ut interdum ille qui foras mittitur, intus ſit; & ille foris, qui intus retineri videtur.* Citatur in cap. *Si quis non recto*, 24. quæſt. 3. Sanctus pariter Auguſtinus hoc idem fuſiùs docet lib. de vera Religione, cap. 6. dicens: *Sæpe etiam ſit divinâ providentiâ, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam ſuam cum patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis, vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines quàm vero affectu, & quanta ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. Talium virorum propoſitum eſt aut ſedatis remeare turbinibus, aut ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis, aut ſævior oriatur, tenent voluntatem conſulendi etiam eis ipſis quorum motibus perturbationibuſque ceſſerunt, ſine ulla conventiculorum ſegregatione uſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juvantes eandem Fidem quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt, imò plura ſunt quàm credi poteſt. Ita omnibus generibus hominum & exemplorum ad animarum eurationem & inſtitutionem ſpiritualis populi utitur Divina Providentia.* Hæc S. Auguſtinus ad eorum ſolatium qui per æmulas & infenſas factiones calumniis & infectationibus quà vi, quà dolo impetuntur.

XII. Communis eſt Doctorum aſſertio contra Navarrum, poſſe innocentem

nocentem, contra quem censura materialiter injusta lata fuit, privatim, secluso que scandalo Missam celebrare, atque adhibita eadem præcautione Sacramentum Pœnitentiæ administrare. Tametsi enim in externo foro habeatur pro excommunicato, apud Deum nihilominus, & in conscientiæ foro perinde est ac si talis censuræ ju[illegible], non fuisset ab hominibus sive per malitiam, sive per errorem notatus. Quod idem sentiendum de omni censura intolerabilem errorem continente, idque multò fortiùs quàm de errore qui nascitur ex fallibilibus probationibus, & incomperta facti veritate. Navarra quidem cap. 27. num. 3. & Covarruvias in cap. *Alma mater*, p. 1. §. 7. num. 7. concl. 4. volunt talem censuram esse veram censuram, si saltem justa sit quoad forum exterius, hoc est juridicè prolata ex informationibus quanvis falsis, tamen sufficientibus ad juridicam ferendam censuram in externo foro; & reum, quanvis apud Deum innocentem, si transgrediatur, tum demùm subjici secundùm conscientiam & in occulto omnibus violatæ censuræ pœnis, atque adeo ut dicit Covarruvias, veræ apud Deum ipsum irregularitati, si violet per actum Ordinis etiam occultè exercitum. Docent verò contrarium omninò Caietanus in tractatu 10. quæst. 2. de effectu excomm. Suarez de censuris disput. 4. num. 13. & 14. aliique ferè omnes communiter, nullum aliud nocumentum inferre talem censuram, quàm novam obligationem vitandi scandali & contemptus Ecclesiæ, unde tamen nulla exurgat irregularitas, aliáve coram Deo pœna canonica, licèt apud homines veritatis inscios & in foro contentioso judicetur illas incurrisse, & verè ac justè puniri possit etiam apud Deum propter peccatum scandali palam exhibiti. Sed tamen ubi non timetur id scandalum, posse ab eo quem talis censura perculit Missam in occulto celebrari, absolutionem & cætera Sacramenta in occulto ministrari, aut etiam in publico, si accedat in eum locum ad quem fama hujus censuræ nulla pervenerit. Itaque tota ex occasione talis censuræ exurgens obligatio conscientiæ versatur per accidens in fuga scandali & contemptus Ecclesiæ, punibilis à Deo & hominibus; unde tamen non exurgunt per se canonicæ pœnæ, quia deest secundùm rei veritatem canonicum fundamentum, nimirum justa censuræ causa. Vide si lubet pro hac sententia Sayrum lib. 1. de censuris, cap. 17. Bonacinam de censuris in communi, disp. 1. quæst. 1. puncto 10. Vasquez tract. de excommunicatione, dub. 11. num. 21.

XIII. Suspensio est censura privans usu Ecclesiastici Officii (Officium autem in ordine & jurisdictione consistit) aut usu Beneficii. Auferre verò omninò ipsum Officium aut Beneficium, spectat ad pœnam depositionis, aut (quæ gravior est) degradationis.

XIV. Interdictum est Ecclesiæ censura privans perceptione quorumdam Sacramentorum, à divinis quoque Officiis, & ab Ecclesiastica sepultura. Et dividitur in personale, quo una, vel plures personæ; locale,

quo certus aliquis locus ; & miſtum, quo tam locus ipſe quàm loci incolæ afficiuntur.

XV. Tempore interdicti generalis conceditur moribundis ſacrum Viaticum ; non tamen Extrema-Unctio. Clerici tamen defuncti qui ſervaverunt interdictum, ſepeliri in cœmeterio Eccleſiæ poſſunt ſine campanarum pulſatione aliáve ſolennitate, & cum ſilentio. In Conventualibus Eccleſiis bini & bini, aut tres ſimul legere poſſunt ſine ullo cantu, & januis clauſis Canonicas Horas, demiſſa voce, ne exteriùs audiri queant, excluſis præſertim perſonis interdictis aut excommunicatis. Cruceſignatis & peregrinis pœnitentia concedi poteſt durante interdicto. Hæc omnia ſtatuuntur in cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiſſ. Ibique Gloſſa verb. *Pœnitentia*, rectè infert ex ſpeciali privilegio Cruceſignatorum & peregrinorum cæteros non eſſe ad pœnitentiam admittendos & abſolvendos, niſi inſtante mortis periculo. Privilegium quoque Clericorum qui ſervaverunt interdictum, ut poſſint in cœmeterio Eccleſiæ tumulari, inſinuat quoſvis alios ab Eccleſiaſtica ſepultura excludi tempore generalis interdicti. Certè reliqui in Eccleſiæ communione defuncti, qui tempore [illegible]rdicti publici fuerint in profano loco ſepulti, transferendi erunt in Eccleſiaſticam ſepulturam poſtquam deſierit interdictum.

XVI. Poſt Innocentii III. Conſtitutionem d. cap. *Quod in te*, ſucceſſit Bonifacii VIII. Sanctio in cap. *Alma mater*, fin. de ſent. excomm. in 6. per quam mitigatur prioris illius ſeveritas. Concedit enim ut tempore generalis interdicti, ſive à jure, ſive ab homine decreti, quilibet Fideles etiam corpore ſani poſſint ad Pœnitentiæ Sacramentum admitti, modò non ſint excommunicati, quo caſu reconciliandi non ſunt ſub interdicto niſi in mortis articulo, quemadmodum & illi quorum culpa cauſam interdicto dedit, & illi etiam qui conſilium, opem aut favorem culpæ illi dederunt, niſi priùs ſatisfecerint ; aut ſi in præſenti non poſſint, ſufficientem dederint cautionem ; aut ſi neque hoc poſſint, ſaltem ſe quum primùm valebunt, ſatisfacturos juraverint. Sed in iſtis non idcircò relaxatur interdictum, quanvis indulgeatur ipſis Beneficium ſacramentalis abſolutionis. Addit præterea, poſſe durante interdicto generali in Eccleſiis & Monaſteriis ſpecialiter non interdictis, quæve cauſam interdicto nullam dederint, ſed tamen in loco interdicto ſitis (hæ enim circumſtantiæ ſupplendæ ſunt ex Gloſſa in d. cap. *Alma mater*, verb. *Eccleſiis*,) celebrari Miſſas aliaque divina Officia ſicut priùs, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excommunicatis & interdictis hominibus excluſis, nec pulſatis campanis : acquiri quoque, vel amitti ex Clericorum præſentia, vel abſentia diſtributiones quotidianas, ſicut ante interdictum. In feſtivitatibus autem Natalis Domini, Paſchæ, [illegible]ntecoſtes, & Aſſumptionis glorioſæ Virginis pulſabuntur campanæ, & januis patentibus alta voce divina Officia ſolenniter celebrabuntur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis

cap.

terdictis nihilominus admissis, dummodo illi qui suâ culpâ causam interdicto dederunt, Altari nullatenus appropinquent.

XVII. Præfatæ mitigationes valent in loco generaliter interdicto, sed non valent in loco specialiter interdicto. Cæterùm in ipsa Ecclesia specialiter interdicta potest occultè celebrari Missa, quantùm dumtaxat opus est ut renovetur sanctissimum Sacramentum, quod infirmis pro Viatico reservari debet, & renovari potest etiam singulis hebdomadis, cap. *Permittimus*, de sent. excomm.

XVIII. Quod attinet ad formas in singulis censuris servandas, censuræ quidem tam à Jure quàm ab homine dimanantes circa futurum aliquod delictum nullam exigunt Juris formam præter promulgationem, ad hoc ut sciri & observari possint. Ea verò sola censura quæ ab homine infertur circa delictum præsens cum contumacia conjunctum, ad hoc ut sortiatur effectum has requirit conditiones. Primò ut trina præcesserit admonitio ad obediendum, can. *Omnes decimæ* 16. quæst. 7. & can. *De Presbyterorum*, 17. quæst. 4. cap. *Contingit*, il 2. & cap. *Sacro*, de sent. excomm. & cap. *Constitutionem*, eod. in 6. Inter singulas admonitiones intervallum esse debet duorum saltem dierum, cùm dicat d. cap. *Constitutionem*, in plurali, *Observent aliquot dierum competentia intervalla*. Atqui pluralis loquutio duorum numero est contenta, cap. *Pluralis*, de reg. jur. in 6. Et cùm dictum cap. *Constitutionem*, dicat unam monitionem pro omnibus posse sufficere, hinc Navarra Manual. cap. 27. num. 11. eumque sequuti Suarez, Bonacina, aliique communiter docent, necessarium esse sex dierum inter unicam, quæ sit peremptoria, monitionem, & censuræ sententiam: sed eo casu admonenda est Pars, quod hæc sit unica & peremptoria monitio; alioqui enim non censeretur sufficienter contumax. Ubi verò periculum esset in mora, posset illud sex dierum tempus abbreviari, d. cap. *Constitutionem*, in fine. Declarat porrò Concilium generale sub Innocentio III. Prælatum qui excommunicationis sententiam promulgare præsumpserit, non præmissâ competenti admonitione, neque adhibitis personis præsentibus idoneis, per quas possit, ubi opus fuerit, præmonitio probari, etiamsi causa excommunicandi justa fuerit, interdici ipso facto ingressu Ecclesiæ uno mense, & aliis insuper subjici pœnis, si videbitur Superiori, cap. *Sacro*, de sent. excomm. Cùm verò Concilium generale testes requirat ad probandas præmonitiones, multò magis requiritur juridica probatio delicti quæ præcesserit præmonitiones & censuram, cui delictum illud causam dederit.

XIX. Sententia contra eum lata qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure, cap. *Inter quatuor*, de majorit. & obed. Præsertim verò citatio, seu præmonitio necessaria est ad ferendam excommunicationis sententiam, quæ maxima pœna est earum quas infligere solet Ecclesia, ut asserit S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. & citatur 24. quæst. 3.

can. *Corripiantur*; quia ut ibidem asseritur, hoc genus correptionis institutum est ad medicinam peccantium, & animarum salutem.

XX. Bonam esse praxim aiunt Felinus in cap. *Cùm non ab homine*, de judic. & Armilla verb. *Citatio*, num. 6. ut Judices habitâ priùs bona informatione per testes, incipiant à citatione; sic enim præcaventur ejus fuga & subterfugia qui reus judicandus erit: & videt Judex si sit justa citandi causa.

XXI. Quævis censura, præsertim excommunicatio, ferri debet in scriptura cum expressione causæ; debetque iftius scripturæ exemplum reo requirenti tradi intra mensem. Qui autem unum aliquod istorum Judex violaverit, suspensus ipso facto remanet ab ingressu Ecclesiæ divinisque Officiis. Et Superior ejus non modò hanc sententiam relaxabit, sed etiam latorem sententiæ ad expensas reo sarciendas, & ad interesse aliasque pœnas condemnabit. Ipse verò Judex qui prædictam suspensionem incurrerit, si eam violaverit, incidet in irregularitatem, à qua solus eum Papa poterit dispensare, cap. *Cùm medicinalis*, de sent. excomm. in 6. Ibidem tamen Glossa in verb. *Judicum*, benè monet Episcopos non incidere in has suspensionis pœnas, quia hîc non nominantur: & statuit cap. *Quia periculosum*, hoc tit. in omnibus Constitutionibus quæ pœnam suspensionis, vel interdicti decernunt, nullatenus comprehendi Episcopos, nisi specialis de eis mentio ibi fiat. Qua eadem ex causa suspensio quam Generale Concilium Lateranense sub Innocentio III. indicit in eum qui sine competentibus præmonitionibus excommunicat, non habet locum in Episcopis, quia ibi speciatim non exprimuntur.

XXII. In summa itaque tenendum est, multis modis injustam esse censuram. Primò si feratur ab incompetente Judice, quo etiam casu irrita & nulla est. Secundò censura lata per inferiorem Prælatum postquam appellatum fuit ad Superiorem, non solùm injusta, sed etiam nulla est defectu potestatis. Tertiò ubi nulla præmissa fuit admonitio, simul erit injusta & nulla censura. Ubi verò non tres, sed una aut altera præcessit admonitio circa præsentem seu præteritam culpam, valida quidem erit censura, sed tamen injusta, & per Superiorem relaxanda. Quartò idem judicandum de censura aliter lata quàm per scripturam, vel sine causæ expressione. Quintò censura nullatenus ligat, si Judex qui sententiam tulit, non intendit ut ligaret, etiamsi mentem suam non expresserit, & reus existimet se ligatum. Idemque sentiendum de certis personis quas Judex intenderit eximere, quanvis reliquos intendat illigare. Censuræ namque non aliter ligant quàm secundùm Judicis à quo infliguntur intentionem. Navarra cap. 7. num. 11. Sextò conveniunt unanimes Doctores, quando censura decernenda est in aliquam, vel aliquas particulares personas, si admonitiones fiant, non ad domum, sed esse faciendas coram ipsis personis. Tum quia districtiùs agendum est in materia censurarum, quàm in aliis judiciariis actibus,

actibus, in quibus jura permittunt citationem fieri in ipsa domo, absente reo, l. *Scire oportet*, §. *Qui autem*, D. de excusat. tutor. & cap. *Causam*, de dolo & contumac. vel ad Ecclesiam, cap. *Venerabilis*, in fin. eod. tit. Tum quia censuræ ferri solent contra contumaces, qualis fortè non erit absens qui nihil de admonitione resciverit. Excipe hinc si reus per dolum absit, aut se occultet, aut per vim ne admoneatur impediat: sed istud quoque probandum erit, quâ probatione convincatur ejus contumacia. Præterea postquam fuit in persona propria commonitus semel, poterunt fieri reliquæ commonitiones ad ejus domicilium, quanvis absentis, juxta Ugolinum tab. 1. cap. 18. §. 1. Bonacinam de censur. in com. disp. 1. quæst. 1. puncto 9. num. 9. & plerosque alios Scriptores. Atque ita decrevit Rota Romana decis. 399. in novis. Præterea Glossa in d. cap. 1. de sent. excomm. in 6. semel & iterum notat latam sine scripto aut expressione causæ censuram esse nihilominus validam. Idque colligit ex his Canonis verbis: *Superior hanc sententiam relaxabit*. Ita pariter sentiunt Summistæ.

XXIII. Et ne quid omittatur in hac materia scitu necessarium, observa quando non agitur de nova infligenda censura, sed de declarando quod aliquis in censuram pridem vel à jure vel ab homine latam inciderit, tunc non utendum esse præmonitionibus, sed citationibus, ut reus in jus veniat rationem sui facti redditurus. Non enim justum habetur judicium, præsertim in causa criminis aut pœnæ, nisi parte legitimè citata, ut jus, si quod habeat, tueatur, suasque proferat exceptiones, sibique objecta refellat, aut culpam suam agnoscat & fateatur. Alioqui rescindenda meritò sententia est quam citatio non præcessit, l. 1. §. *Item ex eo edicto*, D. quæ sent. sine appellat. rescind. cap. *Inter quatuor*, de majorit. & obed. Ideoque Abbas Siculus in cap. *Pervenit* 1. num. 5. de appellat. asserit non esse denunciandum aliquem Clerici percussorem, nisi ipso antè citato, & examinatis probationibus super rei veritate. Idem tradit Glossa in cap. *Sacro*, verb. *Constiterit*, de sent. excomm. Nisi fortè tanta esset facti notorietas ut nullum tergiversationi locum relinqueret, juxta cap. *Pervenit*, de appellat.

XXIV. Caveat denique Prælatus, ne in monitoriis ad criminis testificationes eliciendas ullatenus reus nominetur aut designetur, nisi per voces individui vagi, ut *aliquis*, *quidam*. Injuriosum enim foret si ejus persona publicaretur nondum probato delicto: sicut superiùs admonui lib. 4. cap. 4. circa juridicam criminis inquisitionem, juxta cap. *Inquisitionis*, & cap. *Quæsiter*, il 2. de accusation.

XXV. Contingere facilè potest, ut Prælatus certam habeat notitiam criminis à subdito admissi per dignas fide aliorum relationes secretas; nec tamen expediat litem Clerico intentare ob evitanda emersura scandala, aut graves quæ prævidentur difficultates. Si ergo Prælatus post privatam admonitionem in pœnam præteriti delicti, & præcautionem recidivæ, privatim

privatim interdicat aut suspendat Clericum sine scriptura, tenebitur Clericus in conscientia mandato Prælati obedire. Id confirmatur cap. *Tam literis*, de testibus: ubi Papa sine præcedentibus solitis formis suspendi jubet Clericum ob præcedens delictum. Ex alia verò parte supponendo suspensionem aut interdictum privatim fuisse significatum, si Clericus sibi conscius attentet has violare censuras per Ordinis sacri exercitium, peccabit proculdubio; non tamen in irregularitatem cadet, quia Prælatus non processit per modum juridicum, sed per modum privatæ pœnæ, sive medicinalis, sive vindicativæ. Ita Zerola 1. p. verb. *Suspensio*, §. 7. Bonacina de censuris in communi, disp. 1. quæst. 1. puncto 9. n. 3. Secus judicandum de excommunicatione, quæ hoc peculiariter habet, ut præter delictum requirat pariter contumaciam, ideoque infligi non potest pro præterito delicto.

CAPUT XI.

De effectibus excommunicationis.

I. OCto recensentur majoris excommunicationis effectus. Horum primus est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum. Privatim autem potest quilibet fidelis Deum precari pro quolibet excommunicato, etiam minimè tolerato. Imò Sacerdos quilibet ad Altare potest orare pro excommunicatis, sive vivis, sive defunctis, in secretis & particularibus commemorationibus, quæ fiunt in Canone Missæ.

II. Secundus effectus est privatio, tam activæ quàm passivæ participationis Sacramentorum Ecclesiæ. Sanè validè, sed tamen illicitè Sacramenta administrare potest omnis excommunicatus toleratus Sacerdos. At verò non toleratus, seu vitandus Sacerdos, quanvis validè, nec tamen licitè possit alia Sacramenta; nullatenus tamen validè potest administrare Pœnitentiæ Sacramentum, quia excommunicatio vitandi & non tolerandi omni privat jurisdictione, præterquam in articulo mortis.

III. Soli autem censendi sunt excommunicati vitandi omnes illi qui publicè & nominatim denunciati fuerunt, necnon ille qui adeo manifestè & publicè in personam Clerici, aut in res ei cohærentes vim aliquam injuriosam adhibuerit, ut nullâ possit hoc delictum tergiversatione celari, vel excusari, juxta Concilii Constantiensis canonem quem Martinus Papa V. approbavit, cujus textus hic est: *Ad evitanda scandala & multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium*

tium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicujus, Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, intus & extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem evitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi censura, vel sententia hujusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam à Judice publicata, vel denunciata specialiter & expresè: Constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum, sententiam latam à Canone adeo notoriè constiterit incidisse quod factum nullâ possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam à communione illius (licèt denunciatus non fuerit) volumus abstineri juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos & interdictos aut prohibitos. Ita referunt hanc Constitutionem S. Antoninus 3. parte Summæ Historialis, tit. 22. cap. 6. §. 4. & in 3. parte Summæ Theologicæ, tit. 25. cap. 2. & 3. Item Angelus de Clavasio in Summa, verbo *Excommunicatio* 8. num. 3. Gabriel Biel in 4. Sent. dist. 18. art. 1. notabili 3. Joannes Major Professor Sorbonicus in 4. Sent. dist. 18. quæst. 3. Adrianus Papa in 4. Sent. tit. de Sacram. Euchar. & in tract. de Clavib. Eccles. 3. principaliter quæsito: Caietanus in Summula, verbo *Excommunicatio*, & verbo *Absolutionis impedimenta*: & in 3. p. S. Thomæ, q. 64. art. 6. Armilla verbo *Excommunicatio*, num. 50. Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 22. q. 1. art. 4. Covarruvias in cap. *Alma mater*, p. 1. §. 2. n. 9. Suarez de censuris disp. 9. sect. 9. num. 5. & in tract. de Fide, disp. 21. sect. 3. Toletus in Summa, lib. 1. cap. 12. & alii plerique: qui simul omnes meminere posterioris immutationis in hoc Canone factæ à Conciliis Basileensi & Lateranensi, à Pragmatica Sanctione, & à Concordato Bononiensi inter Leonem Pontificem, & Franciscum Regem. In quibus extenditur Constantiensis Constitutionis exceptio ad quoscumque etiam non denunciatos, qui facti notorietate dignoscuntur in excommunicationem incidisse, hisce generalibus clausulis: *Aut si notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla tergiversatione celari possit, aut aliquo juris suffragio excusari, eum à communione illius abstinere volumus, juxta canonicas sanctiones.* Supradicti omnes negant esse ullibi receptam generaliorem istam exceptionem, sed solam Constantiensem exceptionem de notorio Clerici percussore vigere. Quod idem de recepto Galliarum usu testatur novissimè Jacobus Evellonius in suo Gallicano Tractatu de excommunicationibus. Tot verò anxietates & perturbationes pariebant illæ cum excommunicatis communicationes, tum in sacris, tum in profanis, ut plusquam trecentis ante Constantiense Concilium annis gravissimus Scriptor Ivo Carnotensis epistola 81. conatus enixè fuerit omnes prorsus abolere prohibitiones communicandi cum excommunicatis, præterquam cum solis illis qui publicè

convicti & nominati fuissent, sic enim admonet: *De excommunicatis communi sententia, non tamen nominatis, sive in Capitulo, sive in Concilio facta sit illa excommunicatio, sive sint simoniaci, sive presbyteri uxorati, idem consilium est quod de aliis criminosis, quia non sunt à communione suspendendi, nisi publicè convicti, vel publicè confessi.*

IV. Ex ista Constantiensi Sanctione multa addiscimus. Primò severitatem antiqui Juris mitigari, prohibentis olim participationem quamcunque cum excommunicatis non denunciatis perinde ac nominatim denunciatis, tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus. Secundò permitti communicationem cum excommunicatis, etiam in Divinis & Sacramentorum receptione, modò non sint publicè & nominatim denunciati: quibus additur Clerici percussor, quanvis non divulgatus, respectu saltem eorum qui certò sciunt. Tertiò hoc privilegium nullo modo favere excommunicatis, quantumvis occultis, & hos teneri ex parte sua conversationem aliorum evitare tam in civilibus quàm in Divinis. Manifestè porrò falluntur Coninch disp. 14. num. 13. & Bonacina de censuris in communi, disp. 1. quæst. 2. puncto 2. §. 2. num. 7. ad fin. dum asserunt communicantes cum notorio Clerici percussore, si non fuerit nominatim denunciatus, nulla affici minori excommunicatione. Constantiensis enim Constitutio prorsus oppositum decernit secundùm utramque editionem, quarum una expressè dicit hanc exceptionem de percussore Clerici, quod quanvis non fuerit publicè notus aut denunciatus nominatim, is tamen qui sciens talem cum eo communicaverit, incurrat pœnas & censuras antiqui Juris. Altera verò editio, quæ non loquitur specialiter de percussore Clerici, comprehendit simul & pares facit eos qui non sunt nominatim & publicè denunciati; de quibus tamen manifestè constat incurrisse in sententiam excommunicationis, ut non possint occultari, neque excusari, cum illis qui fuerunt specialiter promulgati, & à Judice expressè denunciati. Et quidem Bonacina sibi contrarius oppositum passim alibi docet, atque adeo in isto ipso tractatu & eadem disp. 2. quæst. 2. puncto 6. §. 2. num. 47.

V. Tertius effectus majoris cujuscumque excommunicationis est privatio à Missæ & cujusvis divini Officii auditione. Non tamen excluditur ab auditione prædicationis verbi Dei, ut per eam compungi & converti possit, dummodò si fieri possit, se conspectui publico subducat. Constat verò fuisse veteris Ecclesiæ usum & praxim, ut excommunicati de Ecclesia non expellerentur, nisi tempore Offertorii, post decantatum Evangelium, & finitam, quæ post Evangelium fieri solebat, Verbi Dei prædicationem, can. *Episcopus nullum*, de consecrat. dist. 1. Quanvis autem Sacerdos Sacrum faciens gerat publicam nomine totius Ecclesiæ personam, non tamen exuit omninò privatam personam, & ut talis potest mentaliter, sive in *Memento*, sivè in aliis Missæ partibus orare pro excommunicatis, tam vitandis quàm toleratis. Avila 4. parte, disp. 1. conclus. 2. Navarra cap. 27. num. 36.

Suarez

Suarez de censuris disp. 9. sect. 5. Bonacina disput. 2. quæst. 2. punct. 1. §. 3. n. 7. Vasquez tract. de excommunicatione, dub. 2. num. 2.

VI. Quartus est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, cap. *Sacris*, de sepultur. Clement. 1. eod. tit. ut enim ait S. Leo Papa I. relatus in can. 1. causæ 24. quæst. 1. *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Addit d. cap. *Sacris*, si contingat corpus excommunicati loco sacro tumulari, exhumandum esse, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactandum, si modò ab aliorum fidelium corporibus discerni possit; alioqui enim toleranda esse zizania, ne eradicetur triticum. His adde ex cap. *Consuluisti*, de consecrat. Eccles. vel Altar. non solùm Ecclesiastica sepultura esse eruendum excommunicati cadaver & ossa, sed etiam locum ipsum esse repurgandum & reconciliandum aspersione aquæ solenniter benedictæ: sicut fit in Ecclesiæ dedicatione aut reconciliatione. Si verò non potuerit ab aliis inhumatis ibi corporibus dignosci, non minùs est locus ille reconciliandus, ut docet Suarez de censuris disp. 13. sect. 4. num. 4. Excommunicatus qui ante mortem dederit signa pœnitentiæ, nec tamen fuerit absolutus, non est sepeliendus in loco sacro, donec Superioris authoritate post mortem fuerit ab excommunicatione solutus: si verò jam sepultus fuerat, non est extrahendus, sed in ipso loco authoritate Ordinarii aut alterius facultatem habentis absolvendus à censura. Si verò pœnitentiæ indicia nulla exhibuerit, arcendus est ab Ecclesiastica sepultura. Bonacina & alii communiter d. disput. 2. quæst. 2. puncto 3. §. 3. num. 7.

VII. Obiter hîc observa septem genera personarum Ecclesiasticâ sepulturâ excludendarum, recensita in Rituali jussu Pauli V. Pontificis edito. Primi sunt Pagani, Judæi, hæretici, schismatici, eorumque fautores, omnesque majori excommunicatione ligati. Secundo loco sunt quicumque ex desperatione, vel iracundia sibi mortem intulerunt, alióve ex pravo affectu, nisi ante mortem signa ediderint pœnitentiæ. Huic pœnæ non subjacent qui per insaniam sibi necem consciverunt. Tertiò mortui in duello, etiamsi ante mortem signa ediderint pœnitentiæ, ut sancitur Pontificiis Bullis & Regiis Edictis. Quartò manifesti & publici peccatores, qui sine pœnitentia interierunt. Quintò illi de quibus publicè constat quod semel eo anno non fuerint confessione expiati, aut in Pascha sacram Eucharistiam non sumpserint, si ante mortem non dederint signa contritionis. Sextò infantes sine Baptismo vitâ functi. Septimò nominatim interdicti, & insuper quicunque sunt in loco interdicto laïci morientes durante interdicto.

VIII. Quintus excommunicationis effectus est inhabilitas ad quævis Beneficia obtinenda. Itaque electio, præsentatio, institutio, collatio factæ in favorem excommunicati etiam tolerati, nec evitandi, nullæ sunt, cap. *Postulastis*, de cler. excomm. Circa quem effectum sciendum est, quod ex-

communicatio aliáve censura atque irregularitas præcedens electionem aut provisionem Beneficii facit eam invalidam & irritam, d. cap. *Postulastis*. Sed collato jam Beneficio superveniens non inducit Beneficii vacationem. Decisio Rotæ in novis 195. Gomesius in tract. Expectativarum, num. 60. Covarruvias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 7. num. 4. not. 11. Quinimò id satis constat ex cap. *Ex literis*, de excess. Prælat. ubi homicida Beneficium habens, cùm sit ratione homicidii irregularis, non judicatur ipso facto depositus, sed solùm Judicis sententiâ deponendus. Suarez de censuris disp. 13. sect. 1. num. 1. id probat ex cap. *Pastoralis*, §. *Verùm, de appellat.* ubi decernitur Beneficiarium noviter excommunicatum privandum esse per Judicem Beneficii sui fructibus: unde infertur illi adhuc remanere Beneficium. Idem docet Sylvester verb. *Excommunicatio* 3. n. 1. §. 9. Excommunicatus quoque inhabilis est ad provisionem pensionum clericalium, secundùm aliquos qui iisdem rationibus nituntur, quibus probatur de Beneficio quod excommunicato confertur: sed tamen nullus Canon hoc decernit de pensionibus, cùm tamen Canones id exprimant de Beneficiis: & in pœnalibus non fit extensio, sed potiùs restrictio, cap. *In pœnis*, de regul. jur. in 6. *In pœnis* (ait) *benignior est interpretatio facienda.* Hanc tamen volunt ad pensiones extensionem Sayrus lib. 2. de censur. cap. 5. num. 15. & alii quos allegat & sequitur Bonacina d. disp. 2. quæst. 2. puncto 4. §. 1. n. 4. Ex adverso Avila de censuris 2. p. cap. 6. dub. 7. ad fin. aliique asserunt validam pensionis clericalis collationem excommunicato factam. Utraque opinio probabilis est. De fructibus Beneficii ante excommunicationem acquisiti dissident invicem Doctores. His enim privari quemcunque excommunicatum asserunt Glossa in cap. *Studeat*, dist. 50. in fine, Ostiensis, Abbas, Suarez, Toletus, Reginaldus. Negant ex adverso Petrus Navarra, Avila, Sanchez, Vasquez, Coninch, Bonacina, dummodo excommunicatus suum præstet officium. Ista est mihi probabilior opinio. Primò, quia cui Ecclesia Beneficium indulget, eidem pariter attribuere censetur ea quæ sunt accessoria & consectanea ad Beneficium: & qui dat esse, hoc ipso dat consequentia ad esse; & accessorium naturam sequi congruit principalis, cap. *Accessorium*, de regul. jur. in 6. Præterea pœnæ cùm sint odiosæ, restringendæ potiùs sunt quàm ampliandæ ultra quàm Jus exprimat. Jus autem hanc pœnam nullibi decernit. Quod verò aliqui ad hoc citant cap. *Pastoralis*, in fin. de appellat. *Et illi meritò proventus Ecclesiastici subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*, ipsa Glos. ibid. in verb. *Subtrahuntur*, hoc exponit de pœnali Judicis sententia, non verò de Juris præscripto. Denique ipsa consuetudo quæ vim juris habet, istud confirmat. Talem enim pœnam quasi jure ipso incursam nusquam vidimus admissam, sive in foro pœnitentiali, sive in contentioso: neque peti solet contra ipsam dispensatio aut rehabilitatio, saltem in regno Galliæ.

IX. Sextus

IX. Sextus effectus est privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, cap. *Ad probàndum*, de re judicat. & Clem. *Ne Romani*, de election. Hæc pœna solùm attingit excommunicatum evitandum, non verò toleratum, ut est communis Doctorum sensus. Iidem similem tolerati & evitandi distinctionem locum habere consentiunt in privatione suffragii ad eligendum, quæ statuitur per cap. *Cùm dilectus*, de consuetud. contra electores suspensos : volunt enim post Extravag. Constantiensem non habere locum nisi contra suspensos publicè denunciatos, & similiter excommunicatos.

X. Septimus excommunicationis effectus est civilis communicationis privatio, cap. *Excommunicatos*, 11. quæst. 3. Sed hæc pœna post Extravagantem *Ad evitanda*, non habet vim nisi contra nominatim denunciatos, aut palam notorios. Quin etiam in istis ipsis excipiuntur quinque communicandi causæ hoc vulgari versiculo comprehensæ:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

XI. Octavus demùm effectus est nullitas impetrationis gratiarum & rescriptorum Apostolicorum, cap. 1. de rescript. in 6. Cui tamen obviari solet in Literis Apostolicis per clausulam absolutionis ab omnibus censuris ad hunc duntaxat effectum, ut impetrans sit capax gratiæ quæ ipsi à Summo Pontifice indulgetur.

XII. Observa tamen Constitutionem *Ad evitanda*, ubique ferè, atque adeo tota Gallia esse receptam, non prout habetur in Concordato Leonis Papæ & Francisci Regis, atque in Concilio Lateranensi sub Leone X. sed prout diximus allegari à Felino, S. Antonino & Caietano : ita ut soli ab hujus Constitutionis Beneficio excludantur nominatim denunciati, & prorsus notorii Clericorum percussores ; non verò cæteri excommunicati, quantumvis notorii, sed non specialiter denunciati.

XIII. Hoc pariter observa, Constitutionem illam permittentem communicare cum excommunicatis toleratis, etiam in Divinis Officiis & Sacramentis, abolere quidem veterem Ecclesiæ prohibitionem, sed non naturalem & Divini Juris, vetantem Sacramenta indignis ministrare, sanctumque dare canibus, & margaritas projicere ante porcos. Matth. 7. Ille itaque qui sciens Sacramentum tolerato excommunicato conferret, non incideret quidem in minorem excommunicationem, sed tamen mortaliter peccaret. Quemadmodum ille etiam peccaret qui scienter ab excommunicato Sacerdote tolerato citra ullam necessitatem sumeret aliquod Sacramentum : quia Jus Divinum prohibet alieno peccato consentire, aut cooperari. *Et digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1.

XIV. Sapienter admonet Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 3. ex re vulgari seu levi Monitoria non esse decernenda. Cui suffragatur in Gallia nostra Edictum Caroli IX. in Comitiis Aurelianensibus, art. 18. ut omittam antiquiorum Conciliorum Canones, cujusmodi est

Canon 3. Concilii Agathensis, Canon 56. Meldensis, Canon 2. Aurelianensis IV. & Canon 13. Vormatiensis. Vide si lubet apud Gratianum can. *Episcopi*, & can. *Nemo Episcoporum*, & can. *Nullus Sacerdotum*, 11. quæst. 3. S. Augustinus de corrept. & gratia rationem horum suppeditat cap. 15. *Quia* (inquit) *pœnâ excommunicationis nulla major est in Ecclesia.* Denique Ludovici XIV. feliciter nunc regnantis Constitutio mensis April. an. 1666. sic ordinat: *Non astringentur Ecclesiastici ad censuras vel monitiones decernendas, nisi pro gravibus causis.* Omissis minoribus taxationibus quas cæteroqui graves Authores in hac materia monitionum præfixere, magis convenientem existimaverim taxationem illam quam doctissimus Episcopus Piasecius in sua praxi Episcopali, p. 2. cap. 4. præfigit ad viginti scuta, quæ summa in paupere familia potest esse gravissima, & absolute gravis in furto, in commodato, in deposito. Concilium quoque provinciale Avenione celebratum sub omni virtutum genere ornatissimo Francisco Maria Taurusio ex Congregatione Romani Oratorii Archiepiscopo & Cardinali, providet ne pro minori dispendio quàm viginti aureorum expediantur monitiones aut censuræ.

CAPUT XII.

De minori excommunicatione.

I. OMnis quidem excommunicatus, etiam toleratus, privatur sub mortali peccato ab auditione Missæ & assistentia in Divinis Officiis. Potest tamen ingredi Ecclesiam, & seorsim adorare, & orare coram sanctissimo Sacramento, dum abstineat à Missa & publicis Officiis. Hoc dicit Alterius lib. 1. disp. 10. cap. 5. & Bonacina de excom. disp. 2. quæst. 2. puncto 3. §. 2. n. 9. asserentes esse communem sententiam. Non enim illi prohibentur privatæ orationes, neque ingressus Ecclesiæ ad hunc finem, sed tantùm ad finem participandi communibus Ecclesiæ precibus, & suffragiis. Reliqui tamen Fideles ex concessione Extravag. *Ad evitanda*, non tenentur excludere à Missa, vel Divinis Officiis excommunicatum toleratum, quanvis iste, ut dixi, si his interfit, peccet mortaliter, nisi ignorantiâ excusetur.

II. Secus tamen agendum circa excommunicatos evitandos. Quisquis enim scienter Missam, aliave Ecclesiastica Officia celebrat coram excommunicato evitando, peccat mortaliter; simulque ligatur excommunicatione minori quisquis scienter interest Missis aut Divinis Officiis præsente illo, sive Clericus sit, sive Laïcus: eam enim decrevere pœnam prisci

Canones

Canones contra quoſcunque participantes, ſive in Divinis, ſive in humanis cum quovis excommunicato. Qui Canones etiam nunc vigent, exceptâ ſolâ mitigatione Extravagantis prædictæ circa non notorios, aut non denunciatos nominatim excommunicatos. Hujuſmodi ſunt can. *Excommunicatos*, & can. *Cum excommunicato*, & can. *Qui communicaverit*, 11. quæſt. 3. Si ergo inchoatâ jam Miſsâ adveniat notorius, aut nominatim denunciatus excommunicatus, monendus eſt ut inde exeat: ſi parêre recuſet, vi ejiciendus eſt, quanvis eſſet Sacerdos. Sed ſi ejici non poteſt, tunc diſtinguendum eſt ita. Vel Sacerdos inchoavit Canonem Miſſæ, vel non: ſi non inchoavit, debet à cœpta Miſſa deſiſtere & in ſacriſtiam redire: ſi verò Canonem jam inchoavit, debet proſequi reliquum uſque ad communionem incluſivè, & iis quæ ſequuntur prætermiſſis, ad ſacriſtiam redire ubi prætermiſſa ſupplebit. Qui verò excommunicati, vel interdicti admoniti exire pertinaciter manſerint, eorumque in iſta pertinacia fautores novo excommunicationis ipſo facto Papæ reſervatæ vinculo ligantur, Clement. 2. de ſent. excom. Hæc docent unanimes omnes, nemine contradicente, Doctores: præterquam in eo quod aliqui eorum eundum eſſe aſſerunt Sacerdoti tantummodò in puncto conſecrationis, quum ventum eſt ad verba, *Qui pridie quàm pateretur*, ut vult Navarra: alii verò communiùs negant abſolutè eundum eſſe ab inchoato ſemel Canone. Videri poteſt hæc ubertim pertractans Suarez de cenſur. diſp. 12. ſect. 2. num. 11. & ſequentibus.

III. Sacerdos ſcienter celebrans coram excommunicato evitando peccat mortaliter: nec ſolùm illigatur minori excommunicatione, ſimulque interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, cap. *Epiſcoporum*, de privileg. in 6. ſed præſumens deinceps celebrare antequam abſolutionem conſequutus ſit, fit irregularis, non quidem propter violationem minoris excommunicationis (quæ utique non ſufficit ad pœnam irregularitatis incurrendam, ut addiſcimus ex cap. *Si celebrat*, de cler. excom. miniſt.) ſed ob violatam prædicti Interdicti cenſuram.

IV. Sicut autem quiſquis ſcienter in ſacris & divinis communicat cum evitando excommunicato, peccat mortaliter ob materiæ gravitatem: ita in civilibus & humanis peccat tantùm venialiter ob materiæ levitatem. Sed tamen ex hoc ipſo implicatur excommunicatione minori, d. can. *Excommunicatos*, & can. *Cum excommunicato*, & can. *Qui communicaverit*, 11. q. 3.

V. Hujuſce minoris excommunicationis effectus eſt prohibitio, non quidem conferendi, ſed ſolùm ſuſcipiendi Sacramenta, & privatio vocis paſſivæ, ſed non activæ: poteſt enim alium eligere, ſed non eligi, atque etiam juriſdictione uti qui hanc minorem contraxit. Nullam verò incurrit irregularitatem ex minoris excommunicationis violatione per Ordinis ſacri exercitium ille qui hac cenſurâ eſt illigatus, cap. *Si celebrat*, de cler. excom.

excommunic. ministr. Quod verò ibidem statuitur, eundem celebrando graviter peccare, ide venit non quatenus confert, sed quatenus suscipit in celebratione Eucharistiæ Sacramentum.

VI. Duos itaque parit effectus minor excommunicatio. Primus horum in privatione passivæ Sacramentorum susceptionis consistit. Secundus est irritatio electionis in ejus favorem qui hac est irretitus, ut decernit dictum caput *Si celebrat.* His enim verbis, *Ejus electio est irritanda,* non negat esse validam sive electionem, sive præsentationem, sive collationem, sive institutionem. Sed tamen satis insinuat esse illicitam, cùm decernat illam irritandam esse: atque adeò taliter illigatum non posse citra gravem offensam suscipere & retinere Beneficium, nisi se absolvi curet. Ugolinus tab. 3. cap. 6. §. 3. Suarez disp. 24. de censuris, sect. 2. num. 21. Felinus in cap. *Dilecti,* de exception. Ricardus in 4. dist. 18. art. 7. quæst. 4. Filliucius cap. 2. quæst. 10. num. 25. & alii communiter.

CAPUT XIII.

Quanam ignorantia excuset à censuris.

I. PRÆSUPPONENDÆ hîc sunt multiplices ignorantiæ distinctiones. Alia dicitur ignorantia respectu pœnæ, scilicet quod lata sit in tali casu censura. Alia respectu Juris, an à Jure hæc vel illa actio prohibita sit. Alia item respectu facti, cùm res aut persona ignoratur, ut an id quod telo ferire intendo, sit fera, an homo; vel an sit homo laïcus, an Clericus. Insuper alia est inculpabilis ignorantia sive juris, sive facti; alia verò culpabilis. Prima vinci non potuit in illis rerum circumstantiis, ideoque censetur inculpata. Secunda vinci potuit, idcirco judicatur culpabilis.

II. Communis regula est, culpabilem esse rerum ad proprium cujusque officium spectantium ignorantiam, ut est imperitia Medici in ægroto sibi curando, §. *Præterea,* Institut. de lege Aquilia. Id quidem ita judicari solet in externo foro ex Juris præsumptione, quod quis negligens extiterit in iis quæ proprii officii sunt addiscendis. Quæ tamen cessare præsumptio potest in foro conscientiæ. Perspecta quippe omni sapienti est ipsa humani ingenii naturalis infirmitas. Alioqui permulta sequerentur absurda. Primum, neminem qui non sit eximii ac præstantissimi ingenii, posse ulli se arti aut disciplinæ addicere citra gravia & continua peccata; quia quantamlibet adhibuerit quis in addiscendo diligentiam, ignorabit tamen non pauca quæ eximii quidam ejusdem artis professores inimitabili solertiâ assequuti

assequuti sunt, aut inexhaustæ memoriæ bonitate retinent, quæ etiam longiore studio ab aliis acquisita mox infelici oblivione dilabuntur. Altera etiam non minor sequetur absurditas. Cùm enim doceat experientia illos qui longo provectu in aliqua arte, vel scientia versati sunt, longè plura scire iis qui in eisdem disciplinis exercendis juniores sunt, minusque experti; sequeretur ob minorem peritiam, atque adeo ob inevitabiles quasdam in arduis & difficilioribus imperitias neminem posse licitè aliqua in arte versari, nisi priùs acquisiverit consummatam experientiam ejus artis. Atqui nemo potest illam assequi consummatam experientiam nisi diuturno tempore in eadem arte versatus. Atque ita nemo citra grave & continuum peccatum aliquam aggredi, aut per aliquot annorum decursum exercere professionem posset: cùm tamen illa consummata peritia non obtingat nisi post longam artis exercitationem, quâ solâ artes & harum cognitio exacta perficiuntur. Quin etiam his ulteriùs adjungo, etiam perfectissima, quorum exiguus est numerus, ingenia, quæ longa etiam in propriis professionibus exercitatio ad consummatam frugem perduxit, non ita esse felicia, ut omnia quæ suæ artis sint, perspectissima habeant, unde necesse est aliqua ignoratione errent. Et liquidò perspicimus inter præstantissimos & primarios Artium & Scientiarum, sive practicarum, sive speculativarum Professores, qui doctrinam excellentis ingenii acumine & laboris assiduitate consummatissimam scriptis tradiderunt, alios ab aliis quàm sæpissimè dissidere, corrigi, & invicem coargui. Hæc ad singulas paginas occurrunt legentibus excellentiores quosque Philosophos, Theologos, Jurisconsultos, Medicos, & qui de moribus scripsere non dico circumforaneos, aut etiam mediocres, sed principes, eximiæque sapientiæ Magistros. Quis igitur ista perspiciens ausit asserere, nullam posse cuiquam in arte propria, quæcumque illa sit, contingere ignorationem, inadvertentiam, vel errorem citra culpam & offensam Dei? Id esset ignorare, non fortasse sine culpa, nostræ conditionis infirmitatem inevitabilem, quæ nos in humilitate continet, de qua Rex sapientissimus Spiritu Divino collustratus hoc perhibet testimonium Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Præstantissimi quoque Jurisconsulti à Justiniano Principe ad Romanorum legum delectum & compilationem adhibiti, ab ipso Pandectarum exordio protestantur: *Omnium habere notitiam, & penitus in nullo peccare, Divinitatis magis quàm mortalitatis est.*

III. Præterea dividitur ignorantia in antecedentem, concomitantem, & consequentem. Antecedens illa est sine qua non fieret actio: ut si Titius virum quem percutit, sciret esse Clericum, nequaquam percutere auderet: vel si sciret pœnam excommunicationis impositam esse percussori Clerici, abstinuisset, formidine illam incurrendi, ab istiusmodi percussione.

Ignorantia concomitans ea est, quæ licèt non interveniret, non minùs fieret actio: ut si is qui feram telo appetere intendit, sciret non esse feram, sed suum adversarium, non minùs id telum contra ipsum intorqueret. Ignorantia consequens est quæ ex mala voluntate nascitur, quæ dicitur affectata.

IV. Ignorantia culpabilis, seu vincibilis, tam juris quàm facti, si sit adeo crassa & negligentiæ conjuncta, ut agentem non eximat à mortali culpa circa illam circumstantiam in qua versatur censura, nullatenus excusabit à censura, neque ab irregularitate imposita in pœnam, ut si quis hominem telo adortus cogitationem & actuale dubium habuerit an sit Clericus, & hoc stante dubio percusserit Clericum, haud ignarus pœnæ statutæ contra Clericorum percussores. Illa quippe ignorantia crassa est & affectata, quandoquidem stante dubio de Clericatu sese hujus pœnæ periculo sciens & volens exposuit. Atque hæc est consequens ignorantia, ex crassa negligentia, & facilè vincibili nascens. Probatur primò authoritate cap. *Ut animarum*, de constitutionib. in 6. declarantis contraventionem adversùs sententias & statuta Ordinariorum non excusari per crassam & supinam earumdem ignorantiam. Si enim aliquis habet suspicionem, vel dubitationem alicujus legis, vel sententiæ, nec aliqualem adhibet diligentiam ut sciat an talis sit lex, & nihilominus prætergreditur sciens & volens illam de qua dubitat legem, hic non solùm se periculo exponit transgrediendi illam, si qua existat, legem; sed etiam licèt nulla talis existeret lex, temerè agit contra conscientiam suam, & ideo certissimè peccat: atque ideo qui dubitans de excommunicatione prorumpit in actum, satis habet pertinaciæ & præsumptionis ad peccatum mortale, & ad violationem censuræ. Quæ ratio convincit, ut si lex excommunicationem infligens loquatur de præsumptione & ausu temerario, iste opinans & suspicabundus, nec minùs ulteriùs ad actum prohibitum progrediens, illam pariter censuram incurrat, ut docet Suarez disp. 4. sect. 10. num. 3.

V. Sed si ignorantia seu juris, seu facti, fuerit vel inculpabilis, vel solùm venialiter culpabilis, hæc eximet ab omni censura. Neminem enim ligant censuræ (exceptâ solâ minori excommunicatione) nisi culpæ mortalis reum. Ignorantia quoque pœnæ eximit à censura, nisi sit ignorantia consequens & crassa ac supina, quæ mortalem culpam non excludat, præsertim si sit affectata, & directè volita, aut ex gravi negligentia ortum ducens. Ignorantia pœnæ, hoc est, quod tale factum talis censura comitetur, excusat à censura. Unde qui scit tale factum prohiberi quidem, sed ignorat inculpabiliter prohiberi sub censura, quanvis lethali culpâ peccet rem faciendo, non tamen censurâ ligatur, quam planè ignorat. Censuræ namque cùm sint medicinales, non decernuntur nisi in contumaces, quales non sunt respectu censuræ illi qui ejus notitiam nullam habent. Ita docent Sylvester verb. *Excommunicatio* 2. not. 3, Navarra Manual. cap. 27. num. 164.

num. 16. Suarez de censur. disput. 4. num. 8. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 13. Bonacina de censur. in communi, disp. 1. quæst. 2. puncto 1. num. 13. * Sylvius comment. in 1. 2. D. Thomæ, quæst. 76. art. 1. Quod etiam evidenter docet caput *Si verò*, il 2. de sent. excom. his verbis: *Si verò aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum ignoraverit.* Cui conformatur caput *Apostolicæ*, de cler. excom. ministr. sic dicens: *Verùm quia tempore suspensionis ignari celebrastis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos.* Ibique Glossa in verbo *Probabilis*, hoc ait: *Non est hic aliqua dispensatio necessaria, quia nesciebant se suspensos, unde non peccaverant.* Adde, nec pœnam irregularitatis contraxerunt, quia scilicet pœna præsupponit peccatum. Alioqui verò regula est Canonici Juris, eum qui censuram aliquam Ecclesiasticam per exercitium sacri Ordinis violat, irregularitate innodari, toto tit. de cler. excom. ministr.] aliique communiter contra Covarruviam in cap. *Alma mater*, 1. parte, §. 10. num. 11.

VI. Ignorantiam inculpabilem, seu invincibilem, tam juris pœnalis, quàm facti, eximere ab omnibus censuris, convincitur ex d. cap. *Ut animarum*, de constit. in 6. *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit & supina.* De ignorantia quoque facti, seu personæ, etiam in iis rebus quas committens certus est esse Jure ipso Divino & naturali prohibitas, textus est luculentus in cap. *Si verò*, il 2. de sent. excom. ubi Pontifex declarat non esse excommunicatum illum qui hominem ex deliberata malitia occidit, quem ignorabat esse Clericum, propter capillitium & secularem quem gerebat habitum. Quæ excommunicatio ex Clerici occisione cùm sit reservata Papæ, inde pariter sequitur idem esse juris in ignoratis Papæ reservatis excommunicationibus, quod in aliis per Ordinarios irrogatis. Idque docent Sylvester, Navarra, Suarez locis citatis paulò antè: cùm sit utraque ignorantia juris aut facti merè humani, nec aliud opponatur discrimen quàm quia ignorantia legum Papæ minùs facilè præsumitur aut probatur in contentioso foro, quàm statutorum, vel sententiarum Ordinariorum.

VII. Quod dixi de ignorantia censurarum juris, eam eximere contravenientes ab ignoratis inculpabiliter illis pœnis, id pariter extendunt Sanchez & Bonacina ad irregularitates ex delicto promanantes. Sed ab his existimo dissentiendum esse. Omnis enim irregularitas inducit canonicam incapacitatem, quæ sive ex delicto, sive ex defectu oriatur, non minùs subsistit ignorata quàm cognita. In quo differt à censuris, quia hæ non solùm prærequirunt delictum, sed præterea contumaciam adversùs Ecclesiasticas jussiones: ideoque Jus efflagitat ut notificentur tribus distinctis admonitionibus circa præsentem ac præteritam culpam; quod nunquam requiri-

tur circa pœnales irregularitates. Istud quoque sequeretur inconveniens, universos prædones & assassinos, qui dum in his sceleribus vitam degunt, has omnes ex delictis irregularitates prorsus ignorant, de quibus nihil unquam audierunt, si peractâ sceleratæ vitæ pœnitentiâ ad clericalem statum aspirent, nequaquam indigere ab his pœnalibus irregularitatibus ulla dispensatione, hac ratione quia eas inculpabiliter ignorabant quo tempore homicidiis & latrociniis grassabantur: & si sacros Ordines susceperint, posse in conscientia illos absque dispensatione & rehabilitatione exercere, solumque egere dispensatione exterioris fori ad repellendos impugnatores suos in externo foro.

VIII. Ignorantia concomitans est immunis à censuris, imò etiam ab irregularitatibus ex delicto nascentibus. Itaque is qui hominem occidit existimans invincibiliter esse feram, ita tamen affectus animo ut perinde occisurus esset inimicum suum, non est reus homicidii perpetrati, si hunc inscius, credens esse feram, interimat; sed solius mali affectus ad homicidium. Casu namque ac per accidens evenit ut ibi latitaverit inimicus ubi occisor certò credebat adesse feram. Neque occisio censenda est voluntarium esse homicidium: voluntarium quippe, approbante Sancto Thoma, sic ab Aristotele definitur lib. 3. Ethic. ad Nicomach. cap. 1. *Illud quod procedit à principio cognoscente singula in quibus est actio.* Verumtamen si occisor iste dubitasset, ferane esset, an homo, tum demùm reus esset criminis homicidii, simulque pœnarum civilium, & canonicis irregularitatibus innodaretur ex homicidio surgentibus; non autem excommunicatione, nisi fortè aliqua lata esset contra homicidas generaliter, aut nisi cogitationem habuisset Clerici ibi latentis, & verè Clericum, de quo suspicabatur, occidisset aut vulnerasset, juxta principia paulò antè stabilita, artic. 6. & 7. Tunc enim contingeret ignorantia crassa & facilè vincibilis. In dubio namque tenebatur omninò desistere à teli jactu, vel ante teli jactum rem dubiam explorare, nec se periculo homicidii, vel clericidii temerario ausu exponere.

IX. Quæ hactenus de ignorantia dicta sunt, similiter dicenda sunt de inadvertentia, oblivione, inconsideratione planè naturali, ac de subreptione, quum quis non ignorat præceptum, vel prohibitionem, sed hic & nunc non recordatur, aut mens ejus abstracta non advertit: neque enim homo semper & omni momento liberam habet, aut sub potestate sua animi præsentiam, aut perfectam rerum occurrentium advertentiam. Oblivio naturalis, aut inadvertentia quam negligentia culpabilis non præcessit, reddit actionem involuntariam: voluntas quippe nihil potest actu velle nisi quod intellectus actu cogitat. Inconsideratio autem tollit actualem objecti cogitationem, atque ita tollit voluntarium. Si verò præcesserit negligentia quædam venialis, hæc non potest per se causare immediatè peccatum mortale, atque ita immunem facit à pœnis quæ non nisi peccatis

catis mortalibus decernuntur, quales sunt majores excommunicationes & irregularitates ex delicto. Ita Suarez de censuris, disput. 4. sect. 8. num. 11. Graffius lib. 4. decisionum, cap. 9. num. 29. Et sapienter docet S. Thomas 1. 2. quæst. 88. artic. 6. in corp. & 2. 2. quæst. 36. art. 3. in corp. & ex eo Joan. Major in 3. distinct. 37. quæst. 14. & Navarra in Manuali, prælud. 9. num. 11. & cap. 23. num. 126. subreptionem in omni materia excusare à mortali.

CAPUT XIV.

De absolutione à censuris.

I. VBi distinxi superiùs inter censuras ab homine, & censuras à jure latas, exposui posse latas ab homine absolvi ab eo solo qui eas decrevit, aut ab ejus successore, aut etiam ab ejus Superiore, aut ab horum delegatis cum hac speciali facultate.

II. Is qui facultatem obtinuit circa reservatos Papæ casus, potest à censuris Papæ reservatis absolvere. Nullus enim reservatur Papæ casus, nisi ratione censuræ. Qui verò potestatem obtinuit circa reservatos Episcopo casus, non potest propterea à reservatis Episcopo censuris absolvere. Cùm enim soleant Episcopi aliquos sibi casus reservare nulli censuræ annexos, inde fit, ut duæ res distinctæ sint casus & censuræ Episcopales, nec unum altero includatur, ut docent Navarra, Suarez, Bonacina, Toletus & alii. Insuper quando Episcopus alterum delegat circa censuras sibi reservatas, non comprehenduntur censuræ ab homine, sed solæ quæ à jure decernuntur.

III. Potestate pollent Episcopi circa omnes casus ac censuras Papæ reservatas, etiam notoriè aut publicè incursas ab illis qui legitimè impediuntur adire Papam, ut sunt infirmi, senes, decrepiti, inopes, & fœminæ: sed in locis in quibus viget reincidentia, illi qui adire impediuntur, tenebuntur mox ut cessaverit impedimentum proficisci, aut mittere ad Papam, vel Legatum sub pœna reincidentiæ in easdem à quibus absoluti fuerant censuras. Quæ tamen cessat obligatio in absolutis per Confessarios, quibus ipse Papa, vel Legatus censuratum Papæ reservatarum absolutionem indulserat. Sed illa obligatio multis in locis à Suprema Sede remotis plenè cessavit, ut in Gallia.

IV. Quanvis per caput *Mulieres*, & caput *Ea noscitur*, & caput *Quanvis*, de sent. excom. mulieres dispensentur ob fragilitatem sexus ab obligatione præsentandi se Apostolico conspectui, siquando inciderint in ca-

ſum Sedi Apoſtolicæ reſervatum : quanvis item decernatur per cap. De *Monialibus*. eod. tit. Moniales quæ inciderint in excommunicationem Papæ reſervatam ob violentam manuum ſive in Moniales alias, ſive in Clericos, ſive in Monachos injectionem, poſſe per Epiſcopum abſolvi ; aliter tamen conſtitutum fuit de Monialibus aliiſve à quibus clauſura violata fuerit, ne ſcilicet ab Epiſcopo aut alio quocumque abſolvi poſſint, niſi à Summo Pontifice, cui hæc pœnalis excommunicatio ob ejuſmodi clauſuræ infractionem reſervatur per Bullas Pii V. & Gregorii XIII. Pontificum. Indecorum eſſe perſpiciebant Summi Pontifices, ſi clauſuræ violatæ prætextu cogerentur Moniales de ſuis exire clauſuris ad conveniendam perſonaliter Apoſtolicam Sedem : ſed hoc unum decernunt, ut ſeſe meliùs intra ſepta clauſtri continentes mittant ad Summum Pontificem pro impetranda abſolutione. Eaque excommunicatio reſervata non ſolas adſtringit Moniales, Abbatiſſas, Oſtiarias ; ſed etiam quaſvis alias fœminas quæ ſive Virorum, ſive Monialium Monaſteria auſu temerario ingreſſæ fuerint ; necnon Monachos qui illas admiſerint, & quoſlibet etiam viros qui pari temeritate clauſuram Monialium tranſgreſſi fuerint. Videri poteſt Bonacina tract. de clauſuris, quæſt. 4. punct. 6. propoſ. 2. & quæſt. 5. punct. 3. & 4. Quin etiam author libri Directoris Pacifici, Capucinorum Ordinis, qui Gallico ſermone ad uſum & directionem Gallicanarum Monialium ſcripſit, p. 3. lib. 2. inſtructione 7. art. 2. ex hoc eas abſolutè affirmat incurrere excommunicationem, ſi contingat per ipſarum delictum clauſuram violari, quam ſolus Papa poſſit abſolvere. Hoc tamen verum eſt, prævaluiſſe diuturnam in Regno Galliæ conſuetudinem, ut per Epiſcopos abſolvantur Moniales hac cenſurâ ligatæ, non modò in Monaſteriis Ordinario ſubditis, ſed etiam in exemptis ; quanvis violatio iſta publica & notoria foret. Quod ideo dico, quia ubi occulta aut paucis nota foret clauſuræ violatio, ſalva remaneret Epiſcoporum poteſtas, quam ipſis Concilium Tridentinum conceſſit abſolvendi à quibuſcunque cenſuris in omnibus caſibus occultis, nec in forum contentioſum deductis, quos alioqui Suprema Sedes ſuæ abſolutioni reſervaſſet, ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. Quin etiam cap. *Periculoſo*, in fin. de ſtatu Regular. in 6. deinde Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul. & Bulla Gregorii XV. incipiens *Inſcrutabili*, conferunt Epiſcopis plenam circa clauſuras Monaſteriorum etiam exemptorum juriſdictionem.

V. Abſolvere quoque Epiſcopi poſſunt ab omnibus cenſuris & irregularitatibus ex delicto provenientibus, ſi delicta ſint occulta, id eſt (ut communiter Doctores explicant) non famoſa, aut publicè nota, quanvis per plures teſtes probari poſſent. Ab his Concilium ſolummodò excipit homicidii crimen, & quodcumque deductum delictum ad contentioſum forum. Sed ſi in foro ipſo contentioſo reus ipſe delicti ſe falſis etiam aſſeverationibus aut probationibus ſufficienter purgaverit, poterit etiam per

Epiſcopum

Episcopum aut ejus delegatum absolvi, ut est communis Doctorum consensio. Et declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, attestantibus Sayro & Bonacina, posse istam absolvendi potestatem alteri per Episcopum delegari.

VI. Quisquis confitetur Sacerdoti facultatem habenti circa censuras reservatas, remanet absolutus ab iis quoque reservatis censuris quas incurrit ob peccata quæ non est confessus ex oblivione, dummodo absolutio censurarum facta fuerit in terminis generalibus, qualis est ista vulgaris: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*. Quod notandum præsertim temporibus Jubilæorum, quibus omnes Sacerdotes ad confessiones approbati amplissimam habent circa censuras & peccata jurisdictionem, adeo ut si quis post transactum Jubilæi tempus recordetur peccati reservati cum censura, cujus fuerat oblitus in sua Jubilæi tempore facta confessione, possit deinde à quovis approbato Sacerdote absolutionem suscipere, quia per priorem generalem censurarum absolutionem omnis reservatio fuit ablata. Eadem resolutio extenditur ad alia omnia peccata reservata, quibus non est annexa censura, qualia plerumque sunt quæ sibi reservant Episcopi, adeo ut is qui fuerat oblitus alicujus eorum in confessione facta coram Sacerdote potestate prædito super illis reservatis, possit cùm postea ejus recordatus fuerit, absolvi ab eo quoque peccato per quemlibet Confessarium approbatum, eo quòd omnis reservatio per anteriorem confessionem ablata fuerit, collatâ absolutione ab eo qui potestatem habebat circa omnes pœnitentis reservatos casus. Ita Sylvester verb. *Confessio* 1. quæst. 4. Adrianus quæst. 4. de confessione, §. *Si petas circa dicta*: Gabriel in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 2. sub finem. Navarra cap. 26. num. 13. Angelus verb. *Confessio* 1. num. 11. Bonacina de pœnit. disp. 3. quæst. 7. punct. 5. §. 5. num. 4. & 5. Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 5. aliique ferè omnes.

VII. Absens localiter à censuris validè absolvitur. Itaque Confessarius qui pœnitentem absolvit à peccatis quibus est conjuncta censura, à qua absolvere non poterat, deinceps poterit obtenta de novo facultate eundem etiam absentem ab illa excommunicatione relaxare. Navarra, Suarez, Bonacina. Secus verò dicendum de sacramentali peccatorum absolutione, quæ absentibus & per scripturam confessis conferri nequit, ex Clementis VIII. Decreto.

VIII. Valet Sacramentalis absolutio Sacerdotis excommunicati tolerati, seu non evitandi, quanvis illicita sit ex parte talis Sacerdotis. At verò excommunicati vitandi nulla & irrita est. Hæc plenius tractat Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 2. punct. 2. §. 3. & 4. Qui etiam excusat à peccato eum qui scienter petit absolutionem, aut aliud Sacramentum ab excommunicato tolerato, unà cum Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. & Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 9. num. 8. contra Navarrum cap. 9. num. 9. &

& 10. & alios : qui tamen omnes in hoc consentiunt, valere Sacramentum à Sacerdote excommunicato administratum, modò sit toleratus, præsertim verò si sit Curatus.

IX. Archiepiscopus non potest absolvere subditos suorum Suffraganeorum à censuris latis ab Episcopis suffraganeis, nisi in casibus duobus, in quibus Jus attribuit Metropolitanis jurisdictionem in subditos Suffraganeorum, scilicet in casu appellationis, cap. *Venerabilibus*, §. 1. de sent. excomm. in 6. & in casu visitationis provinciæ. Tertium casum adjungit Bonacina disp. 1. de censur. quæst. 3. punct. 2. num. 7. quando Suffraganeus malitiose aut negligenter negat, vel differt absolutionem pœnitenti parato ad satisfaciendum; tunc enim justus est ad Archiepiscopum recursus. Cui manifestè suffragatur cap. *Per tuas literas*, de sent. excommunicat.

X. In absolutione majoris excommunicationis, ubi non intervenit damnum Tertii, sufficit promissio, aut juratoria cautio pœnitentis. Ubi verò alterius læsio intervenit, non est impendenda absolutio antequam parti læsæ (si fieri hoc potest) satisfactum fuerit, aut si fieri in præsenti non potest, cautio saltem sufficiens exhibita sit. Ipseque Confessarius secus faciens peccat mortaliter, & injuriam læsæ Parti infert, nisi Pars ipsa condonet, cap. *Cùm tu*, de usur. cap. *Porrò*, & cap. *Parochianos*, de sent. excom.

XI. Ex mandato Clementis VIII. Sacra Congregatio Cardinalium Decretum edidit declarans in quibuscunque facultatibus ab Apostolica Sede concessis aut concedendis, tam generalibus in favorem Congregationum & Ordinum Secularium & Regularium, etiam Societatis Jesu, quàm specialibus in gratiam particularium, quantunvis habeantur in eis clausulæ generales aut derogatoriæ, nullatenus includi casus contentos, sive dubiè, sive manifestè in Bulla Cœnæ, neque violationem immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorii XIV. neque violationem clausuræ Monialium ob malum finem, neque provocationem aut pugnam in duello, neque manum violentam in Clericum aut Monachum, neque simoniam realem scienter contractam, neque confidentiam beneficialem : & revocat quoad hæc omnes concessiones anteactas, declarans posthac nullas & sacrilegas talium delictorum absolutiones, nisi ad hæc specialis & nominatim expressa facultas obtenta sit. Refertur in Bullario Quarantæ, sub tit. *Casus reservati*, & passim citari solet. Istud tamen Decretum sibi limites præfigere videtur is verbis, *Per universam Italiam.* Cujus esse ratio potuit, quia extra Italiam difficilior est ob longiorem distantiam ad Sedem Supremam recursus. Quæ tamen cessat ratio in declaratione ibidem pariter expressa : Neminem sive Secularem, sive Regularem posse absolvere à casibus per locorum Ordinarios reservatis in virtute generalis facultatis obtentæ ab Apostolica Sede absolvendi à quibuscunque casibus reservatis. In hoc ergo articulo nulla fit Italiæ mentio. Quin etiam ut omnis

ambiguitas

ambiguitatis occasio removeatur, hic postremus articulus absolutè renovatur per posteriores Constitutiones Gregorii XV. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. de quibus egimus superiùs in discussione jurisdictionis Ordinariorum supra exemptos Regulares.

XII. Duæ sunt species absolutionis ab excommunicatione. Prima simplex est & absoluta, quæ vinculum omnino solvit: secunda verò secundùm quid, & restricta. Hæc dividitur in absolutionem ad effectum (qualis est quam solet impertiri Summus Pontifex in suis literis ad istum dumtaxat finem, ut impetrans fiat capax fruendi Apostolica concessione, remanente adhuc quoad reliqua omnia excommunicationis vinculo;) & in absolutionem ad cautelam, qualem Prælatus ad quem provocatur ab illata per inferiorem Prælatum excommunicatione, solet indulgere appellanti in hunc finem, ut possit judicio contendere, suamque prosequi appellationem. Etenim ut ait cap. *Per tuas literas*, de sent. excom. excommunicatus vocem non habet appellandi, utpote ab Ecclesia separatus. Et Innocentius Papa III. lib. 1. epist. 94. *Personam* (ait) *in judicio stanti non habent ii qui excommunicationis vinculo sunt adstricti.* Fit mentio istius ad cautelam absolutionis in d. cap. *Per tuas literas*, & cap. *Cùm desideres*, §. *Secundæ*, & cap. *Venerabili*, de sent. excomm. & cap. *Ad præsentiam*, de appellat. & cap. *Veniens*, de testib. Istud porrò cap. *Veniens*, aliam addit cautam absolvendi ad cautelam testes excommunicatos, ut scilicet in judicio possint eorum audiri testimonia: quanvis indubitatum sit horum testium, quemadmodum & supradictorum appellantium, excommunicationes in cæteris effectibus perdurare. Sed nullâ opus est absolutione si constet fuisse quemquam excommunicatum post legitimam appellationem, aut ipsam excommunicationem continere intolerabilem errorem, d. cap. *Ad præsentiam*, de appellat. & d. cap. *Per tuas literas*, §. *Nos igitur*, de sent. excom. Quo eodem cap. docemur, excommunicationem à Judice latam auferri non posse nisi ab eodem ipso, vel ejus superiore Prælato. Stylus aliquando fuit in Senatibus Gallicanis, ut excommunicati litigantes absolverentur ad cautelam per aliquem Clericum ab ipso Senatu delegatum; adeo ut Franciscus I. in Edicto anni 1539. art. 6. hanc praxim approbet. Charondas in Codicem Henriceum lib. 1. tit. 15. notat in eundem art. 6. ejusmodi praxim in hoc uno versari, ut præveniatur exceptio excommunicationis, quâ litigans à prosequutione causæ submoveretur. Neque enim Judices laïci, neque ab his delegati Clerici potestatem habent relaxandi vincula quibus animæ spiritualiter alligantur. Neque opus est deinceps externa ista cæremonia: consuetudo enim hoc in Regno præscripsit, ut nulli excommunicati excludantur à litibus fori secularis, sive actorum, sive reorum partes sustineant. Thevenus Parisiensis Curiæ Advocatus in suis ad Regias Constitutiones observationibus, tit. de jurisdict. Eccles. art. 5. *Parlamenta* (inquit) *non possunt absolvere, aut facere absolvi ad cau-*

telam; quia hæc potestas non competit nisi illi qui potest simpliciter absolvere cap. Solet, de sent. excommunicat. in 6. Et Curia laicorum nec absolvere potest, nec ad absolvendum delegare; idque ei prohibetur per Edictum Melodunense. Hactenus Theveneus.

CAPUT XV.

De casibus reservatis, tum Papæ, tum Ordinariis.

I. RESERVATIONES & censuras Bullæ Cœnæ Domini in diversis provinciis neque recipi, neque ligare diversi Authores approbati contestantur. In primis Bonacina in Romana Curia approbatissimus, in qua multos annos adusque finem vitæ munus gessit Referendarii Apostolici; & Filliucius qui Romæ quoque per multis annis publicè Theologiam Moralem professus est, suosque ibidem libros omnes in lucem edidit; & cum his alii plerique scribunt de Rege Hispaniæ, & de Republica Genuensi, non teneri excommunicatione hujus Bullæ, neque eorum Proreges, Gubernatores & Officiales, qui nomine illius Regis insulas Siciliam & Sardiniam, aut nomine illius Reipublicæ Corsicam occupant summo & independenti à Papa Jure, quanvis in Bulla trium illarum insularum occupatores & detentores anathemate feriat, articulo 72. Ipseque Summus Pontifex, quo præsente quotannis Bulla illa publicè legitur, nullam ejus excommunicationis rationem habere videtur, cùm notorios illos detentores in ipsa alma Urbe admittat ad omnia Sacramenta, cæteraque Fidelium privilegia, nullâ præmissâ ejus rei pœnitentiâ, vel restitutione, sed in ea retinendi voluntate pertinaces. Item nullatenus hac Bulla adstringi Germanos, apud quos nunquam admissa aut recepta fuit, testatur inter alios Becanus tract. de lege humana, quæst. 8. De Belgis quoque hoc idem testatur cum aliis Bassæus. De Galliæ pariter Regno omnes ferè Gallicani Jurisconsulti & Canonistæ.

II. Quanvis in corpore Juris Canonici, & in Concilio Tridentino, & in plerisque Summorum Pontificum Constitutionibus quamplurimæ habeantur excommunicationes Summo Pontifici reservatæ; attamen pleræque illarum vel non fuere in Gallia receptæ, vel abrogatæ sunt contraria consuetudine, quam sacri Canones vim legis habere decernunt, cap. *Consuetudo*, distinct. 1. & cap. *Cùm olim*, de consuetud. Et quemadmodum leges divinæ naturâ constant, ita leges humanæ moribus, can. *Omnes leges*, distinct. 1. Ipsaque consuetudo jurisdictionem confert, can. *Conquestus*, 9. quæst. 3.

quæst. 3. & cap. *Cùm contingat*, de foro compet. Unde potest Ordinariorum jurisdictionem ampliare, & reservationes Superiorum restringere, vel usu non receptas, vel contrariâ & præscriptâ consuetudine abolitas insuper habere.

III. Casus Papæ reservatos, quorum maximè necessaria est in Galliæ Regno cognitio, cùm cæterorum reservatio vel non fuerit recepta inibi, vel saltem quamrarissimè usu veniat, reducunt ad quaternarium numerum qui ad usum Galliæ scripsere Gallicani Summistæ Joannes Odo in suo Confessariorum Directorio, Bertinus Bertaldus, & alii.

IV. Primus est gravis, aut mediocris percussio Clerici, vel Monachi, ac violentia, si sit publicè notoria: alioquin enim ipso quoque jure communi Tridentinæ Synodi potest Episcopus in ipsa quoque Italiâ absolvere, can. *Si quis suadente*, 17. q. 4.

V. Secundus est simonia realis, & confidentia similiter non occulta, alioqui ab Episcopis juxta Tridentinum absolvenda. De præfatis duobus delictis fusè superiùs à nobis tractatum est, ubi adduximus duas Pii V. Constitutiones.

VI. Tertius est incendii crimen ex deliberata malitia post factam Ecclesiasticam denunciationem; nam ante denunciationem publicam est casus solis Episcopis reservatus, can. *Pessimam*, 23. q. 8. & cap. *Tua nos*, de sent. excom.

VII. Quartus est rapina rerum Ecclesiæ cum effractione, postquam sacrilegus fuerit quoque denunciatus, cap. *Conquesti*, de sent. excom. Ibi tamen solius Papalis reservationis fit mentio, nullatenus autem reservationis Episcopalis ante denunciationem: adeo ut ista Episcopalis reservatio non sit attribuenda canoni, sed soli consuetudini quæ suffragantibus Doctoribus invaluit.

VIII. Etiamsi verò quædam reservationes Papales non sint receptæ in Gallia & alibi, remanet tamen adhuc excommunicatio non reservata, quam antiquiora Jura sanxerant. Exempli gratiâ in Bulla Cœnæ deferentes arma ad Infideles damnantur excommunicatione reservata Papæ: sed ablatâ illâ reservatione perdurat tamen vetus excommunicatio non reservata, statuta contra deferentes arma, aliâve hujusmodi adminicula ad partes Infidelium, contenta in cap. *Ita quorundam*, & cap. *Quod olim*, & cap. *Ad liberandam*, de Judæis & Sarracen. Similiter Bulla Cœnæ excommunicatione Papæ reservata falsarios literarum Apostolicarum punit: sed ubi reservatio illa non est admissa, remanet tamen adversùs tales excommunicatio non reservata, quam decernit ipso facto incurri cap. *Ad falsariorum*, de crim. falsi. Hæreticos quoque, eorumque fautores & receptatores Jus antiquum excommunicat ipso facto sine reservatione ad Summum Pontificem, cap. *Sicut ait*, & cap. *Excommunicamus*, de hæret. & cap. *Noverit*, de sent. excom. Hujus excommunicationis absolutionem post-

modùm Bulla Cœnæ reservavit Papæ. Concilium verò Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reform. solis reservavit locorum Episcopis. Quo Tridentino jure in Gallia utimur.

IX. Hoc item observandum, in præfatis casibus percussionis Clericorum, simoniæ, confidentiæ, incendii, sacrilegæ rapinæ cum effractione, delationis armorum ad Infideles, falsi criminis circa Apostolica rescripta, & hæresis, non tantùm ipso facto incurri excommunicationem à perpetrantibus, sed etiam à consulentibus, auxiliantibus & receptatoribus, ut statuunt citati Canones & Bullæ Apostolicæ. Solummodò posse dubitari de violentis manibus in Clericum, eo quòd solus ille Canon incipiens *Si quis suadente diabolo*, 17. quæst. 4. nihil expresserit de mandantibus, consulentibus, aut faventibus. Verùm hanc esse mentem Ecclesiæ, ut hi pariter comprehendantur, docet cum multis Navarra cap. 27. num. 78. dummodò violentia illa efficiatur. Hoc singulariter probatur per cap. *Cùm quis*, de sent. excomm. in 6. ubi declaratur excommunicatus etiam ille, qui licèt nec mandaverit, nec consuluerit violentiam in Clericum factam, illam tamen suo nomine factam ratificavit; quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur. Et in can. *Mulieres*, §. *Illi verò*, eod. tit. decernitur, eos quorum authoritate aut mandato Clerico violenta manus illata sit, ad Sedem Apostolicam esse mittendos. Denique in can. *Quantæ*, eod. tit. sancitur non solùm authores hujus in Clericum violentiæ esse excommunicatos, sed etiam consentientes authoribus, imò etiam eos qui cò manifestè possent impedire, non impediverunt. Quamrem tamen Glossa limitat circa eos qui ex officio quod gerunt tenentur impedire, adeo ut cæteri non impedientes, quanvis peccent, non ligentur hac censura.

X. Casus Episcopis partim à jure scripto, partim à jure consuetudinis reservati in Regno Galliæ sunt hæresis, duellum, incendium ex deliberata malitia, & rapina rerum Ecclesiæ cum effractione, dummodo horum criminum rei non fuerint denunciati; alioqui enim, ut paulò antè monui, reservatur Papæ duorum istorum criminum absolutio. Item levis percussio Clerici, vel Monachi. His adjunge violationem clausuræ Monasteriorum. Et favet consuetudo, quia nusquam videmus in hoc Regno propos. De hæresi sigillatim paulò antè disputavi, sicut & de incendiariis. Et hujus violationis absolutione recurri ad Papam, sed ad locorum Episco-Benedictus Papa XI. extrav. *Inter cunctas*, de privileg. recenset incendii crimen inter casus quorum absolutio ad Episcopos remittenda sit: quod intellige ante publicationem per Ecclesiæ sive sententiam, sive proclamationem, ut concordare possit cum cap. *Tuanos*, de sent. excomm. Videmus similiter paulò antè quid sit sentiendum ex jure scripto de rapina cum effractione in Ecclesia, deque Clerici aut Monachi levi percussione. Duello autem decertantes, quique his consilium, auxilium, aut favorem præstant,

stant, eorumque spectatores feriuntur excommunicatione à Concilio Trident. sess. 24. cap. 19. sed sine ulla reservatione. At deinde Summi Pontifices Gregorius XIII. Clemens VIII. Urbanus VIII. hanc sibi absolutionem editis Constitutionibus reservaverunt. Ecclesiæ tamen Gallicanæ experimentis addiscentes per has Pontificias reservationes nullatenus emendari Gallorum duella, sed potiùs per desperationem & impœnitentiam magis accrescere, solis Episcopis reservarunt hoc delictum in publicis totius Cleri Gallicani Comitiis, atque à Rege missis Oratoribus impetrarunt nova pœnalia Edicta cum solenni promissione nullo casu remittendi deinceps has pœnas, easque præsertim quæ infamiam & ignobilitatem nobilissimis personis & familiis inurerent: quibus præcautionibus actum videmus ut nunc duella rariora sint quàm fuerint antehac ab ipso Francici Regni conditu, quia Rex inexorabilem circa pœnas infamis suspendii etiam optimatibus & spectabilioribus Militiæ Francicæ Præfectis & Ducibus hujus criminis reis, cum jactura omnium facultatum, se exhibuit. Ipsi verò Episcopi omnia officia præstiterunt ad hoc exstirpandum deinceps malum, quæ fuerant à sacris Gallicani Cleri Comitiis præscripta, quoties duellorum rei pœnitentiam postularunt. Aliud quoque remedium efficacissimum huic eliminandæ pesti Rex adhibuit. Erexit namque Parisiis Tribunal Summorum Tribunorum Militiæ Francicæ, cum summa potestate ex omnibus Regni Provinciis citandi & compellendi ad honorarias reparationes quoscumque Nobiles aut Equestres viros, qui aliquam honorariam injuriam aut contumeliam similis conditionis viris irrogassent. Atque Illustrissimi Optimates ac honorarii Judices tam strenuè hoc officio funguntur, ut conquerentibus Nobilibus de irrogata sibi injuria, post causæ cognitionem cumulatè satisfiat, & contumelioso ad eas reparationes adigantur, ut deinceps nihil perinde reformident ac illud subire judicium, quod illis gravem apud omnem Regni Nobilitatem, atque in ipsa Regis Curia stoliditatis & proteviæ ac temeratiæ improbitatis inurit infamiam.

XI. Nonnulli verò casus à jure communi Episcopis reservatos sex numero recensent, qui leguntur in extrav. *Inter cunctas*, de privileg. Primùm peccata illa quibus à Jure publica imponitur pœnitentia. 2. Peccata quibus est annexa major excommunicatio. 3. Peccata quæ irregularitatem ex delicto inducunt. 4. Incendium. 5. Publica blasphemia. 6. Homicidium voluntarium aut mutilatio. Sed hæc majori opus habent discussione; nam hæc Extrav. disertè ait, *quod rationabilis consuetudo canonicè præscripta in aliquibus Episcopatibus hæc Episcopis reservavit*. Unde duo consectanea inferuntur: Casus istos aliquibus Episcopis reservasse non Jus scriptum, sed consuetudinem: Deinde istam consuetudinem non esse universalem, sed aliquorum particularium Episcopatuum. Et insuper consuetudines non semper eædem vigent, sed subinde eodem in loco tractu temporis ex variis occasionibus immutantur. Itaque vetus illa opinio, quod sex illi

casus sint à Jure Canonico Episcopis reservati, non potest illo textu stu-dari, sed aliquibus tantùm glossis quas refellere facile sit. Disertè etiam ne-gant Suarez, Filliucius, Bassæus, Fagundez, Barbosa de potest. Episc. p. 3. al. leg. 51. num. 3. & alii, esse ullum casum qui in corpore Juris legatur Epis-copis reservatus.

XII. Atque ut singulos præfatos casus discutiamus: Constat in pri-mis jam inde à multis seculis desiisse publicas pœnitentias. Constat insu-per multis olim delictis publicas fuisse pœnitentias ab antiquis Canonibus injunctas, à quibus possit nunc quilibet approbatus Confessarius absol-vere, ut est fornicatio simplex, & privatum perjurium. Pontifex autem in d. Extrav. intendit loqui de publicis pœnitentiis quæ ipsius tempore peragebantur. Jam enim cessaverat priscorum temporum illa severitas, neque indicebantur tempore illius Papæ Benedicti XI. publicæ pœnitentiæ, nisi propter atrocissima crimina jussu ipsius Episcopi; ideoque sic loquitur: *Criminibus pro quibus solennis est pœnitentia indicenda*, scilicet arbitrio Epis-copi.

XIII. Id verò quod addit ibi Papa de casibus majorem habentibus ex-communicationem, non est generaliter accipiendum, sed de solis excommu-nicationibus ab homine, non autem à jure, nisi specialem contineant reser-vationem. Alioqui enim contraveniret iis quæ statuit his verbis cap. *Nuper*, §. *In secundo*, de sent. excomm. *Quia conditor canonis absolutionem excom-municationis sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.*

XIV. Quod autem irregularitatem Clerici quæ ex crimine consur-git, dicta Extravagans reservari dicit, ita ut neget posse à Regularibus absolvi, benè intelligi debet de ipsa irregularitate, non de omni delicto ex quo exurgit irregularitas: quædam enim ex his delictis non sunt reser-vata, ita ut possint à quolibet Sacerdote approbato absolvi; ipsa verò inde nata irregularitas haud dubiè reservatur, sive Papæ, sive locorum Episcopis.

XV. Incendii reservationem, cujus meminit ista Extravagans, jam admisimus ut consuetudine stabilitam, & Doctorum consensu potiùs quàm canone.

XVI. Blasphemiæ publicæ reservationi non obsistimus, tum ratione hæresis ac infidelitatis quam blasphemia involvit; tum ratione publici scandali, quod est judicio Episcopi resarciendum.

XVII. Homicidium denique non aliter ibi inter reservata connu-meratur, nisi quatenus ibidem dicitur, consuevisse hoc delictum à non paucis Episcopis reservari, ac etiam in usu positum esse multis locis, ut ejus delicti absolutio ad Superiorem remittatur. Verùm, ut dixi, consuetu-do ista nec viget ubique, neque ubi viguerit, perdurat in æternum. Ad istam similiter consuetudinem pertinent reliqui casus eadem Extravaganti

expressi,

expressi, scilicet criminis falsi, violationis immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ, & postremò sortilegii.

XVIII. His adjunge, hanc Benedicti constitutionem fuisse posteriore Clementis V. Constitutione abrogatam & abolitam in Clementina *Dudum*, de sepult. ubi postquam prioris illius fecit mentionem, subjungit: *Nos omninò cassamus*, &c.

XIX. Non videntur admittendæ duæ oppositæ diversorum opiniones hac in parte. Non ea opinio quæ in Jure scripto contendit permultos esse casus Episcopis reservatos, quos fundat in illa Benedicti Extravagante quam jam ostendi malè à plerisque contra ipsius Legislatoris mentem exponi, & præterea posteriore scripto Jure abolitam. Neque similiter admittenda extrema altera opinio negantium esse ullum casum ab Jure scripto Episcopis reservatum. In primis enim negari non potest, reservari Episcopis leves Clericorum percussiones, cum mortali tamen culpa conjunctas, cap. *Pervenit*, de sent. excommunic. Imò etiam aliquando mediocres, aut etiam nonnunquam graves & atroces, juxta superiùs elucidata in hoc libro, cap. 2. Solumque istum casum Episcopis ab Jure scripto reservatum agnosco, hoc est in toto corpore Juris Canonici. Toletus verò satis inadvertenter lib. 3. cap. 14. solùm agnoscit Episcopis à Jure Canonico reservatum incendii crimen, ex can. *Pessimam*, 23. quæst. 8. & cap. *Tua nos*, de sent. excommunicat. Verumtamen Canones illi nihil de Episcopis exprimunt, adeo ut reservatio quæ Episcopis tribuitur ante denunciationem incendiarii, nullatenus tribui possit Juri scripto, sed solùm unanimi Doctorum consensui, quem firmat consuetudo. At verò reservationem illam quarumdam in Clericos, aut Monachos, aut Moniales violentiarum luculentissimè Canones à me citati exprimunt, & ab Episcopis absolvendas declarant.

XX. Est itaque unica in toto scripto Jure facta Episcopis reservatio circa violentas quasdam manuum injectiones in Clericos, aut Regulares personas. Cæteræ verò Episcopis factæ generales reservationes emerserunt post Canonici Juris compilationem, vel ex insequentibus Ecclesiæ Constitutionibus, vel ex approbata ubique terrarum consuetudine & communi Scriptorum celebrium doctrina Canones ex æquo interpretantium. Hi sunt incendiarii ante factam ipsorum denunciationem: nam caput *Tua nos*, de sent. excom. nullius meminit reservationis ante denunciationem, sed post denunciationem reservat soli Papæ. Similiter rapina cum effractione in Ecclesia reservatur, cap. *Conquesti*, eod. soli Papæ post denunciationem; sed ante denunciationem nullius, nec ipsius Episcopalis reservationis meminit. Et tamen hi duo casus reservantur per Doctores & consuetudinem universalem Episcopis ante factam reorum denunciationem.

1. *Clerici percussio levis.*

2. *Incendium non denunciatum.*

3. *Rapina in Ecclesia cum effractione, non denunciata.*

XXI. His accedit ex Gallicana consuetudine conformi Tridentino Concilio sess. 24. cap. 6. de reformat. crimen hæresis, quod est quartum.

Duelli

4. *Crimen hæresis.* Duelli quoque crimen, quod est quintum, & appellatio ipsa ad duellum etiam duello non sequuto, ut constituit generalis Conventus Gallicani
5. *Duelli.* Cleri. Item violatio clausuræ regularis, quæ est sextum delictum quod
6. *Violatio clausuræ regularis.* committitur, sive per egressum Monialium extra sepia, sive per ingressum aut admissionem externarum cujuscumque sexus personarum intra septa Monialium, sive etiam per fœminarum ingressum ac admissionem intra clausuram Monachorum. His providerat primùm Constitutio Bonifacii Papæ VIII. cap. *Periculoso*, de statu Regul. in 6. cui Tridentina Synodus sess. 25. cap. 5. de Regul. addit pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam, sed sine ulla reservatione. Verùm insequutæ Pii V. Constitutiones, anni 1566. quæ incipit, *Regularium personarum*; & anni 1570. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, hanc reservarunt excommunicationem ad Supremam Sedem: secundùm quas Gallicanus Author Directoris Pacifici conscripti ad dirigendas Monialium Gallicanarum conscientias, asserit eas quæ clausuræ leges transgressæ sunt, absolvi non nisi à Summo Pontifice posse. Verumtamen diversum jus Gallicana consuetudine introductum perspicimus, qua hujusce delicti rei non nisi ad Episcopos recurrere solent ut absolvantur, non solùm quando reatus non est publicus, aut ad forum contentiosum non deductus, quæ facultas esset juris communis Episcoporum ubique recepti ex Tridentini Concilii sess. 24. cap. 6. de reform. sed etiam quando is reatus publicè innotuit. Sanctionem Tridentinam adstruit in hoc Regno edita in Comitiis Blesensibus Henrici III. Constitutio, art. 3. *Admonemus Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Monasteriorum Monialium Superiores, ut solicitè clausuram Monialium restitui & observari faciant, tum compellendo inobedientes per censuras aliaque juris remedia, remotis appellationibus & oppositionibus quibuscumque. Jubemus verò nostris Officialibus, ut Superioribus postulantibus opem auxiliumque ad id præstent. Neque facultas sit ulli Moniali professæ egrediendi ex Monasterio quocumque prætextu, nisi ex causa legitima a Superiore suo approbata, nihil obstantibus contrariis dispensationibus ac privilegiis. Nec licebit ulli personæ externæ, cujuscumque conditionis sit, vel sexus, vel ætatis, clausuram ingredi, nisi ex licentia scripto concessa Episcopi, vel Superioris in casibus dumtaxat necessariis, sub canonicis pœnis.* Hactenus Blesensis Constitutio, quæ hoc speciale habet, ut prohibeat etiam infantium intromissionem intra Monasteriorum septa, ubi omnem non modò sexum, sed etiam quamlibet ætatem excludit.

7. *Procuratus animati fœtûs abortus.* XXII. Septimum denique delictum Episcopis reservatum est procuratio abortus animati, qualis censetur ex die conceptus quadragesimo. Quæ reservatio non solùm est consuetudinis Gallicanæ, sed etiam recentioris Juris ubique recepti, ex decreto Gregorii XIII. quo mitigavit præcedentem Constitutionem Sixti V. quæ hanc absolutionem soli Papæ reservabat. Decretum verò Gregorii XIII. hanc tribuit Episcopis absolutionem: & sic incipit, *Romana Sedes pia Mater.* Atqui isti sunt casus generaliter

liter in tota Gallia Episcopis reservati, quorum etiam absolutionem possunt inferioribus Sacerdotibus delegare. Singuli verò Episcopi possunt pro suo rationabili arbitrio alios quosdam casus intra suarum Diœcesum fines sibi reservare, atque ab hujusmodi sine speciali facultate nequeunt subjecti Sacerdotes quemquam absolvere, sicut neque à quibuscumque censuris, quas Prælatus irrogavit ut homo, seu particularis Judex, & non ut Legislator, cap. *Per tuas*, & cap. *Sacro*, de sent. excom. nisi ex speciali delegatione ab Episcopo.

XXIII. Sed vel mortuo, vel remoto ab Officio Prælato, qui non ut Legislator, sed tanquam Judex censuram inflixit, non cessat quidem censura in eo qui illam antèa contraxerat, nam opus habet absolvi; sed tamen ita cessat, ut nemo illam posthac contrahere possit, nisi per successorem renovetur, cap. fin. de officio Legati, & cap. *Pastoralis*, §. *Præterea*, de offic. judic. deleg. Ejusmodi est monitorium revelandi aliquid sub excommunicationis pœna: hæc namque neminem ligat, si intermoriatur Prælatus qui jussit, nisi vel à successore, vel à Capitulo, Sedente vacante, renovetur.

CAPUT XVI.

De Suspensione.

I. SUSPENSIO communiter, & rectè describitur, Censura Ecclesiastica, quâ persona Ecclesiastica privatur usu ac exercitio sui Beneficii, vel Officii, in totum, vel in partem, ad perpetuum, vel ad certum tempus. Est itaque multiplex suspensio: una quidem ab Officio, quæ Ordinem & jurisdictionem complectitur: alia à Beneficio: tertia ab Officio simul & Beneficio. Atque istæ tres latitudinem habent, cùm possint esse in totum, vel in partem; ad certum tempus, vel ad omnem vitam. Item suspensionum aliæ sunt à jure, aliæ ab homine, sicut de excommunicationibus superiùs dictum fuit.

II. Porrò suspensus ab omni Officio, validè quidem, sed illicitè actus Ordinis exercet, quatenus ab Ecclesiæ decretis alicui absolutè auferri non potest Ordinis character & potestas: & ita valebit actus consecrationis, ordinationis, Confirmationis, benedictionis Virginum, Altarium. Sed jurisdictionis actus invalidè prorsus exercebit, quia eadem Ecclesiæ potestate sicut conferri, ita & omninò adimi potest j[urisdi]ctio: ideoque taliter suspensi absolutio sacramentalis nulla prorsus erit.

III. Exactior est observatio suspensionum à Jure atque irregularitatum, quàm excommunicationum à Jure. Cùm enim suspensio & irregularitas relationem habeant specialem ad Ordines & Beneficia, inde fit ut aviditas captantium aliena Beneficia omnes rimetur suspiciones inhabilitatum ad Beneficia, ut si quam invenerint in aliquo proviso, illius Beneficium sibi vendicent titulo devoluti. Aliunde verò Clerici provisi aut providendi, si quid in se advertant unde posset ipsis controversia de Beneficio moveri, sibi sedulò provideant Apostolicas literas dispensationis, absolutionis ac rehabilitationis. Eademque ex causa fit ut excommunicationes Juris adversùs simoniacos & confidentiarios maximè vigeant occasione impetrandi Beneficia, aut adepta conservandi. Hac de causa omnes Juris suspensiones exactiùs percensebimus.

IV. Primò suspenditur Clericus aut Religiosus recipiens Ordines ficto patrimonio, vel Beneficio, ex Decreto Pii V. incipiente, *Romanus Pontifex*. Hæc suspensio (inquit Bonacina de censuris disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 1.) videtur Episcopo reservata. Cui addo non videri in Gallia receptam.

V. Secundò suspenduntur Clerici paciscentes ante ordinationem, vel cum Patrono præsentante, quod non petent victum, alimenta aut provisionem. Suspenditur præterea Beneficiarius præsentans Clericum ad titulum sui Beneficii, ut illi conferantur Ordines, cum pacto non petendi fructus ad sui sustentationem. Ordinator quidem à collatione: præsentator ab exequutione Ordinum per triennium: ordinatus verò ab Ordine sic susceptо donec fuerit à Papa dispensatus, suspensi sunt, cap. *Si quis ordinaverit*, penult. de simon.

VI. Tertiò suspenduntur qui recipiunt majores Ordines extra tempora ab Ecclesia constituta, vel ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, ut habetur in Constitutione Pii II. quæ incipit, *Cùm ex sacrorum*; & altera Sixti V. quæ incipit, *Sanctum & salutare*. Et privat usu omnium Ordinum susceptorum. Sixtus idem hanc suspensionem reservavit Summo Pontifici: verumtamen Clemens VIII. in Bulla incipiente, *Romanum Pontificem decet*, redigit ad dispositionem Concilii Tridentini. Itaque potest Episcopus in hac suspensione, si sit occulta, dispensare. Sayrus, & Bonacina.

VII. Hîc quæritur primò, utrum recipiens minores Ordines ante legitimam ætatem, sit suspensus? Respondetur negativè, juxta Covarruviam, Suarez, Bonacinam; quia nullo textu ea pœna infligitur. Quæritur secundò, utrum recipiens Ordinem quemcunque non servatis interstitiis, incurrat suspensionem? Respondetur quoque negativè, juxta Suarez, Filliucium, Bonacinam. Ratio in promptu est, quia nulla est inducenda censura quam Jus non expresserit. Incurritur tamen grave peccatum in his duobus casibus, quatenus in re gravi prohibitio Ecclesiæ violatur.

VIII. Quartò

VIII. Quartò suspenduntur ab exequutione posterioris Ordinis qu duos Ordines sacros, aut qui minores cum Subdiaconatu suscipiunt, cap *Literas*, de temp. ordin. Item qui duos Ordines sacros duobus diebus cont nuis ac immediatis recipiunt, d. cap. *Literas*.

IX. Quinta suspensio est contra Clericum qui vacante Episcopatu, & non arctatus occasione Beneficii recepti aut recipiendi, sacros Ordines r cepit, etsi habeat à Capitulo literas dimissorias. Suspenditur item ab exeq uutione majorum Ordinum ad beneplacitum Episcopi futuri. Capitulum v erò contraveniens subjacet Ecclesiastico interdicto. Qui autem minores susc epit Ordines Sede vacante, privilegii Clericalis privatione, non autem ullâ censurâ punitur. Sed transacto vacationis anno cessant hæ prohibitio nes. Concilium Tridentin. sess. 7. cap. 10.

X. Sextò Clericus qui per saltum sumit Ordinem superiorem, suspensus est ab illo Ordine suscepto, donec inferiorem prætermissum receperit, cap. unico, de Cler. per salt. prom. Potest tamen Episcopus ex causa cum sic promoto dispensare, dummodò non ministraverit, ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 14.

XI. Septimò suspenduntur ab exequutione Ordinum quicunque ordinantur ab Episcopo excommunicato, suspenso, aut interdicto denunciato, seu vitando, cap. 1. & 2. de schismat. Idem jus est in ordinato per Episcopum simoniacum per sententiam declaratum, can. *Si quis à simoniacis*, 1. quæst. 1.

XII. Octavò suspenditur ab Ordine suscepto quisquis Ordinem sacrum susceperit ab Episcopo qui Episcopatui & Ordinis Episcopalis usui renunciavit: & hæc suspensio reservatur Papæ, cap. 1. de ordinat. ab Episc. qui Episcopatui renunc.

XIII. Nonò suspenditur ab Ordinibus qui aliquem Ordinem scienter suscipit per simoniam, quanvis occultam: istaque suspensio reservatur Episcopo, cap. penult. & cap. *Per tuas*, de simon. & Extrav. 2. de simon.

XIV. Decimò qui scienter Ordinem in excommunicatione accepit, suspensus est ab Ordine sic suscepto, cap. *Cùm illorum*, de sent. excomm. ubi quoque hæc suspensio reservatur Papæ.

XV. Undecimò est suspensus, aut juxta alios est irregularis quisquis furtivè, hoc est, ut exponitur à Glossa & Doctoribus, insscio Episcopo, nec approbante, nec examinante Ordinem suscepit, qualis ille est qui non vocatus, vel non approbatus accessit ad Ordines, aut qui alium in sui locum, suoque ementito nomine examini submittit, deinde vocatus proprio nomine accessit, & Ordinem recepit, cap. 1. 2. & 3. de eo qui furtivè Ord. susc. ubi datur facultas Episcopo dispensandi cum sic ordinato ad Diaconatum, ut possit idem ad Sacerdotium promoveri. Vide Bonacinam de censur. & irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. n. 6.

XVI. Duodecimò is qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, exceptis casibus à Canonibus concessis, suscipit Ordinem sacrum, suspenditur simul ab eodem Ordine, & ab Officio & Beneficio, cum reservatione ad Papam, extravag. *Antiquæ*, de voto: nisi fortè solvatur matrimonium per professionem validè emissam: quo casu Episcopus dispensare potest, juxta dictam extravag.

XVII. Decimotertiò suspenditur per annum à Communione Presbyter qui celebrat Missam, & in ea non communicat, can. *Relatum*, de consecrat. dist. 2.

XVIII. Decimoquartò suspenduntur Clerici ab ingressu Ecclesiæ donec ad arbitrium Prælati satisfecerint, quicunque in loco interdicto celebrant aut celebrare faciunt, cap. *Episcoporum*, de privileg. in 6.

XIX. Decimaquinta suspensio est in Sacerdotem præsumentem omittere Missam incompletam sine gravi causa, can. *Nullus Episcopus*, de consecr. dist. 1.

XX. Decimasexta in Clericos etiam regulares & exemptos, qui admittunt ad Sacramenta, vel ad Ecclesiasticam sepulturam, vel ad divina Officia publicè excommunicatos, suspensos, vel interdictos: hi enim suspenduntur, aut potiùs interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ donec Episcopo satisfecerint ad ipsius arbitrium, cap. *Episcoporum*, de privileg. in 6.

XXI. Decimaseptima contra illos qui manifestos usurarios admittunt ad Communionem Altaris, ad sepulturam Ecclesiasticam, vel recipiunt eorum oblationem priusquam vel satisfecerint, vel idoneam cautionem de satisfactione dederint. Hi suspensi sunt ab Officii exequutione donec ad arbitrium Episcopi satisfecerint, cap. *Quia in omnibus*, de usur.

XXII. Decimaoctava contra Sacerdotem secularem, vel regularem conjungentem in matrimonium, vel benedicentem subditos alterius Parochi absque ejus licentia, vel Ordinarii. Hæc suspensio est ab Officio, & durat donec ab Ordinario Parochi solvatur. Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform.

XXIII. Decimanona suspensio in Clericum Beneficiarium publicè, & absque rationabili causa utentem exteriùs partita, seu variegata veste, idest discolori. Hic suspenditur sex mensibus à recipiendis fructibus Beneficiorum. Clericus verò non Beneficiarius, sed tamen initiatus Ordine sacro, suspenditur per sex menses à quocumque Beneficio recipiendo. Clement. 2. de vita & honest. Cler.

XXIV. Vigesima in Clericum alienis debitis Ecclesiam sibi commissam gravare præsumentem, aut literas, vel sigilla alteri concedere, quibus obligari possit. Hic ligatur suspensione ab administratione temporalium & spiritualium Episcopo reservata, cap. 2. de solutionibus.

XXV. Vigesimaprima in eos qui Sede vacante Ecclesiæ Cathedralis, Collegiatæ, aut Regularis occupant bona spectantia ad Prælatum defunctum,

ctum, vel ad successorem, vel ad ipsam Sedem. Hi suspenduntur ab Officiis & Beneficiis, donec integrè restituant, cap. *Quia sæpe*, de election. in 6. Similis fertur suspensio in Clericos Episcopis inferiores, qui bona vacantium Ecclesiarum sibi subjectarum in suos usus convertunt. Episcopi autem id facientes ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, cap. *Præsenti*, de offic. Ordinar. in 6.

XXVI. Vigesimasecundâ suspenditur per triennium à Beneficiis quæ possidet in Ecclesia, de cujus electione agitur, compromissarius scienter eligens indignum ad Episcopatum, cap. *Si compromissarius*, de elect. in 6.

XXVII. Vigesimatertia est adversus quosvis eligentes indignum ad Episcopatum, aut ad inferiora Beneficia, quibus annectitur cura animarum; qui pariter suspenduntur triennio à Beneficiis, cap. *Cùm in cunctis*, de elect. in 6.

XXVIII. Vigesimaquarta suspendit eadem pœnâ eos qui electionem aut postulationem impugnant, sed in probatione deficiunt, objicientes quæ probare non possunt, d. cap. *Si compromissarius*, de elect. in 6.

XXIX. Vigesimaquinta est in electores Episcoporum, qui si infra octo dies postquam commodè potuerint, præsentationem electo culpabiliter non præsentaverint, suspenduntur triennio à Beneficiis quæ in eadem Ecclesia possident, cap. *Cupientes*, §. *Cæterùm*, de elect.

XXX. Vigesimasexta contra illos qui per abusum secularis Potestatis contra canonicam libertatem præsumpserint aliquem ad Ecclesiasticam præbendam eligere: hi namque per triennium suspendendi sunt à Beneficiis & Officiis; & hac vice privantur eligendi potestate: & consequenter electus ab eis non habetur pro electo, cap. *Quisquis*, de elect.

XXXI. Vigesimaseptima in conferentes, vel recipientes illorum Beneficia qui pro suis negotiis ad Romanam Curiam accesserunt, aut aliqua negotia in ea gerunt. Hi suspenduntur ab Officio simul & Beneficio, extrav. 3. de privil. Quæ suspensio reservatur Episcopo.

XXXII. Vigesimaoctava suspensio in exercentes munus Conservatoris, si se intromittant scienter de aliis quàm de manifestis injuriis & violentiis, aut suam potestatem ad alia quæ judicialem indaginem requirunt, scienter extendant, cap. ult. de offic. deleg. in 6.

XXXIII. Vigesimanona Judicem Ecclesiasticum non Episcopum suspendit per annum ab exequutione Officii, qui facit injuriam contra justitiam & conscientiam Parti litiganti, amore, odio vel pretio, cap. *Cùm æterni*, de sent. & re judic. in 6.

XXXIV. Trigesima contra Judicem excommunicantem sine scripturâ, aut sine causæ expressione, vel qui requisitus non tradit copiam scripturæ intra mensem: hic suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & à Divinis Officiis per mensem, cap. *Cùm medecinalis*, de sent. excom. in 6. Præterea censurâ interdicti ab ingressu Ecclesiæ ligatur per mensem Judex Ecclesiasticus

sticus excommunicans sine monitione & testibus, cap. *Sacro*, de sent. excommun. & cap. 1. de sent. excommun. in 6. Hæc tamen suspensio non attingit Episcopos, ut admonet Glossa in d. cap. 1. verbo *Judicum*. Nam ut ait caput *Quia periculosum*, eod. tit. in 6. nulla constitutio, aut sententia suspensionis vel interdicti ligat Episcopos, nisi specialiter hos exprimat.

XXXV. Trigesimaprima suspendit ab Officio & Beneficio Visitatores recipientes in visitatione pecuniam aut munera, donec intra mensem restituerint duplum eidem Ecclesiæ à qua receperunt, non obstante quavis remissione, cap. *Exigit*, de censib. in 6.

XXXVI. Trigesimasecunda non solùm contra eum qui præsumit coram multitudine hominum disputare de Conceptione Virginis Mariæ in alterutram partem, sive asserendo, sive negando; sed etiam contra quemcumque est, qui præsumit de hac ipsa quæstione cujusvis aut pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari lingua scribere, vel dictare. Hic enim si est in sacris, suspenditur à divinis, necnon privatur ipso jure omni gradu & dignitate, & ad similem redditur inhabilis, isque à solo Papa dispensari potest ex Bulla Pii V. quæ incipit, *Super specula*. Deinde Gregorius XV. sub iisdem pœnis prohibuit, ne quis audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, Beatissimam Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali: declarans tamen ibidem se per hoc nullatenus intendere reprobare aut præjudicium inferre opinioni asserenti conceptam fuisse in peccato originali. Præterea ad evitanda scandala & rixas quæ nascebantur ex prædicta opinione, prohibet sub iisdem pœnis, ne quis palam, etiam in scriptis aut sermonibus privatis audeat asserere Beatissimam Virginem fuisse in peccato originali conceptam: & ne quisquam alio vocabulo quàm Conceptionis utatur circa festum Conceptionis Virginis Mariæ.

XXXVII. Trigesimatertia suspensio ab Ordinibus & Dignitatibus est in illos qui sponte jurant de tenendo schismate, cap. 1. de schismat.

XXXVIII. Trigesimaquarta est in Clericos notorios concubinarios, qui incurrebant suspensionem totalem, quæ perdurabat quamdiu Clericus in eo delicto permanebat, cap. *Si qui sunt*, dist. 81. cap. *Quæsitum*, de cohabit. cler. & mulier. Et prohibent canon *Nullus*, & canon *Præter*, dist. 32. audiri Missam notoriè concubinarii Sacerdotis. Prædictam tamen pœnam per non usum abolitam fuit deinde sequuta Tridentini Concilii sanctio sess. 25. cap. 14. de reformat. decernens ut si Clericus concubinarius à Superioribus monitus non destiterit, tertia parte mulctetur proventuum Beneficiorum suorum & pensionum. Si verò secundò admonitus non paruerit, privetur integris proventibus Beneficiorum, & pensionibus Ecclesiasticis, & insuper ipsorum Beneficiorum administratione quoad Ordinarius arbitrabitur. Et si ita suspensi nihilominus fœminas à se non expellant, aut cum eis versari pergant, tunc Beneficiis, portionibus & pensionibus privantur

ventur in perpetuum, & inhabiles ad talia imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem à Superioribus, cùm eis visum fuerit, ex causa dispensatum fuerit. Sed si Clericus postquam fœminam semel dimiserit, intermissum consortium cum ea, vel altera repetat, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectatur, cujus exequutionem nulla possit appellatio aut exemptio suspendere. Clericos verò concubinarios ac fornicarios, qui Beneficia, vel pensiones Ecclesiasticas non habent, jubet juxta delicti perseverantiam & qualitatem ab Episcopo pœnâ carceris, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros Canones puniri.

CAPUT XVII.

Suspensiones latæ contra Episcopos, Conventus & Capitula.

I. EPiscopi, Abbates & Prælati Religionum promoti ab Apostolica Sede, administrationem suarum Ecclesiarum subeuntes absque literis authenticis ejusdem Sedis, suspenduntur à perceptione fructuum earundem Ecclesiarum, extrav. 1. de elect. inter communes. Capitula verò harum Ecclesiarum, quæ illos sine litteris admittunt, suspenduntur à Beneficiis, donec à Papa gratiam obtineant, d. extrav. 1.

II. Episcopus consecrationem accipiens ab excommunicatis, suspensis, aut interdictis (intellige vitandis, juxta extravag. *Ad evitanda*) suspensus est à Pontificalibus, can. *Gratia*, 1. quæst. 1. & cap. 1. & 2. de schismat.

III. Episcopus non servans Extravagantem 2. de elect. Joannis XXII. circa perceptionem fructuum primi vel secundi anni sui Episcopatus, suspenditur à Pontificalibus & ingressu Ecclesiæ, donec restitutio fiat.

IV. Suspenditur à Pontificalibus Episcopus conferens Ordines, aut primam Tonsuram extraneo absque proprii Episcopi licentia: Clericus autem recipiens est suspensus ab Ordine suscepto ad arbitrium proprii Episcopi. Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. de reform. & sess. 23. cap. 8.

V. Episcopus ordinans in aliena diœcesi sine expressa licentia Ordinarii loci, aut ordinans de illius licentia personas non subditas, suspenditur à Pontificalibus. Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8.

VI. Ordinans Religiosum non professum suspensus est per annum à collatione Ordinum quos ei contulit, ex Bulla Pii V. quam refert Navarra cap. 2.

cap. 22. num. 158. Excipiuntur novitii Societatis Jesu, qui in eâ vota simplicia ediderunt, per Bullam Gregorii XIII.

VII. Monachum sine Abbatis licentia ordinans suspenditur à communione aliorum Episcoporum, cap. fin. dist. 58.

VIII. Qui bigamum ordinat, vel publicum pœnitentem, suspenditur à celebratione Missæ per annum, can. *Nullus*, dist. 55.

IX. Pari suspensione punitur injustè ordinans invitum, can. 1. & 2. dist. 74.

X. Ordinans Sacerdotem indignum suspenditur à collatione Ordinis Sacerdotalis, can. *Si qui Episcopi*, 1. q. 1.

XI. Conferens Tonsuram illiterato suspensus est per annum à collatione Ton[illegible] cap. fin. de temp. ordin. in 6. Illiteratus in hac materia ille est qui [illegible]legere & scribere: hæc enim requirit Concilium Trident. in collatione primæ Tonsuræ, sess. 13. cap. 4. Eadem suspensione ligatur conferens Tonsuram infanti qui nondum septennium implevit, dicto cap. fin.

XII. Qui duos Ordines sacros eodem die, vel duobus immediatis confert, suspenditur ab utriusque Ordinis collatione, cap. *Literas*, de temp. ordinat.

XIII. Sacerdotalem Ordinem indigno scienter conferens, seu suspenso ab illius Ordinis receptione, suspenditur à collatione Ordinis Sacerdotalis, can. *Si qui Episcopi*, 1. q. 1.

XIV. Episcopus Ordines conferens cum pacto ut ordinatus non petat alimenta in defectum Beneficii aut patrimonii, suspenditur triennio à collatione Ordinum, cap. penult. de simonia.

XV. Conferens simoniacè Ordines aut Tonsuram, suspenditur non modò à collatione Ordinum & Tonsuræ per triennium, d. cap. penult. sed etiam à Pontificalibus & ingressu Ecclesiæ, ex Bulla Sixti V.

XVI. Episcopus confirmans & consecrans electum in Episcopum postquam appellatum fuit ad Apostolicam Sedem, suspenditur per annum à confirmatione & consecratione Episcoporum, cap. *Provida*, de elect. in 6.

XVII. Si debitam diligentiam Episcopus non adhibuerit circa processum electionis, & personam electi ad curam animarum, suspenditur à facultate confirmandi primum illius successorem, & à proprio Beneficio, cap. *Nihil*, de elect.

XVIII. Episcopus, aut quicunque alius Beneficiorum Collator, qui Beneficii resignationem contra præscriptum Bullæ Pii V. quæ est in ordine 58. editaque anno 1568. admittit, suspenditur à collatione, præsentatione, electione, confirmatione, institutione, donec à Papa absolvatur.

XIX. Accipiens Episcopus visitans, sive in pecunia, sive in victualibus ultra id quod sibi debetur, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ donec

duplum

duplum restituat, nihil obstante quavis remissione, cap. *Exigit*, de censib. in 6.

XX. Episcopus commissarius, vel delegatus in causa alienationis rerum Ecclesiasticarum, si per gratiam, timorem, aut sordes in detrimentum Ecclesiæ utatur commissa sibi potestate, suspenditur per annum ab exequutione officii, ita ut si damnabiliter se Divinis ingerat, irregularitatem incurrat, quam solus Papa tollere possit, juxta Extravag. Pauli II. quæ incipit, *Cum omnibus judicii.*

XXI. Episcopi in causis Fidei abutentes Inquisitorum officio, suspensi sunt per triennium ab officio. Clem. 1. §. *Verùm*, de hæret. Abuti autem contingit, sive injustè & contra conscientiam omittendo procedere ex officio, per gratiam, amorem, aut commodum temporale; aut procedendo per malitiam & calumniam, vexationem innocentibus inferendo.

XXII. Episcopi, aliique Prælati, sive Seculares, sive Regulares, procurantes ut Clerici capiantur à Dominis temporalibus ad hoc ut Beneficia resignent, aut citati ad Apostolicam Sedem accedere nequeant, præter excommunicationem ob violentam manuum injectionem, suspenduntur per triennium à fructibus suarum Ecclesiarum. Reliquis verò inferioribus Clericis imponitur privationis pœna omnium Beneficiorum. Clem. 2. de pœnit.

XXIII. Episcopus relaxans pœnas sancitas contra incendiarios, suspenditur per annum ab officio Episcopali, can. *Pessimam*, 23. q. 8.

XXIV. Quivis Episcopus alienans bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut piorum locorum sine Papæ licentia, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ. Sed si post sex menses non resipuerit, suspenditur ab administratione temporali & spirituali suæ Ecclesiæ. Eadem suspensio extenditur ad Abbates; alii verò his inferiores ligantur excommunicatione, cap. *Ambitiosæ*, de reb. Eccles. non alien. in Extrav. com.

XXV. Suspenduntur pariter ab officio & administratione rerum temporalium Ecclesiæ ipsius gravatæ Episcopi & alii Prælati, qui bona immobilia commissarum sibi Ecclesiarum laïcis subjiciunt sine Capituli consensu & speciali Sedis Apostolicæ facultate, exceptis casibus in Jure permissis, cap. *Hoc consultissimo*, de reb. Eccles. non alien. in 6.

XXVI. Episcopus qui primâ vice Monasteria Monialium sine necessitate ingreditur, suspensionem incurrit ab ingressu Ecclesiæ. Secundâ vice suspenditur à Divinis. Tertiâ vice excommunicatione ligatur per Constitutionem Gregorii XIII. anni 1572. quæ incipit, *Deo sacris virginibus.*

XXVII. Episcopi qui limina Apostolorum non visitant singulis trienniis, si sint de Italia, sive per se, sive in casu quo impedimento detineantur, per alium sui loco substitutum; si autem sint de G[illegible]a, Germania, vel Hispania, aliâve regione Europæ, singulis quadri[illegible]iis; si autem de remotioribus locis, longius conceditur tempus, incurrunt suspen-

sionem ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum, & administratione temporalium & spiritualium, ex Bulla Sixti V. de visitandis liminibus Apostolorum, quæ non recipitur nisi fortè in partibus Italiæ.

XXVIII. Episcopus qui post Concilium Provinciale infra sex menses Clerum non convocat, ut ei referat gesta in Concilio, suspenditur per Concilium Toletanum, can. fin. dist. 8. Sed nec in ipsa Hispania recipitur ea suspensio.

XXIX. Negligens Episcopus adversùs simoniacos procedere, suspenditur duobus mensibus ab officio, can. *Quidquid*, 1. q. 1.

XXX. Permittens Episcopus usurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terminis ad exercendum fœnus, est suspensus ab Officio & Beneficio, donec illos expulerit, cap. *Usuras*, de usur. in 6.

XXXI. Denique de Episcopis in universum hoc tenendum, ipsos nulla suspensionis aut interdicti inflictivâ constitutione aut sententiâ ligari, nisi specialiter exprimantur, ex Generali Concilio Lugdunensi in cap. *Quia periculosum*, de sent. excomm. in 6.

XXXII. Nunc recensendæ sunt suspensiones Juris quæ Conventus & Capitula actingunt. Suspenduntur Capitula Ecclesiæ, vel Monasterii, quæ Episcopum, aut Prælatum Religiosum à Sede Apostolica provisum recipiunt sine ejusdem Sedis literis, aut illi obediunt. Hæc suspensio est à Beneficiis, extrav. 1. de elect.

XXXIII. Capitula & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata, vel Regulari vacante occupant, vel dilapidant bona ad Prælatum defunctum, vel ad ipsam Ecclesiam, vel ad successores pertinentia, suspenduntur ab Officio & Beneficio, donec plenè restituerint, cap. *Quia*, de elect.

XXXIV. Conventus etiam, & Capitula quæ directè, aut indirectè aliquid accipiunt, vel petunt ob receptionem alicujus in Religionem, aut post illam, incurrunt suspensionem totalem, tam ab Officio quàm à Beneficio, reservatam Papæ, sive accipiant pecuniam, sive cibaria, pastus, jocalia, prandium, cœnam, sive alia etiam ad pium cultum pertinentia. Clement. *Sanè*, de simon.

XXXV. Capitula, aut singulæ personæ resignationem Beneficiorum admittentes extra casus & formam Bullæ Pii V. quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ*, incurrunt suspensionem à collatione, præsentatione, & institutione. Et Capitulum faciens contra istam suspensionem afficitur suspensione à divinis Papæ reservata.

XXXVI. Nunc de singulis Religiosis qui suspensionem contrahunt. Prælatus Prædicatorum, aut Minorum, aut alterius Ordinis Mendicantium, qui aliquem admisit ad professionem, nondum expleto probationis anno, incurrit suspensionem, cap. *Non solùm*, de Regularib. in 6.

XXXVII. Religiosi qui ad Ordines sacros, nondum factâ professione

fessione promoventur, suspensi sunt ab Ordinum susceptione, juxta Bullam Pii V. quæ est 74.

XXXVIII. Religiosus apostata si Ordinem sacrum dum in apostasia remanet suscipiat, suspensus est ab eodem Ordine, & ab aliis suscipiendis, donec per Summum Pontificem dispensetur, cap. fin. de apostatis. Idemque jus est si idem apostata transierit invalidè in aliam Religionem, & in ea sacrum Ordinem sumpserit.

XXXIX. Suspenduntur quoque Religiosi, sive mares, sive fœminæ, sive Ordinum Militarium, præsidentes Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis & Administrationibus quibuscunque, qui jura vel redditus harum Ecclesiarum, Monasteriorum, Administrationum alicui concesserint ad vitam recipientis, aut ipsius concedentis, sive ad certum tempus, pecuniâ etiam inde receptâ. Hi suspensi sunt ab Officio, & concessio invalida est. Hæc tamen limitanda, nisi necessitas aut utilitas horum locorum seu Ecclesiarum id exigat, & hoc fiat de consensu Conventus; aut si Conventum non habeant, de consensu Prælati superioris. Clement. 1. de rebus Eccl. non alien. Hîc tamen non comprehenduntur venditiones fructuum, aut locationes ad breve tempus, quale censetur trium annorum, ut in simili patet ex extrav. *Ambitiosæ*, Pauli II. eod. tit.

XL. Religiosi iniquè usurpantes, aut defraudantes Ecclesias circa decimas eis debitas, easque sibi usurpare præsumentes sine rationabili causa vel privilegio, si requisiti non desistant intra mensem, vel de usurpatis, vel retentis non satisfaciant intra duos menses, suspensi sunt ab Officiis, Administrationibus & Beneficiis suis, donec destiterint & satisfecerint. At si nec Officia, nec Beneficia, nec Administrationes habeant isti Religiosi, ligantur vinculo excommunicationis, à qua solvi non possunt donec satisfecerint. Clement. 1. de decimis.

XLI. Prælati Religionum, ad quos occasione excessuum Religiosorum suorum aliquid pervenerit, suspenduntur usque ad debitam satisfactionem, nisi intra mensem postquam requisiti fuerint, satisfecerint Ecclesiis & personis damnificatis. Clement. 1. de privileg. Excessus autem ibi tres prohibentur. Primus est retrahere testantem à legatis faciendis Ecclesiis Matricibus. Secundus est retrahere testatorem à debitis persolvendis. Tertius procurare ut legata, debita, vel malè ablata incerta dentur sibi, aut aliis singularibus personis sui Ordinis, vel Conventibus, in eorum quibus debentur præjudicium. Eadem Clementina suspendit Prælatos Religiosorum qui non satisfaciunt damno illato alteri Prælato à suis subditis prædicando in concione indiscretas Indulgentias, retrahendo laïcos ne ad Parochiam accedant, vel absolvendo sine privilegio à reservatis Episcopo aut Papæ, d. Clement. 1.

XLII. Confessarii Religiosi scienter omittentes conscientiam facere confitentibus sibi pœnitentibus de solvendis decimis postquam à Rectori-

bus Ecclesiarum de hoc admoniti fuerunt, suspenduntur ab officio prædicandi, donec eisdem pœnitentibus conscientiam de hoc fecerint cùm primùm commodè potuerint. Quod si hi Confessarii eo pacto suspensi concionari audeant, ligantur excommunicatione. Hæc decernit Clementina *Cupientes*, de pœnis.

XLIII. Abbates, aliique quicumque, licèt exempti, incurrunt suspensionem ab Officio & Beneficio per annum, si Literas Dimissorias aliis quàm suis subditis Regularibus concedant. Concilium Trident. sess. 25. cap. 10. ad fin.

XLIV. Monachus niger Sancti Benedicti non utens habitu & vestitu ad formam præscriptam, si sit Abbas, aut Prior Abbatem non habens, suspenditur à collatione Beneficiorum & Ordinum per annum: si inferior habens aliquam administrationem, eadem privatur per annum: si nullam habeat, inhabilis efficitur ad administrationem, vel ad Beneficium intra annum percipiendum. Eadem suspensio, sed duplicato tempore, extenditur ad eosdem Monachos qui venationi, vel aucupationi clamorosæ, aut aliis cum canibus & avibus ex proposito interfuerunt. Clementina 1. de statu monach.

XLV. Religiosi in matrimonium conjungentes, aut benedicentes sponsos alienæ Paroeciæ absque facultate proprii Parochi vel Ordinarii, suspensi sunt ab officio donec ab Ordinario Parochi obtineant absolutionem, ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de reformat. Utrum verò præter hanc suspensionem incurrant excommunicationem latam in Clement. 1. de privileg. affirmat Navarrus tom. 1. consil. 1. de pœnis, lib. 5. Plures tamen negant, Henriquez, Sayrus, Bonacina, Filliucius, Rebellus: tum quia non præsumitur voluisse Concilium duplicem velle contra dictum Prophetæ consurgere tribulationem, & bis punire in idipsum: & videtur id Jure reprobari, cap. *De causis*, §. *Illis*, de offic. jud. deleg. sed potiùs veterem pœnam, eamque fortasse dudum exoletam, in hanc novam commutare, idque ita declaratum scribunt à Sacra Cardinalium Congregatione.

XLVI. Advertendum tamen, non omnes qui præfata sub suspensione prohibita faciunt, hanc incurrere pœnam. In hoc enim omnes Canonistæ conveniunt, ad incurrendam aliquam censuram, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, duo necessariò requiri; peccatum mortale, præterquam in minori excommunicatione; & præterea contumaciam contra prohibitionem Ecclesiæ: quo fit ut si ignorantia, vel indeliberatio excuset à mortali, eadem quoque excuset ab incurrenda censura. Et insuper si quis sciens divinam prohibitionem, & eam violando peccet mortaliter, nullatenus tamen incurret censuram ullam, si eam prorsus ignoraverit. Etenim contumacia contra Deum sufficit quidem ad mortale peccatum, sed non sufficit ad censuram incurrendam, nisi interveniat simul

simul contumacia in Ecclesiam, quæ nulla est in istiusmodi ignorante. Hæc tamen ignorantia cùm sit Juris, non præsumitur in externo & contentioso foro, quanvis excuset omninò in conscientiæ foro. Hinc fit ut multi qui in casus censurarum inciderunt, nulla opus habeant dispensatione aut rehabilitatione ad Officia & Beneficia apud Deum; qui tamen iisdem opus habent ad sui tutelam & exceptionem in externo foro, si quis eos in externo foro divexare aggrederetur titulo incapacitatis aut devoluti.

XLVII. Hoc insuper memoriæ commendandum, posse Episcopum absolvere ab omni suspensione, etiam eâ quæ Papæ reservata alioquin esset, si sit occulta, necdum ad forum contentiosum deducta: quod etiam obtinet jus in aliis censuris, atque etiam in irregularitatibus ex delicto natis, excepto voluntario homicidio, ex Tridentini Concilii concessione sess. 24. cap. 6.

CAPUT XVIII.

De depositione & degradatione.

I. DEPOSITIO & degradatio commune quidem hoc habent cum censuris, ut sint pœnæ spirituales, per quas homo baptizatus privatur usu aliquorum spiritualium: sed tamen hoc intercedit discrimen, quia censuræ ex sui institutione possunt auferri positâ resipiscentiâ & emendatione delinquentis; depositio verò, & degradatio carent spe remissionis.

II. Depositio vocatur degradatio verbalis; eaque est sententia Ecclesiastica, quâ persona Ecclesiastica privatur omni Officio & Beneficio in perpetuum, non amisso tamen clericali privilegio. Hìc sermo est de totali depositione; nihil enim repugnat decerni partialem depositionem, quæ privet Officio, sed non Beneficio; aut quæ Beneficio privet, sed non Officio; aut quæ altero horum privet in parte, non in toto. Degradatio verò actualis, seu realis est pœna Ecclesiastica, quâ persona Ecclesiastica privatur omni non tantùm Beneficio & Officio, sed etiam clericali privilegio, sine ulla spe dispensationis aut rehabilitationis, & cum externa solemnitate canonica, qualis describitur in Pontificali, & in cap. *Degradatio*, de pœnis in 6. & in cap. *Novimus*, de verbor. signific. Ante ipsum quoque Tridentinum Concilium unus sufficiebat Episcopus ad degradationem hæretici, modò assisterent Abbates & graves atque literati viri Ecclesiastici. Itaque hoc amplius habet degradatio supra totalem depositionem, quod privat ipso quoque gradu & privilegio clericali, & addit externa quædam so-

lennia. Hæ verò solennitates requirunt præsentiam ejus qui degradatur; cùm tamen depositio fieri possit absentis rei contumacis, cap. *Veritatis*, de dolo & contum.

III. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. abrogat Jus antiquum, quod præter proprium Episcopum sex alios requirebat Episcopos ad condemnationem Sacerdotis, & tres ad condemnationem Diaconi, can. *Felix*, & can. *Si autem*, 15. quæst. 7. Concilium autem Tridentinum statuit fieri posse degradationem à proprio Episcopo, vel ejus Vicario Generali, assistentibus ad Presbyteri degradationem sex Abbatibus usum Mitræ & Baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si reperiri & commodè interesse possint; alioqui horum defectu aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis: ad Diaconi autem, vel Subdiaconi degradationem tribus assistentibus qualificatis ut suprà.

IV. In eo etiam differunt actualis degradatio, & verbalis depositio, quia is qui per sententiam Episcopi fuit actu degradatus, non potest per Episcopum restitui, modò justa & valida fuerit degradatio, & petatur restitutio de gratia, non de jure; quia excidit omninò à Clericali privilegio & Canonis & fori Ecclesiastici, quisquis validè fuit degradatus, & translatus est in forum laïcum, neque privilegio Canonis gaudet: adeo ut qui eum percusserit, non alias incurrat pœnas quàm si laïcum percussisset. Cúmque Canones statuant hanc abdicationem excludere omnem spem restitutionis, sequitur ut restitui non possit nisi per Supremæ, hoc est Apostolicæ potestatis dispensationem. Sed ubi convinceretur fuisse immeritò degradatum, potest ab ipso Episcopo in pristinum statum restitui, ut colligitur ex cap. *Episcopus Presbyter*, 11. quæst. 3. Simpliciter autem, simulque justè & validè degradatum, sed emendatum & pœnitentem potest ordinarius Episcopus reintegrare, cap. *Si Clerici*, de judiciis: imò & Capitulum Sede vacante, cùm sit ista dispensatio non Ordinis, sed tantùm jurisdictionis actus. Hæc verò restitutio intelligenda est sine ullo eorum præjudicio, qui pristinis illius qui justè depositus fuerat, Beneficiis provisi sunt, si ea justo titulo possideant. Præclarè enim dicit caput *Quanvis*, de rescriptis in 6. restitutionem intelligendam fieri sine juris alieni præjudicio.

CAPUT

CAPUT XIX.

De irregularitatibus in genere, & de illis in specie quæ exurgunt ex defectu.

I. VIAM ad Ordines & Beneficia præcludunt irregularitates. Est verò irregularitas canonicum impedimentum Ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi. Eaque duplex est, vel enim ex defectu procedit, vel ex delicto.

II. In universum irregularitas non modò Tonsuræ & Ordinum susceptionem impedit, sed etiam usum horum antè susceptorum, can. *Cuvandum*, & can. *Si cujus uxorem*, dist. 34. & cap. fin. de temp. ordin. Quinetiam obstat suscipiendis Beneficiis, paritque incapacitatem ad ipsa, sicut de censuris superiùs admonui, cap. *Postulastis*, de cler. excom. ministr. At verò subsequens irregularitas, sicut de censuris quoque dictum est, non inducit Beneficii antea adepti vacationem, ex decisione Rotæ 195. & communi Doctorum sensu, Gomez tract. de Expectativis, num. 60. Covarruviæ in cap. *Almamater*, 1. p. §. 7. num. 4. not. 11. Bonacinæ de excom. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. num. 9. & tract. de irregularit. disp. 7. q. 1. punct. 4. n. 8. Coninch disp. 18. dub. 1. n. 5. Et probatur per cap. *Ex parte*, de excessib. Prælat. ubi irregularis ex delicto homicidii (quæ certè irregularitas gravissima & summè odiosa est) non judicatur ipso facto depositus à suo Beneficio, sed per Judicis sententiam deponendus. Multò minùs igitur privatur Beneficio is qui citra culpam, sed ex solo defectu, qualis est corporis ægritudo, contraxerit irregularitatem: sed hoc solùm ne afflicto superaddatur afflictio, curandum est Superiori, si sit curatum Beneficium, ut ei de Vicario provideatur cum assignatione partis fructuum Beneficii, cap. *Ex parte*, & cap. fin. de cler. ægrot. nisi velit ipse Beneficiarius resignare, hoc enim ei liberum est.

III. Cum irregulari ex defectu non potest Episcopus dispensare, nisi uno, aut altero casu. Potest enim circa illegitimorum natalia dispensare ad solos minores Ordines, atque ad simplex, non verò ad curatum Beneficium, cap. 1. de filiis presbyt. Atque ex consuetudinis vi à pluribus Doctoribus assertæ potest cum bigamo ad minores, & ad simplicia Beneficia dispensare, juxta sanctum Thomam in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. Sylvestrum verbo *Bigamus*, quæst. 7. Rotæ decis. 447. Azorium p. 2. lib. 3. cap. 5. & alios. At verò circa irregularitates ex delicto possunt Episcopi dispensare, si delictum sit occultum (excepto voluntario homicidio, quamvis occulto)

& necdum fuerit deductum ad forum contentioſum, ut ſtatuit Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. His exceptis caſibus ad ſolum Summum Pontificem pertinet irregularitatum diſpenſatio.

IV. Porrò irregularitatum ex defectu novem ſpecies recenſentur. 1. Natalium in filiis illegitimis. 2. Libertatis in ſervis. 3. Obligationis ad ratiocinia. 4. Ætatis canonicè præſcriptæ circa Ordines & Beneficia. 5. Famæ. 6. Animi in dementibus. 7. Corporis. 8. Lenitatis. 9. Bigamiæ, quæ vel eſt vera in eo qui duas ſucceſſivè duxit uxores; vel interpretativa in eo qui duxit unicam, ſed viduam, aut quomodocunque ab altero vitiatam: aut cùm quis virginem quidem duxit, ſed poſt matrimonium adulterata eſt, ſi poſt adulterium maritus eam vel ſemel cognoverit: ſi verò non cognovit poſt ejus adulterium, nulla inducitur irregularitas, can. *Si cujus*, & can. *Laïci*, diſt. 34. His adde bigamiam ſimilitudinariam, ubi quis poſt ſolenne votum, ſive religioſæ profeſſionis, ſive ſacri Ordinis contraxit & conſummavit matrimonium, ſive validè ex Papæ diſpenſatione, ſive invalidè, can. *Quotquot*, 27. q. 1. & cap. *Nuper*, & cap. fin. de bigamis. At verò ſi vir conjugatus adulteretur, non ideo fit irregularis, ſicut neque ſi eam duxerit, quam antea defloraverat. Itaque bigami non tam propter incontinentiam arcentur ab Ordinibus, quàm ob diſparitatem quam habent cum myſticis Chriſti & Eccleſiæ nuptiis, quarum imaginem nuptiæ Chriſtianorum referunt. Epheſ. 5. Per bigamiam enim tollitur illa conformitas, quatenus Eccleſia eſt unica & perpetua & incorrupta Sponſa Jeſu Chriſti. Huc ſpectant can. *Maritum*, diſt. 32. & can. *Curandum*, diſt. 24.

V. Non contrahitur bigamia niſi per completam omninò carnalem copulam. Si ſint igitur multa matrimonia rata, ſed unum ſolum conſummatum, non inducitur bigamia. Etſi namque matrimonium ratum ſit verum Eccleſiæ Sacramentum referens Chriſti cum Eccleſia unionem, non illam tamen refert quæ per Divini Verbi incarnationem facta eſt, ſed eam ſolam quæ ex gratia & charitate reſultat.

VI. Natalium defectus ipſo jure removetur per religioſam profeſſionem, ſitque ut profeſſus illegitimè natus capax evadat ſacrorum Ordinum, ſed non Prælaturarum; adhuc enim arcetur tam à Prælaturis Regularibus quàm ab Epiſcopali dignitate, cap. 1. de fil. presbyt. Moniales etiam illegitimè natæ non poſſunt eligi Abbatiſſæ, niſi ex Apoſtolica diſpenſatione. Navarrus cap. 27. num. 201. & comment. 2. de Regularib. num. 60. Sanchez in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 19. & 20. Barboſa in Trident. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 7. aliique quos ibidem teſtes adducit.

VII. Obligati ad publica ratiocinia, ut tutores, quæſtores, curatores, publici adminiſtratores, ſunt irregulares, cap. *Præterea*, diſt. 51. & tot. tit. de obligat. ad ratiocin.

VIII. Irregularitati ex animi defectu locus eſt in energumenis, ſeu arreptitiis

arreptitiis, can. *Clerici*, dist. 33. in dementibus quoque, in epilepticis, in lunaticis, can. *Maritum*, dist. 33. Qui omnes si antea non fuerunt ordinati, excluduntur in perpetuum ab Ordinibus, quantumvis constet eos posteà liberatos fuisse, d. can. *Maritum*. Consuetudine tamen passim recepta non solent computari ad irregularitatem epileptici affectus qui acciderunt ante completum decimumquartum ætatis annum, neque eorum haberi solet ratio qui annis infantiæ contigerunt: alioqui magna Clericorum & Sacerdotum pars esset irregularis; in teneris enim annis hos affectus permultis contingere, qui deinde provectiores ad sacros Ordines indiscriminatim accedunt, docet experientia. Aitque Hippocrates aphor. 7. sect. 5. *Epilepsia ante pubertatem amotionem recipit, post vigesimum verò quintum annum ferè comitatur ad mortem usque*. Idemque aphor. 28. sect. 3. *Plurimi* (inquit) *pueriles morbi alii intra dies quadraginta, nonnulli intra septem menses, quidam intra annos septem, alii ipsis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis cùm menstrua erumpunt, soluti fuerint, inveterascere consueverunt*. Zachias qui Medicinam Romæ cum magna doctrinæ fama profitebatur, hac de re consultus sic respondet consil. 59. Eum qui gravi, non autem levi epilepsia pluries etiam post puberes annos correptus est, non tamen esse irregularem, & posse sine dispensatione ordinari, si aliquot annorum spatio symptoma non recurrerit. Ibidemque suadere conatur, Canones qui contrarium decernere videntur, intelligendos esse de fœda & gravi epilepsia quæ post pubertatem est ferè insanabilis. Sed Zachiæ refragamur, & tutius esse ducimus, & Canonum præscriptis esse conformius, omnes verè epilepticas affectiones quæ post pubertatis annos contingunt, irregularitati adscribere: exiguam tamen, aut nullam habendam esse rationem earum quæ impuberibus contigerunt.

IX. Si verò legitimè sacris initiato ægritudo epileptica supervenerit, hic poterit susceptos Ordines exercere, dummodo istæ præcautiones adhibeantur. Primùm quidem ut integro anno epilepticum symptoma non recurrerit; idemque ferendum judicium de amentia, & de infestatione dæmoniaca, can. *Communiter*, dist. 33. Prædicto can. *Communiter*, dist. 33. videtur adversari can. *Nuper*, 7. quæst. 2. ubi Papa requirit solùm triginta dies ad explorandum epilepticum morbum. Sed Glossa rectè ambos Canones conciliat, ut requiratur annus ubi constat de præterito epileptico casu: sed si non constet, sed solùm dubitetur, sufficit exploratio dierum triginta; etenim canon *Nuper*, disertè exprimit rem esse in dubio, & asseveranter negari ab eo circa quem lis ventilabatur. Nec desunt qui requiri utrumque tempus asserant, ut scilicet non antè decurrere incipiat annus, nisi post decursum triginta dierum: sed sufficit annus ab ultimo accessu computatus, ubi de ægritudine constat; & sufficiunt triginta dies ad experiendum, ubi de re non constat, juxta Glossam utriusque Canonis.

X. Sanè si quis nondum est ab epileptica ægritudine prorsus liberatus,

sed rariùs eâ corripi solet, ut semel in mense cadendo in terram, si id fiat sine ullo clamore, spumarum emissione, & corporis horrenda agitatione, hic poterit sacrum celebrare, adjuncto sibi altero Sacerdote jejuno qui Sacrum perficiat, si fortè celebrans post inchoatum Canonem corriperetur, d. can. *Nuper*.

XI. Irregularis est qui se castrari permisit ob cantum; quod etiam illicitum est. Sed si permisit ex justa ac licita causa, ut si ob curationem ingruentis morbi, non censebitur irregularis, can. *Si quis abscideriț*, & can. *Si quis se*, dist. 55. & cap. *Significasti*, de corp. vitiat.

XII. Ad animi defectum pertinent illiterati, can. *Illiteratos*, dist. 26. & neophyti, idest qui ab idololatria, vel Mahumetismo, aut Judaismo recens conversi, adultaque ætate baptizati sunt, can. *Quoniam*, dist. 48.

XIII. Defectus ille corporis causat irregularitatem, qui vel impedit usum Ordinis, qualis est cæcitas; vel notabilem gignit deformitatem, ut est carentia visûs in oculo sinistro qui vocari solet oculus Canonis, si ex eo defectu necesse sit ad legendum Canonem contorquere indecorè vultum ad sinistram partem. At ubi quis ita prævaleret oculo dextro, ut sine ulla indecentia posset Canonem de Altari legere, non est censendus irregularis, ut docet Navarra cap. 27. num. 199. Judicium autem infirmitatis aut deformitatis quoad irregularitatem inducendam, vel non, ad Episcopum pertinet, cap. 2. de corpore vitiatis. Innocentius in cap. 1. eodem titulo, Sylvester verbo *Corpore vitiati*, quæst. 1. Navarra cap. 27. num. 200. aliique communiter.

XIV. Is qui suâ culpâ gravi, quanvis invitus, aliquo membro mutilatus fuit, etiamsi ea membri privatio alioqui non causasset irregularitatem, quia vel occulta est, vel deformitatem gravem non causat, nec actum Ordinis impedit, est nihilominus irregularis, can. fin. dist. 55. cujusmodi ille censendus est cui in adulterio deprehenso virilia in pœnam, vel ultionem excisa fuerint. Ugolinus, Navarrus, Avila & alii communiter.

XV. Habens corporis defectum impedientem susceptionem Ordinis Sacerdotalis, censendus est irregularis ad reliquos Ordines inferiores & sacros, ex communiori sententia Angeli, Ugolini, Navarræ, Avilæ, Bonacinæ: quanvis Paludanus, Sayrus & alii pauci dissentiant. Sed is qui post susceptum Sacerdotium evasit irregularis quoad Missæ celebrationem, ut si amisit pollicem, aut indicem, aut oculos, poterit adhuc reliqua munia celebrare, ad quæ supereșt ei habilitas, ut est confessionum auditio.

XVI. Irregularitatem ex defectu lenitatis parit homicidium voluntarium, aut membri mutilatio, si sine facientis culpa sit, qualem facit Judex, apparitor, carnifex, dum suo justè funguntur officio; & accusatores, & testes in causa criminis, si mors aut mutilatio sequatur; & milites in bello justo vulnerantes & occidentes, can. *Si quis viduam*, dist. 50. & cap.

In Archiepiscopatu, de raptorib. & cap. fin. de cler. vel monach. in 6. & Clement. unica de homicid. Et olim Idacius & Ithacius Episcopi fuere condemnati in Ecclesia ex hoc uno, quòd Priscillianum impurissimum hæresiarchum accusassent apud Maximum Imperatorem, qui Priscillianum capitali supplicio addixit, ut scribit Severus Sulpicius. Et Sanctus Augustinus epist. 54. Macedonio primariæ dignitatis viro rationes reddit cur ipse illius clementiam interpellaverit, ne viri quidam nefarii ultimo, quod commerebantur, supplicio afficerentur, sed mitiùs in illos animadverteret.

XVII. Cæterùm licitum est & irregularitatis expers, si Sacerdos intendens flagitia reprimi, suadeat Principi ut legem ferat, quâ certorum criminum rei morte digni plectantur capite; non enim per generalem istam provisionem potest dici causa mortis, nisi remota, ut patet ex can. *Delatori*, 5. quæst. 6. Ita docent Ugolinus, Avila, Henriquez, Suarez, Filliucius, Bonacina. Potest quoque citra irregularitatem Confessarius recusare absolutionem Magistratui nolenti punire ex officio & secundùm leges flagitiosum, quem lex jubet capitis damnari, modò generatim loquatur, ut puniat secundùm leges, neque directè intimet mortis pœnam. Eadem ratione potest Confessarius reum urgere juridicè interrogatum, ut suum capitale crimen confiteatur Judici; fungitur enim hac in parte officio suo.

XVIII. Differunt autem laïci, aut etiam Clerici neque sacri, neque Ecclesiasticis præbendis addicti, à Clerico sacro, vel beneficiario in causa mortis aut mutilationis ex jure licitæ: quia primi non peccant, licèt incurrant exinde irregularitatem; isti verò præter irregularitatem mortali etiam peccato se implicant, quia contra Canonum vetita faciunt in re gravi, cap. *Sententiam sanguinis*, ne clerici, vel monachi.

XIX. Ut autem accusator in materia criminis capitalis sit ab hac irregularitate immunis, duæ conditiones exiguntur. Prima est, ut accuset de injuria sibi suisve rebus illata, non verò alteri. Secunda, ut expressè protestetur se nullam intendere capitis, aut mutilationis pœnam, cap. *Prælatis*, de homicid. in 6. Ista verò protestatio si fiat à reste, nihil illi prodest, cùm ipse interveniat in aliena causa: sed prodest Clerico illum accusanti qui suam violavit Ecclesiam, quia propriæ Ecclesiæ causa ad eum pertinet, nec est censenda ipsi aliena. Bonacina & alii communiter. Iidemque docent non esse irregularem illum qui cum dicta protestatione revelat patriæ proditionem, quia omnes ad hoc tenentur jure naturæ, & quia ad singulos pertinet salus patriæ communis, cùm singulorum personas, & fortunas comprehendat.

XX. Clerico testificari non licet in causa sanguinis, can. *His à quibus*, 23. quæst. 8. neque ad id ullo jure compelli potest. Sanè potest testificari ad innocentis oppressi liberationem, petitâ sui Superioris licentiâ.

Quanvis exinde præter ipsius testis intentionem sequatur ut calumniator ultimo puniatur supplicio; id enim contingit per accidens. Testis enim qui abditam veritatem manifestavit, solam intendit innocentis rei liberationem, non verò, ut supponimus, accusatoris pœnam. Hoc sapienter docent Ugolinus, Avila, Sayrus, Suarez, Filliucius, & qui hos allegat & sequitur Bonacina de irregularitatibus, disp. 7. q.4. punct.3. n.4. Atque ita nulla inde nascitur irregularitas.

XXI. Laïcus Chirurgiam aut Medicinam exercens juxta suæ artis regulas, non incurrit irregularitatem, etsi membrum resecet aut resecari mandet; non enim est defectus lenitatis si pars adimatur ad totius conservationem. Sed si per gravem culpam Chirurgi, vel Medici homo deformetur, vel intereat, incurritur irregularitas ex delicto.

XXII. Qui sunt sacris Ordinibus initiati prohibentur mederi per abscissionem, aut adustionem membri alicujus, cap. *Sententiam sanguinis*, ne cler. vel monach. & cap. *Tuæ nos*, de homicid. Sed neque peccant iidem, neque irregularitatem contrahunt, si absque abscissione, vel ustione Medicinam exerceant secundùm artis regulas, & sine avaritiæ labe, aut alio abusu, periculo, vel prava suspicione, ex communi sententia. Potest etiam Sacerdos consulere secundùm regulas Medicinæ, vel exhortari ut membrum amputetur sphacelismo affectum, dum caveat ne abscissionem per se exequatur; id enim, ut dixi, Canones ei prohibent. Neque peccato, aut irregularitati subditur Sacerdos qui juxta Medecinæ præscripta jusserit, vel consuluerit membri amputationem, aut venæ sectionem, tametsi fortuitò & ex accidenti mors inde sequuta fuerit. Bonacina citans ad hoc Molinam, Rodriguez & alios.

XXIII. Multò minùs ergo peccant, vel irregularitatem incurrere dici possunt, sive Sacerdotes, sive laïci, qui bonâ intentione, neque credentes ægrum ex hoc citiùs moriturum, ei jusculum propinant unde fiat ut æger inopinatò citiùs moriatur & suffocetur, aut ex motione sui corporis exspiret, ut contra Toletum asserunt Suarez, Ugolinus, Bonacina de irregul. disp.7. quæst.4. punct.7. num. 12. Coninch tom.2. disp. 18. dub.9. num. 7. & seqq. etiamsi aliqua venialis culpa intervenerit, ut ipsi docent. Hujusmodi enim officia per se & directè non tendunt ad mortem, neque ad ejus accelerationem. Itaque nihil commune habent cum irregularitate quam incurrunt illi qui efficaciter influunt ad hoc, ut citiùs perveniatur ad locum supplicii: illa namque itineris acceleratio directè & per se operatur accelerationem supplicii, de qua dubitare non potest ille ipse qui accelerat profectionem ad patibulum. Ille itaque infirmo administrans non alteri obnoxius est impedimento, quàm quæ memorantur in cap.13.14.15.16. de homicid. volunt. ut si dum pulsatur campana, ipsa cadens, aut lignum campanilis hominem peremerit: vel Clerico equitante, si equus ferociens ruptis habenis, cùm retineri à sessore non posset, infantem obvium occi-

derit,

derit, qui est casus capitis *Dilectus filius*, eod. tit. Huc pertinet cap. *Ex literis*, il 1. & cap. *Ex literis*, il 2. eod. tit. Ubi autem mortalis culpa intervenisset, ut si quis periculum prævidisset, neque tamen ullam dignatus fuisset adhibere præcautionem, tunc locus esset irregularitati, non quidem ex defectu, sed ex delicto: quia culpa mortalis casum præcessit.

XXIV. Qui somno, vel furore correptus alterum occidit, aut etiam qui mentis compos violentum aggressorem interemit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non valens per fugam evadere, hic neque lethali culpâ, neque irregularitate obstringitur. Clement. unica de homicid. Disputatur de eo qui alterum occidit invasorem alienæ vitæ, ut patris, filii, fratris, uxoris, non valens aliter succurrere periclitantibus. Fieri hunc irregularem affirmat Gloss. in d. Clement. unica de homicid. in verb. *Suam*: & Sylvester verb. *Homicidium* 1. n. 13. Martinus Navarra cap. 27. n. 237. Negant verò recentiores, Covarruvias, Petrus Navarra, Lessius, Suarez, Bonacina, Filliucius, Coninch de Sacram. tom. 2. disp. 18. dub. 9. num. 77. & seqq. hac ratione, quia nullo jure generatim statuitur, illum esse irregularem qui quacumque actione hominem occidit; sed eum qui hoc facit aut cum peccato mortali, aut sine peccato quidem mortali, sed tamen planè voluntariè, ut sunt Judices, milites, qui omnes publica freti sunt authoritate. Privata verò, atque involuntaria homicidia non subduntur irregularitati, nisi casum lethalis culpa præcesserit, d. cap. *Ex literis*, il 1. de homicid.

CAPUT XX.

De irregularitatibus ex delicto.

I. AD incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur juxta æquiorem & communiorem Doctorum sententiam mortale peccatum. Navarra cap. 27. num. 252. & 253. Suarez, Avila, Sotus & alii. Ratio est, quia pœna debet habere cum delicto proportionem, cap. *Felicis*, de pœnis in 6. Cùm ergo irregularitas ex delicto nascens sit gravissima pœna, non debet incurri nisi per grave delictum, & non per veniale. Si ergo contingat aliquem in delicto cui Jus pœnam imposuit irregularitatis, non plus peccasse quàm venialiter, sive ex subreptione, sive ex imprudentia, aut ignorantia tantùm veniali, aut ex oblivione, ita ut non adhibita fuerit sufficiens deliberatio, ille quanvis in externo foro haberi possit pro irregulari, non tamen in foro conscientiæ, poteritque sua Beneficia retinere, fructusque percipere, & ad alios Ordines aspirare sine dispensatione, modò nihil inde oriatur scandali.

II. Requiritur secundò actus externus consummatus. Canon quippe ipsum factum requirit, non solam voluntatem, can. ult. 15. q. 1.

III. Infamiam collocari mos est inter delictorum irregularitates, quanvis aliquando contingat eam contrahi sine delicto vero, sed solum putativo & præsumpto: & innocens qui per falsas probationes aut præsumptiones condemnatus in judicio fuit, tenetur se purgare, alioqui judicatur incapax Ordinis, Beneficiorum, & jurisdictionis, 2. quæst. 5. per totam, & toto tit. de purgat. canon. Est porrò duplex infamia: una juris, alia facti; & utramque irregularitas comitatur, can. *Infames*, 6. quæst. 1. Infamia juris inducitur quidem ab ipso jure, sed dependenter à sententia declaratoria criminis, ut pra[illegible]e disputat & docet Vasquez 2. 2. q. 173. cap. 1. adversùs opinantes [illegible]a requiri sententiam Judicis in delictis quibus lex infamiæ pœnam imponit, modò sint notoria. Infamiam facti eam dicimus quam gravia delicta proprio authori inurunt, ex quo satis notoria evaserunt. Infamia facti tollitur per morum notoriam emendationem; sed non infamia juris, nisi accedat vel Apostolica dispensatio, vel canonica purgatio.

IV. Ex delicto irregularitas multimodè incurritur. Primò per hæresim, vel apostasiam à Fide, can. *Qui in aliquo*, dist. 51. can. *Qui bis*, de consecr. dist. 4. adeo ut filii quoque hæreticorum (nisi constet parentes ante mortem conversos fuisse) sint irregulares, cap. *Statutum*, de hæret. ubi hæc verba sunt: *Qui tales esse, vel decessisse probantur.* Unde colligitur oppositum, si tales non decesserint. 2. Ex illicita mutilatione, vel homicidio. 3. Ex indebita Ordinis sacri susceptione, vel exercitio, in illis nimirum qui censurâ aliquâ astricti sacros Ordines susceperunt, vel exercuerunt, cap. *Cùm illorum*, de sent. excom. & toto tit. de cler. excom. depos. vel interd. minist. & can. *Si quis Episcopus*, 6. & 7. causæ 11. q. 3. Præterea qui Ordinem quo caret, solenniter celebrat, deponitur, & est irregularis, cap. 1. & 2. de cler. non ordin. minist. Laïcus verò cantans in Missa Epistolam etiam cum dalmatica, sed sine manipulo, non contrahit irregularitatem. Covarruvias in Clement. de homic. p. 1. §. 1. in initio: Suarez disp. 40. sect. 2. num. 11. Coninch disp. 18. dub. 6. num. 46. Præterea qui Baptismum iterat fit irregularis, cap. 2. de apostat.

V. Denique præcipuam ex delicto irregularitatem producit homicidii crimen, tam ex parte mandantis & consulentis, quàm ex parte exequentis, si factum sequatur. Hoc tamen discrimen inter mandantem & consulentem assignant Doctores, ut is qui mandavit, revocato ante factum suo mandato non amplius sit irregularitati obnoxius, tametsi mandatarius post mandati revocationem exequatur demandatum homicidium; consulens verò non sit immunis ab ista & aliis canonicis pœnis, etiamsi consilium revocaverit & pro viribus dissuaserit, si is qui consilium accepit fuerit delictum exequutus postquam ei fuit intimata revocatio consilii.

Ita

Ita communiter Doctores, hujus diversitatis hanc rationem adducentes, quia mandatum fit in ipsius mandantis commodum & gratiam; consilium verò dirigitur in gratiam & commodum ejus cui datur: ideoque is qui dat consilium non censetur suasionis suæ influxum revocare, nisi is cui, & cujus commodo consilium datum est destiterit velle consilium sibi datum exequi. Dispositio enim ejus quod nostra interest, nostro subest, & non alieno arbitrio. Quâ eadem ratione sufficit mandanti suum revocasse mandatum, quod in ejus commodum refertur: ideoque si post revocationem mandatarius velit illud exequi, non id tribuetur influxui præcedentis mandati, sed propriæ ejus qui exequitur malitiæ. Ideoque mandans post revocationem opportunam non tenebitur canonicis pœnis, neque obligatione damna quæ mandatarius intulerit resarciendi.

VI. Qui abortum procurat postquam fœtus animatus est, homicida existit, simul & irregularis: secus autem si fiat abortus ante animationem. Licèt autem incompertus sit dies quo fœtus animari incipit, tamen existimatur communiter animam masculino fœtui infundi quadragesimo die, fœminino autem post dies octoginta, juxta Levit. 12. ut annotat Glossa recepta Summæ, verb. *Quadraginta*, dist. 5. Ideoque abortus crimen non habetur pro homicidio ante diem quadragesimum.

*VII. Sed jam graves occurrentes circa abortum difficultates compellunt ut pleniorem de illo notitiam tradamus. Quæstio ventilatur, utrum ad servandam prægnantis matris vitam liceat ei pharmacum præbere, ex quo fœtus quem utero gerit, metus sit ne moriatur? Admittitur passim distinctio S. Antonini part. 3. tit. 7. cap. 2. §. 2. cujus authorem refert Joannem Neapolitanum: Si id fiat ad prægnantem morte liberandam dum periclitatur in puerperio, tunc secundùm Joannem quodlibeto 10. distinguendum esse. Si enim est fœtus animatus, tunc Medicus directè se homicidii reum constituit coram Deo. Refert verò S. Cyrillus Alexandrinus ex sapientum, ut ait, judicio fœtum humanum masculinum vix animâ informari die à conceptu quadragesimo; si autem fœmina futura sit, non nisi octogesimo post conceptionem die. Ita Cyrillus lib. 15. de adorat. in spir. & verit. Idque colligi solet ex diebus purificationis computatis Levit. 12. Sed ea conjectura non est planè certa. Hippocrates quidem lib. de natura fœtus, num. 10. ex motus experientia, quem prægnantes in utero sentiunt, si fœtus sit masculinus, refert ut tardissimè conformari die trigesimo; si autem fœmininus, ut tardissimè die à conceptu quadragesimo secundo. Id pariter probat ex temporibus quibus menstrua in mulieribus fœtis redeunt post partum. Sed cùm incertum sit de fœtus informatione, seu animatione (longè enim diversæ res sunt conformatio & informatio fœtus) incertumque pariter maneat, utrum intercedant dies aliquot à perfecta formatione, donec partus fortasse vitâ vivens vegetativâ magis confirmetur, & ut embryon ad animam rationalem plenius disponatur; certè

certè res in incerto admodum nutat. Stat autem veritas inconcussa, prohibitum omninò esse homicidium innocentis, præcipuè verò si periclitatur fœtus de vita æterna, si ante Baptismum extinguatur. Porrò unusquisque tenetur æternæ saluti partus magis quàm prægnantis incolumitati, aut etiam propriæ vitæ consulere.

VIII. Quin etiam ubi exploratum esset, fœtum non esse animatum, urgeret adhuc gravis difficultas, num liceat embryonem nondum viventem disperdere? Potest quidem & debet sapiens Medicus pharmacum prægnanti præbere, quod matris vitam, si fieri potest, conservet; sed quod embryonem non extinguat: neque fas est abortum matris procurare ad hunc finem, ut ejus aut vita, aut fama in tuto sint, ne admittatur innocentis homicidium & æterna gratiæ privatio. Antonini quidem distinctionem allegant & probant Sylvester verbo *Medicus*, quæst. 4. Fumus seu Armilla verbo *Abortus*, num. . Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 20. num. 6. & 10. Navarra cap. 105. num. 62. melius judicantes extinguere fœtum nondum animatum quàm matrem viventem. Sed obsistit Apostolus dicens non esse facienda mala ad bonum finem: & aliunde consentiunt Catholici Doctores, non posse intendi aut procurari pollutionem etiam ad conservandam vitam, utendo pharmaco aut talibus cibis, ex quibus futura putetur. At verò abortus procuratus majorem habet mali speciem quàm pollutio, quæ est destructio unius tantùm seminis; abortus autem destruit duorum seminum conjunctionem, quæ propterea propiùs ordinatur ad hominis productionem quàm simplex semen. Igitur solicitior debet esse cautio circa abortum quàm circa pollutionem. Confirmatur his Tertulliani verbis in Apologet. cap. 9. *Nobis homicidio semper interdicitur, & etiam conceptum in utero dissolvere, dum adhuc sanguis in hominem delibatur. Homicidii festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, aut disturbet nascentem. Homo est qui futurus est; nam fructus in semine est.* Præterea caput *Si quis*, de homic. ait eum qui fecerit ut fœmina non possit concipere, aut nasci soboles, teneri pro homicida. Vide præterea legem *Si quis aliquid* 38. §. *Qui abortionis*, D. de pœnis. His adducti rationibus Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, parte 2. §. 3. num. 1. Petrus Navarra lib. 2. cap. 3. n. 140. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 10. hanc directam intentionem de abortu inanimato unanimes damnant ut prohibitam divino & naturali jure: sed in fœtu animato, quocumque prætextu intendatur, detestantur. Salus enim animæ propriæ vitæ corporeæ indubiè præferenda est.]

IX. Circa irregularitatem ex mutilationis membri delicto nascentem communis doctrina est, nomine membri comprehendi partem quæ per se habet distinctum & completum in corpore officium, qualis manus, aut pes; non verò digitos, aures, nares. Ita M. Navarra, Covarruvias, Suarez, Henriquez, Avila, ac ferè omnes adversùs Caietanum & Sotum, qui membrum hoc loco intelligendum volunt omnem partem ad corporis organici

organici integritatem pertinentem. Ad mutilationem de qua hîc agitur, non sufficit aliquem ita cædere, aut torquere, ut aliquod membrum reddatur inutile, nisi abscindatur, aut ita tabescat, ut amputari necesse sit. Soto lib. 5. de justitia, q. 2. art. 1. Navarra cap. 27. num. 223. Suarez, Avila, Coninch.

X. Quæres, utrum casuale homicidium pariat irregularitatem? Est verò casuale illud quod ex aliquo facto nascitur præter agentis intentionem. Respondemus, casuale homicidium, ubi lata culpa, hoc est cum mortali peccato conjuncta, præcessit casum, parere irregularitatem, si scilicet negligentia mortalis in eo casu præveniendo & impediendo intervenerit, ut liquet ex cap. fin. de homicid. in 6. Levis autem culpa, seu venialis negligentia non sufficit; nam ut antea ostendimus, irregularitas ex delicto præsupponit mortale peccatum. Idque ulteriùs ex hoc probatur, quia decernitur in cap. *Quæsitum*, de pœnit. parentes qui noctu inter dormiendum infantem oppressérunt, non esse irregulares, quanvis id aliquâ eorum incuriâ, quibus pœnitentia imponitur, acciderit, *nisi* (inquit) *ea negligentia fuerit studiosa.*

XI. Quando verò ex opere mortaliter illicito sequitur casuale homicidium, diversimodè sentiunt Doctores, Sylvester enim verb. *Homicidium*, num. 2. Cajetanus 2.2. q. 64. art. 8. & alii nonnulli censent locum tunc esse irregularitati; ut si quis alium in ebrietate occiderit. Negant verò Sotus lib. 5. de just. quæst. 1. art. 9. Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, p. 2. §. 4. num. 9. & 10. Henriquez lib. 14. cap. 15. num. 1. Navarra cap. 27. n. 230. Avila part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. §. *Hinc sequitur*, Coninch disp. 18. dub. 9. n. 80. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3. ad 5. speciem, aliique. Qui tamen concedunt ex hujusmodi actu illicito emergere irregularitatem casualis & non intenti homicidii, si actus prohibitus involvebat in se periculum homicidii, ut est hastiludium. Nam alioqui dici homicidium voluntarium non posset, nisi maximè impropriè ac remotissimè. Itaque is qui temulentus hominem occidisset, aut qui telo intendens occidere equum inimici, hominem ibi latentem occidisset, non ligaretur irregularitate homicidii.

XII. Missam celebrans in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato vitando, nequaquam est irregularis, cùm id nullus Canon decernat. Sed qui scienter in loco interdicto celebrat, fit irregularis; quisquis enim per Ordinis exercitium violat aliquam censuram Ecclesiæ, in irregularitatem cadit, cap. *Is qui in Ecclesia*, 18. de sent. excom. in 6.

XIII. Iteratio Confirmationis, vel Ordinis nullam inducit irregularitatem, quanvis aliqui contrarium doceant. Id enim proprium est solius iterationis Baptismi, cap. 2. de apostat. Pœnæ enim non sunt ampliandæ ultra Canonum præscripta, sed potiùs restringendæ, utputà odiosæ, cap.

Odia, de reg. jur. in 6. Nec admitti debet in his ratio à pari, inquit Bonacina. Et ratio quoque disparitatis hæc adduci potest, quia solus Baptismus est Ecclesiæ janua, & ad reliqua Sacramenta introductio. Igitur iteratione Baptismi major injuria Ecclesiæ irrogatur, quàm iteratione cæterorum Sacramentorum. Qui enim baptizatur, ipso actu protestatur se non fuisse hactenus Ecclesiæ subditum, aut ejus legibus adstrictum.

XIV. Quæritur an qui dubitat se aliquid fecisse ex quo nascitur irregularitas, habendus sit pro irregulari? Æquitati consentanea & communis assertio est, non esse pro irregulari habendum in aliis facti dubiis, solo excepto dubio homicidii. Ratio est, quia ut dixi, odia sunt restringenda potiùs quàm extendenda; & quia cùm sunt partium jura obscura, reus potiùs favendum est quàm actori, cap. *Cùm sunt*, de regul. jur. in 6. Ratio verò cur hinc excludamus dubium facti homicidii, fundatur in dispositione Canonum ita statuentium, cap. *Ad audientiam*, cap. *Significasti*, il. §. *Quod si*, de homicid. Idque peræquè obtinet tam in homicidio irregularitatem ex defectu inducente, quàm in homicidio cum delicto. Et probatur ex cap. *Petitio tua*, de homicid. ubi dubitanti Presbytero, num in defensione Castri quod Infideles vi & armis adorti erant, aliquem de Infidelium aggressoribus occidisset, jubetur ut ab Altaris ministerio abstineat.

XV. Ex his sequitur, Medicum qui cum rationabili fundamento suspicatur ægrotum suâ mortali culpâ interiisse, non posse citra dispensationem ordinari. Item neque eum qui cùm abortum procuraverit & fecerit, dubius est utrum fœtus esset animatus. Similiter eum qui postquam consilium dedit homicidii, dubitat utrum consilium suum efficaciter in hoc malum influxerit.

XVI. Sanè communis est Canonistarum sententia, dubium facti homicidii non esse spoliandum propriis Beneficiis. Etenim d. cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti*, de homicid. non longiùs extendit effectus hujusce dubiæ irregularitatis, quàm ad cessationem à sacro ministerio. Suarez disput. 40. sect. 6. num. 6. Bonacina disput. 7. quæst. 1. puncto 5. num. 8.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Ecclesiarum consecratione, pollutione, seu profanatione, & reconciliatione.

1. DIscussis personarum Ecclesiasticarum canonicis inhabilitatibus, reliquum est ut defectus circa loca sacra, Ecclesias & Cœmeteria occurrentes exploremus, & occurrentes in hac re quæstiones diluamus. In primis hoc sciendum, Ecclesiam ædificare neminem posse sine assensu Episcopi, cujus est locum ædificationis assignare, dotationem ad ministerium & ad reparationes necessarias præscribere, Crucem figere, lapidem primarium collocare, cap. *Nemo Ecclesiam*, de consecrat. dist. 1. Potest tamen lapidis primarii positionem delegare alteri, juxta Gloss. ibid.

II. Is qui Ecclesiam ædificat, tenetur eam dotare sufficienter pro ministrorum stipendio, pro necessariis ornamentis providendis, pro sartis tectis, pro juribus Episcopalibus exsolvendis. Et permittens Episcopus indotatam construi, tenetur ex propriis dotare, cap. *Cùm sicut*, juncta Glossa, de consecrat. Eccles. & ibidem Abbas num. 3.

III. Ædificata Ecclesia vel benedicitur per Episcopum, vel per delegatum ab Episcopo Sacerdotem, vel consecratur: sed consecratio ista fieri non potest nisi ab Episcopo, sive Diœcesano, sive quem Diœcesanus commiserit ad id munus; nullatenus verò à simplici Sacerdote, cap. *Cùm aqua*, de consecrat. Eccles. Ostiensis ibid. in summa, num. 2. Abbas ibid. num. 2. At verò semel consecrata Ecclesia non potest denuò consecrari, nisi occurrente aliquo ex sequentibus casibus.

IV. Primus est, si dubitetur an fuerit consecrata, cap. *Ecclesiæ*, de consecr. dist. 1. Creditur autem unius testis probi & honesti assertioni, sive de visu, sive de certo auditu: vel si aliqua ejus rei nota appareat in Ecclesiæ libris, vel in pariete, vel in columna, præsumitur olim consecrata, can. *Solennitates*, juncta Glossa in verb. *Scriptura*, de consecr. dist. 1. Speculator tit. de probationibus, §. *Videndum*, vers. *Non per libros*: Abbas in cap. *Proposuisti*, num. 6. de consecr. Eccles. sufficitque ad hoc semiplena probatio, si nemini nascatur inde præjudicium. Innocentius in cap. 1. de consecr. Eccles.

V. Secundus est, ubi parietes incendio absumpti fuerunt, aut diruti, sive in totum, sive majori ex parte, can. *Ecclesiis*, dist. 1. de consecr. Si

tamen solum tectum combustum, vel dirutum fuerit, aut etiam modica pars parietum, non reconsecratur, can. *De fabrica*, de consecr. dist. 1. cap. *Proposuisti*, juncta Glossa, de consecr. Eccles. Quod totum dependere ex judicio Episcopi docet Ostiensis in Summa de consecr. Eccles. num. 5.

VI. Tertius contingit in Ecclesia quæ fuerit ab Episcopo hæretico consecrata, can. *Ecclesias*, & can. *Arianorum*, de consecr. dist. 1. Quem casum extendit communis sententia ad quemcunque Episcopum publicè excommunicatum propter aliud quodvis delictum.

VII. Quartus, si sepeliatur in Ecclesia (idemque asserendum de Cœmeterio) paganus, vel hæreticus, vel excommunicatus notorius: non potest autem aliter reconciliari nisi cadavere exhumato, si discerni queat, can. *Ecclesiam*, de consecrat. dist. 1. Ostiensis loco cit. num. 7. Censent tamen aliqui cum Bonacina circa finem tractatus de Matrimonio, non pollui Ecclesiam, vel Cœmeterium per sepulturam hominis catholici, qui fuerit ob aliud aliquod delictum excommunicatus, modò non fuerit publicè denunciatus hac ratione, quia post Extravag. *Ad evitanda*, non tenentur Fideles ejusmodi excommunicatos devitare.

VIII. Quintus, si in Ecclesia, vel Cœmeterio fuerit voluntariè effusum humanum semen, etiamsi contigerit ex copula intèr conjuges habita, cap. fin. de consecr. Eccl. Ostiensis ibid. in Summa.

IX. Sextus per injuriosam humani sanguinis effusionem, aut per homicidium, licèt factum sine effuso sanguine, ut per venenum, aut strangulationem, cap. unic. de consecr. Eccles. in 6. Vox *injuriosam*, excludit homicidium, aut sanguinis effusionem fortuitam, ut ht in casu lapidis, aut ligni supra hominis caput. Itemque hominis aggressoris occisionem, aut cruentum vulnus cum inculpata tutela, aut vulnus inflictum per hominem furiosum, seu mente captum. Vox quoque *effusio*, copiam denotat. Si ergo modicus sanguis fusus sit ex injuriosa percussione, locus sacer non polluitur. Joan. Deselva 1. p. de Beneficiis, q. 5. Navarra cap. 27. n. 265. Armilla verb. *Consecratio Ecclesiæ*: & apertè decernitur cap. *Cùm illorum*, juncta Gloss. de sent. excom. Imò Graffius lib. 2. cap. 48. Coninch, & plerique alii dicunt, non sufficere sanguinis ex naso effusionem illam quæ solet accidere in rixa puerorum.

X. Necesse est autem ad hujus pollutionis effectum, ut vulnus receptum fuerit in loco sacro: si enim aliquis existens intra sacrum locum jactus injurioso teli alterum foris existentem vulneret aut interimat, non inde polluitur locus sacer, licèt vulneratus accepto vulnere ingrediatur Ecclesiam, vel Cœmeterium, ibique sanguinem effundat. Ex adverso polluitur sacer locus, si vulnere ibi accepto saucius foras egrediatur, nec nisi post egressionem sanguinem effundat. Bonacina, aliique communiter,

niter. Sufficit enim quod quis percussionem passus sit dum erat in loco sacro.

XI. Nullatenus requiritur sacri loci reconciliatio, si ejus profanatio non sit publicè notoria, etsi posset per duos, aut tres testes probari. Abbas in cap. *Significasti*, num. 2. de adulter. Ostiensis, Armilla, Navarra loc. cit.

XII. Non est opus reconciliatione, si pollutio contigerit extra spatium murorum Ecclesiæ, vel Chori, vel adjunctarum Capellarum, quæ quidem censendæ sunt partes corporis Ecclesiæ. Non ergo requiritur reconciliatio, si contigerit pollutio intra sacristiam, vel campanile, vel supra tectum Ecclesiæ, vel in subterraneo specu, nisi foret specus ad sepulturam. Navar. & Graffius loc. cit. Suarez tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 9. num. 7.

XIII. Post notoriam sacri loci pollutionem nefas est, donec reconciliatus fuerit, Divina Officia in eo peragere, aut mortuum sepelire. Sacerdos autem quo sacrum faciente contigerit Ecclesiam violari, si nondum inchoaverit sacrum Canonem, debet Missam inchoatam intermittere. At si sacrum Canonem jam inchoaverat, prosequi Missam debet usque ad finem. Jam enim hostia proximè præparari cœpit ad consecrationem, ut docent prælegati, aliique communiter Doctores.

XIV. Polluta etiam consecrata Ecclesia, potest ex permissu Episcopi, aut ejus Vicarii ablui aquâ benedictâ per Sacerdotem, adhibitis ordinariis benedictionum precibus, & postea intra eam Divina Officia celebrari, donec per Episcopum consecretur. Si verò Ecclesia tantùm benedicta, nec consecrata polluatur, sufficit ejus ordinaria reconciliatio per simplicem Sacerdotem cum Ordinarii venia, cap. fin. de consecr. Eccles. juncta Gloss. Armilla loc. cit. num. 2. Piasecius praxis Episcopalis p. 1. cap. 2. art. 4. num. 7. Bonacina de Sacram. Matrimon. ad fin.

XV. Denique pollutâ Ecclesiâ polluitur simul contiguum eidem Cœmeterium, sed non remotum. At è converso pollutione Cœmeterii non polluitur contigua Ecclesia. Verùm polluto uno Cœmeterio, nequaquam polluitur aliud, quanvis contiguum Cœmeterium, etiamsi ab uno esset ad alterum accessus per intermediam portam, cap. unico, de consecr. Ecclesiar. in 6.

* XVI. Intra Ecclesiam consecratam die quodam festo, & titulari ejusdem Ecclesiæ, suborta gravis est rixa inter duas ex plebe mulierculas, quarum una in æmulam irruens jugulum illius adeò violenter suis manibus pressit, ut illa in humum cadens animi deliquium passa sit, respiratione interdicta, alienisque brachiis in vicinam transportata domum. Rogati Medici invisunt decumbentem ægram, scriptoque attestantur eam de vita periclitari. Vacante tunc Episcopali Sede tota jurisdictio penes Capi-

tulum erat Cathedrale ejusque Vicarium. Ab his meum rogatus judicium scripto respondi, nihil certi constare de Ecclesiæ pollutione: cùm enim nulla facta fuisset sanguinis effusio, solaque pollutionis causa quæ restare poterat, in languentis mulieris interitu, qui dubius adhuc & incertus erat, sita esset, nemo quidquam de pollutione asserere vel negare poterat, dum eventus mortis in ambiguo erat. Verumtamen ad futuram præcautionem jàm in præsenti cessandum esse illic à Divinis, & abstinendum pariter à loci reconciliatione præsenti, aut reconsecratione, quæ futuræ prorsus erant inutiles & supervacaneæ, qualiscumque successurus erat eventus sive mortis sive reconvalescentiæ. Si enim mors interveniret, eo duntaxat momento, & non antè, pollutio eventura erat Ecclesiæ, atque ita necessitas incumbebat iterandi præcedentem & inopportunam Ecclesiæ reconciliationem, tunc temporis sacræ & impollutæ. Si verò ægra reconvalitura erat, majus nascituram deridiculum ex publica reconciliatione, aut etiam operosiore consecratione procul accersiti Episcopi ad consecrandum locum ritè jamdudum consecratum. Illa igitur mentibus insedit melior sententia, præter Divini Officii cessationem præsentem nihil interim esse moliendum, paucisque diebus rescìri posse quid tandem de ægra muliere sit eventurum: si moriatur, reconciliandam esse pollutam Ecclesiam sine mora per aquam benedictam à Vicario Generali, aut à Sacerdote, quem ad hoc placuerit delegare, juxta cap. ult. de consecr. Eccles. ne diutiùs intermittatur Divinus in ea cultus. Interim verò de consensu Capituli rogandus erit ex vicinioribus Episcopus, ut quamprimùm commodè poterit in civitatem accedat ad Ecclesiæ consecrationem, communicata utrobique potestate, Vicarii quidem Generalis jurisdictione, sine qua non potest Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exercere; & Episcopalis ordinis ac Pontificii jure, quo utplurimùm privatus est Vicarius, reque ipsa caret, quanquam illius characteris meritissimus, Massilienses Ecclesiæ Vicarius.]

CAPUT

*CAPUT XXII.

Responsum Authoris ad Consultationem remotæ cujusdam provinciæ Archiepiscopi, de pœnis canonicis refractario cuidam Clerico debitis.

I. CONVICTUS erat contumax remotæ provinciæ Clericus duplicis sacrorum Canonum transgressionis. Prima transgressio erat in crimine susceptorum sacrorum Ordinum de manu alieni cujusdam Episcopi sine ullis proprii Episcopi Dimissoriis ac testimonialibus literis. Alteram huic priori transgressionem protervus Clericus addiderat non tantùm Missam indebitè susceptam celebrando invito proprio Antistite, verùm etiam resignationem curati cujusdam Beneficii in sui favorem in Romana Curia factam suscipiendo; & quod deterius est, inconsulto Episcopo, ad quem ex Papæ rescripto remittebatur examinandus, ejusdem Beneficii possessionem privata authoritate ineundo; sed & insuper, quod dererrimum est, Curam ipsam exercendo, & Sacramenta Parochianis administrando, injussu Diœcesani, quem ne quidem dignatus est convenire: ac proinde sine ulla sui præsentatione, sine Signaturæ aut Literarum exhibitione, quæ *Visa* vulgò dicitur; sine examine, sine Fidei professione, sine præscripta forma & provisione Curatum Beneficium usurpavit. Hîc duo discutiendi concurrentes in illo Clerico defectus, quorum primus ejus Ordinationes afficit; secundus verò illius, quam indebitè occupat, Curæ invasionem.

De primo defectu circa Ordinationes.

II. Quod attinet ad priorem defectum responsio nostra fuit, non potuisse Clericum sine Dimissoriis ordinari, nisi cum sacrilegii crimine, eumdémque ipso jure ab Ordinibus sacrilegè susceptis exercendis prohibitum & suspensum, eodem momento quo exercere ausus est, irregularitatis pœnæ se subjecisse, & præfractè continuando nova in discrimina incidisse, novasque censuras in suum caput accumulasse. Hoc primum sacrilegæ Ordinationis genus discutiendum est.

III. Paulus Apostolus ad Timotheum Ephesinæ urbis Episcopum scribens, illum his verbis admonet: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Timoth. 5. Præceptionem istam Apostolicam

licam Sanctus Leo Pontifex epist. 87. aliàs 1. ad Africanos, sic exclamat: *Quid est citò manus imponere, nisi ante maturitatis ætatem, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? Sicut enim bonis operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium: ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.*

IV. Decreti Gratiani visenda est tota distinctio 71. in qua congestæ leguntur multæ alienum ordinandi subditum prohibitiones, non munitum proprii Formatis Episcopi, seu Dimissoriis literis. Inter has reperitur Concilii generalis Sardicensis can. 2. sanctio, quâ talis Ordinatio irrita, nullaque decernitur: quæ nullitas eo sensu accipienda est, ut sit suspensio ab exercitio sic recepti Ordinis quanto tempore proprio Episcopo visum fuerit; Ordinator autem sit integro anno ab Ordinum collatione suspensus. Eædem pœnæ renovantur à duobus subsequentibus œcumenicis Conciliis, scilicet Lugdunensi II. sub Gregorio X. & refertur in cap. *Eos qui*, de tempor. ordin. in 6. deinde à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. de reform. ubi statuitur quotiescumque quis facultatem accipit Ordines ab alieno Antistite recipiendi, haud aliter id esse licitum, nisi ordinatori fuerint prius exhibitæ literæ testimoniales proprii Episcopi de vita, moribus & idoneitate ordinandi. Idemque Tridentinum sess. 23. cap. 8. de reform. his verbis decernit: *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, seu specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum exequutione quamdiu proprio Ordinario videbitur, sit suspensus.* Hæ porrò suspensiones, tam ordinatoris quàm ordinati, statim ipso facto incurruntur: si autem his vel unico Ordinis exercitio derogent suspensi, statim accedit irregularitatis pœna, quæ si occulta sit, potest ex Tridentini Concilii concessione auferri à proprio Episcopo: si verò in notitiam aliorum devenerit, recurrendum est ad summi Pontificis dispensationem. De hac irregularitate ex violata per Ordinis indebitè collati aut suscepti exercitium suspensione agunt Canonistæ inter Gallicanos Rebuffus in praxi, tit. *Formulæ dimissoriarum literarum*, num. 5. & 11. interque alienigenas Bonacina tract. de suspens. in partic. disp. 3. quæst. 1. puncto 11. num. 28. conformiter ad Trident. sess. 24. cap. 6. de reform. At verò Clericus iste multoties, & pluribus in Ordinibus & Sacramentis suspensiones quibus ligatus erat, publicè infregit: consequens igitur est, ut non ei sufficiat dispensatio Episcopalis, sed Papalis insuper requiratur.

V. Ad

V. Ad istud quoque delictum pertinet Decretalium titulus, *De clerico excommunicato, depositio vel interdicto ministrante:* cujus cap. 2. sancitur, Clericum suspensum, si celebret, nec desistat admonitus, esse excommunicandum; & si ulteriùs non desistat, esse judicio tradendum sæculari, ut saltem exilio damnetur: non enim intendit Ecclesia pœnam sanguinis apud laïcos Judices, neque ipsi permittitur quemquam exilio punire. Cætera sub eodem titulo capita jubent talem excommunicari, & ab officio beneficioque deponi. Eódem spectat titulus, *De eo qui furtivè Ordinem suscepit*, qualis est præsens Clericus: subjecta huic titulo capita reum talem vetant in Ordine furtivè suscepto ministrare, aut in superioribus ordinari, nisi postquam intra monasterium convenientem egerit pœnitentiam. Quin etiam de Presbyteris alienæ Diœcesis non recipiendis sine proprii Episcopi literis commendatitiis sanxit jam pridem Concilium Cabilonense II. anni 813. can. 41. Fuerat verò idem constitutum in Laodiceno Concilio can. 41. & 42. & in Concilio Andegavensi can. 5. Quinimò excommunicantur Clerici qui sine Antistitis sui testimonialibus literis peregrè proficiscuntur, Concilii Agathensis can. 52.

De altero defectu circa invasionem Curæ Parochialis.

VI. Jam verò ad alterum Clerici hujus delictum de suscepto indebitè Curato Beneficio progrediendum. Reus iste nullo penitus jure vel titulo nititur, sed sola invasione sese intrusit. Rescriptum quippe Pontificis ad proprium dirigebatur Ordinarium, qui judicaret, an talis Clericus esset peritiâ, famâ, moribusque satis idoneus ad curam animarum capessendam; illum sedulò examinaret, atque re solicitè explorata, vel repelleret, vel admitteret postulantem. At ille præter omne officium neque se, neque Papæ Literas Episcopo suo dignatus est exhibere, illoque inscio se in Parochiæ possessionem intrusit. Ullusne est usque adeò inscius Clericus, ut primam Juris Canonici regulam ignoret, *Beneficium Ecclesiasticum non potest sine canonica institutione possideri*, cap. 1. de regul. jur. in 6. & ad quamcunque Beneficii institutionem necessariam esse proprii Episcopi provisionem, cap. *Omnes Basilicæ*, cap. *Nullus omninò*, cap. *Decernimus*, 16. q. 7. & cap. *Ex frequentibus*, de institut.

VII. Constantissima est Juris ubique recepti regula, neque per Signaturas, neque per Pontificia rescripta de providendo, neque per Romanæ Curiæ expeditiones conferri actu ipso Beneficia Ecclesiastica, sed per hæc solummodò remitti impetratorem ad Episcopum judicaturum per inquisitiones & examina de capacitate, vel incapacitate supplicis, ut si dignum agnoverit provideat, sin minùs expellat ab expetito Beneficio. Hæc agendi forma ubique recepta, in Gallia quoque strictiùs observatur & commendatur, additis ad sacros Canones conformibus etiam Regum

Edictis, quale est Henrici III. Galliæ Regis in Comitiis Blesensibus, art. 12. ubi statuitur ad percipiendum effectum Signaturarum & Provisionum Romanæ Curiæ, mandatorumque Apostolicorum, nequaquam sufficere obtinuisse *Visa*, & consensum Ordinarii; sed requiri præterea ejusdem Ordinarii scriptam attestationem de facto examine impetrantis, in quo constitit ipsum esse ejusdem Beneficii capacem & idoneum. Idque Jus inviolatè observatur in omnibus Galliarum Tribunalibus, ut testatur Oliva in Tolosano Senatu Regius Consiliarius lib. 1. quæstionum & decisionum, cap. 16.

VIII. De facto itaque constat Clericum reum Ordines suscepisse sine ullis Diœcesani literis vel consensu, eundemque novo ausu & attentatu in Curati Beneficii possessionem, irrequisito proprio Episcopo se intrusisse. De Jure similiter constat eundem à prædictorum Ordinum exercitio suspensum, per eorundem exercitium in canonicam irregularitatem incidisse, & in ea ultra annum pertinaciter inhæsisse, ac necdum necessariam a Summo Pontifice dispensationem, neque absolutionem impetrasse. Constat quoque omnem hominem suspensione ligatum, esse quorumcunque Beneficiorum incapacem de novo acquirendorum, quandiu non est ab irregularitate dispensatus, can. *Nos in hominem*, 9. quæst. 1. & cap. *Cùm dilectus*, de consuet. cap. *Cùm inter R.* & cap. *Per inquisitionem*, de elect. cap. *Pastoralis*, §. *Verùm*, de appellat. & cap. *Bona*, de ætat. & qualit. ordinand. Atque in universum quisquis per exercitium sacri Ordinis Ecclesiasticam censuram supergreditur, id est excommunicationem, suspensionem vel interdictum, ipso actu redditur irregularis & ad Beneficium ineligibilis, ut extricari hoc vinculo non possit, nisi per Supremam Sedem relaxetur, cap. *Apostolicæ*, de Cler. excom. ministr. & cap. *Eos qui in Ecclesia*, §. *Is verò*, de sent. excom. in 6. At in horum Canonum despectum multiplici suspensione irretitus multoties Sacra celebravit, quin etiam Beneficium animarum curam habens propria authoritate arripuit, passimque Sacramenta quævis quasi suis Parochianis ministravit absque ulla canonica provisione: neque per ostium legitimæ vocationis ingressus est in ovile Christi, sed quasi fur & latro ascendit aliunde. Joan. 10.

IX. Ecclesiæ Christi nihil potest accidere perniciosius ejusmodi luporum invasione, qui assumpto Pastorum nomine gregem Christi dispergunt, devorant & deglubunt, nisi quamcitissimè removeantur. Oraculi vice audienda sunt saluberrima Hormisdæ Romani Pontificis monita, qui primum Christianum Galliæ Regem Clodoveum à Paganismo conversum intra Ecclesiæ gremium lætanter excepit & complexus est. Mirabilis Pontifex iste epist. 25. ad universos Hispaniæ Episcopos, quanta sit adhibenda commemorat solicitudo & diligentia in electione tum eorum qui sunt sacris Ordinibus initiandi, necnon eorum qui præficiendi sunt

curæ

curæ Dominici gregis, pro cujus salute Christus Dominus Pastorum Princeps pretiosissimum sanguinem fundere, & in Cruce immolari voluit. Hæc sunt Pontificis verba: *At in Sacerdotibus ordinandis, quæ sunt præscripta, & à Patribus definita cogiteris. Qui'a sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarii Sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit Sacerdotes, quos præesse necesse est corrigendis: nec quidquam illi deesse debet personæ, penes quam est Religionis summa & substantia disciplinæ: & æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi debeat esse Pastoris. Hoc ita fiet, si non Sacerdotii gradus saltu quodam passim Laicis transferantur. Longè debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Discere quisque prius debet antequam doceat; & exemplum religiosæ conversationis de se potius aliis præstare, quàm sumere. Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo.* Istis Sancti Pontificis sententiis quasi terrificis fulminibus percellendi & arcendi sunt à Dominico ovili invasores & vastatores lupi, & avari mercenarii, quos nulla sacri gregis cura solicitat, sed sola stimulat proprii emolumenti ac temporalis commodi cupiditas.

X. His tandem sic exploratis nullitatibus & canonicis impedimentis, hujusce Tractatus conclusio formulam judicii de quo rogatus sum suppeditabit. Clericus iste reus juridicè interpellandus est, requisito Episcopali Promotore, triplici citatione, ut in propria persona coram Ordinario compareat, exhibeatque instrumenta suarum Ordinationum, & titulos ac provisiones beneficiarias Curati Beneficii quod possidet. Interrogabitur sigillatim, & respondebit in processu verbali de Dimissoriis & venia & examine proprii Episcopi, quod vocant *Forma dignum*; & ubi constiterit illum justis titulis destitui, neque posse quidquam horum exhibere, declarabitur furtivè ordinatus & provisus, atque ab Ordinum exequutione suspensus. Deinde si celebravit, aut Sacramentum aliquod administravit, declarabitur irregularis, incapax, & incompetenter in Beneficium intrusus. Eaque de causa declarabitur id Beneficium ipso jure vacans. Prohibebitur sub pœna excommunicationis Ordines exercere, aut muneribus occupatæ per eum Curæ se ingerere. Simulque providebit Ordinarius in titulum justum de eadem ista Cura idoneum aliquem Sacerdotem, qui post editam coram Prælato Fidei professionem Literis munietur provisionis, & in possessionem debitis introducetur formis. Clericus autem invasor pro reparatione tot gravium delictorum, atque in pœnitentiam in carcerem protrudetur Episcopalem, aut (quod erit utilius ipsius animæ, atque commodius) includetur ad annum, aut saltem ad semestre, intra Seminarium, ex quo non licebit ei per id tempus egredi, eique certi jejuniorum dies cum Psalmis & Litaniis præscribentur. Admonebitur & efficaciter providebitur ut à Sede Apostolica dispensationem tot censurarum & irregularitatum obtineat, & donec obtinuerit eam, simulque absolutionem, à Sacratissima Eucha-

ristia abstinebit. Postremò ad omnes expensas, & nisi gravis egestas obsti-terit, ad multam pecuniariam piis usibus applicandam condemnabitur. Solicitè in primis curandum est, ut has pœnitentias & exercitia cum debita humilitate lubens subeat cum studio propriæ emendationis; alioqui enim hæc remedia ipsius animæ & seriæ conversioni nihil prodessent, quin potius obstinatior inde prodiret.

XI. Ut a[n] nullus ambigendi relinquatur locus, sciendum est carcerem Jure C[anonico] deputari quidem ad reorum custodiam, & non in pœnam, l. 1. § [illegible] de custodia reorum, & l. *Aut damnum*, §. *Solent*, D. de pœnis. Cæterùm Jure Canonico deputatur carcer in pœnam atque in pœnitentiam, cap. *Quamvis*, de pœnis in 6.



LIBER

LIBER SEXTUS,

Theoriæ & Praxis Canonici Juris.

CAPUT PRIMUM.

Obligationes quæ restitutioni non adstringunt. Parentum & filiorum mutua officia, præcipuè circa alimenta & successiones.

1. TRactatus de contractibus & restitutionibus huic labori metam imponet. Propositum verò meum est omnia extrema, utpote vitiosa, declinare; laxiores videlicet, quæ humanis cupiditatibus nimiùm indulgent opiniones, easque pariter quæ iniquiorem rigiditatem præ se ferunt, perinde ac oppositos Charybdis & Scyllæ scopulos declinare. Commemorat Sanctus Joannes Damascenus in suo de hæresibus libro, quoddam hominum genus quod Ethicoproscoptas appellat, quos interpretari quis potest circa morum doctrinam offendentes: refertque istos vel ea quæ licita & cum laude conjuncta sunt condemnare, vel ex adverso alia quæ damnanda sunt, approbare. De quibusdam tetrici judicii viris ita scribit Sanctus Ambrosius in psal. 118. *Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei,*

sed non secundùm scientiam, statuentes duriora præcepta quæ non possit humana conditio sustinere. De aliis ex oppositò, qui pravis hominum moribus adblandiuntur, sic Deus interminatur Ezech. 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum*; hoc est, falsam illis pacem & vitam denunciabant. Quin etiam quotidiana docet experientia, eos quoque qui rigidioribus præceptionibus se addicunt, in partes laxiores protinus deflectere, quoties de re ipsorum propria agitur: tunc enim profusè blandiuntur sibi, & ipsa justitiæ regula in propria causa transiliunt; quibus convenit illud ex Evangelio: *Alligant onera importabilia, & imponunt in humeros hominum: ipsi autem nolunt ea digito movere.* Huc spectat in Decreto canon *Alligant*, 26. quæst. 7. Sollicitè porrò advertant Confessarii, ne inconsulta facilitate absolvendi confitentium injustitias ad restitutionem obligatorum foveant & demulceant, seque socios eorumdem damnationis adjungant. Sæpe namque contingit, præsertim apud magnates, ut per nimiam dilationem ac negligentiam debita solvendi suos fraudent, aut etiam ad inopiam adigant infelices creditores, aut etiam sumptuum profusione sibi adimant facultatem exsolvendi. His incorrectis deneganda est absolutio. Salubriter verò admonet S. Augustinus epist. 54. ad Macedonium, his verbis: *Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi potest, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed, ut dixi, cùm restitui potest: plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios pariendo malos, sive ipse male vivendo; nec aliud habet unde restituat. Huic certè dicere non possumus: Redde quod abstulisti, nisi quum habere credimus, & negare.* Hæc Augustinus.

II. Dispiciendum in primis de præceptis erga proximum officiis, quorum transgressio peccatum mortale operatur, sed non parit restituendi obligationem. Omnia quidem officia morum à duabus virtutibus pendent, Charitate & Justitia. Transgressio officiorum charitatis non subditur restituendi necessitati. S. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 6. & 7. Atque ita quanvis eleemosynæ præceptum obliget non rarò ad mortalem culpam, illius tamen omissio non adstringit ad restitutionem. Idemque communi consensu Doctores asserunt de violatione præceptorum ab aliis virtutibus emanantium, etiam justitiæ connexis, ut sunt religio, pietas, observantia; sed tantùm ex solius justitiæ commutativæ transgressione. Cujus discriminis rationem docet Azorius p. 3. lib. 4. cap. 11. quæst. 3. ad fin. quia, inquit, in cæteris virtutibus proximo damus id quod nostrum est; in ista verò proximo reddimus id quod suum est.

III. Inde sequitur, si defectu eleemosynæ pauper interiit, non teneri quidquam restituere illum qui peccaverat eleemosynam recusando; solam enim violavit charitatem.

IV. Item

IV. Item si contra justitiam legalem, hoc est contraveniendo legi, vel statuto id prohibenti, aliquis in aliam provinciam merces distraxit, aut vetitas merces, aut sal, aut arma prohibita vendidit, non tenetur justum pretium restituere quod lucratus est.

V. Insuper si Princeps aut Magistratus neglecto digniore contulit officium minùs digno, non tenetur digniori restituere, quia deliquit contra solam distributivam justitiam, quæ restitutioni non obligat, nisi per accidens conjungeretur huic aliqua violatio commutativæ justitiæ, qualis esset si lex aliqua, vel consuetudo existeret obligans ad conferendum digniori ad concursum accedenti pro adipiscenda Præbenda, aut Magisterio, vel Præfectura: tunc si minùs digno conferatur, exurget obligatio restituendi digniori qui fuit exclusus, non quia contra justitiam distributivam, sed quia contra commutativam peccatum fuit: quatenus lex, vel statutum, vel jus consuetudinis attribuunt digniori jus non remotum, sed proximum ad rem.

VI. Citra tamen concursum & examen nulla existit restituendi obligatio, dummodo digna persona fuerit electa. Ratio est, quia tunc dignior non habebat jus nisi remotum, solamque respiciens justitiam distributivam, juxta Sotum lib. 4. de just. quæst. 6. art. 3. ad 6. Navarram cap. 17. num. 73. Adrianum, Covarruviam, Lessium, Valentiam, & alios.

VII. Inter virtutes justitiæ annexas pietas in parentes insignem locum tenet, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 101. art. 1. Sapienter observat Philo Judæus lib. de Decalogo, Deum ideo in præceptis duarum tabularum, quarum prior cultum Dei respiciebat, secunda verò nostra erga homines officia, interposuisse præceptum de parentibus honorandis inter primam & secundam tabulam medium, atque adeo in fine ipso prioris tabulæ, τελευταῖον πρότερας τῆς πεντάδος; & hac ipsa collocatione significasse parentum conditionem nonnihil habere divinitatis, esseque intermediam quodammodo inter divinam humanamque naturam, quo magis ad eorum venerationem filii provocarentur. Honor verò parentibus exhiberi jussus ad quatuor officia redigitur, honorem, amorem, obedientiam & sustentationem. Istam explicabo; cætera enim tria officia per se clara sunt.

VIII. Tenentur ergo liberi parentibus subvenire in necessitate constitutis, si commodè illis possint subvenire, can. 1. dist. 30. & can. *Inter cætera*, 22. q. 4. & l. 1. & 2. C. de alendis liber. ac parent. Nisi sciant patrem propriis bonis, vel officio quo fungitur posse sibi consulere; tunc enim non tenetur filius ex bonis suis conferre, nisi munus illud, vel ars quam pater callet, statui ipsius dedecori esset. Navarra cap. 14. num. 13. Bonacina in Decalog. disp. 6. punct. 5. num. 2. cum aliis quos ibi citat. Adeoque certa est ista filiorum obligatio, ut teneatur filius in gravi necessitate parentum non modò abstinere ab ingressu Religionis, quanvis illam vovisset, sed etiam quanvis Religionem ingressus fuerit, exire tenetur, quanvis

parentum

parentum neceſſitas non ſit extrema, dummodo ſit gravis, ea ratione quâ filius ei non ſubveniens mortaliter peccaret exiſtens in ſeculo. Hoc docet S. Thomas 2. 2. q. 101. art. 4. cui ſubſcribunt cæteri omnes Doctores, additis duabus limitationibus, aut tribus. 1. Ut alius præſentaneus non ſit ſuccurrendi modus. 2. Ut probabile ſit parentem hac ratione adjutum iri. 3. Dummodò filius hoc ipſo non implicetur occaſione, aut periculo probabili ac urgente ſpiritualis ſalutis, dum remanet in ſeculo; quilibet enim tenetur ſalutem animæ ſuæ ſaluti corporeæ alterius præferre. His quæ de Religione relinquenda dicta ſunt favet can. 1. diſt. 30. & aperta ratio jubens ea quæ ſunt præcepti, illis præferri quæ meri conſilii ſunt, cujuſmodi ſunt vota & religioſa profeſſio.

IX. Viciſſim quoque tenentur parentes liberis de victu providere ſimili virtutis pietatis obligatione, quâ parentibus filii debent, l. fin. C. de alend. liber. Ergo liberi triennio apud matrem educandi ſunt, & poſt triennium apud patrem, l. *Nec filium*, C. de patr. poteſt. & cap. 2. de converſ. infidel. Eiſque tenetur pater alimenta præbere, hoc eſt victum, veſtitum, habitationem, aliaque ad vitam neceſſaria, ut ſunt medicamenta in infirmitate, l. *Si quis à liberis*, D. de liberis agnoſcend. & l. *Legatis*, D. de aliment. & cib. leg. & quas habet filias dotare, l. *Qui liberos*, D. de ritu nupt. & l. fin. C. de dotis promiſſione. Sed ſi pater ex inopia non queat liberos alere, tenebitur mater huic officio ſupplere, d. l. *Si quis à liberis*. In defectum autem matris id onus præſtare tenentur avi & alii aſcendentes, l. penult. D. de liber. agnoſc. Si mater intra triennium aliquid pro infante expenderit, poterit à patre repetere, l. *Nec filium*, C. de patr. poteſt. & l. *Neſennius*, D. de negot. geſt.

X. Diverſi tamen caſus occurrunt in quibus pater non tenetur filium alere, ut ſunt patris ipſius inopia ac impotentia. Item ſi bona ſufficientia ipſi filio ſuppetant. Item ſi filius artem calleat, aut officio proviſus ſit unde poſſit ſuam vitam ſuſtentare. Denique ſi filius adeo ſit ingratus, aut flagitioſus, ut ſecundùm jura exhæredari mereatur. Sylveſter verbo *Filii*, Navarra cap. 14. num. 17.

XI. Jura quidem Civilia denegant ſpuriis, & omnibus illegitimis liberis alimenta: quin etiam illos à ſucceſſione, non quidem materna, ſed paterna repellunt, ut ait cap. *Per venerabilem*, qui fil. ſint legit. Idque conſtat ex authent. *Licet Patri*, C. de natural. liber. & authent. *Ex complexu*, C. de inceſt. nupt. Sed Jus Canonicum hoc corrigit, ut naturalibus & illegitimè natis liberis ab utroque parentum præbeantur alimenta, cap. *Cum haberet*, de eo qui dux. in matrim. Quæ canonica proviſio cùm ſit ipſi juri naturali apertè conformis, prævalet Romanis legibus, & ubique fere ſervatur, etiam in Gallia.

XII. Quoad ſucceſſionem verò filiorum naturalium in bona parentum defunctorum nihil innovatum à Jure Canonico reperio. Jus autem

Civile

Civile sic decernit in primis quoad successionem in bona materna, ut ab intestato filius naturalis succedat matri carenti legitimis liberis in universa bona, sitque hæres ex asse; matri autem intestatæ legitimos habenti filios succedat ex æquo cum illis, l. *Si qua illustris*, Cod. ad Senatusconsultum Orficianum. Quod attinet ad paternam successionem ab intestato filii naturales excludi solent. Sed solùm eis restat in bona paterna jus alimentorum. Sunt tamen capaces legatorum ipsis à patre relictorum, modò immodica non sint, ac in fraudem legitimorum hæredum. Capaces similiter sunt moderatarum donationum, aut dotium ab iisdem. Bartolus in l. *Gallus*, §. *Quod si his*, D. de liberis & posthum. & inter Gallicanos Jurisconsultos Papo lib. 21. Placitorum, tit. 3. num. 2. referens Placitum Senatus Parisiensis, quo donationes inter vivos, & legata paterna in gratiam illegitimi filii fuerunt eidem adjudicata. Coquillus Responsorum cap. 29. Louetus lit. *D*, num. 1. ubi docet quoque in Galliæ Curiis nullum fieri & haberi discrimen inter filios naturales ex solutis personis, & spurios & adulterinos & ex sacrilega copula conceptos, sed eodem omnes jure censeri. Ibi enim disceptabatur causa liberorum ex Sacerdote conceptorum, quibus Senatus Parisiensis legatum adjudicavit à patre relictum. Item Bonifacius in compilatione Senatusconsultorum Curiæ Aquensis, parte 2. lib. 3. tit. 5. ubi legata filiis adulterinis à patre, qui eos dum esset conjugatus, ex pellice susceperat, relicta, fuere iisdem confirmata. Cujacius quoque consult. 2. asserit patrem Sacerdotem liberis suis, quos tempore Sacerdotii sui susceperit, posse & donare, & legare. Nulla enim liberis culpa imputatur, quòd taliter nati sint. Atque officium propriis liberis providendi victum, est naturale debitum, quod humano ullo jure infringi, aut convelli non potest.

XIII. Hæc pariter ex Jure Civili observanda, neque patrem, neque matrem, qui, quæve liberos habens ex priore conjugio ad secundas nuptias convolaverit, ullo modo posse vel in gratiam posterioris conjugis, vel filiorum qui nati sunt ex posteriore matrimonio quidquam amplius elargiri, sive per donationem aut aliam inter vivos dispositionem, sive per ultimæ voluntatis aliquam dispositionem ampliùs dare, vel relinquere, quàm datum, aut relictum ab eodem, eademve fuerit uni ex prioris conjugii liberis, cui quamminimum præ reliquis fratribus fuerit datum, aut relictum. Hoc ita providit lex *Hac edictali*, Cod. de secund. nupt. Hoc tamen ita limitandum est, modò jura legitimarum integra serventur posterioribus liberis, si fortè minimum anterioris matrimonii filio relictum debitam posteriori filio legitimam non adæquaret. Parentibus enim liberum arbitrium de bonis suis inter liberos dividendis eatenus servatur, dum legitima singulis eorum integra servetur, l. *Parentibus*, Cod. de inofficioso testam. Eandem in Gallia provisionem edixit Franciscus II. anno 1560. eodemque suo edicto constituit, ut viduæ ad secunda vota transgressæ non

possint ullatenus de bonis ex prioris mariti liberalitate acquisitis quidquam disponere, nisi in gratiam filiorum ex priore matrimonio superstitum. De reliquis porrò & aliunde quæsitis bonis ne largiùs disponere eis liceat in favorem sive ultimi mariti, sive liberorum ex ultimis nuptiis, quàm relictum fuerit uni liberorum ex primo matrimonio, cui minimum fuerit attributum. Quod si major pars liberis posterioris matrimonii obtigerit, id quod supereſt deducatur & dividatur ad præscriptum Imperatoriæ legis & Gallicani Edicti superiùs memorati. Quod utique peræquè observatur in viris ac in fœminis, ut testificatur Charondas lib. 3. Responsorum, ad finem. Et sanè de fœminis ita statuit lex *Fœminæ*, Cod. de secund. nupt. De viris autem hoc edicit lex *Generaliter*, Cod. eod. tit. ut quidquid ex bonis defunctæ uxoris lucrati sunt, id omne servetur liberis prioris matrimonii, si vir ad secundas nuptias transvolaverit, neque possit ex bonis quæ ex priore uxore lucratus est, quidquam in eorum præjudicium alienare. Providerat etiam Deus per Moïsen Deuteron. 21. num. 15. & 16. quum esset licita populo Dei polygamia, & Jus primogenitis matrimoniorum duplicem supra reliquos fratres attribueret portionem, non licere patri jus illud à filio ex fastidita uxore primogenito ad filium natu posteriorem ex uxore impensiùs dilecta susceptum transferre.

XIV. Quanquam non tenetur mater alere filium triennio majorem, l. *Nec filium*, Cod. de patria potest. & cap. 2. de convers. infidel. eadem tamen tenetur ulteriùs alere filium indigentem, si pater sit ad hoc debitum impotens, l. *Si quis à liberis*, D. de liberis agnosc. Quin etiam in defectum simul patris & matris ista obligatio devolvitur ad avos, aliosve ascendentes, l. penult. D. eod. tit. Similiter mater per se non tenetur dotem filiæ constituere; hoc enim onere solus pater adstringitur, l. *Neque mater*, C. de jure dot. & l. *Si pater*, & Authent. *Res quæ*, Cod. de dote promissa. Tamen ipsa mater ad hoc tenetur quando filia indiget, nec aliunde dotem habere potest, dicta lege *Si quis à liberis*, & colligitur ex lege *Neque mater*, C. de jure dot. in his verbis: *Nisi ex magna & probabili causa*. Et quia dos vice alimentorum constituitur, ad quæ præbenda tenetur mater, si pater sit impotens.

XV. Quin etiam in defectum ascendentium, & matris frater compellendus est dotare sororem; non enim solummodò id exigit ordo charitatis, sed etiam rectè colligitur ex lege *Qui filium*, D. ubi pupillus educari vel morari debeat: ubi statuitur, non posse pupillum à tutore repetere alimenta quæ tutor ejus sorori tribuit. Ergo tenetur frater alimenta præstare sorori his indigenti; alioqui enim pupillus hic posset hæc alimenta, utpote indebita, à tutore repetere. Igitur sororem dotare tenetur; dos enim in locum succedit alimentorum. Restringitur tamen ista obligatio in sorore ex eodem patre nata, nec debet extendi ad sororem uterinam, quandoquidem statuitur in l. *Cùm plures*, §. fin. D. de adminiſt. tutor. non licere tu-

tori

tori ex bonis pupilli dotem sorori ejus constituere ex alio patre ortæ. Ista colligunt & docent Barbosa p.4. l.1. D. solut. matrim. num. 185. Bonacina de contractib. disp. 3. quæst. 11. puncto 2. n.23. Id tamen limitandum nisi frater ipse sit hæres matris, seu patris ipsius sororis; tunc enim repræsentat personam defuncti, & ejus onera sustinet.

XVI. Quod dixi de obligatione patris in constituenda dote filiæ, ita legitimum est, ut teneatur lege iterum eandem dotare, si prima dos deperdita fuerit, dummodo duæ conditiones simul concurrant. Primùm quidem, ut dos absque filiæ culpa fuerit amissa. Secundò, ut primum filiæ matrimonium fuerit dissolutum, ne filia defectu dotis excludatur à secundis nuptiis, l. *Si eùm dotem*, §. 1. D. solut. matrim. durante namque primo matrimonio pater non tenetur resarcire dotem, quanvis sine culpa filiæ amissa fuerit. Sed licèt non integram dotem ipsam quæ major sit legitimâ, tenetur tamen legitimam filiæ debitam reparare, ac eidem erogare, etiam durante ejus matrimonio.

CAPUT II.

Quibus ex causis oriatur obligatio restituendi: & de contractibus in genere.

II. CUm sit compertum omnes restituendi obligationes non passim ex quavis specie justitiæ, aut alterius virtutis oriri, sed solùm ex justitia commutativa, ut capite præcedenti docui; nunc propiùs dispiciendæ sunt obligationum restituendi radices & causæ. Obligatio est vinculum Juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ. Instit. de obligationib. in princ. Justitia porrò est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, l. *Justitia*, D. de just. & jur. Dividitur justitia tum ab Aristotele, tum à Sancto Thoma, in publicam, quæ legalis dicitur; & privatam. Rursus privata justitia, in distributivam, quæ versatur in distributionibus officiorum ac munerum, præmiorum atque pœnarum; & in commutativam versantem in æqualitate dati & accepti. Utraque sanè justitiæ species tendit ad æqualitatem, diverso tamen modo: nam distributiva spectat æqualitatem geometricam, commensurando proportiones, capacitates & distincta merita, sive personarum, sive rerum: nimirum ut magis idoneis conferantur graviora officia, dignioribus ampliora munera, præmia, vel pœnæ, prædiis quoque uberioribus majora onera, sterilioribus autem minora. Commutativa rem cum re ex æquo pensat, secluso omni personarum respe-

ctu; atque ita æqualitatem arithmeticam obſervat. Hæc de utraque juſtitiæ ſpecie diſcrimina tradit Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum ad Nicomac. cap. 3. & 4.

II. Reſtituendi obligatio, ut viſum eſt Theologis, ex triplici capite derivatur. Primò ex re accepta, etiamſi acceptio quæ præceſſit, non fuerit injuſta, ut ſi hæres rem defuncto cui ſuccedit, commodatam, aut apud eum depoſitam reperiens inter res hæreditarias, ſibi bona fide aſſumat. Secundò ex injuſta acceptione, vel damnificatione, ut in uſura, furto. Tertiò ex juſta conventione, ſeu contractu. Juriſconſulti paulò aliter explorant obligationum fontes, ut vel emanent à ſolo naturali Jure, ut eſt nudum pactum: vel à Jure tantùm Civili, ut quum ſub ſpe futuræ ſolutionis chirographum anticipatè debitori conceſſum fuit, quo fateatur creditor ſibi eſſe pretium perſolutum. Hìc namque civilis ineſt obligatio ob civilem præſumptionem factæ ſolutionis; ſed deficit naturalis obligatio, cùm reverà pretium non ſit perſolutum. Vel denique unà concurrunt ad obligationem Jus Civile & naturale, ut in emptione venditione, locatione conductione, depoſito, mutuo, & ſimilibus.

III. Hoc tamen ſciendum de nudo pacto, quod dixi parere obligationem naturalem, ſed non civilem, quatenus ex nudo pacto nulla conceditur in Jure Civili actio, ipſum pactum nudum eſſe promiſſionem nullo contractu veſtitam, ſive ſtipulationis, ſive alterius conventionis mutuæ. Iſtud porrò naturalem, quæ vulgò dicitur, conſcientiæ obligationem parit. Sed hoc ita intelligendum, dummodo illud pactum, ſeu promiſſio fuerit acceptata per alterius partis utcumque ſignificatum conſenſum: nam citra acceptationem ne quidem inducitur naturalis ex pacto nudo obligatio, ut poſt Sotum, Julium Clarum, Gomeſium, Covarruviam & alios aſſerit Layman lib. 3. tract. 4. cap. 1. num. 3. Etiamſi verò pactum nudum ſic explicatum non ſufficiat ad intentandam actionem, ſufficit tamen ad pariendam legitimam exceptionem, l. *Juris gentium*, §. *Sed cùm nulla*, D. de pactis, quâ impeditur repetitio ſoluti, l. *Julianus*, D. de condict. indeb. & datur jus compenſandi adversùs actorem. Nam id quod naturâ debetur, venit in compenſationem, l. 6. D. de compenſation.

IV. Iſtæ demùm ex Jure naturali ſimul & Civili permixtæ obligationes ex quatuor fontibus emanant, ex contractu, & quaſi contractu; ex delicto, & quaſi delicto. Iſta demùm quatuor capita pleniùs continent obligationum fontes quàm tria illa, rei acceptæ, damni injuriâ illati, & contractus, ad quæ non niſi impropriè reduci poſſunt multæ ex quaſi contractu, & ex quaſi delicto obligationes.

V. Contractus definitur, Plurium ad idem placitum conventio. Contractus dividuntur in innominatos, quales ſunt iſti quatuor: Do ut des: Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias; & nominatos, quales ſunt Emptio, Locatio, Mutuum. Nominati contractus tribus contrahuntur modis,

re, verbis, consensu, l. 1. & 2. D. de obligat. & action. Contractus qui re perficiuntur, quatuor recensentur: Mutuum, Commodatum (quo nomine precarium quoque includitur) Depositum, & Pignus. Qui verò consensu perficiuntur contractus quinque numerantur: Emptio Venditio, Locatio Conductio, Societas, Mandatum, Emphyteusis. Verbis initur solus stipulationis contractus, ad quam reducitur fidejussio. Verborum nomine comprehenduntur quoque nutus, aliáve signa & scriptura.

VI. Obligatio pariter ex quasi contractibus oritur, per quos aliquis tacitè obligatur etiam absens & ignorans. Hujus generis septem potissimùm numerantur. Primò pignus tacitum, cui locus est in mobilibus in domum locatam invectis, ut dominus, seu locator domus possit illa pro pensione domus retinere; qua ex causa competit ei actio Serviana ex edicto Servii Prætoris, l. *Labeo*, & l. *Si inter*, §. *Si debitor*, D. de pignor. dicta quoque pignoratitia actio utilis, ad discrimen pignoratitiæ directæ, quæ re contrahitur. Item in fructibus de fundo locato provenientibus, favore pariter locatoris pro fundi locati mercede, l. *In Prædiis*, & l. *Quanvis*, D. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah. & l. *Si lege*, D. locati. Præterea in fructibus rei pignoratæ à debitore perceptis in favorem creditoris pro solutione crediti, d. l. *Quanvis*. Secunda ex quasi contractu obligatio est in tutela & cura, perinde ac si contractum esset inter pupillum & tutorem, inter minorem & curatorem. Tertia in negotiis gestis; fingitur enim tacitum mandatum, ut ex alterius negotio utiliter gesto, quanvis absentis & inscii, servetur indemnis ille qui gessit. Quarta in solutione indebiti, ut solutum recuperetur per condictionem indebiti. Quinta in legatario adversus hæredem, quasi convenisset inter ipsos de præstando legato. Sexta in causa communis dividundi, ad quam pertinet illa quoque familiæ erciscundæ, hoc est hæreditatis dividendæ. Septima & ultima in causa finium regundorum, idest de terminis locandis, inter habentes confinia prædia. Ad hæc universa titulus pertinet Institut. de obligat. quæ quasi ex contract. nasc.

VII. In universum contractus alii bonæ fidei sunt, alii stricti juris. Bonam fidem hîc intellige non prout opponitur dolo; sic enim contractus omnes esse bonæ fidei debent: sed intellige latiorem & benigniorem interpretationem secundùm æquitatem; cùm tamen contractus stricti juris Iudicem adstringant ad strictiorem & exactiorem verborum quibus contractus initi sunt interpretationem. Porrò bonæ fidei contractus sunt emptio venditio, locatio conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, societas, & cæteri numerati in §. *Actionum*, Institut. de actionib. Reliqui non ibi recensiti, sunt stricti juris, ut aliqui contractus innominati, mutuum, census, emphyteusis, gratuita stipulatio, donatio. Ut enim ait l. *Quidquid* 99. D. de verb. oblig. *Quidquid adstringendæ obligationis est, id nisi verbis palam exprimatur, omissum intelligitur, ac ferè semper secun-*

dùm promissionem interpretamur; hoc est, ut non extenda tur obligatio ultra quàm ipsa strictè sumpta verba exprimant. Quod idem intelligendum esse in votis, seu promissis Deo factis, docent Covarruvias, Sanchez, Rebellus, idque jure merito: cùm enim hæc initio gratuita fuerint, benignùs interpretanda sunt, nec ultra expressa promittentis verba. Principis quoque donatio ac beneficium, si nemini præjudicet, neque juri communi refragetur, favorabiliorem interpretationem admittit ob liberalitatem & munificentiam quæ de Principe præsumitur, l. 3, D. de constitut. Princ. l. *Princeps*, D. de verb. signif. cap. *Cùm dilecti*, de donation.

VIII. Obligatur quis ex delicto, maximè ex his quatuor, furto, rapina, quæ scilicet ad furtum vim quoque illatam adjungit adversùs rei furtivæ dominum; & ex damno illato ex lege Aquilia, & ex injuria. Quatuor ista delicta privata sunt & civilia, quatenus in his non publica vindicta expetitur ab actore, sed congruens pro accepto damno reparatio, licet harum actionum aliquæ famosæ sint, ut furti, rapinæ, injuriarum.

IX. Legis Aquiliæ duo capita sunt. Primum caput in eum qui alterius servum, aut pecus injuriâ occidit, ut tantum solvere damnetur quanti plurimi res eo anno valuit: aut si servus damnum istiusmodi intulit, ejus dominus vel eum noxæ dedat, hoc est transferat in ejus qui damnum passus est dominium, vel damnum ipse resarciat. Alterum caput in illum qui alienum servum, aut pecus vulneraverit, aut alio modo sine ejus interitu læserit, aut aliud quodvis animal læserit, occideritve, ut tantum solvere compellatur quanti servus aut animal proximis triginta diebus valuit, aut si servus istud damnum fecit, noxæ à domino dedatur, aut dominus ejus quanti ea res erat exsolvat. Hoc ultimum caput ad plura quàm illud primum extenditur, nimirum ad animalia pariter quæ pecudum, vel pecorum nomine non comprehenduntur, cujusmodi sunt canes, gallinæ, anseres, columbæ, lepusculi. Ista verò actio utplurimùm civilis est. Sed si animal occisum aut vulneratum fuerit in contumeliam domini, dabitur actio criminalis, l. *Item apud Labeonem*, §. *Si quis*, D. de injur. & l. *Prætor edixit*, eod.

X. Præter memorata damna cum injuria facientis data, est aliud damnum sine facientis injuria datum, quod in jure *Pauperies* dicitur, ut quum quadrupes sine injuria aut culpa domini sui damnum intulit; nec enim animal brutum injuriam facisse potuit, quod sensu caret, l. 1. D. si quadrup. paup. fec. dicat. Eoque casu liberum domino est, vel quadrupedem noxæ dedere, vel damnum pecuniâ resarcire.

XI. Injuriarum actio in eum intenditur qui dolo malo liberi hominis corpus, dignitatem, aut famam seu verbis, seu facto læserit.

XII. Jam verò quoad obligationes ex quasi delicto, non intervenit in his dolus malus, sed negligentia & culpa. Et istæ ad quatuor species in Jure reducuntur. Primum in Judice, qui non per dolum, sed ex imperitia malè

malè judicavit, ideoque litem suam fecit, l. *Filiusfamilias*, D. de judiciis, & Institut. de obligat. quæ ex quasi delicto nasc. in princ. Simile est de Medico vel Chirurgo imperito: unde ait caput *Si culpa*, de injur. & damn. dat. *Si damna aliis imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evenerunt, jure super his te satisfacere oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Et Institut. de lege Aquil. condemnantur Medici aut Chirurgi, qui ex imperitia servum alienum occiderunt, ad omne damnum domino resarciendum.

XIII. Secundum quasi delictum est in appenso, quod cadens transeuntem læsit, ut de damno teneatur qui appendit. Tertium est in effuso similiter & projecto. Quartum in exercitore, aut institore, ut exercitor de damno teneatur illato ei quem recepit in suam navem: institor verò de damno dato illi quem recepit in stabulum, vel cauponam: unde contra hos exurgunt exercitoriæ & institoriæ actiones, quibus ipsæ quoque tenentur mulieres, l. *Et si à muliere*, C. de instit. & exercit. act.

CAPUT III.

Utrùm conventiones inter vivos, aut ultimæ bonorum dispositiones valeant in conscientia, etsi Jure Civili habeantur invalidæ ex defectu solennitatum.

I. Iстud prænotandum est, supponi in primis Partes contrahentes, aut de facultatibus suis disponentes omnem habere aptitudinem simul & libertatem à Jure requisitam. Secundò quanvis circa quæstionem istam Doctores in oppositas sententias dividantur, & singuli suam tueantur opinionem ut probabiliorem; in hoc tamen convenire, & ingenuè fateri, contrariam sententiam rationibus niti valde probabilibus.

II. Contractum liberè, & à personis idoneis celebratum sine solennitatibus à Jure Civili requisitis, validum esse, quod attinet ad forum conscientiæ, affirmant Abbas in cap. *Quia plerique*, de immunit. Eccles. Ancharanus in regul. *Possessor*, de regulis juris in 6. S. Antoninus in d. cap. *Quia plerique*, Innocentius in cap. *Quod sicut*, de elect. Bartolus in tract. Minorit. cap. 3. Jason in l. *Si non sortem*, in princ. D. de condict. indeb. Tiraquellus post leges connubiales, glossa 2. num. 21. & alii celebres Jurisconsulti

consulti, quos citat Covarruvias in cap. *Cùm esses*, num. 5. de testam. ubi asserit hanc esse (quam tamen ipse non sequitur) communiorem opinionem. His adde Sotum de justit. lib. 4. quæst. 5. Molinam de justit. tract. 2. disp. 81. Reginaldum lib. 25. num. 105. Emanuel Sà in aphorismis etiam Romæ correctis, verbo *Contractus*, num. 1. Petrum de Aragonia in 2. 2. de just. quæst. 61. & alios. Ex opposito negant Covarruvias in cap. *Cùm esses*, de testam. num. 5. & seq. & in cap. *Quanvis pactum*, parte 2. §. 4. Suarez de legib. lib. 5. cap. 14. num. 4. & cap. 25. num. 22. Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 3. Bonacina de contractib. disput. 3. quæst. 1. puncto 3. num. 2. & 5. Delugo de contractibus in genere, disput. 22. sect. 9. Horum ratio fundatur in potestate legum quæ solennitates induxerunt. Addunt tamen plerique Authores primæ sententiæ, eum cui Judex etiam juxta solennitates à Jure requisitas pronuntiam rem adjudicaverit, licitè possidere, Soto, Sà: quia jus aliquod ambiguum per Judicis sententiam dirimi par est.

III. Prima tamen sententia fundatur in naturali hominum libertate disponendi de rebus suis, atque in obligatione naturali & debita fide circa pacta & conventiones sine fraude initas. Ad jura verò civilia responderi solet, Jus Civile denegare quidem actionem civilem ad evitandam in universum quarumcunque fraudum suspicionem, & resecandam litium ambiguam perplexamque materiam: non tamen per hoc intendere ut vinculum naturale dissolvatur; quin imò Jure ipso Civili naturalem obligationem pacti nudi adstrui, licèt actionem de illo non permittat intentari; sed tamen concedere legitimam ex pacto nudo exceptionem, quâ repellatur actoris intentio, l. *juris gentium*, §. *Sed cùm nulla*, & §. *Quin imò*, D. de pactis: & cap. *Antigonus*, de pactis.

IV. Testamentum conditum sine solennitatibus à Jure Civili per legem *Hac consultissima*, Cod. de testam. requisitis, validum quoque Jure naturali affirmant Covarruvias loc. cit. Suarez de legibus lib. 5. cap. 14. num. 4. & cap. 25. num. 22. Bonacina locis cit. Contrà autem, valere in conscientia, & naturalem parere obligationem, contendunt Sylvester verbo *Testamentum* 1. quæst. 5. & verbo *Hæreditas* 3. quæst. 7. Julius Clarus de testam. quæst. 9. Mantica de conject. ultimar. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 10. Molina locis cit. Emanuel Sà etiam post Romanam emendationem, verbo *Testamentum* 3. Malderus de testam. dub. 5. Reginaldus loc. cit. & quod mireris, Lessius loc. cit. nihil tamen adducens pro ratione discriminis, cur id quod negat ibi de contractibus, affirmet tamen de testamentis. Quin etiam idem Lessius & Clavis Regia lib. 3. cap. 7. & Salas de legibus disput. 10. art. 4. num. 22. & Molfesius unanimes asserunt, hæredem ab intestato qui certus sit, vel esse debeat de testatoris voluntate in testamento aut Codicillis solemnitatibus Juris carentibus comprehensa, teneri sub mortali ex Juris naturæ obligatione restituere hæreditatem, & solvere legata secundùm mentem testatoris. Huc spectat quod Plinius ait lib. 4. epist. 10. *Defunctorum voluntates*

voluntatem bonis hæredibus intellexisse pro jure est; neque enim minùs apud nos honestas quàm apud alios necessitas valet. Certè Jure quoque Civili valet inter liberos testamentum imperfectum, l. *Hæc consultissima*, §. *Ex imperfecto*, C. de testam.

V. Tertia opinio his intermedia, & ut mihi videtur, æquior & justior, tam in contractibus quàm in ultimis voluntatibus solennitate civili carentibus, resolvit stare jus penes possessorem, sicut & in omnibus ferè aliis quæstionum ambiguitatibus, juxta caput *Ex literis*, de probat. adeo ut possessor adigi non possit ad probandum suum dominium, nec possit de possessione dejici, nisi adversarius sibi dominium competere luculenter in judicio probaverit, cap. 1. & cap. *Solicitè*, & cap. *In literis*, & cap. *Sæpè contingit*, de restitut. spoliat. Et cùm sunt Partium jura obscura, reo potiùs favendum est quàm actori, cap. *Cùm sunt*, de regulis juris. Atque favorabiliores Rei potiùs quàm Actores habentur, l. *Favorabiliores*, D. eod. tit. Et si actor & reus æquales probationes proferant, judicandum est pro possessore, cap. *Ex literis*, de probat. Præterea valet utrobique & in contractibus, & in ultimis dispositionibus quod dicitur in §. *Per traditionem*, Institut. de rer. divis. *Nihil est tam conveniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.* Si ergo cum hoc titulo possessio conjungitur, jus istud in judicio conscientiæ completum videbitur, quanvis solennitas aliqua defuerit. Si autem penes unum sit possessio rei, & alter nitatur jure voluntariæ per dominum alienationis, sed requisita solennitate carentis, in istiusmodi ambiguitate possessor erit præferendus. Si tamen lis intentetur, standum erit ultimæ ac supremæ Judicis sententiæ.

VI. Supradictis adstipulatur communis inter pias & timoratas personas usus; is enim qui ab altero qui alienare potest, aliquid cum bona fide acceperit, sive gratuita, sive onerosa dispositione privata, nullisque adhibitis solennitatibus, nullis testibus, nullâ scripturâ, se tutum in conscientia credit, neque ei quisquam prudens & eruditus restitutionem suaserit. Finis porrò solennitatum est ut fraudibus occurratur. Hæc igitur cautio non est necessaria ubi de bona fide constat, saltem in foro conscientiæ.

VII. Præterea leges ipsæ civiles apertè tuentur dispositiones quibus defunctus de facultatibus suis inutiliter (sic enim loquuntur, hoc est non adhibitis solennitatibus Juris) disposuit, dum constet de ipsius voluntate. Hoc perspicuè sanciunt lex *Et si inutiliter*, & lex *Si veritas*, C. de fideicom. & lex *Quæstionem*, eod. tit. & §. fin. Instit. de fideicomm. hæredit. Hæc tertia, quam cæteris præferendam duxi, opinio adstruitur à Soto lib. 4. de just. quæst. 5. art. 3. Bannesio disp. 3. ad quæst. 62. pag. 100. Thoma Sanchez lib. 4. consiliorum, cap. 1. Ludovico Beja puncto 1. de furto & damno dato, casu 2. Hi enim conveniunt in hoc, tam quoad contractus, quàm

quoad supremas voluntates, ob rationis paritatem. Seorsim verò utrique parti hujus sententiæ suffragantur qui hoc admittunt in solis contractibus, & qui in solis ultimis voluntatibus, quorum plerosque superiùs allegavi.

CAPUT IV.

Quænam personæ contrahere prohibeantur, & de filiisfamilias, eorumque peculio: de Senatusconsulto Macedoniano: de mulieribus & Senatusconsulto Vellejano.

I. QUONIAM contractus est actus humanus ac liber, requiritur necessariò liberum contrahentis consensum, ac per consequens sufficientem rationis usum, & præterea bonorum, de quibus agitur, liberam administrationem. Qua de causa invalidè contraherent furiosi ac amentes (nisi dum habent dilucida intervalla judicii,) infantes quoque & prodigi, quibus prohibita fuit à Jure suorum bonorum administratio, nisi curatoris consensus interveniat, l. *Certi condictio*, §. 5. & 6. D. si certum petatur: & l. *Is cui bonis*, D. de verbor. obligat. Insuper pupilli, nisi cum licentia tutoris; & minores annis vigintiquinque, nisi cum curatoris consensu, l. *Si curatorem habens*, C. de in integrum restitut. Valent quidem initi ab his contractus, sed rescissioni subjacent, ex quo impetrata fuerit pro eis in integrum restitutio, si eis de curatore provisum non fuerat: sed si curatorem habentes sine illius interventu contraxerint, declarat eadem lex invalidè contrahi, nec opus esse ullatenus in integrum restitutione. Simile quid decernit lex *In causa* 2. D. de in integrum restitut. Ille tamen qui cum pupillo pubertati proximo & rationis compote, aut qui cum minore bona fide contraxit, non tenetur ei restituere ante Judicis sententiam, eo quòd pupillus, aut minor naturalem obligationem contraxerit, ut declarat lex *Si pupillus*, D. ad legem Falcid. & lex 1. D. de novat. Ratio est, quia naturalis obligatio nascitur ex consensu, l. *Stichum*, §. *Naturalis*, D. de solut. At pupillus non caret consensu, Instit. de inutil. stipulat. §. *Pupillum*. Prædicta quidem sic se habent attento jure communi: sed in Gallia Regio restitutionis diplomate opus est minori, qui sine curatoris interventu contraxerit, ut ejus contractus rescindatur.

II. Filii-

II. Filiifamilias in pubertate constituti possunt contrahere de suis castrensibus & quasi castrensibus bonis: horum namque domini atque arbitri sunt & secundùm proprietatem & secundùm usumfructum. Secus de profectitiis & adventitiis, nisi ex consensu patris, ne jura quæ in hæc bona pater habet deteriora fiant.

III. Permagni refert filiorumfamilias jura explorari, ut sciatur quid sibi retinere, quid parentibus, quid fratribus cohæredibus debeant, vel non debeant. Horum est peculium quadruplex, castrense, quasi castrense, profectitium, & adventitium. Ad castrense pertinent militaria stipendia, de hostibus sumptæ manubiæ ac spolia, Ducum, aut commilitum dona, militaris apparatus ac supellex, arma, equi, vestes, pecunia ad militiam profecturo data sive ab ipsis parentibus, sive ex aliorum liberalitate: illa item quæ Palatini in Aula sive Principis largitione, seu propriâ industriâ acquirunt. Quasi castrense illud est quod filiifamilias ex publico munere, aut ex honorifica professione Judicis, alteriusve Magistratus, Doctoris, Advocati, Medici, Scribæ, Notarii acquirere solent: illa præterea quæ Clerici titulo clericali lucrantur. Quin etiam, ut decidit authent. *Presbyteros*, C. de Episc. & Cler. res quolibet modo in Clericatu obvenientes, in potestate sua Clerici habent, ad similitudinem castrensis peculii. Adventitium peculium versatur in bonis quæ nec à patre, nec patris intuitu, sed vel ex propria industria, aut labore, aut ex aliorum liberalitate, aut ex matris, vel avi materni rebus filius adipiscitur. Denique profectitium peculium ea comprehendit quæ ex patris, aut avi paterni facultatibus, aut aliunde, sed horum intuitu & causa filiofamilias obvenerunt.

IV. In castrensi, vel quasi castrensi peculio nihil juris pater habet, sed integrum dominium & administratio spectat ad filium, toto tit. D. & C. de castrensi pecul. Adventitiorum bonorum proprietas ad filium, sed ususfructus ad patrem pertinet, l. *Cùm oportet*, C. de bonis quæ liber. Profectitia verò bona ad patrem solum & secundùm proprietatem & secundùm usumfructum spectant. Instit. per quas person. nob. acquir. §. *Sancitum*. Itaque filiusfamilias neque profectitia, neque adventitia distrahere, seu alienare potest, l. fin. §. *Filiis*, C. de bonis quæ liber. Secus dicendum de castrensibus, vel quasi castrensibus, ut dictum est.

V. Emancipati verò liberi liberum habent disponendi arbitrium, tam inter vivos, quàm mortis causâ de bonis adventitiis, etiam sine consensu patris, eo quòd emancipatione acquiratur eis integrum bonorum adventitiorum dominium cum medietate ususfructus, altera medietate quoad solum usumfructum apud patrem remanente, ex Justiniani constitutione, l. *Cùm oportet*, §. *Cùm autem*, C. de bonis quæ liber. deb. & l. *Si viva*, C. de bonis matern. De bonis verò castrensibus, vel quasi castrensibus filius potest liberè disponere ac testari, quanvis de patris potestate non exiverit, l. *Nemo*, C. qui testament. Clericus quoque adhuc sub patris pote-

ſtate conſtitutus habet ſimiliter liberam diſponendi facultatem, non tantùm de bonis quæ pro Clerico acquiſivit, verùm etiam de adventitiis, juxta d. authent. *Presbyteros*, C. de Epiſc. & Cler. adventitiis, inquam, quæ poſt Clericatum conſequutus eſt. Epiſcopus autem patriâ poteſtate ſolvitur, authent. *Sed hodie*, C. de Epiſc. & Cler. Quod jus vigere in univerſa Gallia teſtificatur Papo lib. 7. placitorum, tit. 1. num. 24.

VI. Gravis, & quotidianæ praxis quæſtio eſt, utrum ea quæ filiusfamilias in paterna domo lucratur, pertineant ad ipſum, an ad patrem? Prima reſolutio hæc eſt. Lucra ex operibus artificialibus provenientia numerari inter adventitia, eaque proinde recuperari poſſe à filio poſt obitum patris. Itaque filius operam ſuam patri locare poteſt, ab eoque mercedem petere, deductis tamen expenſis quas pater in ipſo alendo fecit. Patet namque altere filium non tenetur habentem propria, ideſt caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, vel adventitia bona, ut colligitur ex l. *Si quis à liberis*, D. de liber. agnoſc. atque in eo Doctores eſſe unanimes aſſerit Laiman. lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 8. num. 5. Dicit enim lex penult. D. de obſeq. parent. præſt. *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* Sanè ſi filius opificis verb. gr. operam ſuam patri præſtet, nullâ ſive expreſsè, ſive tacitè petitâ mercede, præſumitur illam velle patri remittere ex pietate, vel gratitudine, ut ſi mortuo patre repetere illam à fratribus velit, non ſit audiendus. Hæc tamen præſumptio ceſſat in foro conſcientiæ, ſi filius certus eſt de ſua contraria voluntate, quam patri ex metu, vel reverentia non ſit auſus ſignificare.

VII. Secunda reſolutio, ſi filiusfamilias ex bonis paternis nomine ipſo & voluntate patris lucretur, exempli causâ filius cauponis, fabri, aut mercatoris, non habet jus ſecundùm aliquos Authores exigendi mercedem aut lucri partem, quaſi iſta pertineant ad profectitium peculium: attamen Bartolus in l. 1. §. *Nec caſtrenſe*, D. de collat. bon. & Baldus, & Salicetus, & alii plerique Juriſconſulti, quos citat & ſequitur Decius in l. *Illud*, C. de collat. num. 10. & Angelus verb. *Peculium*, num. 11. Navarra cap. 17. n. 144. Lopez p. 2. cap. 21. Leſſius lib. 2. cap. 12. num. 81. cenſent lucri ejuſmodi partem filio deberi, ſi ejus induſtria & labor ad bona paterna acceſſit: & aſſerunt filio deberi ad minus tantum mercedis quantum extraneo deberetur. His addunt quod ſi præ metu reverentiali filius hoc jus petere non auſit, aut ſciat, ſi repeteret ſe paſſurum repulſam, nec ſibi jus iſtud computatum iri, filium iſtum ſibi clam aſſumere in compenſationem poſſe, ſive vivente, ſive mortuo patre. Eſt enim hoc diſtinctum peculii genus mixtum ex profectitio circa paterna bona, & adventitio ratione proprii laboris & induſtriæ, cujus idcirco pretium tanquam adventitium bonum filio concedi debet, ne luctus cauſa ei detur videnti proprio labore quæſitum ab aliis poſſideri. Hoc tradit Franciſcus Stephanus à Sancto Joanne Præſes Aquenſis deciſ. 21. pag. 83. juxta §. *Sicut*, Inſtitut.

per-

per quas personas : & leg. *Non oportet*, C. de bonis quæ liber. Deduci tamen hinc debet patri debitus ususfructus. Laiman quidem loco cit. num. 6. contrarium opinatur, magisque in id propendet, ut totum acquiratur patri. Oppositam nihilominus Doctorum opinionem judicat probabilem, eamque dicit Confessario ita posse inservire, ut filiumfamilias in his terminis non facilè ad restituendum compellat, nisi ultra æstimationem sui laboris ac industriæ acceperit. Ac Bonacina de restitut. disp. 2. quæst. 10. punct. 1. num. 8. sequitur illam Bartoli, Decii, Angeli, Navarræ, & Lessii opinionem, sicut etiam Filliucius tract. 32. cap. 10. quæst. 5. num. 162. cum hac præcautione necessaria, ut filius ille patris negotia gerens deducat in primis ea quæ pater expendit in ipso alendo; cùm, ut aliàs dixi, non teneatur pater filium alere qui aliunde possit sibi ad victum necessaria comparare. Deinde ut filius usumfructum hujus lucri non sibi vindicet ante sui emancipationem, aut patris mortem, cùm certum sit bonorum adventitiorum usumfructum ad patrem pertinere, l. *Cùm oportet*, C. de bonis quæ liberis. Et sanè deductis alimentis & usufructu vivente patre, filius non debet esse deterioris conditionis quàm extraneus cui ejusmodi merces deberetur; neque tenetur jure naturæ pro patre non egente laborare.

VIII. Quanvis filiusfamilias sese contractu obligare possit perinde ac paterfamilias, l. *Filiusfamilias* 39. D. de obligat. & action. nullam tamen in Jure Civili obligationem contrahit ex mutuò accepta pecunia, si eam accepit dum esset sub patria potestate; secus autem si erat jam emancipatus, quia Senatusconsulto Macedoniano repellitur creditoris intentio, l. 1. in princ. D. ad Senatusconsc. Maced. & Inst. quod cum eo qui in alien. potest. §. *Illud propriè*: ubi hoc extenditur etiam postquam fuerit emancipatus filius, cui dum existeret sub patria potestate creditor mutuò dederat. Insuper valet exceptio ista Macedoniani, licèt filiusfamilias mutuò accipiens renunciasset expressè Macedoniano: cùm enim hoc Senatusconsultum fuerit introductum non in favorem filii, sed in odium creditoris, renunciatio illa per filiumfamilias irrita est. Molinæus ad tit. C. de Senatusconsc. Macedon. Bacquetus tract. de juribus justit. cap. 21. n. 127. Despeisseus p. 1. de mutuo, sect. 1. num. 6. Exceptio Macedoniani transit etiam ad hæredes, sive suos, sive legitimos, sive extraneos, l. *Si filius* 6. §. 1. C. ad Senatusc. Maced. & Instit. quod cum eo qui in alien. potest. §. *Illud propriè*: & l. *Item si* 7. §. *Quanquam* 10. D. ad Senatusconsc. Maced. Juvatur quoque Macedoniano pater filii cui mutuatum fuit, d. l. *Item si*, §. *Quanquam*, & l. *Sed si paterfamilias* 9. §. *Non solùm*, D. eod. & d. §. *Illud propriè*, Inst. quod cum eo qui in alien. potest. Juvatur quoque Macedoniano is qui pro filiofamilias fidejussit, l. *Item si* 7. in princ. vers. *Sed Julianus*, & l. *Sed si paterfamilias* 9. §. *Non solùm*, D. de Senatusconsc. Maced. & l. *Exceptiones quæ*, §. ult. D. de exception. Inutilis quippe foret filiofamilias exceptio Macedoniani, si idem posset actione mandati conveniri à fidejussore qui pro

eo conventus solverit, §. ult. Instit. de replicationibus. Cessat tamen exceptio Macedoniani in patre, cujus mandato creditor filio ejus mutuaverit, d. l. *Sed si paterfamilias*, §. *Non solum*, D. de Senatusconsl. Maced. & l. *Zenodorus*, & l. *Si permittente*, Cod. eod. Est enim Macedonianum non solùm in odium creditorum, sed præsertim in favorem parentum introductum, §. *Illud propriè*, Instit. quod cum eo qui in alien. potest. Ideoque possunt parentes huic renunciare.

IX. Sed si illi qui poterant juvari Macedoniano sponte solverint, sive filiusfamilias, sive pater, sive hæres, sive fidejussor, non eis licebit solutum repetere: id enim multa jura exprimunt, l. *Si non sortem*, §. *Filiusfamilias*, & l. *Qui exceptionem*, in princ. D. de condiction. indeb. & l. *Sed si paterfamilias*, §. pen. & ult. D. de Senatusconsl. Maced. & l. *Quia* 10. D. eod. Ratio ejus rei est, quia obligatio naturalis prævalet post factam solutionem, ne condicatur ut indebitum quod naturæ jure debebatur. Curator tamen filiifamilias potest solus condicere, seu repetere mutuum à se, vel à minore solutum, quod ei creditum fuerat dum esset sub patria potestate.

X. Macedonianum non admittitur si mutuatum fuerit ad mercaturam, sciente & consentiente patre, exercenti filiofamilias, quoniam patris voluntate contractum videtur, l. *Item si* 7. §. *Interdum*, D. ad Senatusc. Maced. ut docent Ranchinus p. 3. conclus. 135. Despeisseus p. 1. de mutuo, sect. 1. n. 7. Nec si quis filiofamilias, præsertim longè agenti à patre, aliquid in necessitate constituto mutuatus fuerit, quod ipse pater teneretur ei suppeditare: hoc enim aperta & naturalis ratio suadet. Atque ita in Curiis Regni hujus sæpe judicatum fuit, ut refert ibidem Despeisseus.

XI. Exceptio Macedoniani admittitur in solo mutuo pecuniario, non verò in aliarum rerum mutuis, vini, olei, frumenti, pannorum. Verùm si hujusmodi merces fuerunt venditæ, aut quovis titulo traditæ filiofamilias in fraudem legis, ut filiusfamilias distrahendo illas pecuniam sibi compararet, tunc locus erit Macedoniano ad repellendam fraudulenti creditoris petitionem, l. *Si filiusfamilias crediderit*, in princ. & l. *Si quis* 3. §. *Is autem*, & l. *Item si* 7. §. *Mutui dationem*, D. ad Senatusconsl. Maced. Atque ita judicatum Lutetiæ refert Papo lib. 12. placitorum, tit. 4.

XII. Mulieres verat Vellejanum Senatusconsultum pro aliis fidejubere ac intercedere, cùm antea ab Augusti temporibus hæc intercessio non eis prohiberetur, nisi pro solis maritis, ne maritalis affectus, vel metus eisdem fraudi esset, l. 2. D. ad Senatusconsl. Vellejan. Cæterùm cessat Vellejani privilegium octo casibus quos industriosè collegit Accursius ad l. 1. vers. *Nec pro ullo*, D. ad SC. Vellejan. Primò in pecunia promissa pro servo manumittendo, l. pen. C. eod. Secundò in favorem dotis, non tantùm propriæ filiæ, pro qua mulier se genero suo obligat, ut pridem constituerant Valerianus & Galienus, l. *Si dotare*, C. eod. sed etiam generaliter pro quacumque dote etiam extraneæ, ex Constitutione Justiniani, l. ult. C. eod.

Tertiò,

Tertiò, si privilegio Vellejani fœmina renunciaverit, l. fin. §. ult. D. eod. Non potest quidem filiusfamilias renunciare Macedoniano, cùm non fuerit introductum in ipsius favorem, sed patris, atque in odium creditorum. At Vellejanum est planè & directè in gratiam fœminarum: & licet unicuique renunciare juri pro se introducto, l. *Si Judex* 41. D. de minor. & l. *Invito* 69. D. de diversis reg. jur. Cæterùm ut ista Vellejani renunciatio valeat, opus est fœminam priùs admonitam fuisse, sive à Magistratu, sive à Notario, in qua re consistat istud ei indultum à Jure privilegium; & prudens Notarius, ut ait Papo, hujus admonitionis in scriptis mentionem faciet. Imò verò Corrasius in centuriis, cap. 74. Charondas lib. 2. responsorum, cap. 43. Despeisseus parte 2. tit. de cautionibus, sect. 2. num. 13. hoc insuper requiri asserunt, ut posteriori actu fœmina renunciet Vellejano, alioqui præsumitur fœmina eâdem facilitate renunciasse Vellejano quâ consensit fidejussioni, nisi seriò deliberandi tempus post primam admonitionem fuerit ei concessum: atque diversa allegant Curiarum placita, quibus invalida pronunciata fuit illa Vellejani renunciatio, quanvis oppositum his Curiæ Parisiensis placitum referat Papo lib. 12. tit. 5. num. 1.

XIII. Quartò non juvatur Vellejano fœmina si pretium accipiat pro intercessione, l. *Antiquæ*, C. ad Vellejan. Quintò si mulier sponte ac mentiendo deceperit, l. *Si mulier in jure*, & l. *Si decipiendi*, D. eod. Et præclarè dicit lex *Et primò*, §. 3. D. eod. *Deceptis, & non decipientibus jura opitulantur*. Infirmitas enim fœminarum, non calliditas auxilium meruit. Ideoque si vir sciente & connivente uxore, rem uxoris creditori suo quasi propriam obligaverit, non poterit uxor fraudis ac doli conscia juvari Vellejano adversus eundem creditorem, ut sanxit lex *Si sine*, C. eod. Si tamen creditor ab initio sciebat esse rem uxoris, poterit Vellejano repelli per uxorem, d. l. *Si sine*. Sextò si fœmina secundò fidejubeat intra biennium, vel dando creditori aliquod pignus, vel novum fidejussionis instrumentum faciendo, non quidem pristinæ fidejussioni invalidæ ullum robur addit; sed si eandem præstet post biennium, non poterit Vellejano se tueri, l. *Si mulier perfectæ ætatis*, C. eod. Septimò si mulieri fidejubenti in rem suam versum sit, l. *Sed si eum*, D. eod. Octavò si fœmina ei pro quo intercessit succedat, l. *Quanvis*, §. *Planè si mihi*, D. eod.

XIV. His aliam causam intermittendi Vellejani non infrequenter in praxi occurrentem superaddunt Gallicani Jurisconsulti liberationem mariti ex carcere. Etsi enim ante ipsum Vellejanum Jus Romanorum absolutè reprobaverat uxorum pro maritis intercessionem, & Justinianus in authent. *Si qua mulier*, C. eod. irritam faciat omnem uxorum pro maritis contractam obligationem, etiam multoties & pluribus annis iteratam; cùm tamen fœminis permittat validam Vellejani in exterorum quorumcunque favorem renunciationem, modò post biennium iterum confirmetur: in Galliæ tamen Regno, & vicinis quibusdam provinciis, si uxor pro liberando

rando ex carceris detentione viro se obligaverit, non juvabitur Vellejano. Antonius Faber in suo Codice, lib. 4. tit. ad Senatusc. Vellejan. Chenutius centur. 1. quæst. 52. Bacquetus tract. de jurib. justit. cap. 21. num. 123. Charondas responsorum lib. 11. cap. 38. Brodeus in Louetum, lit. *A*, cap. 9. aliique plerique multa diversarum Curiarum Senatusconsulta congerentes. Quorum ratio in primis pietate fundatur: si enim Vellejanum cessat ob causam pietatis in manumittendo servo, l. penult. C. ad Vellejan. & in dotanda non solùm propria filia, sed etiam extranea, l. ult. C. eod. quantò major est pietatis obligatio in educendo è carcere proprio marito? Hoc tamen intelligendum de incarceratione ob causam criminis, non verò ob solum pecuniarium debitum, ut docet Faber loco cit. definit. 16. Hoc enim casu, non autem priore, potest vir de carcere egredi per bonorum cessionem. Præterea facilè nimis fraus Vellejano fieret ad spoliandam uxorem; hoc enim fine creditores virum capi & carceri mancipari curarent, ut opes uxoris ad se traherent. Hæc Despeisseus dicto loco, num. 13. Graves tamen multi Gallicani Jurisconsulti hanc distinctionem nullatenus admittunt, inter quos Chopinus comment. ad consuetudines Parisienses, lib. 2. artic. 17. asserit uxorem quæ pro viro debendi reo, ideoque in carcere detento satisfecerit, ut eum in libertatem asserat, etiam nullâ factâ Vellejani renunciatione, ita obligari, ut non admittatur ad impetrandam per Principis literas fidejussorii nexus relaxationem: idque adstruit tum adducto Supremæ Curiæ Parisiensis Judicio, tum Justinianeâ Authenticâ *Si captivi*, C. de Episcop. & Cler. per quam etiam minor obligatur bonorum propriorum distractione captivi patris redemptioni.

CAPUT V.

De Mutuo.

I. CONTRACTUUM qui re perficiuntur, quatuor genera sunt: Mutuum, Depositum, Commodatum, Pignus. De mutuo uberior est disputatio tractanda ad usurarum cognitionem, quæ occasione mutui nascuntur. Sic verò definiri potest, ut sit Contractus quo rei dominium transfertur in accipientem cum onere & obligatione reddendi similem in specie & bonitate. Aut quod eódem recidit, ut sit largitio rei in quantitate certa consistentis, cum spe tantumdem recipiendi, non in specie, sed in genere. Genus à Jurisconsultis hoc loco dicitur, quod propriè Philosophi speciem vocant, ut communiori conceptu frumentum, oleum, vinum. Speciem verò illi dicunt quod Philosophi nomine

nomine individui exprimunt, ut hoc numero frumentum, oleum, vinum. Materia itaque circa quam versatur mutuum, est res usu consumptibilis, in quantitate certa consistens, hoc est definito pondere, ut est massa metalli, lanæ, fœni; vel numero, ut nummi, pecudes; vel mensurâ, ut triticum, vinum, oleum, panni, telæ.

II. Cumque ordinaria materia quæ mutuo datur, sit res usu consumptibilis, transfertur ejus dominium in accipientem hac lege, ut aliud æquivalens reddat. Itaque dicitur mutuum, quia de meo tuum fit, l. 2. D. si cert. pet. Inde fit ut res semel mutuo tradita, quocumque modo pereat, ipsi mutuatario, non verò creditori pereat, quanvis casu & sine culpa mutuatarii pereat, qui non minùs tenebitur post rei mutuatæ qualemcumque jacturam, rem similis generis creditori ex pacto reddere, l. *Incendium*, C. si cert. pet. Et cùm augmentum rei, vel decrementum domino rei cedat, si res credita, seu mutuata melior, aut deterior evadat, id omne cedet in lucrum aut jacturam debitoris. Quatenus mutuo transfertur traditæ rei dominium, eo ipso differt à contractibus qui solo consensu, quanvis re nondum tradita, perficiuntur, ut sunt emptio, locatio: & differt quoque à commodato & depositо, quibus re tradita, dominium non transfertur. Hoc etiam distinguitur à commodato, quia in commodato res eadem tradenti restituenda est, quemadmodum & in contractu locationis, & utplurimùm in depositо: & differt à permutatione, in qua res alia, eaque diversi generis rependitur. Quod si res de sua natura usu consumptibilis alteri tradatur ad tempus, ut eadem specie ac numero reddatur, ut si tradatur alteri pecuniæ vel tritici quantitas non ad usum consumptibilem, sed ad alium usum legitimum, utputà ad ponendum loco pignoris; si id fiat cum pretii conventione, erit locatio; si verò gratis, erit commodatum, sed nullatenus mutuum.

III. Civilis actio ex mutuo consurgens vocatur Condictio certi, de qua tractant Digestorum & Codicis tituli *Si certum petatur*.

IV. Porrò cùm contrahatur mutuum in solius accipientis gratiam, necesse est esse gratuitum, præcipiente sic Domino, Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*. Alioqui esset injustum & usurarium. Hac ratione sic admonet Sanctus Augustinus in psal. 36. concione 3. *Si fœneraveris homini, id est si mutuo dederis pecuniam tuam, à quo plusquam dedisti expectes, non pecuniam solùm, sed aliquid plus quàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud; si plusquam dedisti expectes accipere, fœneratores es, & in hoc improbandus*. Et habetur 14. quæst. 3. cap. *Si fœneraveris*.

CAPUT VI.

De duobus reis in eandem rem in solidum obligatis: & de hypothecariis actionibus.

QUÆSTIO ista de duobus reis uni creditori pro eadem re obligatis in solidum frequens occurrit, ut in hæreditario debito, ubi multi concurrunt hæredes in unam successionem. Item in pluribus constitutis debitoribus, qui in unam eandemque stipulationem pacti sunt cum uno creditore. Præterea in pluribus circa unum & idem debitum fidejussoribus. Similiter in multis rei quos eadem prænalis sententia singulos in solidum damnavit. Insuper in pluribus qui simul ad idem damnum concurrerunt unanimes. Item in expensis apparitoris qui ad diversas obeundas exequutiones, exactiones, decretorum judiciariorum significationes peregrè profectus in idem oppidum fuit: à singulis quippe reis has potest suæ peregrinationis expensas repetere, si alii solvendo non sint, aut alia ratione à solvendo se eximant. Præterea in Judice qui peregrè alicubi degit, ut in pluribus causis simul occurrentibus diversos jurisdictionis actus exerceat; unde fit ut à diversis Partibus pari jure ipsi debeantur victus & profectionis expensæ. Denique & in aliis consimilibus casibus potest ista quæstio agitari.

II. Primùm igitur naturalis ratio suadet, eum qui rem sibi debitam ab uno aliquo obstrictorum sibi reorum integram recepit, non posse ullatenus ab aliis similiter obstrictis repetere: & de ipsis naturalis juris visceribus emersit regula Juris sub ultimo Digestorum & Sexti Decretalium titulo posita: *Bona fides non patitur ut bis idem exigatur.* Jus idem passim insinuatur sub titulis expressis Digestorum & Codicis, Institutionum & Authenticarum *De duobus reis.* Suffragatur lex *Si per imprudentiam*, §. fin. D. de evictionibus: *Si plures* (inquit) *mihi in solidum pro evictione teneantur, deinde post evictionem cum uno fuero expertus, si agam cum cæteris, exceptione me esse repellendum Labeo ait.* His consonat §. *Si res aliena*, Instit. de legatis: *Si res aliena legata fuerit, & ejus vivo testatore legatarius dominus factus fuerit, si quidem ex causa emptionis, ex testamento actione pretium consequi potest: si verò ex causa lucrativa, veluti ex causa donationis, vel ex alia simili causa, agere non potest. Nam traditum est, duas causas lucrativas in eundem hominem & eandem rem concurrere non posse.*

III. Jure quidem Digestorum & Codicis. tit. de duobus reis, liberum erat creditori ex pluribus in solidum obligatis reis quem vellet in totum

convc

convenire : sed posteriori Novellarum jure Justinianus singulis reis beneficium divisionis indulsit, ut eorum quilibet pro parte sigillatim, & non in totum conveniatur, in authent. de duob. reis, in princ. & §. sequenti, collat. 7. constitut. 9. & inseritur authent. *Hoc ita*, C. eod. tit. Tres tamen in Jure constituti sunt casus, quorum vel uno occurrente cessat ista divisio actionum. Primus est, si debitores hujus divisionis beneficio abrenunciaverint. Glossa in d. authent. *Hoc ita*, verb. *In solidum debentur*, C. de duobus reis : & novella 99. verb. *Cedere*. Secundum & tertium casum exprimit authent. ista dicens : *Si præsentes sint, & idonei*. Itaque licèt beneficio divisionis renunciatum non fuerit, si tamen debitorum alii præsentes sint, alii procul absint, putà extra Regnum, poterit creditor in solidum experiri adversus præsentes. Tertius exceptionis casus est, si inter debitores aliqui non sint idonei, putà inopes & solvendi impotentes, d. novel. 99. cap. 1. & d. authent. *Hoc ita*. Ut verò de hac impotentia constet, requirit Justinianus ut præcesserit impotentium discussio, quâ præmissâ diligentiâ concedit, ut cæteris qui sunt idonei debitores, accrescat pars illa obligationis quæ illi incubuisset cujus fuit comperta impotentia. Docet Charondas lib. 7. responsorum, cap. 103. servari in Regno Franciæ legem *Omne*, D. pro socio, ut socii teneantur in solidum, si unus ex eis mutuam acceperit pecuniam in causam societatis, & pecunia in arcam communem recondita fuerit.

IV. Postquam creditor rem sibi à pluribus debitam, ab uno, vel altero eorum integram recepit, ille qui creditori persolvit, actionem habet, non tamen solidariam, sed pro numero reliquorum debitorum divisam, ut ab his partes recuperet, quas eorum loco creditori communi persolvit. Ipseque creditor tenebitur jura sua & actiones in eum transferre, ut qui integrè persolvit, possit à singulis condebitoribus illud recuperare quod ultra eam, quæ se contingebat, debiti partem, de ipsorum partibus creditori erogaverit.

V. Fidejussores perinde ac principalem reum creditor habet sibi obligatos. Et sanè licuit olim creditori pro suo arbitrio adversùm fidejussores experiri, non discusso principali debitore, l. *Non rectè*, & l. *Iure nostro*, C. de fidejussor. Verùm majori æquitate provisum fuit demùm à Justiniano, ne ullus conveniatur fidejussor, nisi postquam debitor præcipuus discussus fuerit, aut certè procul absit : sed quum abest, potest fidejussor dilationem à Judice postulare, intra quam reum ipsum in judicium deducat conveniendum. Judexque certum ad hoc tempus definiet, quo transacto, nec reo comparente, compelletur fidejussor creditori satisfacere, & creditor actionibus suis cedet fidejussori, ut possit à reo solutum repetere. Authent. de fidejuss. & mandat. §. *Si quis igitur*, & §. *Non solum*, collat. 1. constit. 4. & inseritur in authent. *Præsente tamen*, C. de fidejuss. Et hoc jus passim viget in universa Gallia, testificantibus Massuerio in praxi, tit. de

obligationib. 29. num. 15. Guidone Papæ decis. 94. n. 5. Charonda lib. 2. responsorum, cap. 104. & in suis Pandectis, lib. 2. tit. de creditoribus 36. Despeisseo part. 2. tit. 2. de cautionibus, sect. 3. n. 29. Sanè possunt non excusso reo conveniri fidejussores, si se in solidum cum reo obligaverint, & beneficio epistolæ Divi Adriani renunciaverint.

VI. Obligatio principalis debitoris non modò extendi potest ad fidejussores, verùm etiam horum defectu ad extraneos pignorum, seu hypothecarum possessores, contra quos creditor experiri potest actione hypothecaria, si res debitoris per publicas mutuæ conventionis tabulas fuerant antea ipsi hypothecatæ ac obstrictæ, sive per specialem, sive per generalem bonorum debitoris hypothecam. Ex veteri quidem Jure liberum fuerat creditori pro suo libito debitorem personali actione convenire; aut si magis placeret, etiam litem inchoare adversùs tertios bonorum hypothecæ obnoxiorum possessores, & hos aggredi per realem, sive hypothecariam actionem, l. *Persequutiones*, C. de pignor. & hypoth. Cæterùm Justinianus hanc libertatem abrogavit per authent. *De fidejussoribus*, §. *Sed neque ad res*, collat. 1. constitut. 4. & inseritur auth. *Hoc si debitor*, C. de pignor. & hypot. ubi statuit non licere in judicio aggredi tertios pignorum possessores, nisi postquam sufficienter discussus fuerit debitor actione personali, & secundo loco fidejussores, si aliqui sint. Cùm enim actio hypothecaria sit solùm subsidiaria & accessoria ad personalem, non videtur æquitati consentaneum, si omisso præcipuo debitore, moveatur lis contra tertium possessorem hujus obligationis fortasse insciun, & qui causæ isti nunquam se sponte ingesserit. Similiter alienum est abæquitate, si prætermisso fidejussore qui ultrò se obligavit, divexetur tertius detentor qui potuit hanc ignorasse obligationem, quâ se debitor principalis, ejusque intercessor obstrinxit.

VII. Jure Romano & communi discrimen statuitur inter generalem & specialem, seu particularem hypothecam, quòd priùs necesse sit specialem hypothecam discutere, nec liceat creditori prosequi generalem, nisi in subsidium, postquam specialem prosequutus, jus suum integrum adipisci non valuerit; si nimirum res generali hypothecæ subjectæ ad posteriorem creditorem transierint, l. *Quanvis* 2. C. de pignor. & l. *Quæ specialiter*, C. de distract. pign. Specialis quippe hypotheca posterioris etiam creditoris præfertur hypothecæ generali anterioris creditoris, si hic habet aliam specialem sibi sufficientem. Sed si creditori anteriori non suppetat specialis hypotheca sufficiens integræ sui juris recuperationi, tunc solùm ejus generalis hypotheca præferenda est speciali posterioris creditoris hypothecæ, ut providè statuit lex *Si generaliter*, C. qui potior. in pign. habeant. Ita quidem disponunt Romanæ leges; Provinciæ tamen, quæ mea patria est, consuetudo innumeris Aquisextiensis Senatus roborata judiciis, creditori tum generalem, tum specialem hypothecam habenti libertatem relinquit

relinquit experiendi prout libuerit, sive in vim suæ specialis hypothecæ, sive in vim generalis, etiamsi agat adversùs posteriores se creditores specialibus munitos hypothecis, eosque submovebit. Apud nos enim quisquis creditor tempore præcedit, posterioribus cunctis inconcussè præfertur in suis etiam generalibus hypothecis, quibus nullæ præjudicant hypothecæ speciales posteriores, paucis dumtaxat exceptis, ut est hypotheca privilegiata, quam habet venditor adversùs emptorem, & quoscumque alios creditores in re vendita pro ejusdem rei pretio. Neque servatur in hac patria lex 2. C. de pignor. statuens specialem posterioris creditoris hypothecam præferri generalibus anteriorum creditorum. Justa quoque ratione communitur ea consuetudo; inconveniens est enim, priorum creditorum jura per posteriores infringi ac violari. Sic enim fraudibus occasio frequens aperiretur, & collusionibus inter debitorem, posteriores que creditores interdum fictos & dolosè suppositos ad eludenda anteriorum jura & actiones solis subnixas generalibus hypothecis. Præterquam quod species sub generibus includuntur, & qui totum dicit, nihil sub toto complexum excludit, l. 2. C. de hæred. instit. l. *Quod si Mævius*, D. eod. l. 1. D. de penu legata, l. *Julianus respondit*, D. de legat. 3. Neque apud nostrates specialis hypotheca posterior anteriori, quanquam generali, prævalet, etiamsi vulgaris illa clausula non fuerit contractui apposita, ut specialis universali non deroget. Hæc dicta sunto citra eorum locorum præjudicium, in quibus oppositum servatur.

VIII. Illud denique (ut ad Jus commune regrediamur) tenendum est, præfatam subsidiariam, seu hypothecariam actionem adversùs tertios bonorum possessores decennii præscriptione summoveri inter præsentes, & viginti annorum inter absentes, dummodo possessio titulo simul & bona fide nitatur, l. 1. & 2. C. si adverss. credit. præscrip. oppon. etiamsi creditor anterior specialem habuerit hypothecam ejusdem rei quæ ad alium ex postfacto devenerit, ut docent Gallicani Jurisconsulti, & confirmant Gallicanarum Curiarum permulta judicia. Videri potest Despeisseus de contractib. parte 4. tit. 4. num. 32. Denique ne specialis hypotheca deroget generali, solent Notarii apponere clausulam istam, *La specialité ne dérogeant à la generalité.* In præfata verò præscriptione bona fides exigitur, non solùm ex parte emptoris, sed etiam ipsius primi authoris: hujus quippe mala fides successori nocet agenti bona fide, juxta Authent. *De malæ fidei*, C. de longi temp. præscript.

CAPUT VII.

De Usuris.

I. USURA est lucrum pecuniâ æstimabile, vi mutui veri aut palliati quæsitum. Vox *Lucrum*, in hac definitione locum generis subit: reliquæ voces differentiam constituunt. Vox *Pecuniâ æstimabile*, excludit lucra spiritualia, ut sunt gratiæ & merita virtutum apud Deum, de quibus Jesus Christus ait Matth. 19. *Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Excludit insuper merita inter homines, quoû demereri quis potest mutuando, quum nulla intercedente pactione sperat amicitiam, vel gratitudinem mutuatarii, atque ex his sponte & liberaliter emergentia commoda temporalia. Spes enim ab omni conventione remota neque usuram in temporalibus inducit, neque simoniam in spiritualibus rebus, ut cum Sancto Thoma unanimes Doctores affirmant: dummodò in spiritualibus primaria intentio non versetur circa commodum temporale, unde nasci posset, ut suo loco disputabimus, simonia mentalis. Quod verò dixi, *Vi mutui*, discrimen innuit usuræ à veri damni emergentis, aut lucri cessantis compensatione, & à pœnali mora cum culpa conjuncta, de qua conventum bona fide ab ipso initio fuerit, juxta Glossam generaliter receptam in cap. *Conquæstus*, verbo *De feudo*, de usuris. Dixi denique, *Mutui veri, aut palliati.* Cùm enim mutuum, ut Jurisconsulti docent, consistere soleat in rebus usu consumptibilibus, quæque in pondere, numero, vel mensura constant, & quarum dominium seu proprietas transfertur in mutuatarium, l. 2. §. *Appellata*, D. de rebus creditis: & cùm aliunde mutuum ex Evangelica lege debeat esse gratuitum, Lucæ vers. 35. *Benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes*; quidquid ratione mutui ultra sortem exigitur, usurarium est & indebitum. Concilium pariter Agathense can. 8. hoc docet: *Usura est ubi amplius requiritur quàm datur, verbi gratiâ si dederis solidos decem, & amplius quæsieris.*

II. Mutuum non solùm explicitum, sed etiam implicitum, quod palliatum vocant, est quoque illicitarum usurarum seges & materia frequens, ut fit quum in emptione & venditione pretium ob anticipatam solutionem minuitur, aut augetur ob dilatam: perinde est enim ac si pretium mutuò daretur ab emptore; sic tamen, ut quod de justo pretio demitur, cedat in lucrum fœneratitium ex mutuo simulato. Augmentum quoque justi pretii ex dilata solutione perinde est ac si venditor illam pretii

pecuniam

pecuniam mutuo daret ea lege, ut ille justi pretii superexcessus locum teneat usuræ, ut docent cap. *In civitate*, & cap. *Consuluit*, de usur. Secus tamen judicandum, ubi augetur pretium ob aliquam ex tribus memoratis causis, quæ singulæ justæ sunt: Prima est, lucrum cessans cum debitis conditionibus: secunda, damnum emergens; quæ frequentissimè negotiantibus accidunt, eo quòd rerum pretia vel non solvantur, vel ultra modum differantur: quo fit ut mercatores negotiationum lucrosarum occasiones plerumque disperdant ex defectu pecuniæ sibi debitæ. Tertia, eaque justa causa fundatur in valdè culpabili dilatione solutionis, qualis occurrit frequens in Magnatibus, aliisve personis, quas vel ob avaritiam piget debita persolvere, quanvis commodè id possint; quæve ex oppositio per prodigalitatem & luxum sibi facultatem præripiunt creditoribus suis satisfaciendi: unde consequens est, ut creditores gravia damna, jacturas & pericula sustineant; si modò in hanc pœnam Partes convenerint, vel à Judice decernatur.

III. Mutuum similiter palliatum & fœneratitium contrahunt quicunque roganti mutuam pecuniam prætexunt sibi eam ad manus non esse; ideoque ex rogantis penuria lucrum captantes, vendunt merces aliquas majori pretio, etiamsi justi pretii latitudinem non excedat, hac conditione, vel tacita intentione, ut eadem merx sibi minore pretio retrovendatur. Perinde est enim ac si minus pretium retroventionis mutuarent cum usurario lucro superabundantiæ, quæ est in priore simulatæ venditionis pretio. Bonacina de contractibus disp. 3. quæst. 2. punct. 3. n. 9.

IV. Usura jure ipso naturæ prohibita est ob multiplicem rationem. 1. Quia jus naturæ reprobat plus ab alio exigi quàm à te receperit; quod facit omnis fœnerator. 2. Quia nefas est compellere quemquam ad emendum rem suam, cujus habet justum dominium: atqui mutuatarius est dominus rei sibi creditæ; per mutuum namque transfertur rei creditæ dominium: nefas igitur est eo nomine quidquam superabundans exigere. 3. Sicut injustè obligaretur creditor in partem jacturæ rei mutuò datæ, quia cùm abdicaverit ejus dominium à se atque usum, nihil debet sentire damni ex illius jactura; quandoquidem res omnis suo domino perit, si absit aliena culpa: eadem ratione creditor nullum habet lucrandi jus ex re credita; lucrum enim & damnum æquo jure ad dominum rei pertinent. 4. Quia nulla permittit ratio, ut fructum sibi aliquis quærat ex re non fructifera, quales sunt res quæ ipso usu consumuntur. Quocirca Deus in Scripturis passim usuras damnat. Exod. 22. vers. 25. Leuit. 25. vers. 35. Deuteron. 23. vers. 19. 2. Esdræ 5. vers. 7. Psal. 14. vers. 6. Luc. 6. vers. 34. & 35.

V. Leges quidem Cæsareæ minùs religiosæ fuerunt, quippe quæ usuras permittebant ad certam summam redactas, & ad illas exigendas actionem dabant. Famosissima lex olim Constantini Magni fuit, quæ habetur in Codice Theodosiano, lib. 2. tit. ult. l. 1. tam circa fruges quàm circa pecuniam

pecuniam numeratam, his verbis : *Quicumque fruges humidas, vel arentes indigentibus mutuas dederint, usuræ nomine tertiam partem consequantur ; ideſt, ut ſi ſumma crediti in modiis duobus fuerit, tertium modium amplius conſequantur. Hæc lex ad ſolas pertinet fruges ; nam pro pecunia ultra ſingulas centeſimas creditor vetatur accipere.* Erant iſtæ velut reliquiæ morum nuperi Paganiſmi. Sed illas Eccleſia ſanctioribus obtemperans legibus minimè probabat. Ne tamen Principum & Magiſtratuum animos à Chriſtiana Religione quaſi legum adverſatrice alienaret, quodammodo diſſimulans tolerabat, ſolisque Clericis per publicas & ſæpiùs iteratas ſanctiones prohibebat uſuras. Inde ſtatuit canon Apoſtolorum 43. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus qui uſuras à mutuum accipientibus exigit, vel deſinito, vel deponitor.* Nicæni etiam Concilii canon 17. utramque uſurarum prædictarum ſpeciem Clericis interdicit, eiſque nominatim vetat ἑκατοστὰς ; id eſt centeſimas, quæ pecuniis aſſignabantur ; & ἡμιολίας, ideſt ſeſcuplas, ſeu ſeſquialteras, quæ pro mutuatis frugibus conſtitutæ erant. Utraſque ſimiliter ſub nominibus τόκου, & ἡμιολίας Clericis prohibet Concilium Laodicenum can. 5. qui canon inſeritur diſt. 46. can. *Non licet.* Clericos pariter fœneratores à Fidelium communione ſejungit Arelatenſis Concilii primi canon 12. Eadem Clericis iteratur prohibitio in Concilii Carthaginenſis tertii can. 16. & habetur in Decreto, 14. quæſt. 4. can. *Nullus Clericorum.* Generalior eſt prohibitio in Concilii Eliberini can. 20. ibi namque Clericis ſimul & laïcis fœnora vetantur, pœniſque diſtinctis coërcentur. Habetur porrò apud Gratianum ſola ejus pars quæ Clericos attingit, can. *Si quis*, diſt. 47. Sancti verò Eccleſiæ Doctores, ex Latinis Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Leo Papa, Gregorius Magnus ; & ex Græcis Baſilius, Chryſoſtomus, aliique in laïcos fœneratores ſæpe invehuntur. Vide aliquot eorum loca apud Gratianum 14. cauſæ quæſt. 3. & 4. Quibus adjungi poſſunt S. Baſilius tota homilia in pſal. 14. & Lactantius lib. 6. cap. 18.

VI. Hemiolias ſeu ſeſquialteras uſuras Theodorus Balſamon in Nicænæ Synodi can. 17. perperam exponit de medietate uſuræ centeſimæ, ut pro duodecim ſex tantùm annua præſtentur. Sed planè certum eſt ex ipſa Conſtantini lege hemiolias, ſeu ſeſquialteras uſuras fuiſſe ſolarum frugum, nihilque aliud ſignificare quàm exactionem totius mutuatæ rei cum augmento dimidii, ut pro duobus modiis mutuatis tres modii recipiantur. At centeſima uſura in ſola pecunia verſabatur, & addicebat creditori nummum unum ad ſingulos menſes pro nummis creditis centum : itaque annuatim pertingebat ad duodecim pro mutuatis centum. Arcadii tamen lex ſub eodem libro & titulo Codicis Theodoſiani uſuras Senatorum moderabatur ad dimidiam centeſimæ, hoc eſt ſex annua pro centum mutuo datis. Scribens Sanctus Hieronymus in hæc verba Ezechielis cap. 18. verſic. 8. *Si ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, hæc ſapienter admonet : *Putant quidam uſuram eſſe tantum in pecunia : quod prævidens Scriptura*

divina

divina omni rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quàm dediſti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque ſpecierum uſuræ exigi, ſive ut appellat ſermo divinus, ſuperabundantiæ: verbi gratiâ ut hyemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt amplius partem mediam.

VII. Jus Civile in omnibus bonæ fidei contractibus, & præterea in legatis & fideicommiſſis, uſuras deberi decernit ex mora computanda ex die interpellationis, vel ex die litis conteſtatæ, l. *Mora fieri*, in princip. & §. *In bonæ fidei*, D. de uſur. l. fin. D. de peric. & com. rei vend. l. *Qui ſolidum*, & l. *Si quis ſervum tuum*, D. de legat. 2. l. *In bonæ fidei*, C. de uſur. Et quidem ſi per ſententiam Judex uſuras iſtas adjudicet, ſpectandum erit an fuerit mora iſta culpabilis, eo quòd reus cùm ſolvere debuiſſet, vel neglexerit, vel ſuâ culpâ, quæ obligatione poſterior ſit, putà luſibus, aut ſuperfluis expenſis ſibi ademerit ſolvendi facultatem. Si res ita ſit, poterit uſura adjudicata exigi, cùm ſit in pœnam culpabilis moræ per ſententiam, eamque juſtam impoſita. Idemque cenſendum ſi Pars, cui per ſententiam adjudicatum fuerit verum, nec fictum intereſſe, ſive lucri, ſive damni, ob rem tempore debito non perſolutam patiatur detrimentum. Sed ſi neque mora debitoris culpabilis ulla fuerit, aut juſtum lucri, vel damni intereſſe non intervenerit, non poteſt creditor in foro conſcientiæ hujuſmodi uſuras etiam per ſententiam adjudicatas exigere; debetque contentus eſſe recuperatione rei petitæ, & indemnitate expenſarum litis. Si verò ſive ex mora culpabili, ſive ex alia quavis culpa debitoris creditor verum damnum ſuſtineat, tenebitur in conſcientia mutuatarius illud reparare, quanvis nihil expreſsè conveniſſet, nec Judex quidquam decerneret. Eſt quippe naturalis obligatio damni alieni reparandi in eo qui ſuâ culpâ damnificavit, cap. fin. de injur. & dam. dato. Famoſus ille Pariſienſis Advocatus, cujus irreligioſitas commeruit, ut ipſius libri nomenque, quaſi alterius Eroſtrati, Romanis decretis proſcriberentur, vel ſolus ſufficere videtur apud Forenſes Gallicanos ab uſurarum praxi & patrocinio deterrendos, qui in ſuo Tractatu de uſuris, num. 15. ſic loquitur: *Moribus invaluit, ut mutuum debeat eſſe, & ſit gratuitum, omneſque leges uſurariæ in mutuo prorſus exoleverunt. Quod eſt juſtum & rationabile, tum attentâ naturâ mutui, tum ad vitandam frequentiam turpium quæſtuum.*

VIII. Si creditori nullatenus petenti aliquid à mutuatario detur gratuitò, poterit ſine fœnore, vel peccato recipi. Verumtamen non eſt facilè præſumendum, omne oblatum eſſe gratuitum. Munera enim quandoque à debitoribus offeruntur metu ſeverioris exactionis cui ſe impares agnoſcunt ob paupertatis anguſtias. Si ergo munera iſta ſint pretioſa, aut pecuniaria, præſumendum eſt non eſſe ſpontanea, ſi debitor inopiâ laboret; debetque creditor oblata recuſare, ne occaſione alienæ paupertatis locupletetur. At ſi levia ſint munuſcula, nec pecuniaria, nec difficilè parabilia,

censeri poterunt ex spontanea animi gratitudine proficisci, atque ita licebit recipere. Et hîc valebit regula ista: Contrectans rem credens invitum dominum, committit furtum; sed furto non est obligatus, si dominus erat volens, l. *Inter omnes*, §. *Rectè*, D. de furtis.

IX. Potest creditor pascisci cum mutuatario ab initio de præstando vero, nec ullatenus ficto interesse, idque postmodùm exigere. Ratio perspicua est, quia in hoc nihil requirit præter justam sui indemnitatem: neque justè compellendus est ad subeundam jacturam & damnum ex hoc ipso quod alteri se beneficum præstat, l. unica, C. de sentent. quæ pro eo quod interest profer. Eaque lex duplicis rei meminit, scilicet lucri & damni, hoc est (ut ibi exponit Glossa in verb. *Possibile*, & Bartolus ibid.) lucri cessantis, & damni emergentis. Sit hoc exemplum damni emergentis. Destinatam habeo pecuniam reficiendæ domui meæ ne corruat, aut coëmendo tritico ad alimentarem anni prœvisionem, vel fœno ad jumentorum pabula, vel septis & aggeribus struendis ad arcendam aquæ vim ne prædium inundet, aut solvendis nominibus seu debitis: & cùm aliam præsentem aut accommodam pecuniam non habeam, istam quam à me rogas pecuniam, tibi protestor jam esse illis præfatis rebus destinatam, mihique aliam non suppetere, ideoque simul de damno, si quod futurum est, à te resarciendo protestor. Contingit exinde ut domus corruat, aut ut triticum, vel fœnum credito simul & cariùs emam, aut pecus fame pereat, aut ager aquis inundetur, aut cogar ab aliis mutuo sumere cum usuris. Exemplum verò lucri cessantis: Ego pecuniam habeo mercaturæ ad proximas nundinas destinatam; sed quia tibi mutuo roganti credo, aut quia præstituto die non solvis, lucro ex mercatura sperato frustrari cogor.

X. De utroque interesse, damni emergentis & lucri cessantis communiter scribunt Doctores, utrumque ex mutuo contingens exigi posse tribus casibus. Prior est quum culpabilis in solvendo mora præcessit. Secundus quum sive ante, sive post moram contigit, sed mutuum datum est per aliquam vim, sive Regis, sive Civitatis, sive alicujus præpotentis. Tertius, etiamsi nulla vis, vel mora, vel culpa debitoris intervenerit, dum tamen fuerit ab initio admonitus debitor damni impendentis, & iste concesserit hoc damnum, si contingat, præstare ultra mutuatam sortem, ut expressè docet S. Thomas 2.2. quæst. 78. art. 2. ad 1. idemque tract. de malo, q. 3. art. 4. ad 14. In tribus prædictis casibus licet etiam ab initio convenire de summa ultra sortem rependenda ad verisimiliorem taxam æstimationis illius interesse. Sotus lib. 6. de just. & jure, quæst. 1. art. 3. Navarra in Manuali, cap. 17. num. 111. & in comment. de usuris, num. 39. Toletus lib. 5. cap. 32. num. 7. ut alios innumeros sileam. Dummodo fraus omnis procul eliminetur, neque incertus eventus tanti computetur ac si certus esset. * Igitur præter protestationem lucri cessantis, damnique emergentis, atque moræ culpabilis, ratio etiam habenda est periculi sortis ac malæ-

fidei

fidei ipsius mutuatarii, cui mutuans se exponit. Frequens namque experientia docet, debitores sive malè administrando, sive per neglectum, sive etiam per infortunium aut prodigalitatem, suis creditoribus decoquere ac versuram facere. Alii morosi adeò sunt creditoribus, ut non nisi per vim & lites ac graves expensas debita creditoribus exsolvant, quæ causa est vigentis apud Chinenses legis, ut creditoribus adjudicentur triginta nummi ad sortem nummorum centum. Quapropter Regulares Missionarii, qui fidem Christi in ea regione promovere student, communi consilio statuerunt quæstionem hanc deferre ad solidam Petram, & Petri Cathedram consulere, num istiusmodi usuræ in conversis ad Christi fidem tolerari possint. Qui tunc Summus erat Pontifex Innocentius X. discussionem istam Sacræ Cardinalium Congregationi delegavit, quæ indiscriminatim ad triginta pro centum usuras reprobavit, cùm ejusmodi pericula pro rerum & personarum diversitate admodum inæqualia sint: sed judicavit præter titulos damni emergentis, vel lucri cessantis, posse insuper conveniri ac exigi compensationem probabilem, quæ proportionem habeat cum ejusmodi periculis, quæ si contingant, deterior fiet creditoris conditio. Decretum istud sibi exhibitum authoritate Apostolica confirmavit Innocentius X. Pontifex, & refertur à Ludovico Bancel Dominicano Theologiæ Professore.]

XI. De interesse lucri cessantis, quod possit in mutuo exigi, communis est graviorum Doctorum consensus, Ostiensis, Panormitani, Joannis Andreæ, Sylvestri, Caietani, Conradi, Adriani & aliorum quos citant & sequuntur Navarra, Bonacina, Lessius, Covarruvias lib. 3. variarum resolut. cap. 4. Gravis quidem Author Dominicus Soto lib. 6. de justit. quæst. 1. declarat se hanc opinionem non improbare, præferre tamen oppositam negantem esse habendam ullam rationem lucri cessantis, quam ante ipsum propugnaverat Innocentius. Sed sive Doctorum non minoris ponderis ac meriti multò ampliorem multitudinem, sive rationum momenta expendantur, satis perspicuum est, non posse citra injustiam hinc excludi lucrum cessans: qui enim lucrum petit sibi compensari, nihil petit quàm justam, sibique ex collato in alium beneficio debitam indemnitatem. Ex ipsis Juris naturalis regulis haustum est quod sacri Canones declarant, officium suum nemini debere esse damnosum. Ipsaque lex *Ne liberalitate*, D. de re judic. decernit, ne liberalitate sua quis de inopia periclitetur. Ille verò qui privatur mediis ad lucrum aliquod justum destinatis, indubitatè jacturam futuri boni patitur, & deteriorem conditionem incurrit, & consequenter jus habet petendæ indemnitatis, si de illa convenit ab exordio cum illo cujus rogatu se isto ad destinatum lucrum medio spoliavit. Secundò pecunia quæ mutuo datur, quatenus subest destinationi ad lucrativum negotium, simulque ipsius destinantis industriæ, pluris valet, quàm ipsa eadem per se tantùm spectata, cùm in illa priori consideratione sit princi-

pium & semen sperati lucri, idque in se virtute continens lucrum. Igitur sic spectata plus valet quàm seorsim spectata, & divisim ab illo destinato emolumento. Tertiò negari non potest, spem illam lucri efficaciter destinati esse pretio æstimabilem, cùm constet apud omnes, spem lucri, seu quod idem est, speratum lucrum, justo pretio vendi posse, ut constat in Jure de venditione futuri jactus retis, l. *Si jactum*, D. de actionib. empti. Idemque de fructu agrorum futuro, de fœtibus pecorum nondum editis. Quarto par debet esse ratio damni & lucri; contrariorum enim eadem est disciplina. Itaque par debet esse damni & lucri æstimatio. At concedunt Innocentius & Soto, quando ex mutuo damnum aliquod futurum formidatur, licere de eo compensando pacisci. Ergo licet pariter quando speratur lucrum, si spes rationabilis sit. Quintò, quia amissio boni rationabiliter sperati computatur inter damna, & proinde jure merito tenere locum potest damni emergentis, quod à compensatione mutui duo illi Doctores non repellunt. Sextò ex eo quod illi fatentur, licitum esse pacisci de lucro cessante quandocumque aliquis per vim aut fraudem mutuum dare compellitur, concludi facilè potest, licitum quoque esse ita pacisci, nullâ etiam vi, aut fraude adhibita. Vel enim pactio de compensando lucro cessante justa est, vel usuraria. Si justa, ergo licita: si injusta & usuraria, ergo absolutè illicita, & ideo prohibenda quoque homini per vim aut fraudem circumvento, vel compulso. Illa enim compulsio valorem non auget, nec pretium rei mutuatæ. Cumque usura sit jure naturæ illicita, nullus prætextus coactionis potest illam justificare, sed solùm interesse lucri vel damni. Proinde si interesse lucri accedens ad mutuum libertate plena contractum, censetur illicitum, non minùs erit illicitum etiam oppressa libertate. Septimò, si quis me roget ne laborem, vel ut instrumenta artis meæ sibi commodem, quanvis mihi liberum sit vel recusare, vel acquiescere; si tamen acquiescere lubet, possum cum rogante pacisci de præstando mihi lucro quod ex meo labore consequi sperabam. Idem igitur in libero mutuo, quod in libero commodato statuendum; cùm inter se communia hæc habeant, quod gratuitò fiant, & quod celebrentur ambo in gratiam recipientis.

XII. Secluso autem interesse damni aut lucri, necnon pœnâ pecuniariâ, vel inter partes conventâ, vel à Judice decreta ob culpabilem moram, adeo Jura reprobant aliquid ultra sortem peti, ut leges simul Ecclesiasticæ & Imperiales decernant nefas esse creditori fructus obnoxii sibi pignoris percipere, nisi cum pari & æquivalente sortis diminutione, cap. *Ex literis*, de jurejur. & l. 1. C. de distract. pignor. Ergo pari, imò fortiori jure, quidquid fœnerator aliunde ex minùs sibi obnoxiis debitoris bonis exigit, computandum est in sortis ipsius parem diminutionem.

XIII. Ut autem mutuator licitè possit id quod sua interest in pactum deducere, tres quæ sequuntur conditiones necesse est concurrere. Prima

est

est, ut mutuum sit verè causa damni emergentis, aut lucri cessantis: verbi causâ, ut pecuniam destinatam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ subtraham ab illa destinatione, eo quòd tibi mutuem. Nec id solùm, sed requiritur insuper, ut non habeam aliam penes me otiosam pecuniam, quam possim substituere in eundem usum, ad quem priorem destinaveram pecuniam, quam tibi do mutuo: si enim par alia pecunia mihi restet, cessabit prætextus lucri cessantis, aut emergentis damni, cùm facilè possim illud interesse reparare impendendo in hoc ipsum eam quæ mihi supereſt, pecuniam otiosam. Ad hoc tamen non est necesse illam pecuniam computare, quæ in alios eventus rationabiliter sepositа est, ut rectè notat Navarra capite 17. num. 212. qualis est illa quæ reservatur ad alimenta & provisiones familiæ, ad filiorum dotem, ad emendam præfecturam, vel officium, ad casus fortuitos, quos prudens & commodus paterfamilias debet præcavere, ne inopinatò ingruente aliquo eorum opprimatur, ut sunt morbi privati, incendia, bella, epidemiæ, occurrentia litigia, longinquæ profectiones. Secunda conditio est, ut minùs lucrum exigas, quàm quod ex tua destinatione sperare poteras; siquidem deducenda est laborum & expensarum æstimatio, & quanti minoris valet id quod futurum atque incertum est, quàm quod certum est & præsens. Tertia demùm conditio est, ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed post conveniens intervallum: ut si ex mutuo centum aureorum debeantur mihi octo lucri cessantis, non pacisear octo statim mihi solvi; alioqui enim jam reipsa non mutuo centum, sed solùm nonaginta duos aureos: & tamen non minùs ex illa imminuta summa referrem nomine interesse, quàm si mutuassem centum. Medina de usur. quæst. 3. §. *Septima conditio*, Lessius cap. 20. dub. 11. num. 99.

XIV. Hîc admonendos duco & pœnitentes, & Confessarios, plerumque fieri, ut homines per cæcum sui amorem decipiant alios, atque etiam seipsos falsis prætextibus, quibus suas obvelant usuras ad excusandas excusationes in peccatis. Unde Sanctus Papa Gregorius 1. parte Pastoralis, capite 9. ait: *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur.* Multi quippe fundant interesse in hoc, quod possent creditam pecuniam exponere legitimo alicui lucro; cùm tamen nullum ad id habeant, aut habuerint efficax propositum, aut etiam repugnantem habeant voluntatem ob pericula quæ reformidant. Isti quidem identidem affirmant, se nunquam commissuros, ut suæ pecuniæ arcis otiosæ includantur; cùm tamen aut solum intendant ex mutuo lucrum, vel saltem de aliis lucrandi modis nihil certò ac efficaciter proponant, nisi fortè solo illo casu, quo fidi debitores non occurrerent, quibus tutò suam pecuniam cum fœnore credant. Illud propositum est planè præposterum, nec potest fundare lucrum cessans. Ut enim verè obtendi possit cessans lucrum, necesse est ante mutuum præcessisse completam & efficacem voluntatem aliis negotiis licitis & lucratoriis pecuniam

cuniam istam impendendi, quam postmodùm rogor alii mutuo credere. Id-
que adeò certum est, ut Toletus libro 5. cap. 32. num. 2. & 3. asserat omnes
hac in re Doctores convenire. Et tamen eorum plerique qui lucrum ces-
sans prætexerunt, recusare solent occurrentes occasiones illius lucri, quod
sibi cessare prætexunt, quales sunt prædiorum frugiferorum empriones,
frugum aut fructuum mercimonia, veræ, nec fucatæ cum mercatoribus
societates, aut census perpetui; quia videlicet in hoc unum, aut certè pri-
mariò intendunt, ut lucrum specioso & fallaci prætextu reportent ex mu-
tuo cum certissima mutuatæ sortis recuperatione, quæ magna est avaritiæ
illecebra.

XV. In pignoribus quoque & hypothecis contrahitur etiam palliatum fœnus, ut fit in pacto legis commissoriæ, quod debitorem amissioni pignoris adstringit, transfertque illud in creditorem, si tempore præstituto non solverit. Jubent verò leges pignus distrahi, & ex ejus pretio summam debitam deduci, quâ creditori satisfiat, necnon distractionis impensas; totum verò residuum restitui debitori. Pactum legis commissoriæ circa pignora damnatur in utroque Jure, cap. 1. & 2. de usur. & l. 1. & 2. C. de pignorat. actione. Verùm duobus casibus Canones permittunt creditori fructus pignoris percipere sine sortis diminutione. Primus est, si dominus feudi pro debita sibi à vassallo pensione sumat in hypothecam ipsum feudale prædium; non enim quos inde fructus capiet, conferre tenebitur in sortem, cap. 1. & cap. *Conquestus*, de usur. & cap. 1. de feudis. Ex quo enim feudum in manus Domini directi recidit, spectant ad ejus dominium fructus ex jure feudali. Secundus casus est in pignore dotali, quod socer genero assignavit. Potest enim gener fructus sine dotis diminutione percipere pro sustinendis oneribus matrimonii, cap. *Salubriter*, eod. tit. Ulteriùs addit Soto de justit. lib. 6. quæst. 1. art. 2. idem juris esse in vidua, quæ mortuo viro suam nondum dotem recepit, ut possit ad onera viduitatis sustinenda fructibus frui dotalis hydothecæ sine ulla dotis deductione. Cæteroqui fructus quos creditor ex pignore percipit, computandi sunt in sortis diminutionem, cap. 1. & d. cap. *Salubriter*, de usuris.

XVI. Denique hoc sciendum, prohibitum esse ab utroque Jure, Ecclesiastico & Civili, usuras nondum persolutas in sortem convertere, l. *Ut nullo modo*, C. de usur. & Pii V. constitutio de censibus idem prohibet, ne census autea constitutus augeatur ex pensionibus debitis quidem, sed non solutis, quanvis ex jam solutis augeri possit. Navarra quidem, Azorius, Bonacina de contractib. disput. 3. quæst. 4. num. 40. aliique Doctores asserunt istam prohibitionem non esse juris naturæ, sed dumtaxat positivi in æquitate fundati, ne censuarii hujusmodi accessionibus supercrescentibus opprimantur. Quæ prohibitio dum viget, obligat secundùm conscientiam, sicut & aliæ juris positivi dispositiones, de quibus pronunciat Apostolus Rom. 13. *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Idcò necessitate subdi à*

estote

estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Usuras usuris supernascentes vocant Græci Anatocismum.

XVII. Plerumque usuvenit, ut novus creditor alienum mutuum suâ pecuniâ exsolvendo, subrogetur in jus & nomen prioris creditoris, qui justo titulo lucri cessantis, vel emergentis damni usuras ex mutuo reportabat, quique novo isti creditori qui id mutuum exsolvit, omni jure suo cedit: quæritur an vi hujus cessionis licitum sit subrogato huic creditori easdem usuras circa mutuatarium continuare? Videbitur forsan alicui hoc ei licere, tanquam successori ac cessionario prioris creditoris qui eas licitè exigebat, juxta communem utriusque Juris regulam: *Qui in jus alterius succedit, eodem quo ille jure uti debet.* Cæterùm contrarium prorsus statuendum, nisi novus iste creditor similiter patiatur lucri, vel damni interesse. Cùm enim jus illud quod pristino creditori competebat, sit penitus per solutionem extinctum, non potest in subrogatum creditorem transmitti, secundùm alteram istam Juris regulam: *Nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet*, cap. *Nemo potest*, de regul. jur. in 6. & l. *Nemo plus juris*, D. eod. Caput istud concludo legis tum Romanæ, tum Francicæ prohibitione. Justinianus non committit ut tutores & curatores (in quibus erat plausibilior usurarum prætextus) minorum pecunias usuris exponant; sic enim novellâ 72. §. *Quoniam*, sancit: *Quoniam autem videmus curatores, quicumque Dei memoriam habent, ad curam difficulter accedere propter fœneratorum necessitatem, sancimus nullam necessitatem ex legibus esse curatoribus minorum pecunias fœnerari, sed cautè reponere & reservare.* Successit posterior novella Basilii Macedonis, prohibens tutoribus & curatoribus minorum & pupillorum pecuniam fœnori dare. Deinde altera Leonis cognomento Philosophi, qui patri Basilio successit, quâ profitetur pupillares has usuras divina lege vetitas esse: permittit tamen generaliter usuras, quemadmodum alia mala publicè tolerantur, ut Judaïci cultus, lupanaria, eo quòd inopes urgente necessitate non aliam possent nanciscì pecuniam nisi fœnebrem. His subjicio Henrici III. Gallicanam Sanctionem in Comitiis Blesensibus, art. 202. *Omnibus cujuscumque sexus & conditionis inhibemus usuras exercere, ac pecuniam fœnori mutuare vel lucro, sub pœna pro prima vice honorariæ petendæ veniæ, & exilii, & gravis pecuniariæ multationis, cujus quarta pars denuntiatoribus adjudicabitur. Pro secunda autem vice pœna corporea & generalis bonorum confiscatio infligetur. Quibus iisdem pœnis subjacere decernimus etiam proxenetas & mediatores usurarum.*

CAPUT

* CAPUT VII.

De usura fundata super periculo sortis.

I. CIRCUMSPECTE procedendum est in discernendis periculis creditæ sortis : cupiditas enim , quam radicem malorum omnium vocat Apostolus , plerumque animam excæcat , ut sibi pericula effingat , quæ reipsa nulla sunt ; aut gravia putet quæ leviora sunt. Nec tamen negari potest , vera pericula quibus res exponitur , esse pretio æstimabilia , omnisque & jacturis obnoxia , quæ recta ratio & justitia compensari meritò judicent , ne unicuique officium suum vertatur in damnum. Hæc itaque æstimatio judicium requirit probi prudentisque viri. Frequens enim docet experientia, multos accidere casus , per quos res creditæ deteruntur vel consumuntur, aut eò adducuntur sive ex debitorum adversis rebus , sive ex aliorum creditorum concursu, sive ex mala fide vel judiciis tricis & artificiosis evasionibus , sive ex inevitabilibus litium expensis, sive ex Judicum ipsorum favoribus & corruptelis , ut multis satius fuerit rem debitam non repetere quàm judicio prosequi : ita ut certissima veritate nitatur ista Juris regula : *Minus est habere actionem quàm rem* , lege *Minus est* , D. de regul. jur.

II. Licitum est igitur in mutuo aliquid supra sortem recipere ratione periculi amittendi sortem , aut recuperandi cum molestiis , laboribus & expensis , ut docent Sylvester verbo *Usura* 1. quæst. 35. Petrus Navarrus lib. 3. cap. 2. num. 343. Medina tract. de restit. quæst. 38. Filliucius tract. 34. num. 97. & 103. Bonacina de contract. disp. 3. quæst. 3. puncto 5. Cessant tamen hujusmodi cautiones ubi creditor nihil periclitatur , eo quòd sit præmunitus idoneis cautionibus , fidejussoribus & pignoribus. Sed tandem præter rationis & periculi evidentiam , quale non tenetur creditor subire, quæstionem & resolutionem istam extra omnem dubitationis aleam eximit Decretum Sacræ Congregationis ab Innocentio X. Pontifice approbatum postulantibus apud Sinensium regionem Regularibus Missionariis , Romæ typis editum anno 1645. relatumque à Ludovico Bancel Dominicano Professore Theologiæ in Avenionensi civitate , & Fidei Inquisitore , in sua Morali Summa , verbo *Usura* , his sancitum verbis : In præfato Sinarum Regno lege stabilitum est ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis & damni emergentis. Quæritur utrùm Christianis sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo , licèt non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens , prædictam triginta pro centum quantitatem

ritatem lege Regni taxatam accipere? Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, quod qui accipit mutuum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necesse sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi. *Censuit Sacra Congregatio Cardinalium S. R. E. ratione mutui immediatè & præcisè nihil ultra sortem principalem esse accipiendum. Si verò aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id quod accipitur.*

III. Apud quosdam Summistas evidenti rationi prævaluit capitis *Naviganti*, de usur. malè intellecti, aut ut alii volunt, depravati authoritas, cujus capitis hæc leguntur verba: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod in se recepit periculum recepturus ultra sortem, usurarius est censendus.* Quidam textum prout vulgò legitur, falsitatis arguunt, & ablatam negativam vocem conqueruntur, voluntque legi, *Usurarius non est censendus.* Id contendit scribens in hoc ipsum caput Barbosa, idque clarè infert ex collatione verborum immediatè subsequentium: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licèt tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Ubi particulæ, *Ille quoque*, indicant Pontificem velle neutrum censendum esse usurarium. Si enim de uno vellet, & non de altero, non addidisset, *Ille quoque*, quæ sunt voces paritatis & conformitatis; sed dixisset, *Et ille econtrà.* Idque probabiliùs commonstrat, ab exscriptore aliquo fuisse depravatum textum, amotâ negativâ. Alii verò, quos allegat & sequitur loco superiùs adducto Bonacina, advertentes alienum esse ab ordinario usu, si mutuans ipse assecuratorem se constituat erga mutuatarium illum mercatorem, omnemque inter creditorem & debitorem initam obligationem supra mutui solutionem additam, reprobari jure ipso ut usurariam, colligunt à mutuante fuisse mutuatario impositam legem, ut non alium quàm seipsum eligeret adversùs pericula obventura fidejussorem; & fortassis acceptâ (quod deterius est) à mercatore cui mutuabatur, pecuniâ.

IV. Pari ratione, tametsi usurarium sit cariùs vendere præcisè ob dilatam solutionem mercium, cap. *In civitate*, de usuris; licitum est tamen creditò vendentibus augere aliquatenus pretium ob incommoda quæ subit mercator: tum quia solitus est de præsenti pretio nova contrahere mercimonia, suaque augere lucra, quod est verum lucri cessantis, aut damni sibi emergentis interesse: tum etiam ob periculum, cui se exponit, pretii vel amittendi, vel diminuendi, vel cum expensis, aut cum emptoris malevolentia & molestiis recuperandi. Etiamsi verò postmodùm contingat, ut mutuator aut emptor rem suam vel pretium sine jactura vel molestiis, quales

apparenter metuebantur, recipiat, potest sibi augmentum prædictum retinere, modò pretium non fuerit immoderatum, & reverà periculum fuerit amittendi vel expendendi, aut graves subeundi à debitore molestias. Ratio est, quia propter hujusmodi pericula quibus se creditor exposuit, res ipsa pluris valebat, ideoque potest excessum retinere. Petrus Navarrus lib. 3. cap. 2. num. 134. Covarruvias lib. 2. var. resol. cap. 3. num. 6. Lessius lib. 2. dub. 4. num. 28. & 52. Bonacina de contract. disput. 3. quæst. 2. puncto 4. num. 18. & 19. Medina de restit. quæst. ult. aliique. Justitia quidem commutativa, ut docet Aristoteles, in æqualitate consistit utrobique servanda, lib. 5. Ethic. cap. 5. sed æqualitatem ac pretium variant diversæ circumstantiæ hinc inde occurrentes.]

CAPUT IX.

De Emptione & Venditione.

I. CONTRACTUUM alii celebrantur in gratiam dantis, ut depositum; alii in gratiam accipientis, ut mutuum, commodatum, donatio; alii in gratiam utriusque, ut emptio venditio, locatio conductio, pignus, societas. Secundùm tres hasce differentias alii contrahentium tenentur de dolo & lata culpa tantùm; alii pariter de levi culpa; alii etiam de levissima. Culpas hîc intelligimus civiles; non enim necesse est esse theologicas, id est quæ apud Deum pro peccatis imputentur. Si ergo res alterius sit apud te per contractum qui in tuam solius utilitatem initus fuerit, teneris, si res intereat, non tantùm ex lata, sed etiam ex levi, & levissima tua culpa; ut si liber, aut equus tibi commodatus apud te ex levissima tua culpa deperdatur. Hoc docet caput unicum de commodato, his verbis: *Cùm gratiâ sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur:* & lex *In rebus commodatis*, D. commodati. Ex officio quippe gratitudinis summam in aliena re gratis concessa diligentiam convenit exhiberi. At vice versa si contractus in solius domini commodum cedat, solam latam culpam præstare tenetur is qui rem habet alienam. Exemplum est in depositо, Instit. quibus modis re contrah. oblig. §. *Præterea & is*, ubi decernitur, depositarium ex solo dolo teneri. Ibi verò per dolum lata quoque culpa intelligitur, ut ibi Glossa exponit. Denique si contractus cedat in utriusque, dantis simul & accipientis emolumentum, tenetur quis in re conservanda de lata & levi, sed non de levissima culpa. Instit. ut suprà, §. *Creditor*. Et in universum triplicem

cem istam æquitati valde consentaneam distinctionem tradit lex *Contractus* 23. D. de regul. jur.

II. Cùm igitur emptio venditioque celebrentur in gratiam & commodum utriusque contrahentium, isti non tenentur de leviſſima, sed de lata & levi culpa, si res dispereat, aut deterior fiat. Admodum tamen probabilis est assertio Lessii lib. 2. cap. 7. num. 43. non teneri contrahentes de levi aut leviſſima culpa in foro conscientiæ, nisi post Judicis sententiam, cùm in his duabus aut nullum, aut solum veniale ex quadam inadvertentia peccatum contingat. Sed si damnum futurum advertit sufficienter, & neglexit, ibi intervenit lata culpa, quanvis malitia abfuerit; & in foro conscientiæ tenetur sic lædens læsæ parti satisfacere.

III. Emptio est pactio pretii pro merce. Venditio est pactio mercis pro pretio, juxta l. 1. D. de contrah. empt. Tria igitur ad hujus contractus substantiam efflagitantur: merx, pretium, & mutuus consensus.

IV. Rerum venalium pretium duplex distinguitur, scilicet legitimum, quod à Magistratu, vel à Principe, vel à Republica præfixum est; & vulgare, quod à communi prudentium æstimatione dependet, juxta legem *Pretia* 63. D. ad legem Falcid. *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter finguntur.* Pretium legitimum consistit in indivisibili, ut non liceat illud tantisper augere. Vulgare autem habet aliquam latitudinem, & dividitur in summum, medium, & infimum: ut si medium sit centum, infimum poterit esse nonaginta quinque, summum verò centum & quinque, ut docet Covarruvias lib. 3. variarum resol. cap. 3. num. 1. Ubi prævalet legitimum pretium, non licet illud supergredi, aut minuere; & si secus fiat, restitui debet. Sed ubi vulgare dominatur, potest idem mercis genus nunc pluris, nunc minoris vendi, modò non transiliantur fines summi aut infimi pretii: quod enim transilierit, restituendum est. Neque obstat lex *In causæ cognitione*, D. de minorib. *Idem Pomponius ait, in pretio emptionis venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire.* Hoc enim intelligendum de circumventione intra latitudinem pretii vulgaris, juxta Covarruviam loco cit. num. 2. Adhuc enim versatur quis intra justi pretii fines, si summum, aut infimum non transiliantur. Et prævalere debet illa quæ supra omnes leges excellit prohibitio Apostoli 1. Thessalonic. 4. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus.* Etsi verò in externo foro non concedatur actio ei qui vendendo viliùs, vel cariùs emendo non excessit dimidium justi pretii, l. 2. C. de resc. vendit. cui suffragatur cap. *Cùm dilecti*, & cap. *Cùm causa*, de empt. & vendit. id ita constitutum est ad vitandas innumeras lites & dissidia quæ nascerentur, si ex qualibet læsione daretur actio; non tamen per hoc extinguitur obligatio conscientiæ ad restituendum in foro interiori, & coram Dei judicio, in quo exigitur ratio usque ad ultimum quadrantem. S. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 1.

V. Illa quidem lex 2. Cod. de rescind. vendit. loquitur de solo venditore læso ultra dimidium justi pretii, quia de solo venditore fuerant Imperatores interpellati. Quæritur an sit idem quoque judicium de emptore læso? Affirmat ibidem Accursius, eaque est communis sententia, licèt Cujacius in paratitl. eod. tit. hoc jus ad emptorem extendi nolit. Sed cùm sit ille contractus mutuus ex eorum genere qui peræquè fiunt in gratiam utriusque, justitia exigit, ut eodem uterque jure gaudeat. Et ita sæpiùs in emptorum gratiam Aquisextiensis Senatus judicavit. Quæritur præterea, quatenus sit æstimanda læsio ista ultra justi pretii medietatem? Glossa dictæ legis sufficere dicit ad rescissionem, si res cujus justum pretium est nummorum quindecim, vendita fuerit minùs decem nummis. Sed receptius est, ut ad rescissionem in externo foro requiratur ut medietas sumatur respectu totius ac integri pretii conventi, juxta Cujacium & Mornacium ad d. l. 2. & sic judicari assolet in Curiis Gallicanis. At in foro conscientiæ standum est his quæ dixi de lasione quantumvis exigua, quæ latitudinem transilierit justi pretii, sive per excessum, sive per defectum.

VI. Quæritur an propter peculiarem in rem affectum, quæ neque legitimo, neque vulgari pretio æstimetur, ut sunt insignes quædam tabulæ, statuæ, & similia, vendi possint quanti velit earum dominus? Affirmant quidem Sotus lib. 6. de justit. quæst. 2. art. 3. & Petrus Navarra lib. 3. de restit. cap. 2. num. 11. Sed istud non absolutè concesserim; justus enim valor numquam esse potest illimitatus; sic enim nulla servaretur æqualitas, nullaque proportio dati & accepti. Tametsi autem privatio affectionis & oblectationis quæ habetur ex possessione & usu rei raræ atque insignis, sit pretio æstimabilis, ideoque justam præbere possit causam cariùs vendendi, non tamen illimitato ac enormi pretio, sed quali taxaretur à prudenti & ingniter perito harum rerum viro, qui rei raritatem ac singularitatem agnoscens, simulque ipsam oblectationem & affectum, intra aliquos tamen rationis & moderationis terminos æstimabit. Affectus namque immoderatus reducendus est ad aliquem discretionis modum, & nullatenus enormi pretio redimendus. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 3. & 4. num. 27. Objicienti verò nullam emptori fieri injuriam sponte & citra ullam necessitatem tanto pretio emere consentienti, cùm sit unusquisque rerum suarum moderator & arbiter, l. *In re mandata*, C. mandati; & res tanti valeat quanti vendi potest, l. 2. §. *Si hæres*, D. ad Trebellian. Respondeo hæc intelligenda esse intra modum & terminos rectæ rationis; alioqui per eandem rationem licitum esset mutuum dare cum usuris etiam omnem modum excedentibus, illi qui nullâ compulsus necessitate mutuum petit ad ganeam, aleam & scorta insumendum; & omnes à Jure contractibus & humanæ societati præfixi limites dispellerentur.

VII. Item quæritur, utrum liceat rem suam eo nomine cariùs distrahere, quòd sit valdè commoda, aut etiam necessaria emptori? Respondeo negativè:

negativè cum S.Thoma 2.2. quæst.77. art.1. & Scoto in 4. dist.15. quæst.2. Martino Navarra cap. 23. num. 83. Petro Navarra lib. 4. de restitut. cap. 2. Lessio lib.2. cap.21. dub.4. num.31. Bonacina de contractib. disp.3. quæst.2. puncto 4. num.27. & aliis communiter. Summa hujus ratio est, quia nemo potest licitè vendere rem alienam; atque ita cùm præfatum emptoris commodum non pertineat ad venditorem, non potest ab eo vendi, aut ejus prætextu pretium augeri, ut neque creditor plus exigere à mutuatario ratione commodi eidem ex mutuata pecunia obventuri: dominium enim tam rei venditæ quàm mutuatæ ad solum mutuatarium, vel emptorem pertinet. In his duobus plerique delinquunt, & istam venditorum injustitiam pauci Confessarii advertunt, vel ab ea dehortantur, aut eâ demùm factâ, ad restitutionem ejus quod superexcedit obligant.

VIII. Contractus emptionis & venditionis consensu partium perficitur, ac ideo contrahi potest inter absentes per nuntium, aut per epistolam, ut docet lex 1. in fine, D. de contrah. empt. Et traditionem ad sui essentiam & obligationem non requirit, sed tantùm ad ultimum sui complementum, propter quod celebratur. Factâ ergo inter ementem & vendentem conventione, uterque statim obligatur, etiam re non tradita, vel pretio nondum soluto. Eoque fit ut si post mutuam conventionem res depereat penes venditorem sine ipsius culpa, hoc damnum pertineat ad emptorem, juxta legem *Quod sæpe*, §. *In his*, D. de contrah. empt. l. *Inter patrem* 2. §. *Sine pretio*, D. eod. l. *Empti fides*, C. eod. tit. & l.1. & seq. C. de peric. & com. rei vend. Sylvester verbo *Emptio*, num. 3. Covarruvias pract. quæst. cap. 3. num. 5. Lessius lib.2. cap.21. dub.12. Idem sentiunt Gallicani, Charondas in Pandectis Juris Francici, lib.2. cap. 29. Despeisseus tomo 1. de empt. & vendit. sect.3. num. 13. & 14. Similiter si vendita res tradita sit emptori, necdum soluto pretio, & pereat, aut deterior penes eum fiat, damnum illud solum attingit emptorem, qui adhuc tenebitur ad pretium, d. l. *Empti fides*, C. de contrah. empt. hac ratione, quia res domino perit. Despeisseus loco cit. sect.5. num.30.

IX. Venditor non solùm rem venditam emptori tradere tenetur, sed etiam si contingat rem venditam ab alio quopiam evinci de emptore, venditor tenetur erga emptorem de evictione, l. *Servus quem*, §. 1. D. de act. empt. & vend. l. *Ex empto*, §. *Et in primis* 2. D. eod. l. *Qui fundum* 45. D. de evict. Non tamen tenetur venditor de damno & interesse, nisi dolo suo emptorem circumvenerit; sed sufficiet si emptori pretium restituat quod acceperit, l. *Ex empto*, §. fin. D. de act. empti.

X. In venditione non licet uni contrahentium altero invito à conventione discedere, l. *De contractu* 3. Cod. de rescind. vend. Possunt tamen interveniisse pacta quædam ab initio, per quæ contractus iste alterâ invitâ etiam parte dirimatur ex postfacto. Hujusmodi tria ista sunt: Pactum legis commissoriæ, pactum addictionis in diem, & pactum redemptionis.

Vidimus superiùs quàm sit illicitum pactum legis commissoriæ in pignoribus & hypothecis; sed ejusdem legis pactio circa venditionem licitè fit, ut scilicet si intra statutum tempus pretium non solvatur, revocetur emptio ac si facta non fuisset, l. *Cùm venditor* 2. & l. *Si fundus* 4. in princ. & in §. *Marcellus*, D. de lege commiss. Quin etiam emptor arrhas perdet, quas dederit, nisi aliud expressè conventum fuerit, l. *De lege* 6. in princ. D. de rescind. vendit. fructusque à se perceptos restituet, l. *Sed Celsus*, §. *Si fundus*, D. de contrah. empt. & l. *Lege fundo vendito dicta*, D. de lege commissor. Valet quoque pactum addictionis in diem, seu de retrovendendo, ut si intra præfinitum diem alius emptor meliorem obtulerit venditori conditionem, seu majus pretium, prior venditio non subsistat, l. *Quoties*, in princ. D. de in diem addict. Idemque jus est si fuerit pactum, ut possit venditor rem à se venditam redimere intra præstitutum tempus, l. *Si fundum*, & l. *Si à te comparavit*, C. de pact. int. empt. & vendit.

XI. Dissolvitur pariter venditio in regno Galliæ per retractum, qui sit ab agnatis venditoris par pretium offerentibus intra annum incipientem decurrere postridie contractus. Cui locus fuit olim apud Judæos, Levit. 25. & Ruth cap. 4. Invaluerat & apud veteres Romanos: sed hoc abrogarunt Imperatores Valentinianus & Theodosius l. penult. C. de contrah. empt. Redintegratum verò est in Gallia ad bona immobilia intra consanguineos conservanda. Ideoque retractum intentans jurejurando affirmare compellitur, velle sibi retinere, neque potest alteri jus suum cedere. Boërius decis. 139. Imbertus in praxi, Mainardus lib. 2. cap. 81. Grimaudetus lib. 1. de retract. cap. 5. & lib. 6. cap. 4. Ad retractum agnationis fœminæ quoque admittuntur. Despeisseus 1. p. tit. de emptione, sect. 6. num. 9. Grimaudetus lib. 2. de retractu, cap. 5.

XII. Dissolvitur quoque venditio per retractum feudalem aut censualem, quod vocatur etiam jus prælationis, sive retentionis: & excludit hoc genus retractus ipsos quoque agnatos emere, aut retrahere volentes, quia jus feudale ac censuale in proprietate & dominio fundatur ipsius prædii, quale jus dominii nullum præcessit in retrahere contendentibus agnatis. Huic juri, non autem agnatorum, favent Imperiales leges, l. fin. C. de jure emphyt. & lib. 2. feudorum, tit. 9. §. *Porrò*, Mascuerius in praxi, tit. de feudis 26. num. 4. Guido Papæ quæst. 415. Charondas lib. 2. Pandectarum, cap. 15. Rebuffus tract. de constitut. reddit. art. 1. glossa 17. num. 15. His juribus subjiciuntur omnia prædia moventia sive à Domino feudali, sive à Domino quocumque directo. His etiam Dominis debetur quoque laudemium ab emptore solvendum, cujus taxa & æstimatio varia est pro locorum diversis consuetudinibus, vel statutis. Jus commune definit illud ad quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, l. fin. Cod. de jure emphyt. Hoc verò sciendum, majorem esse retractus feudalis, quàm gentilitii prærogativam, quatenus agnati non possunt jus suum alteri cedere;

cùm

cùm tamen Dominus directus possit jus suum retinendi cedere alteri, vendere, & omni modo transferre, ratione dominii directi, in cujus fructibus censentur laudemia, census & retractus: quorum fructuum liberam habet dispositionem, ut testantur Charondas lib.3. responsorum, cap.22. & lib.7. cap. 140. & 148. Mainardus lib.8. cap. 20. Mornacius ad legem 16. D. de legibus, Renatus Chopinus lib.3. de Domanio, cap.23. num.5. aliique communiter.

XIII. Minimè usurarium aut illicitum est vendere frumentum aliasve fruges, aut etiam mutuare hoc pacto, ut vel pretium emptionis, vel pat quantitas rei mutuo creditæ solvatur alio tempore quo fruges, aut merces istæ plus fortasse valebunt, dummodo istæ concurrant conditiones, & non aliter. Primò, ut liberum accipienti relinquatur solvere, si velit, aut possit ante id tempus solutioni præfinitum. Secundò, ut æquè incertum sit, utrum valor augendus sit, an minuendus tempore illo præfinito. Sic enim statuit caput *Naviganti*, §. *Ille quoque*, de usur. *Quæ licèt tunc plus valeant, utrùm plus vel minus tempore solutionis fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Idem habet caput *In civitate*, eodem tit. his verbis: *Nisi dubium sit, merces illas plus minusve solutionis tempore valituras.* Hæc tamen secunda conditio non requiritur in illo qui ideo præfinit tempus istud solutioni, sive mutui, sive pretii rei venditæ, quia jam apud se statuerat rem suam in id tempus servare, quo sperabat pretium auctum iri; utitur enim jure suo, nec aliud amplius quàm indemnitatem quærit. Præterea idipsum decernitur dicto cap. *Naviganti*, §. *Ratione*, his verbis: *Excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius quàm tunc valent, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Sed in isto casu istæ conditiones servandæ sunt. Primò, ut qui venditionem rei suæ in id tempus reservabat, quo pretium sperabatur auctum iri, potuerit simul actu ipso & jure suo differre, qualis est qui fruges ex propriis latifundiis aut redditibus colligit. Non enim licitum est frumentatoribus & dardanariis (sic enim in Jure Romano vocantur) frumenta quæ ad negotium coëmerunt recondere, atque in opportunius ad lucrandum tempus venditionem eorum differre. Horum enim coëmptione & occultatione fruges venales deficiunt, annona supprimitur, & plebecula fame & inopiâ absumitur. Quamobrem dicit Salomon Proverb. 11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* Et canones districtè vetant recondere fruges viliùs emptas in aliud tempus, ut cariùs in eodem loco vendantur, can. *Canonum*, & can. *Quicunque*, 14. quæst.4. Secundò, ut expensas deducat, quas facturus idem venditor fuerat ad servandum merces suas usque ad præfinitum diem, ut est pretium conductionis horreorum, apothecarum, cellariorum, vasorum in quibus recondendæ erant. Præterea æstimationem computet diminutionis, deteriorationis & periculi harum mercium in id tempus reservandarum

vandarum. Cùm enim venditor aut creditor fiat ab his omnibus expensis & damnis immunis, ex quo res istas vendidit aut mutuavit, si ista non computaret, plus exigeret quàm sibi ex justitia deberetur, & ultra suam indemnitatem in illa anticipata pretii, aut mutui taxatione. Tertia demùm requisita conditio est, ut si differatur pretii æstimatio quamdiu valitura res erit die, vel hebdomada, vel mense designatis, non computetur summum, sed tantùm mediocre quod erit illa die, hebdomada, vel mense pretium, ut justa quoad fieri poterit, servetur æqualitas. Ita communiter Summistæ, Angelus verbo *Usura* 1. §. 36. M. Navarra cap. 17. num. 219. Covarruvias lib. 2. variar. resolut. cap. 3. num. 6. Petrus Navarra lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 262.

XIV. Is qui bona fide rem furto ablatam emit, cùm primùm sciverit ejus dominum, tenetur obligatione rei acceptæ restituere domino, nec ullum jus habet petendi, aut compensandi pretium à se datum, nisi cum solo fure, non verò cum domino, l. *Inæquilem*, C. de furtis, l. *Si mancipium*, C. de rei vindicat. l. *Super empti*, Cod. de evict. Res enim aliena pro domino interpellat. Hoc tamen Doctores communiter ita modificant, ut is qui bona fide rem furtivam emit, possit re cognita, dissolvendo contractum, rem in eum statum in quo fuerat ante contractum reducere, atque ita rem furi à quo emerat restituere, ut ab eodem pretium recuperet quod solverat; cum admonitione tamen restituendi domino cui furripuerat. Sylvester verbo *Restitutio* 3. quæst. 7. Angelus verbo *Restitutio* 1. num. 1. Alexander Alensis 1. parte, quæst. 86. membro 3. art. 5. Gabriel Biel in 4. distinct. 15. quæst. 3. artic. 3. dub. 5. ubi citat Ostiensem, Navarra cap. 17. num. 9. Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 3. num. 14. Hic enim contractus fuit omnino involuntarius, cui error causam dedit. Et aliunde licitum est unicuique bona fide agenti consulere juri suo præ altero: præsertim quum rescindendo contractum non constituit rem in diverso quàm qui præcesserat statu, argumento legis *Si Præses*, C. de servit. & aqua: & cap. *Non licet*, 23. quæst. 5. Imò Alensis, Gabriel, Sylvester & Angelus hoc quoque extendunt ad illum qui scienter emisset rem furtivam. Sed ab his dissentio cum Navarra num. 10. Qui enim mala fide acquisivit, transtulit in se omnem obligationem restituendi, quâ fur venditor erat obstrictus; & tenetur titulo injustæ acceptionis perinde ac fur, à quo emit scienter. Hoc tamen tenendum, quod si quis exiguo pretio rem majoris æstimationis redemit à fure, alióve injusto retentore, hoc animo ut eam domino redderet, jus habet repetendi à domino pretium à se erogatum, & tenetur dominus illud ei persolvere, utpote qui suum negotium utiliter gessit. Atque etiam in foro externo solvere compelletur, l. *Si quis absentis*, D. de negot. gest. & Instit. de obligat. quæ quasi ex contractu nasc. §. 1.

XV. Celebris est disputatio, utrùm sciens pretium mercis mox esse minuendum, possit eam pretio currente vendere? Aut utrùm sciens nummorum

morum valorem esse reducendum novo quod præparatur Edicto, possit celeriter nummis quos habet, se expedire, sive emendo, sive debita redimendo? Cicero quidem libro 3. officiorum, affirmat hæc esse contra justitiam, & in fraudem alterius insciì contrahentis. Ex adverso nihil inesse injustitiæ docent Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 3. ad 4. Caietanus ibid. Sylvester verbo *Emptio*, quæst. 15. Sotus libro 6. quæst. 3. art. 2. ad 3. Covarruvias ad regul. *Peccatum*, parte 2. §. 4. num. 5. & 6. aliique communiter. Id probatur exemplo Joseph, qui sciens mox futuram per plures annos frumenti caritatem & agrorum sterilitatem, omne frumentum Ægypti pretio currente comparabat, Genesis 41. Et ratione ista firmatur, quia res juste venduntur & emuntur secundùm præsentem æstimationem, sive mercium, sive monetæ. Nec verò privata unius, aut alterius circa futurum notitia tollit præsentem & approbatum rerum, aut nummorum valorem ac æstimationem, in quibus fundatur pretii justitia. Præfatis quoque Authoribus suffragantur Armilla verbo *Emptio*, num. 20. Petrus Navarra lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 68. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 5. num. 40. Bonacina de contractib. disput. 3. quæst. 2. puncto 5. num. 12. 13. & 14.

XVI. Improbandum prorsus & usurarium est genus illud emptionis venditionis, quo quis mutuum roganti offert merces ei vendendas altiori pretio, sed tamen intra latitudinem justi pretii, hac intentione easdem merces protinus redimendi justo quidem alias, sed minori pretio, quod statim persolvitur ei qui mutuum rogaverat, quique hoc ipso restat obligatus ad refundendum hoc pretium præfixo temporis termino, simulque id quod superexcedit usque ad complementum majoris pretii in priori venditione stipulati. Hæc est insignis stropha, quâ fœneratores obtegere student mutuum augmento lucri supra sortem cumulatum, occasionem injusti lucri captantes ex inopia supplicis in necessitate sua mutuum rogantis. Scio nonnullos hominum cupiditatibus nimiùm indulgentes contractum istum approbasse, ducem sequentes Martinum Navarram Manualis cap. 23. num. 91. Hæc sanè vel unica est deformitas, vel saltem præ reliquis paucis insignior in scriptis gravissimi & sapientissimi Doctoris, quem decepit justi ex utraque parte pretii fallax prætextus: cùm tamen manifestè se prodat fœnerantis intentio mutuandi sub augmento lucri, & duplicem venditionem simulatam prætexendi ad operiendum verum & usurarium mutuum. Contractum istum, quem Hispani vulgò *Mohatram*, Itali *Stocco* vocant, meritò reprobant Sanctus Antoninus parte 3. tit. 8. cap. 4. §. 4. Medina lib. 1. Summæ, cap. 14. §. 23. Toletus lib. 5. tit. 31. num. 5. Bonacina de contractib. disput. 3. quæst. 2. puncto 3. num. 9. Sanè excusaretur ab usura ille, qui summo pretio vendens nullatenus adduceret emptorem ad revenditionem, si diverso tempore, & spontaneè, ac præter venditoris intentionem emptor sollicitaret venditorem ad easdem à se merces emendas; tunc enim cessat intentio mutui palliati & simulatarum venditionum, & potest in secunda

& tempore diffita venditione offerre juſtum infimum pretium eadem ratione & jure quo quivis alter poſſet. Prædictis adjunge duo provincialia Concilia, ſcilicet Mediolanenſe primum ſub Sancto Carolo, & Burdigalenſe anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi tertii, diſertè prohibentia ne cui præſentem pecuniam quærenti quidquam cariùs vendatur, ut ſtatim à venditore per ſe, vel per interpoſitam perſonam viliùs ematur. Hujuſce generis retrovenditiones reprobarunt unanimes triginta Doctores Pariſienſes, & reprobationi ſubſcripſerunt menſe Februario anni 1666. quorum deinde cenſuram ſuo chirographo approbavit ſequente Martio Cancellarius Pariſienſis Univerſitatis.

CAPUT X.

De Cambiis.

I. CAMBIUM eſt lucroſa pecuniæ cum altera pecunia permutatio. Diſtinguitur in fictum, quod vocant ſiccum; & in reale. Fictum, ſeu ſiccum, eſt verum mutuum, ementito cambii nomine, quo traditur pecunia ſub adjectione lucri ſolvenda, nullo alio titulo, quàm lapſus temporis, dilatâ in alium, qui fingitur, locum ſolutione. Et hoc illicitum eſt & uſurarium, niſi fortè juſtificetur per verum lucri ceſſantis, aut damni emergentis intereſſe. Reale verò cambium bifariam diſtinguitur in minutum, & locale. Minutum eſt permutatio præſentis pecuniæ cum alia præſenti pecunia, ſed inæqualium & diſparium ſpecierum, ut aureæ cum argentea, aut argenteæ cum æreа, aut pecuniarum diversè ſignatarum, quod ſæpiſſimè contingit occaſione migrationis in aliam provinciam, in qua quædam certo modo ſignatæ rejiciuntur, aliæ verò aliter ſignatæ recipiuntur; aut pro locorum in quæ aliquis profectionem parat, diverſitate, pluris, aut minoris valent. Locale cambium, ſeu ad literas, eſt permutatio pecuniæ præſentis cum alia pecunia alio loco per ſyngraphan ſolvenda.

II. Cambia realia, ſive minuta, ſive localia, ſuperaddito pro nummulario ſeu campſore moderato lucro, eſſe licita probat eorum neceſſitas, & publicum ex eis naſcens commodum, & onera ac pericula quibus ſe campſores adſtringunt. Et in ſumma ſunt eadem ratione licita, quâ cæterarum rerum juſta commercia. Etſi enim primarius pecuniarum uſus ad hoc ſit inſtitutus, ut ſint rerum aliarum menſura & pretium; eſt tamen alter earumdem legitimus uſus, habita ratione materiæ ex qua conſtant, ut mercium quoque loco habeantur, ita ut pecunia ex una parte tribuenda

locum

locum mercis teneat, altera verò in ejus compensationem solvenda, sit loco pretii: atque habita materiæ ratione possunt ex causa permutari, aut vendi, aut locari pecuniæ.

III. Cambium locale, seu per syngrapham nonnunquam ita fit, ut solutioni præfigantur primæ, vel secundæ, vel tertiæ alicujus loci nundinæ. Ad cujus intelligentiam sciendum est, nundinas ad quas cambium solvendum remittitur, celebrari quater solere quotannis inter mercatores quibusdam in locis, ita ut inter singulas nundinas spatium intercurrat trium mensium: quod intervallum mercatores requiri aiunt, ut commodè à loco in locum merces & pecuniæ præparentur & comportentur, & literæ ad correspondentes ac socios transmittantur. Itaque cambium fieri ad primas seu proximas nundinas, nihil est aliud quàm mutua inter campsorem & campsarium conventio, ut fiat solutio intra trimestre; ad secundas nundinas, intra sex; ad tertias verò, intra novem menses.

IV. Summa justi cambii lex est, ut servetur, quemadmodum & in aliis commerciis, æqualitas dati & accepti; quæ sicut in aliis mercimoniis, variatur pro paucitate aut multitudine campsorum & campsariorum, pro difficultate majori aut minori transportandi alia in loca pecunias, pro expensarum modo, pro periculis itinerum majoribus, ut tempore pestis, aut hostilis incursionis, aut latronum infestationis; pro locorum in quæ fit transmissio longinquitate, pro pecuniarum in diversis locis majore, vel minore valore, aut etiam reprobatione & inutilitate. Augere verò, aut etiam admittere quidvis lucri ex dilatione temporis ad solvendum præfiniti, prohibetur non minùs in cambio quàm in mutuo, tanquam usurarium ac fœneratitium, ut declarat Pii V. Constitutio, & Casuistæ omnes docent.

V. Quod verò attinet ad cambii conditiones quas præscribit Pii Constitutio anni 1571. relata à Navarro cap. 17. num. 283. eæ ad has reducuntur. Prima, ne campsor pacisçatur de lucro ratione dilatæ solutionis ultra terminum. Hinc tamen excipiendi sunt casus legitimi interesse, modò conventio præcesserit illud subeundi ac præstandi; quod etiam fieri licet in mutuo. Secunda enim quam Bulla præscribit conditio, ne de certo quodam interesse pactio fiat, sive ante, sive post cambium, quoniam ista non fundatur nisi in præsumptione fraudis, non obligat nisi in externo foro, non autem in foro conscientiæ, si fraus absit, sive quis pacisçatur de certo, sive de incerto interesse, ut docent ibid. Navarra, aliique communiter Doctores. Tertia conditio, ne aliter fiant realia cambia quàm ad proximas nundinas, vel ubi nundinæ non sunt, ad proximum terminum in cambio designari consuetum ad talem locum; intelligenda est cum Navarra & reliquis, non quòd vetet cambium ad secundas, vel tertias nundinas, non enim vult Papa differri prorsus solutionis terminum, cum fiat in campsarii majus solamen; sed ne propter hanc dilationem augeantur

lucra nummulariorum. Navarra cap. 17. num. 283. Reginaldus lib. 25. cap. 33. num. 467. Bonacina disp. 3. quæst. 5. num. 9. Toletus lib. 5. cap. 53. num. 7. & cap. 55. num. 2. Tota itaque Bullæ hujus prohibitio in hoc versatur, ne contemplatione dilatæ solutionis quærantur per cambium lucra usuraria, & statuit conditiones quæ in externo foro locum dent præsumptioni usurarum.

VI. Lucri verò justam quantitatem, si non sit lege præscripta, referendam esse perspectis locorum distantiæ, laborum, periculorum, & usus & qualitatis monetarum commutandarum, aliisque circumstantiis, ad proborum, & in his negotiationibus peritorum virorum arbitrium, præfati docent Authores.

VII. Disceptatur inter Doctores, utrum cambium cum recambio, quod vocant Itali *con la ricorsa*, sit licitum? Id fit quum Titius accipit Mediolani à campsore nummos centum solvendos Placentiæ, ubi Titius nec pecuniam habet, nec respondentem: ideoque Titius campsorem rogat sibi concedi ipsius campsoris procuratorem, seu respondentem qui Placentiæ residet, ut nomine ipsius Titii satisfaciat, & solvat campsori. Campsor itaque literas Placentiam ad suum correspondentem dirigit. His acceptis correspondens nomine Titii eandem summam recambit Mediolanum ad campsorem, ut centum nummos exigat à Titio. Quidam Doctores dicunt id esse speculativè licitum, sed tantis obvolutum fictionibus quæ malam fidem arguunt, & tantis mali apparentiis indutum, ut praxim dicant esse dissuadendam. Alii verò prorsus & speculativè & practicè dicunt illicitum: rationes verò quibus licitum ab aliis asseritur, tam exilis esse subtilitatis, ut pondere & soliditate destituantur. Ideoque meliori judicio reducunt ad cambium siccum, hoc est ad mutuum usurarium, sed palliatum titulo mentito cambii localis: cùm tamen & datio, & solutio pecuniæ nec Placentiæ, nec alibi nisi Mediolani facienda sit; Titius verò nec voluntatem, nec necessitatem habeat Placentiam, ubi neque pecuniam, neque ulla negotia habet, commigrandi. Et his accedit, quod Placentinus ille campsoris Mediolani versantis procurator & correspondens, unam & eandem injure personam cum suo socio Mediolanensi campsore constituit, atque ita nullus est recambio locus, sed tantùm mutuo usurario, quod falso nomine obvelatur cambii realis & localis. His demùm adjunge, quod campsarius involuntariè solvit, illoque falso circuitu uti cogitur faciendæ in Placentina urbe solutionis; cùm tamen reverà Mediolani futurum sit ut solvat. Et quisquis sit prætextatus ille consensus, non magis usuram purgat quàm consensus solvendi usuras ejus debitoris qui non potuit aliter mutuum ab usurario accipere.

VIII. Cambium reale multis modis licitum est, modò in pretio non excedatur, sive campsor campsario numeret pecuniam ab ipso alibi solvendam, sive ex adverso campsarius numeret campsori pecuniam alibi ab illius

respon-

respondente persolvendam, sive pecuniæ plus aut minùs valeant in loco ubi primùm recipiuntur, quàm in loco ubi solvendæ erunt, dummodo fiat horum ratione augmentum, vel diminutio de pretio, quod justè exigeretur si utrobique pecuniæ paris valoris essent. Sylvester verbo *Usura* 4. §. 8. Navarra in cap. fin. de usur. num. 62. Toletus lib. 5. cap. 54.

IX. Campsor, aut respondens nihil exigere à campsario possunt ratione laboris numerandæ pecuniæ, vel scribendi literas quas mittant ad correspondentes. Ratio liquet, quia hic labor ab eis debetur ex natura contractus, non minùs quàm labor emptoris in pecunia venditori numeranda, vel scribendi ad amicum vel debitorem suum, ut eidem exsolvat.

CAPUT XI.

Utrùm is qui ex re aliena lucrum retulit, quod dominus rei non retulisset, possit illud sibi retinere.

QUÆSTIO ista non procul distat à materia cambiorum, de qua disputatum paulò antè fuit. Fieri enim potest, ut famulus vel negotiorum gestor, cui dominus crediderit pecuniam creditori suo solvendam, hac utatur pecuniâ, quæ sit aurea, ad cambium minutum, quo permutet eam cum moneta partim argentea, partim ærea, cum adjectione lucri; ex illa verò vilioris materiæ compermutata pecunia creditoribus domini sui satisfaciat. Quæritur nunc, utrum ille possit sibi hoc lucrum retinere? Stabiliatur in primis generalis decisio.

II. Is qui ex re aliena lucrum suâ particulari industriâ retulit, quod dominus rei non retulisset, potest sibi licitè illud lucrum retinere, sive ex bona, sive ex mala fide rem alienam possederit. Atque ita campsor iste alienæ, sibique creditæ pecuniæ, non tenetur hoc lucrum restituere, nisi eo casu quo dominus ejus aut mandator hoc fine pecuniam altioris materiæ & pretii credidisset, ut creditoris gratiam iniret, aut ut creditor majus inde commodum referret; eo namque casu restituere teneretur ob violatam justitiam. Ita Navarra cap. 17. num. 25. Molina de justitia, tract. 2. disput. 402. Lessius lib. 2. de justit. cap. 23. dub. 2. num. 18. Bonacina de contractibus, disp. 3. quæst. 5. num. 5. Reginaldus lib. 25. cap. 33. num. 450. Similiter fur qui ex aliena pecunia, sive per suam industriam, sive per fortunam suam, ut si pecuniam ablatam ludo exposuerit, ex quo notabile lucrum sit consequutus, quod domino rem suam, aut pecuniam possidenti non obve-

nisset, potest sibi lucrum retinere. Ratio est, quia id lucrum est fructus ejus singularis industriæ, aut fortunæ. Hæc autem cùm sint personalia, si nullum pactum in oppositum interceſſit, non fructificant nisi soli personæ in qua sunt. Præterea sufficit alienæ rei detentori ea restitutio, per quam læsus dominus reddatur indemnis: at iste redditur indemnis, si res ablata cum omni damno & interesse illi restituatur. Ergo qui his omnibus resarcitis supersunt fructus, vel industriæ, vel fortunæ singularis, non subjiciuntur restituendi obligationi. Hæc docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 3.

III. Præterea hoc idem in Jure decernitur apertè pluribus locis. Ait enim lex *Si ex ea pecunia*, C. de rei vindicat. *Si ex ea pecunia quam deposueras, is apud quem collocata fuerat sibi possessiones comparavit, ipsique traditæ sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his compensationis causâ ab invito eo in te transferri injuriosum est.* Similis est decisio in lege *Qui vas* 48. in fine, D. de furtis. *Cùm fur* (inquit) *rem furtivam vendidisset, eique nummos pretii dominus rei per vim extorsit, furtum eum nummorum fecisse responsum est.* Et paulò post: *Nummus qui redactus est ex pretio rei furtivæ non est furtivus.*

CAPUT XII.

De censibus, & de contractu emphyteutico, & de feudis.

PRÆTERMISSIS aliis vocis *Census* notionibus, tractamus hîc de censu quatenus definitur, Jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius sub pretii constitutione. Dico jus, quia census non est pensio, propriè loquendo, sed jus ad pensionem, ut communiter asserunt Doctores. Dico ex re alterius, quia nemo in re sua propriè dicitur habere censum, sed dominium; non pensionem, sed proprietatem. Dixi sub pretii constitutione, quia contractus iste reciprocus est, & species quædam emptionis venditionis, in quo ille qui jus acquirit ad pensionem oblato pretio, dicitur emptor; ille verò qui recepto pretio se ad solvendam annuam pensionem obligat, dicitur venditor, non quidem rei permanentis & fixæ, ut fieri assolet in emptione venditione communiter usitata; sed rei successivæ ac redeuntis, qualis est annua pensio. Gallicè censualis contractus vocatur *Achapt de pension, ou constitution de rente.*

II. Censuum duæ sunt species. Alius enim est census reservativus,

alius

alius consignativus. Reservativus est quo aliquis rem suam in alterum transfert secundùm utrumque dominium, directum & utile, reservata sibi solummodò annua super illa re pensione. Hujusmodi fuit census quem Joseph ab Ægyptiis emit, transferendo in ipsos terras Ægyptiæ regionis hac lege, ut quintam fructuum portionem annuatim Pharaoni penderent, Genesis 47. De hac specie nulla est mentio in Constitutione Pii V. ut notant Boninsignius, Lessius, Bonacina. Ideoque prohibitio illius Constitutionis, ne pactum legis commissoriæ apponatur in contractu censuali, non habet hîc locum, sed solùm in censu consignativo. Ideoque licitum est pacisci in censu reservativo, ut res super qua constituitur, seu quâ emitur pensio, cadat in commissum, hoc est revertatur ad eum qui pensionem constituit, si pensio certo annorum decursu non fuerit soluta, ut docent Covarruvias libro 3. variarum resolut. cap. 7. num. 1. Lessius, Bonacina, aliique.

III. Differt verò, iisdem testibus, census reservativus ab emphyteusi, quia in emphyteusi non transfertur directum, sed tantùm utile dominium; sed in reservativo censu transfertur utrumque dominium. Secundò, quia si in emphyteusi rei Ecclesiæ non solvatur pensio intra biennium, aut in emphyteusi rei secularis intra triennium, dominium utile cadit in commissum, & redintegratur cum directo dominio ipso jure: secus autem erit in contractu censuali, nisi de hoc expressè conventum fuerit. Tertiò, quia non potest emphyteuta prædium emphyteuticum vendere, nisi prænonito Domino directo; alioqui enim cadet in commissum, & dominium prædii utile revertetur ad Dominum directum: & insuper etiam prænonito Domino directo debetur laudimium. Ad neutrum autem horum obligat census reservativus.

IV. Census consignativus contrahitur quando aliquis super re sua, cujus dominium saltem directum retinet, vel etiam super propria persona consignat alteri jus annuæ pensionis. Itaque census consignativus dividitur in personalem, realem, & mixtum. Realis census fundatur super aliqua re, vel prædio. Personalis constituitur super persona quæ se obligat ad pensionem solvendam, quatenus hæc persona capax est acquirendi, sive per proprium laborem, sive per suam industriam; & transfert in alterum quempiam jus exigendi aliquid annuatim ex acquisitis à se per laborem proprium ac industriam. Etiamsi verò hîc apponatur interdum bonorum hypotheca ad majorem pensionis personalis securitatem, hoc fit non virtute contractus censualis, sed per alterius contractus adjunctionem, nimirum hypothecæ: neque census constituitur super illa hypotheca, sed super ipsa persona; neque ex hypotheca, sed ex persona pensio solvenda est, nisi accideret ut ex persona, seu ob ipsius personæ moram, aliamve causam pensio recuperari non posset.

V. Disputant Doctores, utrùm jure naturæ licitus sit census personalis;

nalis? Negant esse jure naturæ licitum S. Antoninus 2. parte, tit. 1. cap. 8. Angelus verbo *Usura*, §. 78. Martinus Navarra comment. de usur. num. 79. 80. 81. Molina tomo 2. tract. 2. disput. 387. & alii. Affirmant verò licitum Panormitanus in cap. *In civitate*, de usur. Conradus de contractib. quæst. 74. & 75. Major in 4. distinct. 15. quæst. 34. Gabriel Biel ibid. quæst. 12. art. 1. concl. 1. Sotus lib. 6. de justit. quæst. 5. art. 1. concl. 4. Joannes Medina de usuris quæst. 11. §. *Sed quæret aliquis*, Covarruvias libro 3. variarum resolut. cap. 7. num. 4. & 5. Thomas Boninsignius cap. 4. num. 4. & sequentibus, Lessius libro 2. cap. 22. dub. 4. num. 18. & seqq. Bannes 2. 2. quæst. 78. art. 4. Bonacina de contractib. disput. 3. quæst. 4. puncto unico, num. 3. Salas de censib. dub. 3. num. 2. Valentia, Filliucius & alii affirmantes posse personalem censum institui in locis, ubi non est recepta Extravagans Pii V. incipiens, *Cùm onus*; atque hujusmodi prohibitionem esse juris tantùm positivi humani, necnon alia ibi diversa prohibita circa census. Porrò argumenta utrimque ab oppositis inter se Doctoribus proposita recensct Lessius loco cit.

VI. Mixtus denique census fundatur in re simul & persona, ita ut si res dispereat, continuetur nihilominus obligatio pensionis exsolvendæ in ipsa persona. Hæc species census ob admixtionem personæ reprobatur & vetatur per dictam Pii Extravagantem, quanvis jure naturæ licitum affirment citati Authores.

VII. Jure ipso naturæ, atque seclusâ illâ Pii Constitutione, quæ non est recepta in Gallia, conditiones ad contrahendum censum requisitæ sunt: Primùm ut adsit intentio emendi & vendendi, ne sub prætextu census ineatur mutuum usurarium; contractuum enim vis & obligatio dependet à contrahentium voluntate. Secundò, ut interveniat justum pretium; debet enim quælibet res tanti vendi quanti valet. Justum pretium census illud censetur, quod lex, vel communis proborum & prudentum æstimatio, perspectis rerum & locorum circumstantiis, temporum occurrentiis, commerciorum & pecuniarum raritate, vel copiâ, approbaverit. Minimè tamen exigitur ut pretium census propriè & strictim adæquet pensiones persolvendas; non enim emuntur futuræ pensiones, sed jus illas deinceps exigendi. Id liquet in simili emptionis agri, cujus pretium multùm deficit à valore omnium ex eo futurorum proventuum. Ad justitiam pretii pertinet præterea, ut majori pretio ematur census perpetuus quàm temporalis, & plurium annorum census quàm pauciorum. Item in æstimatione censuum habenda est ratio graviorum aut leviorum onerum, quæ sive emptori, sive venditori imponuntur. Tertiò requiritur, ut res super qua census constituitur, sit in libera dispositione constituentis. Nemo enim plus juris in alterum transferre potest quàm ipse habeat, l. *Nemo plus juris*, D. de regulis juris, & cap. *Nemo potest*, eodem tit. in 6. Transfertur autem dominium pretii, seu rei super qua census constituitur, in venditorem

trem. Ideoque non potest maritus sine uxoris consensu constituere censum in fundo dotali. Quartò requiritur, ut si res censita pereat, aut sterilis evadat sine censuarii culpa, sive in totum, sive pro parte, cesset vel in totum, vel pro rata parte obligatio census.

VIII. Censuum quoque alii constituuntur perpetui, alii ad aliquod tempus. In censibus temporalibus ille quem vitalitium vocant, is est qui durabit ad vitam ejus qui jus habet percipiendi censum, & quo ex vivis decedente, statim census extinguetur sine ulla obligatione restituendi sortem, sive capitale. Hunc censum constat esse licitum, sicut licita est emptio venditio usufructus ad vitam usufructuarii, l. *Necessariò*, §. *Cùm Usumfructum*, C. de peric. & com. rei venditæ. De vitalitio itaque censu quæritur quænam sit justa illius pretii taxatio? Varii diversa respondent. Justitiæ consentaneum præ reliquis duco hac in re judicium Bonacinæ de contract. disp. 3. quæst. 4. puncto unico, num. 18. pretium esse taxandum attento ultimo vitæ termino, ad quem naturaliter potest attingere vita ejus personæ cui solvendus est census, illorum annorum sumendo medietatem, qui deductis casibus fortuitis possent probabiliùs ad eum terminum pertingere; atque ita pretium census adæquare debet illorum annorum illam quam dixi medietatem. Ratio est, quia sic æqualitas exactior servabitur, & uterque contrahentium æqualem subibit sortem lucri & jacturæ; cùm aliquo casu ex innumeris qui humanæ vitæ decursu occurrunt, fieri possit ut censualista ad illam medietatem non accedat: quemadmodum evenire quoque potest ut eam excedat. Quare (ait Bonacina) si tradens centum aureos ad constituendum sibi censum vitalitium, sit quadraginta annorum, & perspecta ejus valetudine, statu vitæ, indole, professione, & quibus exponi solet periculis, judicetur posse ad annos sexaginta pertingere, poterit quotannis exigere aureos decem. Præterea taxatio ista manifestum habet in Jure fundamentum, l. *In computatione*, D. ad legem Falcidiam.

IX. Census quidem temporalis generatim omnis ille est, qui ad tempus dumtaxat, sive incertum, ut est vitalitius; sive certum, putà ad definitum annorum numerum constitutus est: quorum censuum uterque adventu præfixi termini extinguitur, nullâ (ut dicit Lessius) refusâ sorte. Atque utrumque, modò sit realis, posse minoris emi quàm sint omnes simul junctæ pensiones, docet Covarruvias lib. 3. var. resol. cap. 7. num. 3. & 4. Caietanus verbo *Usura*, sub fin. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 6. Conradus quæst. 79. & 80. Navarra Manualis cap. 17. num. 230. & in comment. de usur. num. 71. quo loco dicit, posse centum aureis emi pensionem annuam decem aureorum pro quindecim annis. Et utique certum est in perpetuis censibus pensiones, longè tamen simul junctas, excedere valorem sortis collatæ in pretium. Cùm enim ematur non annuus census, sed jus ad illum, æstimatur minoris jus, seu actio ad censum, quàm speratum emolu-

mentum, & minus est habere actionem quàm rem, l. *Minus est*, D. de regulis juris. Similiter justum empti agri pretium nunquam æquivalet omnibus futuris proventibus, si simul cumularentur. Quod igitur esset usurarium in contractu mutui, quod est totum sine ullo augmento, ne quidem fructuum pignoris, elapso præfixo termino restituendum; est tamen licitum in contractu census bona fide inito, in quo pensio nihil de sorte diminuit.

X. In Extravagantibus communibus, tit. de empt. & vendit. duæ habentur Constitutiones planè conformes, Martini V. & Callisti III. continentes multas illius census, de quo interrogabantur, conditiones, quarum præcipuæ sunt istæ: Ut certa res immobilis & fructifera designetur, cui census imponatur, eaque res immobilis sola maneat affectata & obligata solutioni census. Item ut census non excedat fructuum illius rei immobilis æstimationem, verbi gratiâ, agri sativi, sylvæ cæduæ, horti, vineæ, prati, oliveti, stagni, lacus, pascui. Item, ut re illa immobili depereunte fortuito casu, census extinguatur. Illa verò res immobilis debet assignari à venditore census ex propriis bonis, non verò emptoris. Prætereaque in venditoris ipsius bonis debet res illa immobilis permanere, nullatenus verò per venditionem ad emptorem transferri, ut falsò existimavit Bartholomæus Carranza, ob id justè à Navarra reprehensus: fundus enim ille ad hoc solùm desideratur, ut sit subjectum in quo fundetur census: voluntque Pontifices Martinus & Callistus, eum hypothecari ad securitatem solvendi census super illo constituti, non verò alia venditoris bona, ad hoc nimirum ut census sit merè realis, & non personalis aut mixtus, cujus generis nulla est in duobus illis Rescriptis mentio. Quod si fundus per venditionem à Carranza excogitatam transiret in emptorem census, non una, sed duplex venditio celebraretur, nimirum fundi & census, & contra Juris dispositionem jus emptoris ad exigendum censum à venditore suam omnem haberet hypothecam, non in rebus debitoris, sed ipsius creditoris qui est emptor: quod gravem involvit absurditatem. Præterea exponunt Martinus & Callistus, pretium pecuniarium quo census emitur, esse justum; ut scilicet habeat cum censu qui emitur proportionem, & cum fructibus prædii à venditore assignati ad constitutionem & securitatem census, ne scilicet census excedat valorem fructuum fundi super quo constituitur. Requiritur insuper ut pretium integrum statim ab ipso initio persolvatur. Item, ut census, quotiescumque venditor volet, possit vel in totum, vel ex parte redimi, refuso agro, vel pretio. Item requirunt ne venditor ullo unquam tempore redimere compellatur; alioqui enim census degeneraret in mutuum palliatum, esseteque usurarius. Mutuum quippe in hoc differt à censu, quatenus emptor census omni privatur jure repetendi datam à se sortem; sed mutuans retinet sibi jus recuperandi mutui, ideoque nihil aliud quidquam ei exigere licet, neque fructus pignoris ac hypothecæ, nisi tantumdem demendo sibi de sorte mutuata. Ex oppositoposset

potest emptor census annuatim censum exigere sine ulla sortis diminutione, quâ ita se abdicavit, ut non possit unquam repetere, quanvis possit sponte oblatam resumere.

XI. Quæ porrò subsequuta est Pii V. Constitutio, præfatis conditionibus quas approbat, quasdam superadjungit, quarum, aut etiam unius earum defectu contractum censualem in externo foro vult haberi pro usurario, etiamsi in foro conscientiæ & rei veritate non sit fortasse talis, nisi quoad unam aut alteram conditionem, ut est ista: Ne pensio anticipetur, idest ne exigatur nisi ratione temporis elapsi. Si enim emptor dum pretium numerat, detraheret ex eo pensionem primi anni, quæ non debetur nisi finito anno, usuram committeret contra jus naturæ cum restituendi obligatione. Constitutiones etiam Martini & Callisti aliquas memorant conditiones quæ non sunt juris naturæ, non quidem illas præcipiendo, sed quia in ipso facto & usu erant, de quo Pontifices interrogabantur. Quarum conditionum Dominicus Soto lib. 6. de justitia, quæst. 5. art. 1. & Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 12. num. 75. duas tantùm esse de jure naturæ agnoscunt istas: 1. Ut justo pretio census ematur: 2. Ut venditor ad redimendum censum nullatenus compellatur.

XII. Laudemium non potest admitti circa censum. Ratio est, quia emptor census non habet dominium directum rei, sed solum jus exigendi fundatam super ea re pensionem. Venditori quoque census servatur libertas alienandi rem immobilem & fructuosam, super qua census est constitutus; ita tamen ut eandem rem indivulsè comitetur obligatio census, atque ita transeat ad novum ejusdem rei dominum, quemadmodum obligatio hypothecæ transit cum re hypothecata. Sicut ergo res hypothecata potest liberè vendi à debitore etiam invito creditore, ita etiam res censui subjecta. Laudemium autem debetur in emphyteusi, quia cùm non habeat emphyteuta nisi utile dominium, non ei licet nisi consulto Domino directo rem ab eo in emphyteusim acceptam alienare: eoque casu debetur Domino directo laudemium in hujus dominii recognitionem, & solvitur non à venditore, sed ab emptore in recognitionem novæ, quam recipit, investituræ.

XIII. Vetat quoque Pius V. censum jam constitutum augeri ex pensionibus cessis: quod intellige antequam ipsæ fuerint reipsa persolutæ; sic enim prohibentur Jure quoque Civili usuræ usurarum, l. *Ut nullo modo*, C. de usur. Sed soluta semel pecunia censualis potest dari in novum constitutæ pensionis augmentum. Navarra in comment. de usuris, num. 94. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 12. num. 87.

XIV. Etiamsi Constitutiones Martini & Callisti permittant census redimi quoad aliquas partes, & astringant emptores ad has diminutiones oblato pretio subeundas; Pius tamen V. non censuit emptores ad hoc onus subeundum compellendos: hoc enim valde incommodum est, saltem in

exilium partium redemptione. Sors quippe diversis & exiguis redempta solutionibus emptori ferè redditur inutilis, qui si summam integram, aut ejus saltem notabilem partem reciperet, posset vel alium alibi censum constituere, aut prædium aliamve rem frugiferam emere, ut post Thomam Boninsignium idem docet Lessius num. 93. Standum verò in his Partium conventioni ab initio contractui appositæ.

XV. Quemadmodum emphyteutæ libera conceditur alienandi facultas, salvis juribus Domini directi, ut sunt jus prælationis, seu retentionis, & jus laudemii: idem censendum pariter de vassallo feudum alienante, donante, vendente, oppignorante in regno Galliæ, juxta Edictum Aurelianense de feudis, art. 1. & 2. Verumtamen neque prædium emphyteuticum, neque feudale alienari permittitur inconsulto Domino directo, cui competit jus illud prælationis, ut sibi retinere fundum possit, si velit, sub eodem pretio, iisdemque conditionibus: eique ad deliberandum si hoc jure uti velit, & pecuniam ad pretium comparandam conceduntur duo menses, quibus elapsis excidit jure retinendi pro hac vice; sed debet novo emptori dare investituram, pro qua jus habet exigendi ab eodem laudemii. Si verò emphyteuta, aut vassallus non requisito directo Domino fundum alienaverit; aut si triennio censum aut canonem annuum non persolverit, aut etiam biennio, si fundus ad Ecclesiam pertineat, nisi hujusce temporis interjecti negligentiam ac moram quamprimùm celeri satisfactione purget ac consignet, juxta cap. *Potuit*, de locato & cond. item si vassallus obsequia & clientelam post trinam interpellationem non præbuerit; his casibus fundus emphyteuticus aut feudalis cadit in commissum, expulsoque conductore aut vassallo qui investituram à Domino directo sumpserat, revertitur ad patronum, & coalescit utile dominium cum directo. Hæc omnia constituit Justinianus l. 2. & 3. C. de jur. emphyt. Sylvester & Julius Clarus in verb. *Feudum*. Communia hæc sunt inter emphyteusim & feudum. Differunt tamen hæc duo, quia Dominus feudalis habet quoque jus in personam vassalli, sive per jurisdictionem, sive per addictionem ad certa quædam personalia obsequia, quale est homagium, quibus caret emphyteusis, quæ Gallicè dicitur *nouveau bail*.

XVI. In Regno Galliæ neque emphyteuta, neque vassallus pœnam privationis seu commissi sustinet ob omissam in alienatione denunciationem, cùm liberum sit ipsi Domino directo per retractum, seu jus retentionis fundum alienatum sibi vindicare. Joannes Faber in §. *Item Serviana*, Instit. de actionib. Papo lib. 3. placitorum, tit. 1. num. 39. Melchior Pastor lib. 4. de jure feudali & emphyt. tit. 3. num. 3. Quinimò in hoc Regno non privatur vassallus feudo, ne quidem in casu rebellionis, quam vocant *felonnie*, nisi post Judicis sententiam. At si rebellio fuerit contra Regem, aliudve fuerit commissum læsæ Majestatis crimen, vacat feudum ipso jure. Pastor de jure feud. lib. 7. tit. 2. num. 2. Præterea in casibus civilibus, in

quibus

quibus jus commune & libri feudorum privant vassallum feudo, ut est in canone per triennium non persoluto, in alienatione feudi non requisito Domino directo, in mora recognoscendi Patronum, aut ei debita exsolvendi post trinam admonitionem, in his, aliisve similibus mitiùs cum emphyteutis aut vassallis agitur in hoc Regno, adeo ut nec ipso jure, nec per sententiam primam pœna commissi soleat irrogari, sed judicio compellitur vassallus debita jura Domino præstare, indictâ etiam in contumacem mulctâ pecuniariâ. Mornacius in l. 2. C. de jure emphyt. Et licet emphyteutæ qui canonem per triennium non præstitit purgare moram, sicut etiam cuivis debitori in pari mora solvendæ pensionis constituto. Expillius placitorum cap. 122.

XVII. Retractus quoque Domino directo competens super feudali aut emphyteutico prædio, præfertur retractui agnatorum, utpote prior & vetustior, cùm ex ipsa investitura ortum habeat. Baldus in l. *Imperator*, in fin. D. de pactis. Jason in l. fin. C. de jure emphyt. Pastor lib. 6. de jure feud. tit. 6. n. 2.

XVIII. Porrò is qui utile dominium possidet, si post quantumlibet annorum decursum probet, exhibitis apochis trium cohærentium annorum, solutionem census, non potest cogi exhibere chirographa præcedentium annorum. Idemque jus obtinet quivis annuæ pensionis debitor, juxta l. *Quicumque*, C. de apochis publicis, lib. 10. nisi in illis apochis contineatur protestatio de pensionibus anterioribus non solutis. In horum defectum, ideſt si nec tria solutionis annorum cohærentium chirographa exhibentur, nec solutionis annorum præcedentium, potest compelli debitor ad vigintinovem annorum persolvendum censum. Carolus Loiseau tract. *Du déguerpissement*, lib. 1. cap. 5. num. 3. Et hæc obtinent in censibus prædiorum domanialibus, Gallicè *Rentes foncieres*. At verò in censibus pecuniâ emptis, aut etiam in censibus prædiorum non importantibus directum dominium, Gallicana Ludovici XII. Constitutio anni 1512. art. 71. non permittit reliqua censuum præteritorum exigi ultra quinquennium, ut docet Loiseau ibid. cap. 6. n. 11.

XIX. Si post contractum emphyteuticum fundus depereat in totum, liberatur emphyteuta ab omni obligatione, cùm ejus deperierit fundamentum: si verò pars aliqua fundi reliqua sit ab alterius etiam majoris partis deperditione, emphyteuta damnum illud sustinebit, nisi partes aliter convenerint, l. 1. C. de jur. emphyt. & ibi Glossa in verb. *Particulare*, approbat sententiam Bulgari, quod emphyteuta sustinere debeat damnum quo major pars prædii deperdita fuerit, cùm lex ipsa absolutè & indistinctè decernat; & §. *Adeò*, in fin. Instit. de locat. & conduct. liberatio emphyteutæ non asseratur nisi postquam tota rei substantia perierit, & non ex parte: contra Martinum qui hoc limitabat ad deperditionem mediæ partis. Ratio est, quia emphyteuta pensionem pendit in recognitionem dominii directi potiùs quàm in compensationem fructuum.

XX. Hoc tamen tenendum est circa occurrentem alicujus anni sterilitatem in prædio conducto, si nihil omnino provenerit, remittendam esse totam ejus anni pensionem, juxta communem Doctorum sententiam in l. *Ex conducto* 15. D. locati. Sed si aliquis valdè exiguus fuerit proventus, eo casu remittendum esse pro rata de anni pensione, nisi cum ubertate præcedentis, vel sequentis anni valeat sterilitas illa compensari, ut decernit cap. *Propter sterilitatem*, de locat. & conduct. & colligitur ex l. *Si merces*, §. *Vis major*, D. locati. Et hanc esse communem doctrinam testantur Gomesius tom. 2. cap. 3. n. 18. & Lessius d. cap. 24. n. 16.

XXI. Nec omittendum, quod spectat ad pensionum non solutarum reliqua, distinguendum esse in Gallia inter census pecuniâ emptos, & census prædiales. Censuum enim pecuniâ emptorum reliqua non soluta exigi non possunt ulteriùs quàm à quinque proximè præcedentibus annis, ut statuit Ludovicus XII. Edicto anni 1510. art. 71. At verò in censibus prædialibus, quæ vocamus *Rentes foncieres*, & in censibus quoque feudalibus potest directus Dominus exigere reliqua pensionum non solutarum (excepto paulò antè memorato privilegio apocharum trium annorum cohærentium) usque ad annos vigintinovem præcedentes & inclusos: Masuerius praxis tit. 25. n. 38. etiam ab illo qui nuper emit dominium utile. Ratio est, quia fundus ipse quem possidet, ad hæc omnia est hypothecatus, salvo tamen emptoris recursu ad suum venditorem. Charondas lib. 3. responsorum, cap. 62. Despeisius 1. p. tit. de mutuo, sect. 3.

XXII. Decisiva, & meritò tenenda est doctrina Benedicti parte 1. verb. *Et uxorem*, n. 449. declarationem scilicet venditoris inter vendendum asserentis falsò rem quam vendit, censualem, aut aliàs servilem, neque censum, neque ullum emptori præjudicium parere. Præterea si venditor rei verè censualis affirmaret esse liberam, declaratio hæc in eo prodesset emptori, quatenus constituendo illum in bona fide, res empta non caderet in commissum, si non petierit investituram, si non recognoscat Dominum directum, aut censum non persolvat dum in bona fide permanet. Idemque docet Guido Papæ quæst. 24. Quandoquidem ubicumque de servitute non constat, præsumitur semper in favorem libertatis. Verumtamen ista venditoris declaratio non redderet in posterum immunem emptorem ac liberum à censu, aut ab aliàs debita servitute, si probetur à directo Domino, neque legitimâ præscriptione desierit. Quæ utraque decisio cùm sit rei quotidianæ, confirmatur per legem *Traditio*, D. de acquir. rer. domin.

CAPUT

CAPUT XIII.

De societatis contractu.

I. SOCIETATEM sic definit Cujacius in paratitlis D. pro socio, ut sit, damni & lucri facta communio ex consensu honesta & justa. Sic enim excluditur flagitiosæ rei, atque etiam leonina societas, ut vocatur in lege *Si non fuerint*, §. *Aristo ait*, D. pro socio, quâ scilicet unus recipit omne ferè lucrum, alter verò omne ferè damnum. Ubi ergo sit inæqualis partitio lucri & damni respectu eorum quæ singuli socii contulerunt, committitur injustitia cum obligatione restituendi. Quod si socius hac lege suam confert pecuniam, ut lucrum quidem obveniens æqualiter dividatur ad proportionem utrimque contributorum, sed ipsum sibi capitale etiam à casibus fortuitis servetur indemne, usuram committit, cap. *Naviganti*, de usuris. Quanquam istud caput *Naviganti*, directè loquitur de simplici mutuo, non verò de societate, de qua, aut de lucro dividendo nullum ibi verbum, sed disertè verbum *Mutuans*. Et benè observat Glossa in verbo *Periculum*, quod cùm ibi initus sit ex utraque parte mutui contractus, si creditor non suscepisset in se periculum sortis, istud periculum fortuiti casus non exemisset hunc mercatorem ab obligatione sortis integræ persolvendæ, si illa à se recepta, sive per naufragium, sive per alium fortuitum casum, sive recipientis culpâ deperiisset. At verò fortuitus casus regulariter socium non adstringit; cùm tamen adstringat mutuatarium, l. *Incendium*, C. si cert. pet. & Instit. quib. modis re contrah. oblig. §. *Item is cui res*. Potest tamen socium recipientem adstringere, modò suscepta ista ex mutua conventione obligatio aliunde ex æquo compensetur. Nam commodatarius qui ex vi commodati non tenetur nisi de sola culpa, tenetur ex vi pacti etiam de casu fortuito, cap. unico de commod. Et quod majus est, in contractu depositi depositarius ipse potest ex suscepta in se obligatione vi mutui pacti conveniri de casu merè fortuito, secundùm leges civiles & sacros Canones, l. 1. §. *Sæpe*, D. depositi, & cap. *Bona fides*, de deposito. Et tamen per commodatum & depositum nullatenus transfertur in recipientem dominium rei.

II. Ad hæc notanda est Sancti Thomæ doctrina 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 5. his verbis: *Ad quintum dicendum, quod ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat. Unde ille cui mutuatur pecunia, sub suo periculo tenet eam, & tenetur restituere eam integrè: unde non debet amplius exigere qui mutuavit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori*

mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus: ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotietur, vel artifex de ea operetur. Et ideò sic licitè potest partem lucri de ea provenientis expetere, tanquam de re sua. Hæc S. Thomas.

III. Ad justam societatem quatuor requiruntur. Primò ut singuli socii conferant in commune sive pecuniam, sive industriam, sive instrumenta, ut navem, equos, vehicula; sive operam & labores. Secundò ut lucrum & damnum ex ipsa societate proveniens sit commune. Tertiò ut dividatur inter socios lucrum secundùm æstimationem ac proportionem eorum quæ singuli contulerint, l. *Si non fuerint*, & l. *Verùm*, D. pro socio. Quartò ut singuli subeant damna & expensas pro rata quoque eorum quæ ex parte sua contulerunt, atque seorsim totam incurrant jacturam eorum quæ in sortem contulerunt: ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi, aut lata pereat: si verò salva pecunia nihil obveniat lucri, socius alter qui suum laborem, vel industriam contulit, subeat solus jacturam industriæ suæ & laboris, pecunia verò tota ad eos redeat qui eam contulerant.

IV. Socius minimè tenetur præstare sociis suis levissimam culpam, cùm non adstringat genus istud culpæ in illis contractibus qui celebrantur utriusque contrahentis gratiâ, qualis est emptio venditio, locatio conductio, societas; unde ait lex *Socius socio*, D. pro socio: *Socius socio etiam culpæ nomine tenetur, idest desidiæ atque negligentiæ. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est; sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhiberi, qualem suis rebus adhibere solet: quia qui parum diligentem socium acquirit, de se queri debet.* Eadem habet §. ultimus Instit. de societ.

V. Omne æs alienum pro societate contractum, de communi solvendum est, licèt ab uno fortasse sociorum solutum fuerit. Iste quippe jus habet repetendi à sociis actione pro socio, etiam post diremptam societatem, l. *Omne æs*, D. eod.

VI. Divisio ad æqualitatem pro rata contributionis ad societatem hoc efflagitat, ut qui æqualiter contribuerunt, æquales partes de communi lucro sortiantur; qui autem inæqualiter, inæquales. Si ergo duo socii contulere singuli centum aureos cum æquali labore & pari industria, & ex communi hac sorte lucrati fuerint ducentos aureos, quilibet eorum assumet centum aureos pro capitali quod contribuerat, & alios totidem pro partitione lucri. At si unus sociorum contulit in sortem centum aureos, alter verò suum laborem & industriam centum aureis æstimatam, lucrum verò fuerit ducentorum aureorum, is qui pecuniam contulit debet primùm centum sibi aureos subducere, quos in sortem contulerat; deinde quilibet amborum centum aureos de lucro reportabit. In hoc consentiunt Angelus verbo *Solutio* 1. quæst. 17. Sylvester verbo *Societas*, quæst. 20. Martinus Navarra cap. 17. num. 251. Petrus Navarra lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 258.

Azorius

Azorius tract. de societate, cap. 4. quæst. 1. Bonacina disp. 3. quæst. 6. punct. 3. num. 3. Filliucius tract. 38. num. 37. 41. & 65. contra Lessium lib. 2. cap. 25. num. 8. volentem ut is qui solam posuit industriam & laborem centum aureis æstimabilem, possit quoque de lucro communi centum aureos sibi vindicare, quemadmodum & socius alter qui centum aureos de sua pecunia contulerat, adeò ut de lucro dividendo non jam ducenti, sed solùm centum aurei supersint, ex quibus singuli dimidium, hoc est quinquaginta aureos nanciscantur. Sed opinio ista reprobanda est, quia socius qui solam adhibuit industriam & laborem, nihil contulit ad capitalem sortem, quæ est quid reale ac pecuniarium; cùm è diverso industria & operæ sint fructus tantùm personales. Sicubi tamen contraria vigeret consuetudo, aut aliter inter partes convenerit, id poterit servari.

VII. Jure communi pecunia in societate collata pertinet ad eum solum qui contulit, ut docent S. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 8. ad 3. Martinus Navarra cap. 17. num. 253. Sotus lib. 6. quæst. 6. art. 1. ad 2. Caietanus verbo *Societas*, Azorius 3. parte, lib. 9. cap. 3. quæst. 1. & cap. 5. quæst. 1. Toletus lib. 5. cap. 40. Bonacina loco cit. puncto 4. num. 11. Ratio est, quia si pecunia pereat, perire illi debet qui eam contulit. Ergo si supersit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus sentiat quoque commodum, cap. *Qui sentit onus*, de reg. jur. in 6. Et secundùm naturam est, commoda cujusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda, l. *Secundùm naturam*, D. eod. tit. His adde Sixtum V. in Extravaganti *Detestabilis avaritiæ*, ita sancire: *Sortem finita societate tradendam esse illi qui eam contulit, si extat.* In locis tamen in quibus viget consuetudo, ut sors societate finitâ inter socios quoscumque dividatur, illis comprehensis qui solam operam contulerint, aut ubi inter socios ita convenisset, illa divisio sortis licita esset. Nec repugnat naturæ societatis talem iniri conventionem, cùm sociorum bona communicentur, l. 1. D. pro socio. Et ut inquit Cicero actione 5. in Verrem: *Socii putentur quos inter res communicata est.* Et disertè statuit lex *Si non fuerint*, §. *Ita coiri*, D. pro socio: *Ita coïri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quàm pecunia, si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus.* Denique hoc idem sæpissimè usuvenit in societate de animalibus inita, quâ finitâ dividuntur plerumque animalia in sortem adducta societatis. Atque in his ubi pacto nihil expressum fuerit, standum est locorum, in quibus contractum fuerit, consuetudinibus approbatis.

VIII. Expensæ quæ à socio apponente industriam & operam fiunt ad utilitatem, vel ad necessitatem societatis, faciendæ sunt de communi societatis pecunia, cujusmodi sunt impensæ itinerum, transvectionum, solutionis vectigalium, conservationis mercium, l. *Si fratres*, §. *Si quis ex sociis*, & l. *Secundùm Julianum*, D. pro socio. Eadem ratio est in expensis

curationis vulnerum quæ ſocius à latronibus dum ſocietatis causâ proficiſcitur paſſus eſt, aut ſi veſtibus, equo, aliiſve rebus ſuis in eadem profectione fuerit à prædonibus ſpoliatus, cùm hæc damna proximè ob ſocietati datam operam ſuſtinuerit, d. l. *Secundùm Julianum.* Eadem habenda ratio eſt in expenſis à ſocio factis ad ſe redimendum de captivitate in quam incidit dum ſocietatis causâ peregrinabatur. Rebellus, Molina, Bonacina. Iſtæque expenſæ deducendæ ſunt antequam lucri rationes computentur. Lucrum enim non æſtimatur niſi deducto ære alieno.

IX. Denique ad quamcunque ſive mercium, ſive frugum, ſive animalium, aut aliam ſocietatem, juxta triplicem ejus dirimendæ modum triplex regula tenenda eſt: vel enim ita finitur, ut ſolum capitale integrum ſuperſit abſque ullo lucro; & tunc reddendum eſt capitale illi ſoli qui id contulerat: vel ſine ullo lucro deperditum fuit capitale, vel integrum, vel ex parte, eaque jactura ſuſtinenda eſt ab eo qui contulit; quoties enim aliquid ſine aliena culpa deperit, ſoli domino perit. Vel demùm ſupereſt capitale, vel ejus pars cum aliquo lucro; quo caſu quod ſupereſt de capitali ad dominum redit qui contulerat, lucrum verò inter ſocios pro rata contributionis dividetur.

CAPUT XIV.

De Clericorum debitis reſtitutionibus.

I. VNA ex præcipuis reſtituendi obligationibus quæ Clericos reſpiciunt, ex ſimonia oritur. Verùm ſatis ſuperque hanc materiam libro ſuperiore diſcuſſimus, ubi egimus de ſimonia.

II. Diſputant Doctores, utrùm Clerici Beneficiorum fructus malè impenſos teneantur reſtituere, ſive de ſuis patrimonialibus bonis, ſive per ſubtractionem ejus partis fructuum quam poſſent ſibi alioqui impendere, ſive etiam de ſtipendiis clericalibus quæ ſuo labore lucrati fuerint. Omnes quidem Doctores unanimes aſſerunt de Beneficiariis, teneri ſub peccato mortali conferre in opera pietatis fructus Beneficiorum qui ſuperſunt ad condecentem ipſorum victum. Sed tota in hoc verſatur difficultas, utrùm ſi ſecus impenderint, obnoxii ſint obligationi malè impenſa reſtituendi ad pias cauſas? Multi graves Authores negant ad id teneri, in primis Sanctus Thomas 2.2. quæſt. 185. art. 7. in corpore, ubi poſtquam veterem illam & canonicam proventuum Eccleſiæ in quatuor partes faciendam diviſionem commemoravit, ſcilicet partem Eccleſiæ reparandæ deſtinatam, & partem

Epiſcopi

Episcopo, partemque Clericis inservientibus, & partem pauperibus competentem; statim subjungit, quod si Episcopus suâ parte non contentus vindicet sibi aliquid de partibus quæ Clericis, pauperibusve, aut Ecclesiæ debentur, cùm in hoc peccet contra justitiam, non solùm mortaliter peccat, sed etiam tenetur iis quibus subtraxit restituere. Deinde loquens de speciali parte quæ ipsi seorsim Episcopo debetur, si ex illa sibi immoderatè retineat, nec aliis subveniat, dicit peccare contra debitum charitatis, & nihil dicit de restitutione, sicut dixerat teneri ad restituendum de parte usurpata quæ aliis inferioribus Clericis, vel Ecclesiæ, vel pauperibus debebatur ex justitia. Atque ita innuit, Episcopum qui peccavit contra charitatem non erogando pauperibus, vel Ecclesiæ id quod supererat de speciali sua parte, non esse obnoxium restitutioni. Et sanè compertum est, peccatum contra charitatem, quale istud esse docet ibidem S. Thomas, non esse obligationi restitutionis obnoxium. Eadem porrò est ratio circa quoscumque aliorum Clericorum proventus Ecclesiasticos, ut docet S. Thomas quodlibeto 6. art. 12. Hoc idem docent Ostiensis, Joan. Andreæ, Barbatias, Soto, Covarruvias, Bannes, Garcia, Reginaldus, Bonacina qui specialem hac de re tractatum edidit, Prosper Fagnanus in cap. *Si quis*, de pecul. Cler. & alii qui affirmant quidem Beneficiarium qui quod habet superfluum de fructibus Beneficii non erogat in res pias, peccare mortaliter contra debitum charitatis, sed non contra debitum justitiæ; ideoque non adstringi obligatione restituendi. Addunt iidem, non esse merum dispensatorem, sed dominum proventuum quos ex Beneficio percipit. Idque probant ex verbis diversorum Canonum negantium Beneficiarios facere fructus suos, si non recitent Officium; sic enim loquitur Concilium Lateranense sub Leone X. Et cap. unicum de Cler. non resid. dicit & statuit, Clericos qui Choro non intersunt, non esse dominos distributionum quotidianarum, neque suas illas facere. Item Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. decernit Episcopos diu absque necessitate absentes non facere fructus suos. Præterea potest Clericus aliis locare Beneficii sui fructus, ac proinde illorum in eos transferre dominium. At nemo plus juris in alium transferre potest quàm ipse habeat, cap. *Nemo potest*, de regul. jur. in 6. & l. *Nemo plus juris*, D. eod. Denique usu passim receptum videmus, ut Beneficii fructus ad hæredes transeant, etiam laicos; quod fieri non liceret, nisi qui prædecessit jus dominii habuisset. Ista demùm doctrina prævalet, usuque passim recipitur.

III. Non desunt tamen oppositæ opinionis assertores & fundamenta: & teneri Beneficiarios Præbendarum fructus superfluos malè impensos restituere, asserunt Navarra tum in Manuali, tum in suo tractatu de redditibus Eccles. Archidiaconus, Panormitanus, Gabriel Biel, S. Antoninus, Ricardus, Majolus, Paludanus & Laiman tract. 2. cap. 3. quibus favere videtur Sanctus Papa & Martyr Urbanus, ubi ait: *Ipsæ res fidelium, quæ*

Domino offerantur, non possunt aliis quàm Ecclesiæ & fidelium indigentium usibus applicari, quia vota sunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Sed nihil ibi de restitutione. Sanctus quoque Bernardus serm. 24. in Cant. ait: *Ministri Ecclesiæ qui stipendiorum superflua quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegéque sibi retinent, duplici profectò peccant iniquitate, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.* Idemque epist. 2. ad Canonicum Lugdunensem: *Quidquid præter necessarium victum & vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Similia etiam idem repetit epist. 42. Hæc tamen facilè quis eodem sensu possit interpretari, quo Sancti Patres Basilius & Chrysostomus asseverant de bonorum ipsorum profanorum superfluis, ea non jam esse dominorum qui possident, sed pauperum qui eis indebitè & iniquè fraudantur; nimirum quia eis debentur titulo charitatis, & obligatione eleemosynæ.

IV. Clerici possunt tria bonorum genera possidere, scilicet merè Ecclesiastica, cujusmodi sunt Beneficiorum proventus. Atque horum omnia quæ sibi superflua sunt, tenentur in usus pios impendere sub mortali peccato. Secundò patrimonialia, quæ ex merè temporalibus causis procedunt, hæreditate, donatione, labore & industria. Atque horum dispositionem perinde liberam Clerici habent ut laïci. Tertiò quasi patrimonialia, seu mixta, quæ acquirunt tanquam Clerici ex aliquo ministerio Ecclesiastico diverso à proventibus Beneficii, ut concionando, Confessiones audiendo, Missas celebrando, sacras Literas docendo, canendo, Jurisdictionem Ecclesiasticam exercendo. De his quoque Clericus disponere potest eodem jure & libertate quibus potest circa merè temporalia. Neque his obstat quod dicitur in can. *Clericos*, & duob. seqq. 1. quæst. 2. nefas esse Clerico habenti opes temporales sustentari stipendiis Ecclesiæ. Esto enim fuerit aliquando Ecclesiæ disciplina, ut nemo ad Ecclesiastica stipendia admitteretur Clericus, qui omnibus terrenis bonis se non abdicasset; hoc tamen non est divini præcepti, & laxata pristina illa rigidior disciplina evanuit.

V. Clericus omnis stipendia accepta ob aliquod ministerium quod non persolvit, restituere tenetur, quales sunt Missæ votivæ, quibus intra tempus debitum non satisfecit, & Missæ fundationum quas neglexit, Officia Chori quibus non interfuit, cùm per eum steterit. Hoc tamen observandum de Missarum fundatarum onere quotidiano, Sacerdotibus morbo, alióve necessario impedimento detentis indulgeri mensem unum, intra quem cùm non possint sine periculo celebrare, non etiam tenentur per alium Sacerdotem supplere, aut de stipendiis Missarum pro rata dimittere, vel restituere. Ex æquitate enim ac epieikia id concessum fuit à Concilio Mediolanensi septimo provinciali, teste Diana part. 4. tract. 4. miscellan. resolut. 238. Atque præsumendum hanc esse rationabilem fundatoris mentem. Hoc idem pariter docent Hurtadus, Laiman, Bonacina de Sacram. Euchar.

Euchar. lisu 4. q. ult. punct. 8. n. 17. Petrus Navarra lib. 2. de restitutionib. cap. 2. n. 211. Riccius in sua praxi, decis. 403. n. 5. & 6.

VI. Quæritur an in Beneficiorum distributione is qui minùs dignum præfert obligetur ad restitutionem digniori? Sciendum in primis, eos quibus ex officio incumbit præficere ministrum Ecclesiæ, ut sunt electores, præsentatores, & collatores, semper teneri providere ut dignissimis Beneficia obveniant. Ita docet cap. unicum, ut Benef. Eccles. sine diminut. confer. itemque S. Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 1. & ad 3. & quæst. 85. art. 3. S. Antoninus 2. parte, tit. 1. cap. 20. §. 1. Nicolaus Lyranus ad illud Joan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his?* aliique communiter Theologi & Canonistæ, qui contravenientes arguunt peccati mortalis, quibusdam casibus exceptis, ut si patronus præsentet dignum; hunc enim Prælatus debet admittere & instituere, can. *Monasterium*, & can. *Decernimus*, 16. quæst. 7. Secundò si conferendum sit ex primæva institutione Beneficium alicui ex certa familia, vel oppido, ut contingit in patrimonialibus Beneficiis, aut alicui ex Clericis ejusdem Ecclesiæ. Tertiò si aptiores reservati sint Beneficiis majoribus Parochialibus. Quartò si ita sint inter plures electores divisa suffragia, ut nemo, aut pauci dignissimum eligant, sed partita sint in favorem duorum, quorum unus est altero minùs dignus, si quis restat suffragium suum daturus, qui frustra dignissimum nominaret, ipsique Ecclesiæ obesset, quia periculum esset ne major suffragiorum numerus indigniorem promoveret, debet votum suum dare in favorem dignioris ex eorum numero in quos major inclinat suffragiorum numerus, & ita impedire minùs digni promotionem. Quintò si quis suum resignet Beneficium in favorem, non adstringitur obligatione conscientiæ eligere dignissimum, dummodo dignum eligat, juxta Caietanum in Summula, verb. *Beneficium*, Lessium lib. 2. cap. 34. dub. 13. & alios, quia resignanti non incumbit officium præficiendi ministrum Ecclesiæ. Et præterea cùm id conferat quod suum est, sicut dum possidebat nequaquam tenebatur facere ultra mediocritatem debiti ministerii, ita neque tenetur sibi digniorem substituere, dum sit sufficienter idoneus.

VII. Extra hos casus præferre digniori minùs dignum, saltem in Prælaturis & Curatis Beneficiis, est mortale peccatum. Sic enim decernit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reform. *In primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius facere posse, quàm si bonos Pastores & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Et ibid. cap. 18. præcipit ad Beneficia Parochialia provideri per concursum & examen, illum qui cæteris magis idoneus judicabitur, & ex dignis digniorem.

VIII. In reliquis Beneficiis quibus animarum cura non incumbit, non videtur absolutè peccari mortaliter, si dignus, posthabito digniore, promoveatur, nisi hoc fieret in concursu & examine; non enim in hoc videtur grave damnum Ecclesiæ irrogari. Ita censent graves Authores quos allegat & sequitur Lessius loc. cit. dub. 14. Aliqui tamen, ut Cajetanus, Covarruvias, Salonius, existimant hîc quoque subesse mortale peccatum hac ratione, quòd fiat injuria digniori, cùm ei debeatur ex lege distributivæ justitiæ, & fiat insuper injuria Ecclesiæ, & fundatorum intentio fraudetur, quæ præsumenda est in hoc esse, ut dignissimi provideantur. Sed respondetur non fieri injuriam digniori, quia non est illi stricto jure debitum, sed largo, quod in majori aptitudine & decentia consistit. Talis autem juris violatio non est per se mortifera, ut neque violatio distributivæ justitiæ est semper mortifera, modò dignis distribuatur, nisi redundet quoque in violationem justitiæ commutativæ, sicut accideret in concursu & publico examine, quo casu digniores strictum & proximum jus habent. Quoad verò Ecclesiæ, aut fundatorum intentionem, ea quæ præcipua est & principalis, versatur circa dignæ personæ electionem; & minùs principalis & quasi secundaria, nec absolutè intenta, potest ferri ad dignissimum. Itaque semper adest saltem venialis culpa in Beneficiis simplicibus, ubi dignus posthabito digniore promovetur. Sed si Beneficium simplex id habeat ex fundatione, ut debeat digniori conferri, aut per oppositionem & concursum, erit proculdubio mortale peccatum si minùs digno conferatur, cum obligatione illius injusti damni refarciendi.

IX. Ubi verò Beneficium simplex, ac nulli animarum curæ annexum, neque habens ex fundatione istam conditionem, ut digniori, aut in concursu, vel examine conferatur, fuisset minùs digno collatum, nulla inde emergit restituendi obligatio, quia quidquid ibi peccatum fuisset, esset contra solam distributivam, & non commutativam justitiam, quæ sola inducit restituendi obligationem, nisi fuisset promotus indignus; ibi enim violata quoque fuisset commutativa justitia. Sotus lib. 4. de justitia, q. 6. art. 3. ad 6. Navarra cap. 17. num. 73. Lessius loc. cit. dub. 15. Valentia 2. 2. disp. 5. quæst. 7. §. 6. aliique permulti. Itaque si provisus fuerit de Beneficio Clericus indignus, is qui sic providit tenetur restituere, non quidem digniori posthabito, sed ipsi Ecclesiæ quæ damnum sustinet, dummodo non fuerit conferendum Beneficium per concursum, aut digniori attribuendum ex vi & præscripto fundationis; his enim casibus restituendum esset digniori injustè excluso. Navarra cap. 17. num. 74. Lessius dub. 5. num. 74. & 75. Qui tamen docet ad nihil teneri eum qui promovit, si dignior excursus non excedit notabiliter, sed modico tantùm excessu illum qui fuit admissus. In his porrò materiis ibidem asserit Lessius faciendam esse restitutionem judicio prudentis viri, cùm vix quidquam certi super ejusmodi damni sive Ecclesiæ, sive excluso digniori irrogati reparatione possit definiri.

X. Ar

X. At si minùs dignus collatorem ad hoc induxit ut sibi conferret, cùm sciret se minùs idoneum, peccavit quidem inducendo collatorem contra debitum officium; sed tamen si sit idoneus, non tenetur resignare, quia collatio valida fuit, & quia non incumbit ipsi munus procurandi Ecclesiæ ministros, sed Prælato: tenetur tamen per suam diligentiam ut meliùs poterit, supplere id in quo ab altero, qui non fuit admissus, superatur.

XI. Quæritur an Confessarii, quorum culpâ pœnitens non restituit ad quod tenebatur, teneantur ipsi ad restitutionem, eo quòd non monuerint, aut adstrinxerint ad hoc officium penitentem? Quidam absolutè affirmant in quocumque Confessario, quippe qui peccaverit contra suum officium quod illi incumbit pœnitentem de his admonendi. Angelus, Rosella, Navarra Manualis cap. 17. num. 22. Petrus Navarra lib. 3. de restitutionibus, cap. 4. num. 125. Alii distingunt inter Confessarios quibus ex proprio officio cura incumbit animarum, ut sunt Episcopi & Parochi, ut hi quidem teneantur restituere, eo quòd sit proprii eorum officii providere ne subditi sibi invicem damnum inferant, eoque fine decimas & stipendia accipiant. Cæteros autem quibus id non incumbit ex publico eorum officio, minimè teneri ex suo silentio, quamvis non admonendo peccaverint: teneri tamen ad restitutionem, si causam non restituendi suo influxu dederint, vel dissuadendo, vel malè consulendo. Ita Lessius lib. 2. cap. 13. dubit. 10. num. 77. & 78. Alii denique negant de quocumque Confessario, etiam Parocho, vel Episcopo, teneri restituere, si non admonuerint; & ex adverso affirmant etiam Confessarios curam animarum nullam ex officio habentes, indiscriminatim perinde ut Curatos teneri restituere, si suo malo consilio quominus restitueretur effecerint. Ita concludit Bonacina tract. de restitut. in genere, disput. 1. quæst. 2. puncto 11. num. 15. cum aliis quos citat & sequitur. Summa ratio est, quia nullus Confessarius tenetur ex officio & justitia prospicere bonis aliorum temporalibus, sed solùm spirituali bono pœnitentis sui. Quocirca licèt Confessarius non admonendo pœnitentem peccet contra proprium officium, non tamen peccat contra officium per ordinem ad eos quibus est restitutio facienda, sed per ordinem ad spirituale sui pœnitentis bonum. Quin etiam Lessius ipse loco cit. addit probabile quoque esse, Episcopum & Parochum ex hac omissione culpabili non teneri ad restituendum, quia (inquit) eorum obligatio quâ ex lege justitiæ obstricti sunt populo, videtur solùm esse in ordine ad spiritualia. Et colligitur ex Sancto Thoma 2. 2. quæst. 62. art. 7. ad 3. neminem ratione damni non impediti teneri ad restitutionem, nisi obligetur ex officio ad hoc impediendum.

XII. Restituendi obligationi obnoxii sunt Beneficiarii quicumque suâ culpâ recitationem Officii omiserunt, ut statuit Concilium Lugdunense sub Leone X. jubens ut restituant de proventibus Beneficii pro rata omissionis

sionis Officii ex sua culpa. Beneficium namque datur propter officium. Hanc verò restituendi obligationem incipere post sex menses ab accepta possessione Beneficii computandos. Huic declarationi addenda pariter est Pii V. Constitutio, quam referunt Navarra, Quaranta, Suarez, Bonacina his verbis: *Statuimus ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii sui, seu Beneficiorum suorum fructus qui illi diei, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui verò Matutinum tantùm, dimidiam: qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam: qui alias singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittat. Tametsi aliquis Choro addictus non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis personis adsit, fructus & distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentiâ, juxta statuta, consuetudinem, vel fundationem, vel aliter lucrifecisse se prætendat, is etiam præter fructuum & distributionum amissionem grave peccatum se admisisse intelligat. Item ille qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat se admisisse. Declarantes præstimoniales portiones, & quæcumque alia Beneficia etiam nullum servitium habentia obtinentes cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus, aut res alias Ecclesiasticas ut Clericus percepit, eum modo prædicto ad dicendum parvum Officium Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Hactenus Pius V.

XIII. Hic jam quæritur, si Beneficium aliis quoque oneribus sit obnoxium, quibus satisfecerit ille ipse Beneficiarius qui Officio Canonialium Horarum non satisfecit, utrùm sibi aliquam partem fructuum retinere possit respondentem cæteris oneribus à se impletis? Duæ sunt hac in re Doctorum opiniones. Suarez namque, Azorius, Valentia, Reginaldus, Filiucius negant esse faciendam illam ob cætera onera compensationem, eo quòd constitutio Pii V. absolutè & sine ulla exceptione loquatur. Ex adverso Lopez, Toletus, Medina, Vasquez, Rodriguez, Lessius, Laiman affirmant hanc esse faciendam fructuum propter reliqua onera præstita deductionem & compensationem prudentum arbitrio; quæ quidem sententia æquitati magis & rationi congruit. Primùm enim & ei qui laboravit merces, & militanti debetur stipendium, juxta Apostolum; & qui Altari deservit, de Altari debet vivere: neque justum est aliquem fructu laboris sui & impensæ operæ frustrari. Secundò iniquum est eos qui inæqualiter deliquerunt æquali pœnæ subjici. At inæqualia prorsus delicta sunt alicui parti muneris sui, & nulli parti muneris sui satisfeciisse: proinde non sunt æqualiter stipendiis muneri addictis privandi. Satis ergo est si solis illis quos Beneficium ad solas Canoniales Horas adstringit, nulla fructuum deductio permittatur. Itaque hujus sententiæ assertores Parochis assignant pro integro totius anni Canoniali Officio quartam stipendiorum partem: Canonicis verò & Capellanis ad quotidianam residentiam adstrictis dimidiatam partem: at Capellanis qui certis tantummodò diebus

bus tenentur residere, augetur onus restituendi secundùm hanc proportionem.

XIV. De illis verò qui Officii Horas recitarunt, sed absque ulla virtuali & actuali attentione, asserunt Joan. Gerson, Martinus Navarra, Petrus Navarra, Suarez, Lessius, Vasquez, Filliucius, Barbosa, Laiman, teneri ad restitutionem fructuum, eo quòd ex tali recitatione nullus Deo honor, & nulla sic recitanti spiritualis utilitas accrescat, sed potiùs pœna, ex Deo sic in Scripturis interminante: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Christusque apud Joannem sic protestatur: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in spiritu & veritate adorare oportet.* Oppositam verò opinionem, quanvis graves quoque habeat assertores Sanctum Antoninum, Medinam, Paludanum, Gabrielem Biel, Toletum, Cordubam, Coninch, non teneri ad restitutionem, minimè admiserim. Quod verò pro fundamento prætexunt, Ecclesiam non præcipere internos actus, quanvis alicubi verum sit, ut in jejunio, cujus obligationi per solam materialem abstinentiam satisfieri potest; non tamen in omnibus id verum est, præsertim circa orationes, de quarum essentia est actus internus & elevatio mentis in Deum, quæ propria est orationis definitio. Itaque cùm Ecclesia præcipiat sive certis diebus auditionem Missæ, sive certis personis recitationem Officii hac mente ut Deus colatur per orationem, necessaria est pia intentio in utriusque præcepti impletione. Similiter Ecclesia præcipiendo annuam confessionem præcipit indirectè actus pœnitentiæ interioris, sine quibus illa confessio foret sacrilega, & nullatenus Sacramentum. Quinimò eadem præcipiens directè recitationem Divini Officii, præcipit simul non modò indirectè, sed directè quoque ac expressis verbis attentionem ad Deum, ut constat ex ipsismet canonis verbis Concilii generalis Lateranensis sub Innocentio III. *Penitus jubemus districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.* Et cap. *Dolentes*, de celebr. Missar. ubi Glossa sic dicit: Studiosè quantùm ad officium oris, devotè quantum ad officium cordis. Quisquis etiam sic recitat Divinum Officium, ut notabilem ejus partem per nimium celeritatis affectum, aut per socordiam & negligentiam malè proferendo intercipiat, tenetur quoque, si ea pars intercepta sit notabilis, restituere de fructibus, ad ejus partis proportionem.

XV. Sit igitur omnibus persuasum, quos Canonialium Horarum, aliarúmve precum obligatio adstringit, indispensabilem sibi incumbere attentionis animi necessitatem; eamque, si non sit actualis, saltem efflagitari virtualem. Actualis est quâ orans reipsa & actu de Deo aut rebus sanctis cogitat. Virtualis est quæ à præcedente actuali dependet, etiamsi mens pronuntiantis in diversa distrahatur invitè, aut inadvertenter. Enimverò cùm præcesserit actualis voluntaria, tandiu durat virtualiter inter involun-

tarias distractiones & inanes cogitationes, donec actio voluntatis actu revocetur ad diversa. Nec enim, ut sapienter S. Basilius scribit lib. *de ordo Deum*, ullum inest peccatum, ubi ex naturæ fragilitate mens invitè divagatur. Ea denique docet S. Thomas 2.2.quæst.83.art.23. Observa tamen ad primam illam actualem attentionem, ex qua vim suam omnem mutuatur virtualis, sufficere directum voluntatis actum, abdicatis etiam tot actibus reflexis, quibus nonnulli scrupulosi semetipsos anxiè, & plerumque cum magna valetudinis & corporis & animi pernicie, ac temporis jactura excruciant. Sic citharœdus ut voluntariè citharam pulset, aut fidibus canat, nullâ opus habet animi reflexione, solaque directâ, & momentanea intentione quantum vult citharizat. Eoque sensu profitetur Apostolus 1. Cor. 14. *Orabo spiritu* (scilicet oris respiratione ac pronunciatione) *orabo & mente* (scilicet erectâ in Deum mente:) *psallam spiritu, psallam & mente.* Et D. Augustinus in Regula, cap. 3. ait: *Psalmis & hymnis cùm oratur Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore.*

XVI. Quæritur, utrum liberetur ab ista restituendi obligatione ille qui post hanc suam Horarum Canonialium omissionem aliis diebus illam supplet? Affirmant Joannes Major, Paludanus, Ledesma, Suarez, Molfesius, Filliucius. Verùm quia Officii obligatio suis diebus alligatur, præferri debet contraria sententia Petri Navarræ, Aragonii, Henriquez, Bonacinæ, & quod mirum sit, Dianæ laxiorum opinionum studiosi.

XVII. Præterea disputatur, an Officii quotidie recitandi obligatio incumbat Beneficiario sacris non ordinato, si ejus Beneficium tenue sit & victui insufficiens? Quidam affirmant his adducti, quia Beneficium datur propter Officium, cap. ult. de rescriptis in 6. Et quia cùm non augeantur obligationes Officii ex multitudine, ita neque minuendæ videntur ex paucitate proventuum. Alii censent diminui Officii recitandi obligationem pro rata exilitatis proventuum. Cùm enim sit conveniens, eum qui altari deservit de altari vivere, 1. Cor. 9. rationi congruum est, ut qui quotidie altari deservit, quotidie similiter de altari vivat; & iniquum videtur si pro improportionato stipendio & mercede grandius servitium ac ministerium exigatur. Diversa quoque habetur in Jure ratio Beneficiotum insufficientium, ab illis quibus commodè possit Clericus sustentari, cap. *Cùm teneamur*, de præbend. Nec tamen tenue Beneficium destituitur Officio, sed ipsius tenuitati habet proportionatum. Oppositio autem quod non augeantur Officia ex augmento Præbendarum, vel ex amplitudine proventuum, non habet rationabilem causam, qualis est in ratione tenuitatis; si enim centum nummorum redditus sufficiat ad commodam per annum sustentationem, ex adversariorum mente sequeretur obligandos illos esse tam multos, quibus tria millia nummorum annuorum de Beneficiis aut Dignitatibus Ecclesiasticis suppetunt, ad triginta singulis diebus Officia recitanda, & eos qui plus habent, etiam ad ducenta & trecenta Officia. Laxio-

ctior videtur hæc ultima sententia. Cùm verò hujusmodi occasio occurrerit, quisque Episcopi sui judicio permittendus est.

XVIII. Restituere tenetur Sacerdos Missarum stipendia quibus non satisfecit, aut quarum celebrationem nimiùm distulit, adeò ut verisimiliter non profuerit secundùm specialem intentionem ejus qui stipem dedit : ut si ad obtinendum aliquem successum petita Missa fuerit eò usque dilata ut occasio præterierit ante celebrationem ; sic enim frustratâ per Sacerdotis culpam intentione petentis, non potest retineri stipendium oblatum quin violetur commutativa justitia. Onus similiter restituendi Sacerdoti incumbit, qui post acceptum pro Missa justum & rationabile stipendium pro unius tantùm intentione, illam celebravit pro pluribus : sic enim violata fuit commutativa justitia, & infracta mutua pactio. Quanvis enim unius Missæ valor sit infinitus secundùm rem quam continet, qui est Christus ejusque merita ; est tamen finitus & limitatus secundùm quod est actio ab homine procedens, & secundùm applicationem. Christi namque merita, quanvis infinita, non applicantur adæquatè secundùm sui infinitatem, sed finito modo, quem Deus determinavit secundùm opus operatum. At verò quoad opus operantis, quod etiam contribuit ad Missæ valorem, & dependet ex majori, aut minori devotione, aut merito Sacerdotis, certum est esse finitum. Non est igitur admittenda Caietani opinio quodlibeto 1. quæst. 18. & super tertiam partem quæst. 79. art. 5. quod Missæ oblatio ita prosit singulis ac si pro uno tantùm offerretur. Sed opposita tenenda est communis sententia.

XIX. Sciendum, communiter distingui triplicem Missæ valorem. Primus dicitur generalis, quem intendit Ecclesia universis Fidelibus applicari vivis & defunctis : hic itaque respicit universum Ecclesiæ corpus. Secundus valor dicitur medius, illos contingens pro quibus specialiter intendit Sacerdos celebrare. Tertius dicitur particularis, spectans ipsum sacrificantem, deinde illos qui Missæ administrant, atque eos demùm omnes qui Missæ devotè intersunt. Fuit verò quorundam error damnatus primùm ab Urbano Papa VIII. deinde ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. posse Sacerdotem accipere duplicem eleemosynam pro unica Missa, applicando uni valorem illum particularem qui ad se Sacerdotem pertineret, alteri verò medium illum valorem qui communicatur illis pro quibus in specie Sacerdos Missam vult applicari. Veruntamen si Sacerdos duplex stipendium hac mente acceperit, tenebitur illi restituere cui suam partem Sacerdos voluit applicare : tum quia id prohibitum & damnatum fuit à suprema Sede : tum quia ille Sacerdoti pertinens valor non potest ex communiori, & saniori sententia alteri applicari, quemadmodum etiam applicari alicui particulari non potest valor generalis spectans universam Ecclesiam : effectus enim Missæ ex opere operato est beneficium personale, quod non potest in alterum transferri : tum etiam quia Sacerdos ipse non est

certus de sua gratia, quo casu non posset ullatenus transferre beneficium Missæ, quod jam fuisset in seipso extinctum, & cujus esset prorsus incapax: tum quia ignoratur, an specialis valor pertinens ad Sacerdotem, sit æqualis medio valori qui debetur tradenti Missæ stipendium, quod cùm sit certum, non potest rependi fructu ac valore incerto.

CAPUT XV.

Quibus ex causis oriatur restituendi obligatio; & de acceptis ob turpem causam: & de impediente alterius bonum.

I. VT autem restitutionum materiam ab ipsis fontibus ac principiis repetamus, sciendum in primis quid sit restitutio. Ista sic definiri potest: *Restitutio est actus justitiæ commutativæ quo cuique redditur quod indebitè amiserat.* Dixi, *actus justitiæ commutativæ*, quia non obligatur homo ad restitutionem ex defectu charitatis, ut si eleemosynam pauperi non erogaverit; neque ex defectu contra legalem justitiam, ut si merces prohibitas vendiderit justo pretio; neque contra distributivam, ut si in aliquo officio distribuendo minùs dignum digniori prætulerit, dummodo id non fiat in alienum detrimentum: sed requiritur ad restitutionem obligatio ex debito commutativæ justitiæ orta. Dixi autem in definitione, *quo cuique redditur quod indebitè amiserat*, non autem, ut quidam definiunt, *quod ab eo ablatum fuerat*, ut comprehendam etiam restitutionem rei sine injuria acceptæ, ut si casu rem alienam, quam alius amiserat, alicubi à me inventam domino restituam; aut si hæres rem olim apud defunctum depositam, vel commodatam domino restituat.

II. Restituendi obligatio ex quatuor causis exoriri potest. Primùm ex re aliena non injustè accepta, ut in duobus exemplis paulò ante relatis. Secundò ex re aliena injustè accepta, vel læsa, ut in furto & quovis damno injustè illato. Tertiò ex conventione mutua, ut fit in obligationibus quas pariunt emptio venditio, locatio conductio, emphyteusis, societas, mutuum, & alii contractus. Quartam his adjungo causam, quam Theologi & Summistæ hactenus omiserunt, sed Jurisperiti non omiserunt: est autem ea obligatio quæ dicitur in Jure quasi ex contractu, ut contingit in eo cujus absentis gratiâ aliquis sine ullo mandato negotia utiliter gerens aliquid pretio æstimabile de suo impendit, cujus ei debetur restitutio: & similiter

similiter in tutore qui suis impensis negotia pupilli sui ex bona fide gessit, §. *Igitur*, & §. *Tutores*, Instit. de obligat. quæ quasi ex contractu nasc. horum enim debetur iis restitutio. Nullatenus verò hîc adjungo restitutiones quæ in Jure dicuntur ex quasi delicto. Cùm enim istæ oriantur aliquando ex imprudentia aut ignorantia culpabili, & aliquando ex facto alterius sine culpa domini; si culpa talis intervenerit, ut inde Jus divinum obliget ad reparationem damni, hæc obligatio pertinet ad secundam præfatam speciem, quam diximus damnum injustè illatum: si autem nulla talis intervenerit culpa, obligatio illa reparandi aut restituendi non adstringit nisi post sententiam Judicis.

III. Operæpretium hîc erit summatim persequi expressas in Jure Civili condictionum, hoc est repetitionum rei cujuscumque debitæ species. Istæ porrò recensentur. 1. Condictio certi, quâ mutuum repetitur, de qua superiùs egi, & pro qua tituli sunt D. de rebus creditis, & si certum petatur: & C. de rebus creditis, & si cert. pet. 2. Alia est condictio indebiti, quando aliquid ex errore solutum fuit, quod minimè debebatur, de qua tit. D. & C. de condict. indebiti. 3. Alia est condictio causâ datâ causâ non sequutâ, cui locus est ubi causa ex utraque parte honesta erat, ut datum ob futurum matrimonium, quod tamen non est subsequutum; aut si tibi dedi ut mea negotia Romæ gereres, nec tamen gessisti. De hac sunt tituli D. de condict. causâ dat. causâ non sequutâ, & C. de condict. ob caus. datorum. 4. Alia est condictio ob turpem causam, de qua tituli D. & C. de condict. ob turp. causam. In Jure Civili Romano circa condictionem istam à veteribus tum Jurisconsultis, quorum in Pandectis responsa continentur; tum Imperatoribus, quorum leges habentur in Codice, constanter decernitur distinguendum sic esse, ut spectandum sit, utrum turpitudo versetur ex parte solius dantis, vel ex parte solius accipientis, vel ex parte dantis simul & accipientis. Si ex parte solius accipientis versetur turpitudo, rem datam condici posse. Si ex parte dantis solius, aut ex parte dantis simul & accipientis, nullum esse condictioni locum, l. 1. & 2. de condict. ob turp. causam. Turpitudinis ex parte solius dantis exemplum referunt: Si tibi dedero ne mihi injuriam facias, ne res meas rapias, ne me injustâ sententiâ opprimas, l. *Idem si ob stuprum*, D. eod. aut si furi dederim ut rem mihi furto ablatam restituat, l. *Ob restituenda*, C. eod. si Officialis prætextu publici sui officii per peculatum aliquid receperit, aut per concussionem, ut reddat, aut ne quid hujusmodi recipiat, l. *Quod evitandi*, C. eod. Turpitudinis verò ex parte solius accipientis exemplum refertur, si quid pro libidine datum fuerit meretrici: licèt enim, ut ait lex *Idem si ob stuprum*, D. eod. turpiter faciat quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit tanquam meretrix; ideoque eadem lex negat hoc datum posse repeti. Ista tamen discriminis ratio non videtur plenè satisfacere; dare enim & accipere ob malum finem, æqualem habent turpitudinem, atque ita necesse est meretri-

cem turpiter ob peccatum accipere, sicut turpiter ob idem peccatum ei datur. * Consentit tamen D. Thomas licere meretrici turpitudinis suæ pretium sibi retinere, 2. 2. quæst. 32. art. 7. in corp. & quæst. 62. art. 5. ad 2.] Sed aliam solidiorem rationem proferunt Theologi, cur meretrix possit retinere pretium suæ turpitudinis: tum quia etsi contra virtutem charitatis & castitatis peccaverit, non tamen contra justitiam commutativam, quæ sola obligat ad restituendum: tum quia non tam illa criminis sui mercedem accepit, quàm legum munus ob illam qualemcumque utilitatem, quam infamis illa professio certis locis afferre dicitur, homines à majoribus criminibus avertendo. *Tolle enim meretrices de rebus humanis,* inquit Augustinus, *impleveris omnia libidinibus.* Quod tamen etiam quoad meretrices nolim certò definire; cùm id noverim apud ipsos Casuistas esse controversum. De adulterio enim, & aliis hujusmodi flagitiis, quæ cum injustitia admittuntur, ne quidem dubitare velim, quin acceptum pro illis pretium restitui debeat. Exemplum denique mutuæ turpitudinis in dante simul & accipiente, in quibus lex negat actionem repetendi, aut nondum solutum exigendi, ita ut ejus prævaleat conditio qui possidet, ponitur in pecunia vel data, vel promissa judici hoc fine, ut injustam sententiam ferat, l. *Ubi,* C. eod. & in eo quod datum, promissumve marito fuerit, lenocinii uxoris causâ, ut nec per maritum exigi, neque si ei solutum fuerit, per alium condici possit, l. *Mercalem,* C. eod. Nam in causa turpitudinis ex utraque parte meliorem esse possidentis conditionem declarant dicta lex *Mercalem,* & lex *Si ob turpem,* D. eod.

IV. Prædicta condictionum, seu repetitionum jura cum obligatione restituendi, etiam extra repetitionem & judicium, ex sola conscientiæ obligatione admittunt & approbant Theologi & Summistæ. Sanè si jus ipsum naturæ spectetur, sicut pro ullo opere quod in se peccatum est nihil potest dari, vel accipi, & si quid datum sit ante malum opus, sit omninò restituendum, quia includit promissionem committendi peccati à quo prorsus abstinendum est: ita postquam completum fuit opus malum, pro quo adimplendo, vel adimpleto datum aliquid fuerat, is qui accepit non tenetur restituere. Ita docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 7. in corpore, & quæst. 62. art. 5. ad 2. his verbis: *Potest retineri id quod propter opus malum est acceptum.* Licèt enim opus malum, quatenus tale, non sit æstimabile, attamen quatenus est uni alicui delectabile, vel utile, aut alteri incommodum, aut laboriosum, aut periculosum, est pretio æstimabile. Ex hac Sancti Thomæ conclusione Soto lib. 4. de justit. quæst. 7. artic. 1. ad 2. excipit id quod acceptum fuit propter opus turpe, quod sit directè virtuti justitiæ oppositum. Sed inde sequeretur, militem qui pro injusto bello stipendia accepit & militavit, teneri restituere stipendia; & eum qui similiter pretium accepit pro fabricandis armis, aut pro subministrando commeatu ad bellum injustum, teneri post talę ministerium restituere pre-

tium

tium acceptum ; aliaque sequerentur plurima quæ absurditatem præ se ferunt.

V. Alii, ut Caietanus & Covarruvias, hanc limitant conclusionem in solo judice qui pretium accepit ad injustam ferendam sententiam ; & pro ratione verbis innituntur Sancti Augustini epist. 54. ad Macedonium: *Sceleratius accipitur pecunia pro sententia injusta quàm pro sententia justa; pro testimonio falso, quàm pro testimonio vero.* Atqui pecunia accepta pro sententia justa restituenda est, ut omnes affirmant, & hoc ipsum statuitur in l. *Idem si ob stuprum*, D. de condict. ob turp. caus. & l. *Quod evitandi*, C. eod. Primò namque fit transgressio æqualitatis, si pro re absolutè debita ex justitia pecunia exigatur. Secundò, quia id quod datur pro obtinenda justitia aut vitanda injuria, non est censendum sponte dari, sed coactè ex injuriæ metu. Igitur non est restringenda restituendi rem malè acceptam obligatio ad solum Judicem qui acceperit ad ferendam injustum judicium: quinimò multò major inest restituendi obligatio in Iudice qui acceperit ad justè judicandum, quia sic accipiens gravem danti injuriam facit, & ideo magis obligatur ad ei restituendum pretium judicii quod ei gratis, & ex officio debebat. Sanè Judex utroque casu, sive acceperit ob justam, sive ob injustam ferendam sententiam, reus est gravis injustitiæ : atque ad officium Confessarii spectat illum restitutioni rei injustè acceptæ adigere, scilicet Parti quæ dedit ad justam obtinendam sententiam, quæ quidem gratis & sine pretio debebatur : sed ubi pretio accepto Judex injustè judicasset, compellendus erit pretium acceptum rependere, non illi qui turpiter dedit, quique rem obtinuit secundùm illicitam conventionem, sed pauperibus. Iniquum est enim si is cui ex officio incumbit jus dicere, nequitiæ suæ pretio perfruatur : & Justinianus auth. *Novo jure*, C. de pœna Jud. qui malè judic. Judicem pretio utcumque corruptum damnari jubet triplici restitutione.

VI. Nec verò in sola injuriosa circa rem alienam actione, aut in alienæ rei injusta detentione, sed etiam in injusta boni alicujus alteri obventuri impeditione versatur obligatio restituendi. Tres autem requiruntur simul conditiones, ut alterius bonum impediens teneatur restituere, ita ut una & altera earum non sufficiat ad obligationem restituendi. Prima est, ut sic impeditus potuisset rem obtinere, nisi hoc impedimentum obstitisset ; non enim est verè ac propriè impedimentum, nisi cùm aliàs res ipsa obventura fuisset, nisi obstitisset oppositum impedimentum. Secunda conditio est, ut impeditus potuisset justè rem consequi ; si enim justè rem obtinere non poterat, is qui impediverit non tenetur restituere, cùm non abstulerit jus alterius : ut si indignus, & planè incapax fuerit à consequutione Beneficii, vel officii impeditus, tametsi qui impedivit motus fuerit ex odio, aut alio pravo affectu, nec ullatenus ex affectu justitiæ : hoc enim malo affectu impediens peccat quidem contra charitatem, sed non peccat

contra

contra justitiam. Tertia denique conditio requisita est, ut impediverit per dolum, & fraudem aut mendacium, aliamve quamlibet actionem justitiæ oppositam, qualis est calumnia, detentio personæ ne compareat, literarum illius interceptio, ne rem speratam prosequi possit, aut etiam vis illata, aut minarum intentatio in eum qui erat illud bonum collaturus. At verò solæ preces, blanditiæ & pollicitationes non injustæ minimè sufficiunt ut quis restituere teneatur, quia hominem adhuc in sua libertate relinquunt. Quâ ratione restituendi nulla inest obligatio in eo qui precibus, blandisque officiis, aut frequenti adhortatione citra vim ac mendacium mentem alicujus avertit ab instituendo illum hæredem quem priùs intendebat, aut à relinquendo legato, vel donatione facienda. Eademque locum habent in electione, præsentatione, vel collatione Beneficii Ecclesiastici.

VII. Porrò inter exempla injustæ impeditionis ex qua exurgat obligatio restituendi, Toletus lib. 5. cap. 19. num. 4. istud allegat, si quis Episcopum volentem certæ personæ conferre Beneficium, à proposito diverterit detegendo ei crimen verum, sed omninò occultum ejus cui erat collaturus. Sed melius docet Lessius cap. 12. dub. 18. num. 124. neque peccasse contra justitiam, neque teneri restituere, aut satisfacere illum qui collatorem beneficii, vel Officii diverterit per privatam admonitionem criminis occulti, quia jus est in hujusmodi patefacere privatim illi cujus interest ea quæ hominem minùs idoneum, aut minùs fidelem ostendunt ad id munus, vel officium, vel collationem minùs decoram reddunt. Unde etiam solent occultæ informationes à sanctioribus & sapientioribus fieri.

VIII. Itaque ubicumque penè certam alioqui boni alicujus consequutionem aliquis frustraverit impediendo, putà quum impeditus jus habebat in re, vel ad rem per justam promissionem, stipulationem, aliumve contractum, aut per electionem, præsentationem, expectativam, coadjutoriam, regressum, aliumve titulum per quem datur actio ad rem petendam; in his casibus quamvis impediens nullam vim aut fraudem adhibuerit, sed solas preces & suasiones, si justa non fuerit causa jus illud in rem acquisitum impediendi, tenetur impediens ad istius damni reparationem, quia hoc ipso peccavit contra justitiam, quòd jus alteri jam acquisitum sine legitima causa frustraverit. Lessius num. 122. hoc addens, eum qui tale jus habentem sic impedivit, non obligari in totum quanti res ipsa valet, sed quanti illud jus, illaque spes, consideratis judicio boni & prudentis viri omnibus circumstantiis æstimaretur. Eadem etiam docet Bonacina de restit. in genere, disput. 1. quæst. 2. puncto 12. num. 3. ubi nullum tale fuisset jus ad rem, sed spes plus minusve probabilis, aut conferentis dispositio, vel propositum, spes illa, vel dispositio multò minùs æstimanda erit, nec restitutionis ulla erit obligatio, nisi tribus supradictis concurrentibus conditionibus, maximè verò vi, vel dolo: non enim ad hoc sufficerent preces & suasiones. Cùm enim quantumvis aliquis dignus foret, non tamen

jus

jus habet nisi in libera ejus qui conferre potest voluntate. Atqui preces, blanditiæ, munera, suasiones, non repugnant libertati; neque collator censeri potest involuntariè hoc facere, quod ita inductus agit. Navarra cap. 17. num. 69. Sotus lib. 4. de justitia, quæst. 6. art. 3. sub finem. Lessius loco cit. num. 128. Bonacina de restitut. in genere, disp. 1. quæst. 2. punct. 12. num. 2. aliique communiter.

IX. Quæres quid sit statuendum eo casu quo quis digniorem nullum jus habentem ad Beneficium aut Officium sine vi, vel fraude impedivit, ut ei minùs dignus præferretur? Respondemus illum quidem peccasse, non tamen obligari quidquam restituere, modò dignum & idoneum ad id promoveri fecerit. Nisi id factum fuerit in concursu & examine, in quibus ille qui dignior agnoscitur, jus habet ut cæteris quanvis dignis præferatur. Et Prælati, atque Magistratus jus istud in concursu violantes, non modò peccant mortaliter ut infideles dispensatores, sed etiam vinculo tenentur restitutionis, quatenus injuriam illi fecerunt, quem lex concursus reliquis præferri exigebat.

X. Restituendi obligationi non est obnoxius ille qui sine vi vel fraude curavit testamentum revocari, & alium hæredem institui; quia neque hæredes, neque legatarii jus ullum habent ad successionem quandiu testator est in vivis, cùm sit libera testatori sui testamenti revocatio, habeatque, ut Jura loquuntur, deambulatoriam voluntatem usque ad mortem. Sicut ergo poterat testator testamentum suum sine cujusquam injuria revocare, ita potuit alius ei revocationem illam modis non illicitis persuadere. Secus verò censendum de illo qui vi, vel minis aut calumniis extorsit testamenti, aut legati alicujus revocationem: & de illo quoque qui volentem testamentum condere, vel codicillum, per vim vel fraudem impediverit, exempli gratiâ impediendo Notarii, aut testium accessum: his enim casibus locus est illi generali & receptissimæ regulæ, eum qui vi, aut fraude alterius bonum impediverit, peccare contra justitiam, & ad restitutionem obligari.

XI. Ille denique cujus vi, vel fraude plures competitores ab assequutione alicujus Beneficii, alteriusve boni impediti fuere, tenetur restituere singulis horum quanti spes illorum probabilis judicio prudentis valebat, juxta regulas suprà adductas. Molina tom. 3. disp. 727. n. 7. Lessius loco cit. n. 127. Bonacina loco cit. num. 9.

CAPUT XVI.

Quando, & quomodo teneatur restituere qui cooperatus est alterius damno.

I. EXIMIUS Ecclesiæ Doctor S. Augustinus ita scribit epist. 54. ad Macedonium: *Si res aliena propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cùm restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo; nec aliud habet unde restituat. Huic certè non possumus dicere, Redde quod abstulisti; nisi cùm habere credimus, & negare.* Hactenus D. Augustinus. Quisquis efficaciter influxit in alterius damnum, tenetur jure naturæ illud reparare. Hujusmodi sunt cooperantes uno aliquo ex novem modis, qui duobus istis versibus comprehenduntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Scilicet 1. Mandato: 2. Consilio: 3. Rei approbatione, aut laude: 4. Consensu: 5. Recipiendo rem, aut refugium damnificanti præbendo: 6. Auxilium præbendo in malum: 7. Tacendo: 8. Non impediendo: 9. Non manifestando, nimirum cùm quis ex officio & justitia loqui, impedire, aut manifestare tenetur: nam qui ex sola charitate tenentur ad unum aliquod ex his tribus, non incurrunt damni restituendi obligationem, quæ est solius justitiæ, & non aliarum virtutum debitum. Itaque si plures communi conspiratione vel concursu efficaciter cooperati sunt alieno damno, tenentur singuli in solidum illud resarcire. Nec ista minuitur obligatio ex eo quod si isti non damnificassent, alii eorum defectu hoc idem damnum intulissent; hæc enim obligatio sequitur damnificantes actu, non verò eos qui cæteroqui damnificassent, non tamen actu ipso damnificarunt.

II. Cæterùm si consilium, aut approbatio nihil efficaciter influxerint in damnum alterius, eo quòd damnificans æquè dispositus erat illud damnum exequi, peccavit quidem, non tamen obligatur ad restituendum, quia nihil influxit in damnum ad quod jamdudum completè se malefactor determinaverat, juxta doctrinam S. Thomæ, S. Antonini, Sylvestri, Navarri, aliorumque. Verumtamen si per injustum judicium reus innocens damnatus fuit omnium Judicum suffragiis, illi qui ultimi dedere suffragium post completum requisitum ad sententiæ validitatem numerum suffragiorum

tum, videntur nihilominus obligari ad restitutionem: licèt enim à primis suffragatoribus jam sufficienter & efficaciter fuerat præbitus influxus, sperari tamen poterat ut posteriores suffragatores admonendo quæ sui erant officii, & suffragium suum recusando adduxissent priores, qui jam opinati sunt, collegas ad revocanda injusta suffragia: hoc, inquam, casu supernumerarii suffragatores restituere tenerentur. Bonacina de restitut. in gen. disp. 1. quæst. 2. punct. 8. n. 4. quia non tantùm ex justitia tenebantur rectum dare consilium, sed etiam admonendo, si fieri posset, revocare injusta collegarum judicia. Ita Navarra cap. 17. num. 21.

III. Quid verò statuendum si quis dubitat utrum suo consilio injusto, quod se dedisse certus est, is cui datum est consilium fuerit efficaciter impulsus ad damnificandum; an verò etiam sine hujusmodi consilio jam erat sufficienter dispositus ad inferendum hoc damnum, ita ut consilium fortasse non fuerit causa damni animo jam præmeditati? Diversè à Doctoribus respondetur. Petrus enim Navarra lib. 3. de restit. cap. 4. num. 58. Filliucius tom. 2. tract. 32. cap. 3. quæst. 7. num. 57. & tract. 21. cap. 4. n. 167. & alii quidam negant ita dubitantem teneri restituere, eo quòd in dubiis melior sit possidentis conditio, l. *In dubiis*, D. de regul. jur. Contraria tamen opinio mihi verior & sequenda videtur, quam docet S. Thomas 2. 2. quæst. 62. artic. 7. his verbis: *Tunc solùm tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta.* Certè enim verba ista, *probabiliter æstimari potest*, non certitudinem, sed dubitationem & formidinem potiùs exprimunt. Affirmant quoque disertè obligationem restituendi in casu dubii Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, part. 2. §. 2. n. 1. Molina tom. 3. de justit. disput. 736. num. 6. Bonacina d. quæst. 2. punct. 7. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 3. num. 13. Ratio est, quia in dubio nemo præsumitur malum sua sponte facturus, l. *Meritò* 51. D. pro socio. Unde infert Covarruvias, eum qui damnificavit, non fuisse damnificaturum, nisi id consilium quod me dedisse certum & exploratum est, ipsum movisset. Confirmatur, quia in dubio æquali damnificator censetur indeterminatus. Ergo præsumendum est, sequentem ejus determinationem ex malo consilio subsequuto processisse.

IV. Secus tamen, ut rectè Lessius admonet, judicandum esset ubi dubitaretur an fuisset datum consilium: hac eadem ratione, quia malum non præsumitur nisi probetur, d. l. *Meritò*, & d. l. *In dubiis*. In dubiis melior est conditio possidentis; stat enim possessio pro innocentia, donec perspicuè de delicto non constat. Idemque statuendum, si dubium esset an consilium datum processisset ex culpa, an verò ex inculpabili, aut saltem leviter culpabili. Nam ut capite sequenti ostendemus, damnum sine peccato illatum non inducit restituendi obligationem, & ubi fuerit culpa levis, non obligat in totum, sed in partem. Sanè ubi tam gravia sunt indicia,

sive profusæ malitiæ, sive præparationis modorum damnificandi, sive declarationis malæ voluntatis quæ consilium præcessisset, eo casu præsumi posset nullum fuisse influxum ex malo subsequente consilio, & consulens esset immunis, ut idem docet Lessius lib.2.cap.13.dub.4. in fine.

V. Quæritur præterea, utrum damnum præstare, seu restituere teneatur is qui mandavit quidem, aut consuluit injustam damnificationem, sed postea revocavit antequam damnum fuisset illatum? Communiter concludunt Doctores, eum qui mandaverat, si ante damni exequutionem mandatum penes mandatarium revocaverit, eximi ab onere restituendi, quia passim constat ex titulo Digestorum *Mandati*, mandantem non teneri ex mandato postquam mandati sui revocationem ante factum sufficienter mandatario intimaverit; sic enim satis superque cessat mandati præcedentis influxus. De consilio autem secus decernit communis Doctorum opinio, censent enim eum qui damnum consuluit, non revocare sufficienter influxum injusti consilii, nisi efficaciter persuaserit ut à malo opere alter desistat. Martinus Navarra in Manuali, cap. 27.n.233.quem sequuntur Azorius, Toletus, Lessius, Bonacina, aliique hanc rationem dantes discriminis hujus inter consulentem & mandantem, quia consilium datur in gratiam recipientis, mandatum verò datur in gratiam ipsius mandantis: unde mandans, si retractet mandatum suum re adhuc integra, retractat simul influxum suum; ideoque non tenebitur de damno sequenti, quatenus mandatum cùm versetur circa interesse mandantis, revocatio mandati revocat simul influxum qui proficiscitur ex interesse mandantis. At verò consilium cùm habeat pro suo fine interesse illius qui consilium recipit, retractatio consilii non semper amovet ejus influxum, nisi alter desistat à prosequutione sui interesse, pro quo datum fuit ei consilium. Atque isti doctrinæ adhærendum est in praxi, quamvis Petrus Navarrus, & Salonius his non acquiescant, & consulentem perinde ut mandantem à restitutione facienda eximant, ex quo revocationem re integra significaverint, totumque deinceps damnum in solam exequentis malignitatem refundant. Adhuc tamen subdistinguendum est circa revocationem consilii: vel enim consilium versabatur circa jus, verbi gratiâ dicendo licitum quod tamen est illicitum; & ejusmodi consilium re adhuc integra sufficienter revocatum apud eum cui datum fuerat, eximit eum qui malè consuluerat ab obligatione restituendi damnum postea illatum, quia ejus desiit influxus per manifestationem contrariæ veritatis: vel consilium fuit immediatè circa factum injustum & damnificum, & hujus revocatio non sufficit ad eximendum à restitutione facto subsequuto eum qui sic consuluerit. Bonac, punct.7. num.6.

VI. Jus quidem Civile & Canonicum simul conveniunt dicendo: *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterùm si dolus & calliditas intervenerit, de dolo actio competit.* Lege *Non fraudulenti consilii* 47. D. de reg. jur.

jur. Et: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, cap. *Nullus*, eod. in 6. Si in his locis dolum strictè sumas, aut fraudem, intelligendi erunt hi textus de foro tantùm externo. Si verò verba hæc latè sumantur, ut culpam etiam comprehendant, locus his quoque regulis erit in foro conscientiæ circa consilium cui causam dederit culpabilis ignorantia. Ubi verò ignoratio non fuerit culpæ conjuncta, vel temeritati, nulli erit restitutioni obnoxius qui bona fide erroneum consilium dederit, etsi damnum fuerit inde subsequutum.

VII. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 62. art. 7. multa præclarè docet circa restitutionem faciendam. Primò, novem præfatos modos quibus alquis ab alio damnificari potest, & in quibus inest obligatio ad restituendum, & singulos ex his modis obligare singulos influentes in solidum ad reparandum illatum damnum. Secundò, Principes qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem teneri, quia redditus quos habent, sunt stipendia ad hoc instituta ut justitiam conservent in terra. Tertiò, hosce modos, etiamsi per eos mortaliter peccatum fuisset, non semper obligare, sed tantùm ubi efficaciter in alterius damnum influxerint. Et hæc dicit in corpore articuli. Quartò, principaliter teneri restituere illum qui est principalis in malefacto: primùm quidem præcipientem, secundariò exequentem, & consequenter alios per ordinem. Quintò, uno istorum restituente illi qui passus est damnum, alium non teneri restituere damnum eidem quem anterior restituens fecerit indemnem; sed restituere debere principalem damnificatorem, aut eum ad quem res injustè subrepta pervenerit, minùs principali damnificatori qui restituere damnum passo prævenerit. Hæc dicit ad 2. argum. Sextò denique, non semper illum qui non manifestat latronem, teneri ad restitutionem, aut qui non obstat, aut qui non reprehendit; sed eum solum cui ista incumbunt ex officio, ut Principes terræ, Gubernatores, Magistratus, Officiales. Hæc dicit ad 3. arg.

VIII. Itaque juxta has regulas milites cooperantes in urbis injusta direptione vel agrorum vastatione, tenentur singuli id solum reparare damnum quod in individuo per se operati sunt. Duces autem exercitus tenentur in solidum ad universum damnum quod ex eorum neglectu, licentia, vel mandato milites ipsorum exequuti fuerint. Ita Navarra cap. 17. n. 20. Et si ex communi conjuratione plures socii ad unius domus, aut villæ excidium concurrerint, & dum simul deprædantur, alius superveniens aliquam supellectilem inde abstulerit, singuli ex numero conjuratorum obnoxii sunt restitutioni in solidum: qui verò deprædationi supervenerit, id solùm tenetur restituere quod seorsim diripuit, quia ipse unus causa est singularis damni; reliqui verò singuli per communem conspirationem in totale damnum influxerunt.

IX. Gravis est difficultas circa alieni peccati cooperationem, quæ sit

per actus de se, suique natura licitos, atque ad bonum aut malum indifferentes, ut contingit in Christianis apud Infideles captivis, quos illi cogunt adversus Christianos remigare ad bellum, vel piraticum latrocinium. Navarrus quidem Manual. cap. 27. n. 63. & in cap. *Ita quorundam*, de Judæis, notab. 21. eos dicit peccare mortaliter, & teneri mortem potiùs oppetere. Cæteri verò ferè omnes Summistæ illos vi compulsos ad sic remigandum excusant à peccato. In primis certum est eos qui voluntariè cooperantur hoc fine, ut alieno peccato consentiant & famulentur, quanvis eorum actio præcisè & ex sui natura non esset mala, peccare tamen ex consensu ad malum finem, dicente Apostolo Rom. 1. *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et dicit cap. 1. de offic. jud. deleg. *Agentes & consentientes pari pœnâ puniuntur.* Difficultas ergo versatur in illis qui compulsi à superiori potestate aliquid ex se suique natura agunt quod injustæ voluntati Superioris famulatur & inservit; cui tamen obtemperans non consentit animo. Cogitanti mihi de hac quæstione tria occurrunt præjudicia quæ nemo prudens possit aspernari. Exemplum Sancti Gregorii Papæ, quod ipse de se testatur & approbat. Deinde sapientissimi Pontificis Innocentii III. decretum in cap. *Pastoralis*, §. *Quia verò*, de offic. jud. deleg. his verbis: *Respondemus quod cùm Ordinarius teneatur obsequi Delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem.* Ex adverso divina & naturalis ratio suadet nihil agendum contra propriam conscientiam, alioqui indubiè peccari, tametsi conscientia ipsa esset erronea. Sacra quoque Scriptura denunciat Act. 5. Deo esse obediendum magis quàm hominibus. Et carnifices qui injusta Principum & Senatus adversus Christianos edicta exequebantur, licèt non causæ cognitio, sed sola exequutio eis mandaretur, non erant immunes à peccato. Sic igitur interpretanda est Innocentii Constitutio, ut velit Ordinarium præsumere quod Superioris committentis sententia à se exequenda non sit injusta, quanvis primo aspectu talis sibi videatur, atque ideo scrupulum deponat, nec velit penitus explorare rem non sibi perspectam, cujus sibi demandatur exequutio, & non cognitio. Tertium præjudicium est in eo quod si quis calumniis ita opprimatur, ut non suppetat probatio, vel defensio in contrarium, judex qui certò scit accusationis falsitatem, & accusati innocentiam, debeat tamen contra propriam conscientiam supplicio innocentem accusatum addicere; quod est verè & scienter cooperari calumniatorum malitiæ adversùs innocentem: quæ tamen conclusio est Sancti Thomæ 2.2.q.67. art.2. Quia tamen permulti huic opinioni refragantur, non ei ulteriùs insisto. Taceo pervulgatum illud exemplum Naaman Syri; quod tamen Elisæus Propheta non reprobat, sed virum illum cum pace dimittit, lib.4. Regum, cap.5.

X. Venio itaque ad primum ex Sancto Gregorio præjudicium. Hic ergo lib.2. epist.100. quæ est ad Mauricium Augustum, qui lege prohibuerat milites

milites nondum militiâ solutos fieri Monachos, protestatur ibi vir sanctus hanc l[illegible]em esse contra Deum ipsum, per eam occludi quamplurimis æternæ salutis viam, plerosque milites esse qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possint. Et tamen quasi cooperans huic injustitiæ tam multis animabus exitiali, testatur ibidem se Principi obtemperando eandem legem per diversas terrarum partes transmitti fecisse ut promulgaretur : addens se id quod debuit exsolvisse, dum Imperatori obedivit, & pro Deo quod sentiebat non tacuit. In istius facti examine tres circunstantias deprehendo, quæ in hujusmodi occursibus possunt esse totidem regulæ evitandi peccati. Primùm non consentit malæ intentioni Imperatoris, imò verò illam pro suo Pontificis officio apertè damnat. Secundò illa Pontificis actio sic erat in seipsa indifferens, ut directè ac immediatè non operaretur rem malam ab Imperatore intentam; transmittebat enim ejus Edictum, sed non hortabatur ejus exequutionem. Tertiò impendebant neganti hoc officium gravia mala, & majora in sanctam Ecclesiam scandala ab Imperatore. Hæc tria similiter concurrere videntur in Christianis illis remigibus; non enim animo consentiunt, sed inviti remigare compelluntur. Item eorum actio ex se indifferens non attingit immediatè malum ab infidelibus intentum, non enim capiunt, non pugnant, non occidunt, non tormenta in Christianos adhibito igne displodunt; hæc enim, ut Lessius docet, præstare, quanvis coacti, non possent citra mortale peccatum. Tertiò non modò inviti, sed etiam cruciatibus imminentibus, & mortis metu compulsi remigant. His ergo tribus simul concurrentibus licitum esse talia, & his similia operari sine peccato & sine obligatione restituendi, volunt Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 18. Bonacina de restitut. disp. 1. quæst. 2. puncto 10. num. 3. Bonaldius tom. 1. tract. 11. lectione 28. Ego verò quidquam decernere non ausim.

CAPUT XVII.

Utrum secluso dolo, aut conventione, quævis culpa obliget in conscientia ad restitutionem.

1. IN foro quidem exteriori decernitur plerumque secundùm leges reparatio damni ex culpa dati, etsi damnum casu evenerit, dummodo culpa casum præcesserit. Unde ait lex *Contractus*, D. de reg. jur. *Contractus quidam dolum malum dumtaxat requirunt, quidam dolum & culpam. Dolum tantùm, depositum & precarium: dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, loca-*

tum

tum ; item dotis datio, tutelæ, negotia gesta. In his quidem & diligentiam societas & rerum communio, & dolum & culpam recipit : sed hæc ita, nisi quid nominatim convenit, vel plus, vel minus in singulis contractibus : nam hoc servabitur quod initio convenit. Ex ista lege Doctores inferunt, nullam præstari culpam à recipiente in contractu inito in gratiam solius dantis, ut in depositò ; præstari verò culpam levissimam à recipiente ubi in ejus gratiam solius contrahitur, ut in commodato. At ubi æqualiter in dantis & recipientis gratiam contractum fuerit, non aliam præstari culpam quàm latam & levem, ut in venditione, locatione, pignore. Ratio demùm cur recipiens precarium, quanvis in ejus solius gratiam fiat, non teneatur de culpa, hæc est, quia ei qui dat, liberum est quandocunque voluerit repetere. Sed hæc Jure Civili, & quoad forum exterius ; secus enim decernitur sæpenumero in foro conscientiæ.

II. Duplex in foro interiori distinguitur culpa, civilis scilicet & theologica, quæ est ipsum peccatum. Qui enim culpâ suâ merè civili (sive lata sit, sive levis, sive levissima) damnum fecit, ad nihilum obligatur in conscientia, nisi postquam fuerit in foro externo condemnatus, aut nisi de præstando damno specialiter fuerit inter Partes conventum. Ita docet Innocentius in cap. *Sicuti dignum*, §. *Eos*, de homicid. Abbas in cap. *Si egressus*, de injur. Sylvester verb. *Restitutio* 2. dub. 12. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 26. Azorius tom. 3. lib. 3. cap. 7. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 5. n. 2. & alii quos ibi citat, contra Angelum, Covarruviam, & Adrianum. Exempla refert, si ex ædibus aliquid inconsultè projeceris, vel effuderis : si canem alligare, si lucernam extinguere, si furnum occludere, si foveam supernè operire oblitus sis, atque inde damnum acciderit, resarcire illud non teneris ante Judicis sententiam. Sed si aliquod pactum de hujusmodi præstando damno intervenerit, teneberis in conscientia ante Judicis condemnationem. Ita Layman contra Toletum lib. 5. cap. 18. Sotum lib. 5. de justit. quæst. 7. art. 2. Sà verb. *Culpa*, num. 2. dicentes contrahentem non teneri de culpa, nisi sit mortalis. Quod si sit culpa quidem theologica, sed venialis, Layman loc. cit. existimat num. 4. cum Molina tract. 2. tom. 3. poster. disp. 698. num. 7. si pactum non intervenit, resarciendum esse damnum in foro conscientiæ, non in totum, sed ex parte, prout major, minorve culpa fuerit. Ratio est, quia intervenit injusta & culpabilis læsio, quæ est fons obligationis restituendi. Licèt verò Petrus Navarra lib. 2. cap. 1. num. 4. Lessius lib. 2. cap. 7. num. 27. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 23. num. 160. Azorius p. 3. lib. 9. cap. 8. versùs fin. & Filiucius tom. 2. tract. 32. cap. 4. scribant nullam ex peccato veniali oriri obligationem restituendi ; rationi tamen magis congruit damni ex culpa dati sententia Layman & Bonacinæ, ut ubi sola civilis culpa fuit, nulla talis existat obligatio ; sed ubi intervenit moralis, seu theologica culpa in alieno damno, si sit mortalis, teneatur damni author in totum : si venialis,

in

in partem majorem, vel minorem, pro qualitate culpæ majoris, vel minoris. Ut si quis postquam puteum aperuit, ex mera inadvertentia, vel oblivione naturali relinquat illum apertum, ideoque in eum homo, vel jumentum decidat, nulla erit obligatio damni reparandi. At ubi damno causam dedit venialis culpa, surgit obligatio restituendi damni juxta partem taxandam pro majori, vel minori gravitate culpæ. Quia verò culpæ debet commensurari ac proportionari pœna; ideò minor pœna minori culpæ affigitur. Quo fit (ait Bonacina dicta disput. 1. quæst. 1. puncto 3.) ut culpa illa tam levis esse possit, ut vix obliget ad restituendum centesimam partem damni; & quandoque ita gravis ut obliget ad decimam partem resarciendam. Quod si re benè secundùm omnes circumstantias spectata, dubitatur adhuc, sitne venialis, an mortalis culpa, eo casu damnificator, eodem authore Bonacina, videtur obligandus ad solvendam medietatem damni, nullatenus autem ad totum resarciendum, quia in re dubia nemo spoliandus est re sua, & quia melior est in dubio possidentis conditio.

CAPUT XVIII.

De quantitate obligante ad restitutionem; & de possessore bonæ fidei.

1. LAYMAN sect. 5. tract. 3. parte 1. cap. 1. num. 3. judicat quantitatem notabilem furti sufficientem ad culpam mortalem, & obligantem ad restitutionem esse illam quæ sufficit ad unius diei victum ejus qui furtum passus est, spectato illius statu & opibus. Ratio est, quia damnum illatum pensandum est secundùm illius penuriam qui passus est: quod enim ditiori leve est, illud inopi grave est. Et confirmatur Marci 12. ubi de vidua paupercula, quæ duo minuta in gazophylacium Templi misit, sic dicit Dominus: *Vidua hæc pauper plus omnibus misit; omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt: hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum.* Quod verò attinet ad furtum de rebus potentissimorum & opulentissimorum commissum, idem asserit sufficere ad mortale peccatum duorum triumve ducatorum aureorum valorem, etiamsi potentissimo Regi hæc fiat injuria. Difficilis certè hujusmodi æstimatio, de qua aliorum malo sententias referre, quàm propriam promere. Addit idem Author, hunc esse communem Doctorum sensum, quod summa duos aureos excedens constituat notabilem quantitatem, juxta legem *Si quis affirmaverit*, & l. seq. D. de dolo. Ibidemque asserit cum Martino Navarra & communi sententia, in re quoque minima furtum

esse mortale, quando hujus occasione dominus rei gravi damno afficitur, ut si sartori unicam subulam, quam habet, vel acum aliquis subripiat, quo fit ut plurium dierum victu privetur.

II. Quæritur quid decernendum, si ex multis levibus furtis summa demùm excrescat in notabilem quantitatem? Id verò tribus diversis casibus contingere potest. Primus est quando multi ab uno aliquo homine auferunt singuli quidem parvam quantitatem, ita tamen ut omnibus simul spectatis, dominus ipse grave damnum sustineat: ut si vinea multorum hominum concursu vastetur. Hoc primo casu ita distinguendum: vel enim isti damnificantes unà conspirant ad hoc damnum, & ita dicendum singulos influxisse ad hoc totale damnum, atque ita singulos juxta regulas suprà cap. 13. positas peccasse mortaliter, & teneri resarcire in solidum totum hoc damnum: vel non conspirarunt, sed fortuito occursu simul in vineam irruerunt; & tunc singuli venialiter, solùm peccaverunt, nec tenentur aliud quàm partem illam damni quæ sigillatim eos contingit resarcire; quippe qui ad alias damni à sociis illati partes non influxerunt.

III. Secundus casus est quando unus idemque sic à diversis personis subripit, ut cùm singulæ personæ leve dispendium passæ fuerint, ex omnibus tamen simul spectatis formetur grave damnum, ut fieri solet in utentibus falsis ponderibus ac mensuris, quæ singulos accedentes obolo defraudent. Dicendum igitur, hunc ita fraudantem esse peccati mortalis reum, & astrictum ad restituenda hæc damna, quantumvis seorsim exigua forent. Restitutio ista sigillatim quoad moraliter fieri potest facienda est: sin minùs pauperibus, præsertim verò ejus loci in quo quis fraudes istas commisit, si & hoc commodè fieri potest; alioqui pauperibus sine ullo habito locorum discrimine. Nec opponas, posse contingere, ut nemo in individuo, aut pauci grave inde dispendium passi fuerint; satis enim est ad restituendi obligationem, si collectim grave fuerit illatum damnum. Et alioqui ampla ad omnem nequitiam muniretur via, si quivis macellarius, tabernarius, caupo, institor, exercitor, negotiator ditari posset alienis dispendiis. Scripturaque sacra contestatur Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et Deut. 25. *Non habebis in sæculo diversa pondera, majus & minus: abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hoc.*

IV. Tertius casus, quum unus aliquis ab altero uno per furtum diversis temporibus modicum quid accipit, quod temporis progressu excrescit in notabilem valorem & summam. Hîc similiter committitur mortale peccatum cum necessitate restituendi universa, quantumvis sigillatim exigua. Ratio liquet; mortalis enim culpa, & restitutionis debitum determinatur ex notabili quantitate ac valore rei alienæ ablatæ vel retentæ.

V. Et sanè, vel aliquis ab initio proposuit locupletari per multiplicia exigua furta; isque ex illa prava intentione peccavit mortaliter ab ipso initio, etiam ante omne factum; sola namque intentio mala ad hoc sufficit:

vel

vel non formavit ullum generalem talis intentionis actum, sed tantùm singulas intentiones efformavit ad singulas quas commisit exiguas fraudes: eoque casu tunc solùm mortalis delicti tenetur reus, quando eam fraudem intendit & facit, quæ anterioribus accedens implet notabilem quantitatem quam priores fraudes nondum attigerant. Hæc eadem fusiùs docent qui de restitutionibus tractatus ediderunt, ac in primis Petrus Navarra.

VI. Observa cum Layman sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 1. majorem requiri quantitatem ad mortaliter culpabilia furta filiorumfamilias, uxoris, & famulorum, præsertim circa esculenta & poculenta domi suffurata, dummodo ipsi insumant, nec aliis divendant. Ratioque est, quia paterfamilias non censetur adeò invitus in hujusmodi. Similiter majori opus esse quantitate ubi modica furta diversis aut personis, aut temporibus fiunt, modò non dependeant universa ex uno præcedentis propositi influxu. Ratio est, quia minùs incommodantur quibus hoc modo subripitur. Insuper habendam esse rationem majoris aut minoris intervalli inter diversa furta interjecti, adeo ut multi Doctores quos citat & sequitur Layman, censeant non excedere culpam venialem si famuli per minuta furta intra quadriennium usque ad ducatum aureum pertingant. Hoc pariter addit, si quis pluribus personis per longa intervalla suffuratus sit summas quæ simul spectatæ excrescant ad duos, tresve nummos aureos, non existere peccatum mortale, modò, ut sæpiùs dictum est, non præcesserit commune aliquod propositum per quod furta ista diversa moraliter uniantur. Hæc Laymanus, quem Lectori examinandum relinquo.

VII. De bonæ fidei possessore hæc tenenda, statim atque rem noverit esse alienam, teneri restituere, alioqui cessat bona fides: neque si emerat, posse pretium à rei domino exigere, quanvis bona fide ac ignorans emisset, l. *Mater tua*, & l. *Si mancipium*, C. de rei vendicat. Non enim par est ut rem suam quis emat, l. *Sua* 16. D. de contrah. empt. Cæterùm emptori bonæ fidei jus competit repetendi pretii à suo venditore, l. 1. D. de eviction. Sed si bonæ fidei possessor sit in mora culpabili restituendi, ex quo rem novit esse alienam, jam incipit mala fide possidere; & qui antea solo rei acceptæ titulo tenebatur, tenebitur deinceps titulo injustæ detentionis aut damnificationis. Quandiu verò est in restituendi voluntate, & non peccat per moram suam saltem graviter culpabilem, si casu res apud ipsum dispereat, nihil aliud debebit nisi id in quo factus fuerit locupletior.

VIII. Si quis dum bona fide possidebat rem alienam alteri vendiderit pari, vel minori pretio ac ipse emerat, ad nihil utique tenebitur: sed si pluris vendiderit, ad id solùm tenebitur quod amplius acceperit, juxta S. Thomum 2. 2. quæst. 62. art. 6. Quid si quod bona fide possidebat donaverit, aut in lusus, vel convivia impenderit? Respondeo quod si quanvis rem illam alienam non habuisset, aliam nihilominus æquivalentem rem daturus fuerat, aut aliter impensurus, restitutioni est obnoxius, quia sic

dici potest factus fuisse locupletior. Si autem nihil ejus vice fuerat impensurus, non potest dici factus locupletior, ac proinde ad nihil tenebitur, nisi si donatarius ipsius aliquid ei per gratitudinem retribuerit; tunc enim hoc unum restituere tenebitur in quo factus dici potest ex re aliena locupletior. Ita ex ratione & præscripto Juris docent Doctores unanimes post l. 1. C. de petit. hæred. quæ restitutioni fructuum bona fide perceptorum adstringit possessorem, quoties inde ditior factus est, ac in rem ejus versum est, & fructus excesserint pretium curationis & operarum. Eademque lege sunt decidenda jura omnia, quæ bonæ fidei possessorem à restitutione fructuum eximunt, ut sunt lex *Certum*, C. de rei vindic. lex *Mala fide*, C. de condict. ex lege: lex *Qui scit*, D. de usur. lex *Bona fides*, D. reg. jur. Item §. *Si quis à non domino*, Instit. de rerum divis. & §. *Etsi hæreditas*, Instit. de offic. judic. Quo loco pariter statuitur, malæ fidei possessorem restituere teneri non solùm fructus perceptos, sed eos etiam quos suâ negligentiâ, vel culpâ non perceperit. Summa verò horum ratio refertur in l. *Jure naturæ*, D. de reg. jur. Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. Atque ita cùm res domino fructificent, bona fides possessoris non eximit ipsum à fructuum restitutione, dummodo in ejus emolumentum versi fuerint. Sed malæ fidei possessor tenetur restituere fructus quoque non perceptos, quos dominus rei percepisset, cap. *Gravis*, de restitut. spoliat.

CAPUT XIX.

De Vectigalibus.

I. MUTUÆ sunt obligationes inter populos & Principes. Cùm enim Principes constituti fuerint propter populos, non verò populi propter Principes, tenentur Principes providere quamexactissimè populorum sibi commissorum felicitati & saluti, justitiam quamintegerrimè per se, suosque Præfectos & Magistratus administrare, delicta compescere, hostes arcere, Religionem tueri, ac promovere. Ut verò ista commodè à Principibus præstari possint, tenentur populi Principibus suis honorem & obedientiam impertiri, tributa & vectigalia solvere, legibus obtemperare. Perhibetur libro 1. Regum, cap. 10. quod Samuel Propheta post constitutum in populo Israël Regem Saul: *Locutus est ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* Hoc est, ut exponunt Interpretes, in Sanctuario. Optimè consultum rebus humanis fuisset si liber ille ad nos usque perveniset; sed verisimile est fuisse

fuisse vel à Salomone, vel à Roboamo abolitum, quo tempore sacra omnia pessundabant, & populos tributis immanibus opprimebant, ne sua perversitas hujus libri censurâ damnaretur. Certè lex illa Regni mores illos tyrannorum reprobabat, quos commemoraverat idem Samuel ad populum idcirco, ut horum odio & metu populum qui Regem sibi præfici postulabat deterreret. Sic enim jus Regis exponunt esse abusus quos contra Dei legem pro sua libidine invehere solent Reges ac Principes perversi. Sic Divus Gregorius Papa in expositione libri primi Regum: *Cum ergo* (inquit) *jus Regis prædicitur, nimirum in unius carnalis præpositi conversatione ostenditur quod carnales cæteri ex tyrannide acturi sunt, non quod electi debeant imitari. Nam in eadem Regum historia legitur, quia cùm Rex Achab vineam Naboth abstulit, iram Dei omnipotentis incurrit. Cùm ergo hìc prædicitur quod commissum illic punitum est, ostendit quod divino judicio non jubetur. Quare & electus Rex David cùm ad ædificandum altare Domino aream ab Orna Jebuseo peteret, Regio illo tyrannorum jure uti noluit, cùm eam accipere nullatenus acquiesceret, nisi antea pro ea dignum pretium dedisset.* Hæc S. Gregorius. Illud idem jus regium similiter interpretatur S. Thomas 1. 2. quæst. 105. art. 1. ad 5. Idem eundem in locum scribens dicit Abulensis, cæterique Interpretes. Idque eo magis adstruitur quia Deuter. 17. ita decernit Deus de futuris populi sui Regibus, vers. 17. *Non habebit uxores plurimas quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immensa pondera.* Deinde vers. 20. *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet, & filii ejus super Israël.*

II. Ut sint justa vectigalia secundùm Caietanum quinque requiruntur conditiones. Prima est legitima potestas, quæ debet esse suprema in statu politico, hoc est in principibus & Rebuspublicis superiorem non agnoscentibus. Ratio est, quia illi qui superiorem non habent, suam immediatè potestatem à populo obtinuerunt; unde necesse est ut à populo accipiant quæ necessaria sunt tum ad sustentationem status & dignitatis suæ, tum ad rectam populi administrationem: ut scilicet Officialibus stipendia solvant, fines ditionis tueantur, hostes arceant, injurias vindicent. Qui verò in sua administratione à Summo Pontifice dependent, ut Proreges, Gubernatores, Optimates, Domini feudales constituti à Principe super diversis partibus ditionis, non habent jus imponendi vectigalia, & in istos illa imponentes decernitur excommunicatio Bullæ in Cœna Domini. Et statuitur in l. *Non solent*, C. vectigalia nova inst. non poss. non posse institui vectigalia inconsulto Principe: & l. *Vectigalia*, eod. tit. ne quidem decreto Civitatum.

III. Secunda conditio est, ut vectigal, seu tributum sit ob justam causam, cui aliter provideri commodè non possit. Cùm enim potestates legitimæ inductæ sint ad populorum tutelam & quietem, & nullatenus ad eorum oppressionem ac deprædationem; nec habeant Principes ullam po-

festatem legitimam in subditorum personas & facultates, nisi in ordine ad eorum tuitionem & justum regimen; idcirco si quid per iniquam cupiditatem & superfluum luxum à populo, vel à privatis accipiant, vel exigant, abutuntur potestate ad optimum tantummodò & commune bonum accepta. Unde dicit S. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei, cap. 4. *Remotâ justitiâ quid sunt Regna, nisi magna latrocinia?* Et Ezech. 22. *Principes ejus in medio ejus quasi lupi rapientes prædam.* Et rectè dicit S. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 8. ad 3. *Tales Reges & Principes ad restitutionem tenentur sicut & latrones; & tantò gravius peccant quàm latrones, quantò periculosius & communius contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi.*

IV. Tertia conditio, ut vectigal necessitatem non excedat; quâ enim parte excedet, transiliet fines justæ institutionis, & injustum erit.

V. Quarta, ne insumatur in alienos usus, ut in prodigas largitiones, voluptuarios Principis sumptus qui modum excedant, aliasve inutiles expensas. Ad hæc enim populi contribuere non tenentur, quia non modò sunt extra finem, sed insuper contra finem publicæ salutis, quæ sola vectigalium impositionem & exactionem justificat.

VI. Quinta demùm conditio, ne diutiùs continuetur vectigal quàm postulet causa ob quam indictum fuerit, nisi fortè nova causa supervenerit propter quam de novo imponi licuisset. Sunt enim tributorum causæ aliæ transitoriæ, ut justum bellum, hostilis incursus, quibus desinentibus cessare quoque debent tributorum ad hunc finem indictorum exactiones: aliæ verò sunt permanentes & quasi perpetuæ, ut impensæ Regiæ Domûs necessariæ, Officialium stipendia, milites præsidiarii, armatæ naves ad fugandos aut deterrendos piratas.

VII. Quæritur quid sit agendum si Rex suâ culpâ, ut ludis, conviviis, spectaculis, profusis largitionibus ærarium hauserit, aut etiam bellis inconsultè susceptis & gestis, utrum urgente necessitate liceat ei nova imponere vectigalia? Respondent affirmativè Medina, Lessius, aliique, si non possit alia ratione publicis necessitatibus occurri; sed isto casu teneri Principem alios sumptus qui superflui sunt reprimere, & præterea cùm primùm res in statum meliorem verterint, illud extraordinarium vectigal non solùm supprimere, sed etiam damnum culpâ suâ populo illatum, ut meliùs fieri poterit, reparare obligatione justitiæ.

VIII. De illis qui evidenter injusta vectigalia fraudant, nulla quæstio est, cùm teneantur Reges lege justitiæ eadem postquam exacta fuerint restituere. Tota ergo ventilatur quæstio de illis qui justa fraudant vectigalia, utrum peccent & obnoxii sint restitutioni? Quorundam opinio est vectigalium legem esse omnino pœnalem, neque proinde obligare ante judicis sententiam. Ita Angelus verbo *Pedagium* 6. Navarra Manualis cap. 17. n. 201. & nonnulli alii. Tenenda tamen opposita & communior sententia Soti libro 4. de just. quæst. 6. art. 4. Sylvestri verbo *Gabella*, Covarruviæ in cap. *Peccatum*

Peccatum; parte 2. §. 5. Toleti libro 5. cap. 7. num. 3. Leſſii libro 2. cap. 33. dub. 8. Molinæ tomo 2. diſput. 674. num. 3. Bonacinæ de reſtitut. diſput. 2. quæſt. 9. puncto 1. num. 3. Layman libro 3. ſect. 5. cap. 3. Filliucii tract. 28. num. 113. Vaſquez in opuſc. cap. 6. §. 3. & aliorum. Probatur ex Scripturis Matth. 22. ubi Chriſtus de cenſu Cæſari ſolvendo interrogatus ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Et Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt. Idèo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Reddite ergo cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Probatur etiam ratione, quia omnis peccat quicumque ſciens & volens juſtam legem tranſgreditur, & quidquid juſtè exigitur, non potſt citra injuſtitiam defraudari. Juſtitia porrò vectigalium eſt commutativa, quia viget utrimque obligatio; Principi enim ſalus & ſecuritas populi ex ejus officio incumbit: populo autem præſtatio tributorum & obedientiæ. Atque is qui juſtitiam commutativam violat in re gravi, peccat eo ipſo mortaliter cum reſtituendi obligatione. Sanè multi ex allegatis Authoribus, Caietanus, Navarra, Molina, Bonacina, Leſſius, Filliucius excuſant à mortali peccato & ab obligatione reſtituendi fraudantes vectigalia pro quotidianis victualibus impoſita: tum quia uſu & conſuetudine videtur ita receptum: tum quia videntur ſubditi in his ultra debitum gravari. Caietanus in Summula, verbo *vectigalia* 1. ſentit iſta eſſe indebita & injuſta: tenendum verò eſt cum Molina hæc poſſe eſſe juſta, dum moderata ſint, & major vectigalium pars imponatur circa merces, minima autem circa neceſſarias fruges & communia victualia. Alioqui namque magis gravantur pauperes qui vel nullas, vel modicas poſſident facultates, nec poſſunt negotiari: quo enim aliquis pauperior eſt, & pluribus liberis oneratus, eo magis ad ſuſtentandam utcumque familiam neceſſitate adigitur de rebus ſuis ad pecuniam faciendam vendere, & de rebus alienis emere. Itaque circa victualia violari videtur juſta tributorum forma, quæ poſtulat ne magis onerentur pauperes quàm divites, ſed ut quiſque contribuat ad proportionem facultatum & lucrorum ſuorum. Inſuper lex *Univerſi*, C. de vectigalib. prohibet etiam ſub pœna capitis, ne ex rebus quæ ad proprium uſum invehuntur, vectigalia ſumantur. De hujus ſpeciei vectigalibus ita decernit caput *Quanquam*, de cenſib. in 6. *Pedagiorum exactiones tam Jure Canonico quàm Civili regulariter & meritò damnatæ ſunt.* Ac proinde cum Driedone Leſſius monet, non eſſe ingerendum ſcrupulum hujuſmodi vectigalia fraudantibus, præſertim pauperibus, quia non tenentur ad onera Reipublicæ æqualiter cum divitibus ferenda, ſed ſecundùm facultatum ſuarum proportionem; quæ manifeſtiùs violatur proportio in tributis per ſingula capita indictis, ideoque capitationes iſtæ æqualiter divites cum pauperibus comprehendentes iniquæ ſunt, neque pauperes obligant.

IX. Si

IX. Si sit dubium an aliquod tributum sit justitiæ conforme, an non, judicandum potiùs est in favorem Principis aut Reipublicæ quæ illud imposuit, quia possessio in omni superioritate stat pro jure superiorum, quibus jubentibus tenentur inferiores obtemperare, nisi de legis aut jussionis injustitia sit evidentia, aut certè tam gravis præsumptio, ut pro certitudine haberi queat, ut quum sapientes viri qui norunt Reipublicæ statum, judicant vectigal esse iniquum, ut inquit Lessius. Eo verò casu nihil obstaret quod vectigalis exactor qui bona fide exigit, sua jura hac in parte amitteret: tum quia in conductione publicarum exactionum, & earum pretii assignatione ratio habetur eorum qui vectigal fraudaturi sunt: tum etiam quia id compensatur mulctis & pœnis quibus fraudantes deprehensi afficiuntur; tum præcipuè, quia secundùm rectum & justitiæ & charitatis ordinem nemo tenetur cum jactura proprii juris alterius rebus consulere. Certè ipsas etiam gabellas quæ super victualibus, & ad usus familiæ necessariis imponuntur, posse justificari, & ad earum solutionem pauperes quoque teneri non est dubium, quando gravis Reipublicæ necessitas ad hoc remedium adigit, cui alia remedia sufficienter mederi non possunt, quia scilicet membra Reipublicæ tenentur pro communi bono, si necesse sit, omnes opes suas, ipsamque adeo vitam exponere. Ita docent illi ipsi Authores qui hoc genus tributi maximè reprobant. Ita S. Antoninus 2. parte, tit. 1. cap. 13. §. 9. Navarra in Manuali, cap. 17. num. 202. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 7.

CAPUT XX.

De quibusdam hæreditariis obligationibus.

I. ARcentur Canonico simul & civili Jure spurii ab hæreditate paterna, sive ab intestato, sive ex testamento, cap. *Referente*, qui filii sint legitimi, & l. *licèt*, Cod. de natural. liber. quæ lex sola permittit spuriis relinqui à patre alimenta, eosque excludit ab omni paterno beneficio, solis exceptis necessariis alimentis, sive ex contractu inter vivos, sive ex testamento, sive ab intestato. Huc pertinet novella 74. cap. 6. Eadem adstruunt Covarruvias de matrimonio parte 2. cap. 8. §. 5. num. 5. Julius Clarus de testam. quæst. 31. aliique communiter. Hoc differunt spurii à naturalibus, quia spurii sunt quotquot nati sunt ex parentibus habentibus impedimentum dirimens matrimonium tempore conceptionis & nativitatis, cujusmodi sunt nati ex conjugato & soluta, vel nati ex Monacho, vel ex Clerico in sacris & soluta. At verò nati extra matrimonium ex personis carentibus omni dirimente impedimento

mento dicuntur filii naturales. Ubi verò ex ignorantia existentis alicujus impedimenti dirimentis fuisset bonâ fide contractum in facie Ecclesiæ matrimonium, proles inde nata censenda esset legitima, cap. *Pervenit*, & cap. *Ex tenore*, qui fil. sint legit. Covarruvias & Bonacina.

II. Quæritur utrum cohæredes ejus usurarii qui opes reliquit partim justè, partim injustè acquisitas, teneantur singuli in solidum restituere, an verò ex parte pro rata uniuscujusque obventione? Respondeo in primis, ubicumque tota hæreditas constat ex malè acquisitis, singulos hæredes teneri, non utique in solidum, sed tamen in illud totum quod singulis obvenit de hæreditate: quinimò ipsos etiam legatarios; non enim eis licet cum injusto alterius damno locupletari: neque testator potuit plus juris in illos transferre quàm ipse habebat. Sed ubi alia quoque supersunt bona justè acquisita, censendum est obligationem restituendi debere inter hæredes dividi pro rata partium his obvenientium; neque hanc obligationem restituendi ullo modo extendi ad legatarios, dummodo bona hæredibus obvenientia ad integrè restituendum sufficiant. Hoc tamen limita, si res ipsa alteri debita fuerit legata secundùm propriam substantiam ac in propria specie, ut loquuntur Jurisperiti; seu ut cum Philosophis loquar, in individuo, ut prædium, aut mobile alienum. Generaliter porrò tenetur hæres ad omnia onera defuncti, l. *Sancimus*, C. de jure deliber. Plures autem hæredes non teneri sigillatim restituere insolidum, ratio suadet, quia eatenus onerantur restituere quatenus commodum percipiunt. At verò commodum non nisi in partem accipiunt. Igitur in partem quoque restituere singuli astringuntur. Ita docent Covarruvias lib. 3. var. resol. cap. 7. Soto lib. 6. de justitia, quæst. 1. art. 4. Medina quæst. 4. de usuris, & plerique alii quos citat & sequitur Bonacina de contractib. disp. 3. quæst. 3. puncto 5. n. 14. Nullatenus autem tenentur legatarii ubi hæreditatis bona sufficiunt, nisi cùm res alterius in specie propria legata fuerit. Sed si non sufficit hæreditas, supplere debent legatarii ad integram restitutionem.

III. Hæres & defunctus censentur in Jure una eademque persona, l. *Hæres*, D. de usucapion. Et sicut hæres succedit in jura, ita & in onera realia defuncti, l. *Hæres in omne* 37. D. de acquir. hæred. eaque ratione persolvere tenetur defuncti realia debita quantum ferre possunt vires hæreditatis, facto per ejus diligentiam inventario facultatum omnium hæreditatis: quod si omiserit, edicit lex ult. C. de jure deliber. compellendum esse ad integram restitutionem etiam ultra hæreditatis vires.

IV. Hæres tenetur in conscientia obtemperare voluntati quam defunctus testamento suo expressit, ut faciat quod sibi dictum fuerit à Confessario: & debet fidem Confessario adhibere quantùm verisimile est testatorem Confessario mandasse. Et ubi nihil tale fuisset in testamento mandatum, si tamen Confessarius proferat schedulam privatam defuncti propria ejus manu signatam, quâ mandet fieri aliquid vel dari ad piam causam,

vel ad satisfactionem conscientiæ defuncti, dummodo constet hanc fuisse deliberatam defuncti voluntatem, tenetur hæres hanc testatoris voluntatem adimplere. Menochius, Covarruvias & alii quos citat & sequitur Bonacina de contractib. disput. 3. quæst. 1. puncto 3. num. 17. & quæst. 17. punct. 7. num. 5.

V. Etsi per l. *Hac consultissima*, C. de testament. in testamento septem testes rogati, liberi, puberes, & virilis sexus requirantur; in favorem tamen militum statuitur l. *Milites*, C. de milit. testam. & l. *Divus*, D. eod. tit. in militari testamento duos posse testes sufficere. Cùm verò non minori favore prosequenda sit dispositio ad pias causas, statutum est cap. *Relatum* 11. de testam. ultimas voluntates valere ad pias causas, etiamsi non plures quàm duo, vel tres testes intervenerint. Quod autem præcedit cap. *Cum esses* 10. desiderare videtur ut fiat pia dispositio coram Parocho. Sed dictum cap. *Relatum*, nihil de Parocho dicit. Etsi verò Glossa d. cap. *Cum esses*, dicat habere locum in terris Ecclesiæ, attamen Guido Papæ Doctor Gallicanus quæst. 543. dicit habere quoque locum in aliis ditionibus & terris; ita tamen ut velit non aliter valere cum duobus, tribusve testibus, nisi in infirmitate gravi, & si præsentia Curati concurrat: non alio nixus fundamento, nisi verbis d. cap. *Cùm esses*, quæ tamen necessitatem non probant extremi morbi, aut præsentiæ Curati: quæ duæ conditiones non apponuntur in c. *Relatum*. Sed non advertit Guido Papæ dictum c. *Cùm esses*, loqui de quocumque testamento etiam in causis profanis, ut valeat cum duobus testibus, modò Curatus quoque interfuerit. At verò cap. *Relatum*, non loquitur, nisi de dispositionibus ultimarum voluntatum ad pias causas, ideoque non requirit aliud in his nisi duorum testium præsentiam. Item cap. *Cùm esses*, non videmus recipi ne nunc quidem in terris Ecclesiæ. Caput autem *Relatum*, servatur & in terris Ecclesiæ, & alibi pariter, atque adeo in Gallia, ut testatur Tiraquellus in tractatu de privilegiis causæ piæ, & alii Gallicani Doctores. Itaque legata pia valent, & ab hærede solvenda sunt, etiamsi relicta fuerint in testamento aliàs nullo & invalido, in quo non alii quàm duo testes intervenerint. Tiraquellus dicto tractatu, privileg. 80. num. 1. Covarruvias in d. cap. *Relatum* 11. de testam. num. 2. & 3. Julius Clarus §. *Testamentum*, quæst. 6. num. 9. Charondas lib. 10. responsorum, cap. 90. Mainardus lib. 5. cap. 13. & cap. 21. Papo lib. 20. placitorum, tit. 6. art. 1. 2. & 7. Mornacius ad l. 1. D. de legat. præstand. cont. tab. Quæ lex statuit favorabilia, & pia legata ac fideicommissa servanda esse etiam ex testamento illegitimo, & inofficioso, & quoad hæredis institutionem irrito. Sciendum insuper legata & fideicommissa ad pias causas immunia esse à detractione Falcidiæ & Trebellianicæ, Authent. *Similiter*, C. de leg. Falcid. Et licèt Romanorum jure legata minimè debeantur ex non adita hæreditate, l. *Quamquam*, C. de fideicom. debentur tamen pia legata etiam non aditâ hæreditate, ut est communis Jurisconsultorum doctrina

trina, Bartoli in l.1. C. de sacros. Eccles. Speculatoris in tit. de instrum. edit. §. *Nunc aliqua*, Baldi in l. *Qui filio*, D. de hæredib. instit. & Guidonis Papæ decis.604. & ejusdem Scholiastis Ferrerii ibidem, etiamsi clausula codicillaris non fuerit testamento apposita, *Si non valet ut testamentum, valeat ut codicillus.*

VI. Filii non possunt propriam successionis partem accipere, nisi conferant bona de patre vivente à se accepta, ut donationes, dotem, aut si quid furto patri clam abstulerint, quod pater non remiserit. Istas collationes Galli vocant *Rapport*, & *Rapporter*. De dote filiarum id statuitur in l. *Si maritus*, & l. *Filiam*, C. de collationib. Olim quidem non erat collationi locus, nisi quum liberi emancipati succedebant patri simul cum liberis sub potestate constitutis, l. 1. in princ. D. de collat. bonor. Sed hodie locum habet in quibuscumque sine discrimine liberis. Cujacius libro 3. observat. cap. 30. Charondas libro 3. Pandectarum, cap.19. Idem jus obtinet in materna successione. Guido Papæ quæst.426. num.5. Neque solùm locus est collationi in successionibus quæ procedunt in capita, sed in iis etiam quæ procedunt in stirpes. In capita fratres simul succedunt; at verò nepotes ex avo in stirpes, si succedant & hæreditatem dividant cum patruis. Nam patrui, utpote filii ejus cujus dividitur hæreditas, succedunt singuli in capita, & alter eorum defunctus frater successisset cum eis pariter pro suo capite; sed ejus filii qui eum repræsentant, succedunt in stirpes: quantumvis enim plures numero sint, non alia debetur eis successionis pars quàm quæ ipsorum patri obvenisset, si superstes esset, eaque sola inter ejus liberos dividitur. Et si patri horum quidquam donatum ab istorum avo fuerat, aut si avus in nepotes contulerat, id omne conferri debet in portionem successionis eorum cum eorumdem patruis, l. *Illam*, C. de collationib. & Bartolus ibid. num.4. Corrasius in centur. cap. ult. Papo lib. 20. Placitorum, tit.1. artic. 22. & lib.21. tit.7. artic.8.

VII. Cùm olim Jure Codicis & Digestorum collatio inter hæredes testamentarios non admitteretur, nisi hoc testator expressisset, alioqui enim censebatur remittere, ac velle ut quod in aliquem ex liberis contulerat, ille filius id præcipuum haberet, quod Gallicè dicimus, *le tint en preciput*, l. *Pomponius* 35. D. famil. erciscund. l. 1. & l. *Filiæ dotem*, & l. *Filiam*, C. de collat. nunc temporis Jure Novellarum collatio indifferenter facienda est inter hæredes, sive testamentarios, sive ab intestato succedentes, nisi testator oppositum expresserit. Novella 18. cap. *Illud quoque* 6. & Authent. *Ex testamento*, C. de collat. Quoniam incertum est ne forsan testator oblitus datorum, aut mortis perturbatione angustiatus hujus rei non sit recordatus, dicto cap. *Illud quoque* 6. Nec solùm res data conferenda est, sed etiam fructus inde percepti, l. *Filius*, §. *Filia*, D. de collat. bonor. Lucius lib.8. Placitorum, tit.1. art.7. Papo lib.21. Placitorum, tit.7. artic.1. & 4. Charondas lib.3. Pandectarum, cap. 19. Ranchinus decis.1. pag. 371. concl.7.

VIII. Imperiales leges, necnon Regum Galliæ Edicta sedulò providerunt, ne per secundas nuptias liberi ex anteriore matrimonio susceptibonis sibi competentibus frustrarentur, sive inter vivos, sive causâ mortis, aut per ultimas voluntates disponentibus aliter ipsorum parentibus, sive viris, sive fœminis ad secunda vota transeuntibus; ut scilicet teneantur reservare filiis ex anteriore conjugio natis, aut uni eorum lucra omnia ex priore matrimonio quæsita, l. *Fœminæ*, Cod. de secundis nupt. Verùm Authent. *Lucrum*, Cod. eod. adimit libertatem eligendi inter filios prioris matrimonii, & sancit lucrum ex primis nuptiis æqualiter esse inter liberos prioris conjugii distribuendum. Leo quoque & Anthemius per legem *Hac edictali*, Cod. eod. constituunt, sive virum, sive fœminam transeuntem ad secunda vota, non posse transferre ad secundum conjugem de propriis bonis majorem portionem, quàm ei cui minimùm reliquerit ex prioribus filiis suis, ne horum aliquis minùs habeat quàm vitricus aut noverca, sive donationis, sive ultimæ voluntatis titulo. Ejusdem legis §. *His illud*, decernitur matrem secundò nubentem rerum mobilium sibi de prioribus nuptiis obventarum habere commodum & usumfructum, nec posse quidquam ex eis alienare. Similiter & de immobilibus, quorum habet usumfructum, manente penes liberos ex priore matrimonio editos proprietate: quæ tamen redibit ad matrem, si filios omnes mori contingat. Hæc eadem in Gallia sancivit Franciscus II. Edicto anni 1560. quod vocant *Edict des veuves*, quod peræquè disponit de secundis matrimoniis, tam quoad maritos quàm quoad uxores: & legi Imperatoriæ hoc addit, ne liceat uxori relinquere secundo marito, aut ne possit maritus conferre secundæ uxori plusquam contulerit de propriis, nec ex priore matrimonio quæsitis bonis alicui natorum ex priore conjugio liberorum, non tantùm in favorem secundi conjugis, sed neque in favorem liberorum ex secundo matrimonio susceptorum, aut etiam propriorum cognatorum. Lege quoque Mosaïca cautum erat, ne jure primogenitorum arbitrio patris frustrari possent priores nati liberi, si pater affectu nimio in alteram uxorem propensior esset erga susceptos ex hac natos. Deuter. 21. vers. 25.

IX. Successit deinde Caroli IX. Edictum, quod vocant *Edict des meres*, anni 1567. toto regno vigens, quo matres ad filiorum successionem non admittuntur. Hæc Regia Constitutio providens ne opes ad alienam familiam traducantur, hoc unum matribus permittit, ut succedant in bona mobilia, & in aliunde quàm ex paternis facultatibus quæsitarum rerum proprietatem, & præterea in usumfructum dimidiæ partis immobilium bonorum, quæ ad liberos defunctos pertinuerant. Inter mobilia porrò recensentur numeratæ pecuniæ, nullatenus verò capitalia censuum, sive pensionum. De cætero illas excludit à successione, & dominio earum facultatum, quas defuncti liberi nacti fuerunt ex opibus paternis, sive in linea recta patrum & avorum, sive in collaterali patruorum, aut consobrino-

rum

rum : ad quas tamen vocantur matres jure scripto Romanorum.

X. Imperatores Gratianus & Valentinianus l. 1. Cod. de secundis nupt. mulieres intra annum luctus iteratò nubentes spoliant bonis omnibus quæ prior maritus sive hæreditate, sive fideicommisso, sive legato, sive donatione mortis causâ illis contulerat. Neque eis permittunt posteriori marito, sive dotis, sive testamenti nomine ultra tertiam bonorum suorum partem relinquere ; eaque lex eadem perpetuâ notat infamiâ, quam tamen Canones abstulerunt, cap. penult. & cap. fin. de secundis nupt. Viris tamen secundas nuptias ineuntibus nullum tempus ad luctum, nullaque pœna indicitur. In Gallia verò mulier intra annum luctus nubens nulla quidem infamiæ labe notatur, sed tamen omnibus sibi relictis à marito defuncto bonis excidit atque adeò ab ejus propter nuptias donatione.

XI. Ab intestato vocantur ad successionem legitimi hæredes, primùm descendentes, his deficientibus ascendentes, & horum defectu collaterales. In descendentium successione illi qui sunt simul in uno proximiore gradu succedunt in capita ; sed horum filii jure paternæ repræsentationis succedunt in stirpes, si sint eorum patrui superstites. Exempli causâ decessit aliquis filium relinquens superstitem, & duos nepotes ex altero præmortuo filio : filius superstes hæreditabit ex semisse, seu media parte ; duo verò nepotes alteram medietatem, quæ integra ipsorum patri obvenisset, inter se ex æquo dividunt, l. 2. §. *Si duo nepotes*, D. de collat. bonor. & Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. §. *Cùm filius*, versic. *Et quia placuit*, & Authent. *Cessante*, C. de legit. hæred. Porrò in collateralium legitima successione jus successionis in stirpes habet locum adhuc in fratre defuncti & nepotibus ex præmortuo fratre altero simul concurrentibus, quo casu nepotes succedunt in stirpes, patrui autem horum in capita. Sed in ulterioribus collateralium gradibus nulla deinceps admittitur successio in stirpes, sed aliis exclusis soli admittuntur in capita qui sunt in eodem proximiori gradu. Authent. *Post fratres*, C. de legit. hæredib.

XII. Certa est itaque Juris Romani, quam sequimur dispositio, ut quando fratrum prædefunctorum filii cum suis patruis, aut avunculis concurrunt, fratribus scilicet ejus defuncti intestati, de cujus agitur successione, ut patrui quidem singuli in capita succedant, nepotes autem ex defuncti fratribus, quanvis uno gradu posteriores quàm patrui, vocentur quoque ad successionem, non quidem cum patruis in singula capita, sed solùm in stirpes, jure scilicet paternæ repræsentationis illam, quæ patri viventi accessisset, partem inter sese dividentes. Et hoc indubitatum est. Cæterùm non consentiunt inter se Juris Interpretes, quando nullo patruo, vel avunculo concurrente, soli supersunt ex diversis fratribus nepotes, an ipsi singuli vocentur ad succedendum in capita, an verò in stirpes, quando istorum parentes post se filios reliquerunt numero impares, Titius exempli gratiâ duos tresve liberos superstites, at Sempronius ejus frater unicum sibi

sibi superstitem filium. Præcellentiora Juris lumina inter se dissident, quia Romanæ quæ supersunt leges rem perspicuè minimè definiere. Azo docet omnes illos ex diversis fratribus nepotes in capita promiscuè succedere. Accursius ex opposito istos omnes vocat in stirpes. Accursio consentiunt Bartolus, Cinus, Dinus, Angelus Perusinus, & ex Gallicanis Doctoribus Joannes Faber, olim meritissimus Regni Franciæ Cancellarius, in §. *Nos autem*, Instit. de legit. agnat. succeſſ. & Guido Papæ quæst. 134. & Benedictus in cap. *Raynutius*, verbo *Et uxorem*, num. 631. Sed Azonis doctrina, quam tuentur Ostiensis, Baldus, Salicetus, Antonius Faber in Senatu Sabaudiæ Præses primarius, demùm in Curiis Franciæ omninò prævaluit. Et posteriores Gallicani Scriptores unanimes hanc ipsam nepotum ex fratribus promiscuam successionem adstruunt in capita, & firmant hac ratione, quia cùm omnes gradu pares existant, pares etiam hæreditatis partes inter se sortiri debent. Ita Ferrerius ad Guidonem Papæ, quæst. 134. Cujacius in Novellam 118. cap. 3. Rebuffus, Chopinus, Imbertus, pluresque alii, quos citat & sequitur Franciscus Barry lib. 18. de successionib. tit. 3. num. 5. Nihil verò obsistit Authent. *Cessante*, C. de legit. hæredib. quia loquitur de concursu præcisè diversorum agnationis graduum, scilicet fratris & ex aliis prædefunctis fratribus nepotum. At verò in causa ista personæ concurrentes omnes in eodem gradu sunt. Eidémque adstipulatur lex 2. §. 2. D. de suis & legit. hæredib. In gradibus quoque paribus nullum admittitur jus repræsentationis, omnesque & soli succedunt qui sunt in eodem agnationis gradu æqualiter, & in capita, nullo marium vel fœminarum discrimine: etiam in hac patria Provinciæ, cujus Statutum municipale est, ut extantibus masculis fœminæ non succedant, non obtinet nisi in linea directa, cessatque in gradibus collateralium. Prædicta decernuntur in Authent. *Post fratres*, C. de legit. hæredib. *Post fratres*, ait, *fratrumque filios vocantur quicumque gradu sunt proximiores ut pares in gradu pariter admittantur, sublata differentia masculorum & fœminarum: sola namque cognatio spectatur in talibus. Fiet autem divisio in capita, & non in stirpes.*

CAPUT XXI.

Quidnam restituendum sit.

1. LONGE diversa est ratio ejus qui bona fide possidet rem alienam, ab eo qui mala fide penes se habet. Qui enim bona fide accepit & detinet, si fortè rem alienam sine sua culpa amittat, in nullo tenetur restituere, nisi in eo tantùm in quo ditior est factus. Itaque is qui rem alienam bona fide emerit, credens vendi

venditorem legitimum dominum, si rem adhuc habet, tenetur vero domino reddere simul ac resciverit ad eum pertinere, etiam non recipiendo solutum à se pretium, l. *Sed etsi*, §. 1. & l. *Item veniunt*, §. 1. D. de petit. hæredit. & l. *Mater*, & l. *Si mancipium*, Cod. de rei vendicat. Res enim ad quemcunque deveniat possessorem, cum onere suo transit, cap. *Ex literis*, de pignoribus, l. *Si debitor*, C. de distract.pign. l. *Alienatio*, D. de contrah. empt. Sed si idem bonæ fidei possessor rem habere desierit, tenebitur ad id unum in quo factus fuerit locupletior, l. 1. C. de petit. hæred. verbi gratiâ ad pretium quod rei venditione lucratus fuerit. At si in nullo ditior evaserit, ad nihil tenebitur erga rei dominum. Ei verò cui ex eadem bona fide vendiderit, tenebitur acceptum pretium reddere, nisi ipse rei dominus malit re apud emptorem relictâ, pretium ab isto bonæ fidei venditore acceptum vendicare. Ex diverso malæ fidei possessores tenentur rem ipsam, aut si res non extet, ejus pretium restituere; & si res erat fructifera, præstare insuper fructus omnes, non modò quos perceperunt, sed eos etiam quos percipere debuerant, d.l. *Sed etsi*, §. *Sed & fructus*. Cùm tamen bonæ fidei possessor ad solos quos perceperit fructus sit obligatus, si ditior inde factus sit. Impensas tamen ad fructus percipiendos necessarias etiam possessor malæ fidei deducere potest. Sanè ubi res non est fructifera, neque ex ea ullum emolumentum fuerat dominus rei percepturus, ipsemet fur non tenetur lucra conferre quæ suâ singulari industriâ consequutus fuerit, ut si negotiando pecuniam furto ablatam duplicavit, aut si ex ea per lusum parem summam lucratus fuit, aut si subreptum aureum torquem locaverit. Navarra in Manuali, cap. 17. num. 25. Sed si dominus ex privatione rei suæ subreptæ damnum quoque aliud sustinuit, ut si ea occasione fuerit adactus ad aliam emendam rem simili usui destinatam, aut si ex amissione instrumenti fabrilis pretio quod ex suo labore habuisset frustratus sit, aut si pecuniam furto ablatam negotiationi destinaverat, tenebitur procul dubio malæ fidei possessor illud omne damnum resarcire, & dominum omninò indemnem præstare, sive à lucro cessante, sive à damno emergente, judicio prudentis. Quod autem statuit lex *Certum*, C. de rei vendicat. bonæ fidei possessorem teneri post litis contestationem præstare non solùm fructus extantes, sed etiam universos, id non obligat nisi post Judicis sententiam, non verò ex naturali jure, si præsupponas dum viguit bona fides, non fuisse factum ex præteritis fructibus locupletiorem. Si verò factus fuerit ex his locupletior, tenetur jure naturæ perceptos fructus restituere, etiamsi lis contestata non fuisset. Nemini enim licet ex alterius damno locupletari.

II. Debitor qui per moram culpabilem non solvit quo tempore debebat, tenetur resarcire creditori lucrum cessans & damnum emergens ab illa sua mora causatum. Ratio quippe exigit ut qui alteri per suam culpam obest, eum præstet indemnem. Quia tamen solent mercatores dum optimatibus

matibus merces creditò vendunt, earum augere pretium, eo quòd sint in solvendo morosiores: ideo Molina tom.3. disp. 276. Bonacina de restitut. disp.1.q.3.puncto 1.n.12.& 13. Ledesma 2.p. quæst.18.art.4. aiunt non esse obligandos Nobiles ejusmodi ad præstandum mercatoribus lucrum cessans, nisi postquam diuturnior nimis fuerit in solvendo mora, aut ubi certò constiterit eam moram causam dedisse lucri cessantis; esse tamen accuratè urgendos ad expeditam pretii solutionem.

III. Contingit plerumque ut à rei debitæ præsenti solutione debitor excusetur ob justas & rationabiles causas, possitque in aliud tempus differre, ut quando non aliter solvendo est nisi seipsum ad gravissimas angustias redigendo, aut sua prædia vilissimo pretio distrahendo, suamve familiam ad summam penuriam redigendo, ut necesse sit solutionem in tempus opportunius differre. Quæritur ergo, an licita sit ejusmodi dilatio? Respondemus cum Lessio lib.2. cap.16. dub.1. num.32. distinguendo inter debitores ex justo contractu, vel ex delicto. Si ex delicto, tenetur debitor illa omnia damna & jacturas compensare creditori, quanvis illa dilatio fundetur in rationabili causa, sitque tunc temporis licita. Ratio est, quia hæc omnia damna eorum habent ex anteriore delicto quo debitor quivis obligatur omnia inde emergentia damna compensare. Ubi verò non ex mala fide, sed ex justo contractu debitor fuerit constitutus, & dilatio quoque solutionis justa & licita sit, adhuc cum Lessio sic distinguimus. Vel ex illa dilatione creditor æquale damnum patitur cum damno quod debitor pateretur si nunc solveret; & isto casu tenetur debitor ad præsentem solutionem, quia procul dubio in pari causa melior hac in re debet esse conditio creditoris, utpote domini, quàm ejus qui alienum ob suam penuriam detinet: aut verò majus est notoriè damnum quod pateretur debitor solvens, quàm quod sustinet creditor; istoque casu non tenetur debitor istud ejus damnum resarcire, sed solam rem ab initio debitam cùm primùm poterit solvere, nisi aliud ab initio conventum fuerit, aut judex per suam sententiam aliud statuerit. Sanè Petrus Navarra lib.4. de restitut. cap.4. num.56. indistinctè eximit debitorem absque delicto, habentem justam, seu necessariam differendæ solutionis causam, ab illa obligatione præstandi creditorem indemnem ab impendiis & damnis ex dilatione solutionis causatis. Sed superior distinctio magis probanda est: neque à gravi injustitia debitorem exemerim, qui sciens & volens ad evitandum levius incommodum suum, retinet alienum cum graviore creditoris sui damno. Et perspicuum est in pari necessitate jura creditoris circa rem suam esse potiora quàm debitoris qui rem detinet alienam, saltem quum creditor urget solutionem; non enim ad hoc obligari reor debitorem, ut suo actu se ad gravem reducat necessitatem: sed permittere tenetur ut creditor quem par urget extremitas, rem suam ab eo repetat, sibique vindicet.

CAPUT

CAPUT XXII.

De causis à solutione debitorum excusantibus.

I. COMPLURES causæ sunt à debitorum solutione dispensantes, quales sunt extrema debitoris necessitas, periculum salutis, aut status, aut fortunarum, remissio creditoris, solutio facta creditori creditoris, interitus rei debitæ in specie citra culpam, compensatio cum altero debito, cessio bonorum, securitas debitoris ne bis solvere compellatur, præscriptio, compositio cum Summo Pontifice circa quædam debita. Aliquas ex his difficiliores hîc elucidabimus.

II. Jactura bonorum superioris ordinis excusat à restitutione. Tres sunt bonorum ordines: infimus, ut pecunia & res pecuniâ æstimabiles: medius, ut honor & fama: supremus, ut libertas, vita, virginitas, sanitas, membrorum integritas. * In cap. *Officii*, de pœnit. & remiss. quæritur de uxore adultera, quæ marito supposuit filium adulterinum: ibique decernitur mulierem non teneri suum scelus prodere nisi in Sacramento, & admitti debere ad pœnitentiam. Glossa ibidem asserit justam quidem esse metus causam, & aliunde in foro externo fidem illi habendam non esse, juxta l. *Filium*, D. de his qui sui, vel alieni juris sunt, quæ fundat juris præsumptionem, partum durante matrimonio natum esse legitimum, si contrarium evidenter non constet. Idque asserunt Martinus Navarra Manual. cap. 17. num. 89. Petrus Navarra lib. 2. cap. 4. part. 2. dub. 9. Bonacina de matrim. quæst. 4. puncto 15. num. 20. & alii communiter, hoc statuentes quod adulter non teneatur mulieri credere filium ex se conceptum esse, quanvis juranti, etsi magna sit prolis cum adultero similitudo, quia sunt signa ejusmodi valde incerta: neque filium matri asseveranti fidem habere debere, ita ut possit hæreditatem sibi retinere: solam verò matrem quæ certò scit prolem esse adulteram, teneri damnum, ut meliùs poterit, ex propriis paraphernalibus supplere. Sed si adulter indubitanter credit ex se conceptum esse adulterinum filium, tenetur ex conscientia cum muliere concurrere in solidum ad resarciendum familiæ damnum. Ipsam quoque matrem eniti debere quoad potest, ut adulterinus partus Religionem ingrediatur quæ non succedat in bona paterna; & cùm duo adulteri propriâ culpâ damni causam dederint, damnum illatum resarcire debent.] Potest ergo differri solutio dum periclitatur honor, vel fama, aut vita, aut valetudo, si ea jactura futura sit gravis, non si levis. Attamen non licet de-

bitori etiam ob illas graves jacturas differre solutionem, si eâ dilatione similis jactura impendeat creditori: nam in damno pari potior est conditio creditoris. Et ideo is qui per calumniam adegit innocentem ad famæ, aut vitæ periculum, si non potest aliâ viâ sufficienter occurri, tenetur suam manifestare calumniam, etiam cum pari vitæ, aut honoris periculo. Quia in pari causa potior est innocentis quàm criminosè diffamantis conditio. Hoc tamen intellige modò suam declarando nequitiam, liberaturus sit innocentem: nemo enim tenetur ad inutile opus cum proprio gravi incommodo. At ubi ex præsenti solutione debitor multò notabilius damnum sustineret quàm creditor, ut si ad solvendum necesse nunc esset domum, aut agrum vendere citra dimidium justi pretii, licebit in tempus opportunius hanc differre solutionem.

III. Similiter neque tenetur debitor ut statim restituat, instrumenta vendere artis suæ, quâ vitam sustentat; neque corpori suo, aut liberis suis necessaria, ut vestes & lectuli stragula. Neque tenetur vir nobilis ita de statu decidere ut mechanicam artem exerceat, aut se alterius famulatui locet: verùm tenetur se ad strictam reducere parcimoniam, quantùm necesse erit ad solvendum sine status jactura. Porrò grave debitoris damnum pro quo differri solutio possit, computant Rebellus & Bonacina illud quod creditoris damnum duplo excedit.

IV. Verumtamen si mercator, aut artifex multis oppressus debitis intendat per vices restituere, tum parcissimè quoad poterit vivendo, tum lucra suæ professionis accumulando ad creditorum satisfactionem, hic non erit obligandus ad excidendum de statu etiam malè acquisito; & quanvis restitutioni adstringatur ex suo delicto, cùm meliùs hac ratione suis etiam creditoribus consulat, tametsi cum aliqua dilatione, quàm si rebus suis omnibus distractis se aliquid deinceps lucrandi facultate privaret, ut rectè docent Adrianus in 4. dub. 6. Laiman lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 12. num. 2. & alii. Si tamen sit debitor ex delicto, tenebitur juxta ea quæ superiori capite docui, nova damna in se suscipere quæ creditores incurrent ex ejus dilatione solvendi, etiam ratione lucri cessantis.

V. Cessione bonorum non liberatur debitor ab obligatione solvendi quod reliquum est, tam in interiori quàm in exteriori foro, l. 4. D. de cess. bon. adeo ut compelli possit ad laborandum juxta personæ suæ statum. Duo tamen consequitur juris beneficia. Primò ut non possit carcere includi pro debitis pecuniariis; & si antea inclusus erat, dimittendus sit liber, l. 1. C. qui bon. ced. poss. Secundò ut si post cessionem aliquid acquirit, non in amplius conveniatur quàm in quantum facere potest, relictis quibusdam ei necessariis juxta personæ illius statum & qualitatem, l. 4. & 6. D. de cess. bon. Gravatus ære alieno potest in foro conscientiæ, sive ante, sive post bonorum cessionem ea servare quæ ad sui & liberorum sustentationem, uxorisque necessaria sunt, tametsi in externo foro duriùs ageretur.

cum

cum illo. Sylvester verbo *Restitutio* 7. quæst. 6. Navarra Manualis cap. 17. num. 86. Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 3. Laiman loco cit. num. 5.

VI. Præscriptio restituendi obligationem perimit; introducta est enim à Jure in bonum publicum & quietem civium & familiarum, ut disserit Aulus Gellius lib. 4. noct. Attic. cap. 13. eamque ut necessariam Solon legibus suis approbavit, teste Plutarcho in ejus vita: & expedit ne rerum dominia in incerto sint, l. 1. D. de usur. & §. 1. de usucap. His adde, sæpe contingere privatis, aut publicis calamitatibus, ut memoria & probationes ac defensiones Actorum petitionibus oppositæ disperdantur, præsertim in privatis familiis, quibus instrumentis antiquissima jura immutata olim fuissent, aut redempta, aut transactionibus, vel compensationibus, vel Judicum sententiis stabilita: quo fit ut si non succurreret præscriptio, pleræque privatæ familiæ injusta damna subirent, perditisque exceptionum suarum titulis opprimerentur.

VII. Ad legitimam præscripionem opus est ut simul quinque conditiones concurrant. Prima est continuata possessio; sine possessione enim non currit præscriptio, cap. 3. de reg. jur. in 6. Secundò rei capacitas ut præscribi possit, qualem non habent res sacræ, res sanctæ, seu publicæ, jura Ecclesiastica: unde fit ut laici non possint præscribere jus cognoscendi aut judicandi causas Ecclesiæ, jura decimarum, primitiarum, oblationum, aliaque spiritualia, cap. *Causam*, de præscript. Tertiò bona fides; possessor enim malæ fidei nullâ temporis diuturnitate præscribit, cap. *Possessor*, de reg. jur. in 6. cap. fin. de præscr. Tametsi enim Jure Civili possessor malæ fidei tutus sit præscriptione triginta annorum, l. *Sicut*, C. de præscr. 30. vel 40. annor. non tamen est tutus Jure divino. Quartò probabiliter præsumptus titulus; nam si certus esset, transferret utique dominium, non expectata præscriptione. Quintò tempus lege definitum, quod est triennium in usucapione mobilium, §. 1. Instit. de usucap. tam in usucapione mobilium Ecclesiæ non sacrorum, quàm bonorum laicorum, authent. *Quas actiones*, C. de sacros. Eccles. Ad præscriptionem autem bonorum immobilium privatorum cum titulo requiruntur anni decem inter præsentes, & viginti inter absentes: sed sine titulo anni triginta requiruntur, modò non constet rem fuisse mala fide acquisitam, cap. fin. de præscr. & cap. 2. de reg. jur. in 6. Qui triginta anni requiruntur etiam in præscriptione mobilium; dictum enim triennium supponit probabilem & apparentem titulum, l. *Sicut*, C. de præscr. 30. vel 40. annorum, & l. fin. C. de præscr. longi temp. Instit. de usucap. & cap. *Cùm Sanctorum*, de præscr. Tertius possessor in quem translata fuit rei oppignoratæ proprietas præscribit adversus creditores hypothecarios decennio inter præsentes, & viginti annis inter absentes; sine præjudicio tamen personalis actionis, quæ salva manet adversus debitorem & ejus hæredes, l. 1. & 2. C. si adversus creditor. Cæterùm si tertius possessor causam habuerit à malæ fidei possessore, nocebit ei mala fides authoris

ris sui : nemo enim plus juris in alium transferre potest quàm ipse habeat, l. *Nemo plus juris*, D. de regulis juris. Itaque non juvabitur præscriptione decem, aut viginti annorum, authent. *Malæ fidei*, C. de præscr. longi temp. Jus tamen Civile in dicta authentica, & in l. *Sicut*, C. de præscr. 30. vel 40. annorum, indulget isto etiam casu præscriptionem annorum triginta, quæ tamen non liberat in foro conscientiæ, cap. *Possessor*, de regulis juris in 6.

VIII. Denique ad præscribendas res Ecclesiæ immobiles anni requiruntur quadraginta, tam Jure Civili, authent. *Quas actiones*, C. de sacrosanct. Eccles. quàm Jure Canonico, cap. *De quarta*, cap. *Ad aures*, cap. *Ista*, capite *Quia indicante*, de præscr. & cap. *Accedentibus*, de privileg. Papo tit. de præscriptionibus, arresto 1. Solique Romanæ Ecclesiæ indulgetur privilegium ne adversus eam nisi centum annis præscribatur, C. ut Ecclesia Romana cent. ann. gaudeat præscr. Sancit verò authent. *Quas actiones*, sic : *Quas actiones aliàs decennalis, aliàs vicennalis, aliàs triennalis præscriptio excludit, eæ si religioso loco competant, quadraginta annis excluduntur, usucapione quadriennii, vel triennii in suo robore durantibus. Sola Romana Ecclesia gaudeat centum annorum spatio, vel privilegio.* Quæ Justiniani Constitutio confirmatur cap. penult. & ult. 16. quæst. 3. Tempus autem præscriptioni requisitum necesse est fuisse pacificum, neque per ullam litis contestationem, tamersi non prosequutam, interruptum, cap. *Illud*, de præscr. Quo fit ut nec pluribus sæculis res possessa præscribere queat, moventibus adversariis litis contestationem ante singulos annorum triginta decursus.

IX. Existimant Ferrerius ad Guidonem Papæ quæst. 406. Oliva lib. 1. cap. 6. Faber in suo Codice de præscr. 30. vel 40. ann. definit. 20. annuas pensiones in perpetuum per ultimas voluntates piis quibuscumque locis vel operibus relictas vim adeò habere indeficientem, ut ipsam centenariam præscriptionem excludant, per legem *Sancimus* 45. §. *Si verò aliqua* 9. C. de Episc. & Cleric. Et licèt authent. de Ecclesiast. tit. seu novella 131. cap. 6. quæ centenariam olim indultam Ecclesiis præscriptionem abrogat, sit posterior dicta lege *Sancimus*, non tamen esse ejus legis revocatoriam; sed tantùm legis *Ut inter*, C. de sacrosanct. Eccles. Etenim neque lex *Ut inter*, neque dicta novella 131. unde deducta fuit authentica *Quas actiones*, C. de sacrosanct. Eccles. quidquam speciatim meminerunt de perpetuis ad pias causas relictis pensionibus annuis. Unde concludunt præfati Doctores, dictam l. *Sancimus*, quæ sola decernit de annuis ac perpetuis in favorem piæ causæ pensionibus, non fuisse à posteriore Justiniani novella antiquatam. Quidquid hac de re sit, admodum periculosum est, & hominum nequitiæ expositum tam prolixas introducere præscriptiones, quarum decursu privatarum defensionum & exceptionum instrumenta facillimè & quamsæpissimè disperduntur, & præterea facillimè falsa instrumenta in favorem piæ, ut prætexitur, causæ cuduntur & fabricantur, postquam Notarii & testes in-

falsis.

falsis illis tabulis nominati ante multos annos è vivis sublati sunt. Constat certè ex Procopii & Suidæ testimoniis, Tribonianum qui legum Justinianearum præcipuus author extitit, fuisse virum avaritiæ sordibus contaminatissimum: quinimò Constitutiones illas quæ Ecclesiis, aliisve piis locis centenariam indulgent præscriptionem, fuisse pretio emptas per flagitiosissimum Emissenæ Ecclesiæ œconomum, ad eludendam solam, quæ multis privatis familiis supererat, defensionem, postquam œconomus illius Ecclesiæ per insignem & industrium falsarium Priscum Emissenum plurima falsa veterum obligationum instrumenta pro illa Ecclesia fabricari fecerat, ut narrat Suidas in voce *Priscus Emissenus*. Ejusdem Triboniani perversitas causam dedit funestissimæ Constantinopolitanorum seditioni.

X. Compositio quoque solvendi obligationem tollit, & locum habet quando ignoratur cuinam sit restituendum, sive orta sit obligatio ex re accepta, sive ex injusta damnificatione, sive ex conventione. Ratio est, quia quando incertum est cuinam restitui debeat, fieri debet restitutio pauperibus. Itaque cap. *Cùm tu*, de usur. ea quæ usuris acquisita sunt, quorum ignorantur domini quibus restituenda essent, jubentur erogari pauperibus. Quam Juris dispositionem communiter extendunt Doctores ad debita sine culpa: idque confirmat optima legum interpres consuetudo apud Romanam Curiam, in qua Papa dispensare ac componere solet, ut debitor in totum, aut in partem eximatur ab incertorum restitutione quæ pauperibus, vel Ecclesiis fieri deberet. Quando verò constat cuinam, sive particulari, sive communitati sit restituendum, invalida est compositio obtenta ab Apostolica Sede. Primùm, quia Papa non est dominus, neque dispensator, sed tutor potiùs & defensor bonorum Fidelium. Secundò, quia quæ jure naturæ debentur, non possunt positivo jure immutari. Atqui debita certa propriis creditoribus certis jure naturæ solvenda sunt, & non aliis, nisi de horum consensu. Attamen in criminis pœnam, ut apostasiæ, hæresis, deprædationis, & ob jus repressaliarum aut compensationis, ut in Infidelibus qui res Christianorum iuvaserunt, aliáve ex causa justa & rationabili, potest Pontifex ejusmodi creditores jure suo spoliare, & illud sive in causas pias, sive in ipsum debitorem transferre.

XI. Quæritur, si adhibitâ omni necessariâ diligentiâ ad reperiendum rei restituendæ dominum, cùm hic reperiri non potuisset, solutio demùm facta sit pauperibus, & postmodùm dominus, seu creditor compertus fuerit, an huic quoque teneatur solvere qui jam pauperibus solvit? Respondent unanimiter Doctores, nihil ampliùs ab illo deberi, quanvis præcedens obligatio fuisset ex delicto injustæ acceptionis: quia suam culpam purgavit, cùm ad eam expiandam jam fecerit quidquid rationabiliter ab se poterat exigi. Molina disp. 747. num. 4. Lessius lib. 1. cap. 14. dub. 6. num. 43. Azorius 3. p. lib. 4. cap. 26. quæst. 1. Bonacina de restit. disp. 1. quæst. 3. punct. 4. num. 17.

XII. Non esse absolutè necessarium ut restitutio incertorum pauperibus facienda fiat consilio Episcopi, Parochi, vel Confessarii, sed quemcumque debitorem pro suo arbitrio post adhibitam debitam diligentiam posse se hoc onere sublevare per seipsum pauperibus distribuendo, docent Sylvester verbo *Restitutio* 8. quæst. 5. Angelus eod. verbo 2. §. 14. Navarra Manualis cap. 17. num. 92. Lessius lib. 2. cap. 14. num. 47. Panormitanus in cap. *Cùm sit*, de Judæis, S. Antoninus 2. parte, tit. 2. cap. 4. Armilla verbo *Casus*, num. 9. & verbo *Restitutio*, num. 38.

CAPUT XXIII.

Ordo in restitutione servandus.

I. QUUM plures in solidum restitutioni adstringuntur, observandus est hic ordo, ut primùm teneatur is qui rem habet in sua adhuc substantia existentem, aut certè æquivalenter, putà si ex aliena re jam consumpta factus est ditior. Hoc verò non restituente, tenetur secundo ordine is qui damnum alteri fieri mandaverit, utpote causa damni principalis: qui autem sub eo damnum fecerit, instrumentalis est causa. Tertio ordine venit qui alio mandante damnificavit. Quartò is qui consuluit. Quintò ille qui sciens damnificantes recepit. Sextò is qui cùm teneretur ex justitia proprioque officio, non impedivit damnum, juxta illud effatum Rom. 1. *Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

II. Quando tenentur omnes & singuli in solidum, si ille restituit qui fuit damni causa principalis, ad nihil tenentur causæ minùs principales, neque erga personam damnificatam, neque erga authorem damni præcipuum. Sed si una ex minùs præcipuis damni causis restituit, causæ principaliores tenentur indemnem facere illum qui restituit; ad nihil verò tenentur erga eum qui læsus fuerat, nisi post pœnalem Judicis sententiam. Ratio est, quia bona fides non patitur ut bis idem exigatur, l. *Bona fides*, D. de reg. jur. Minùs verò principalis causa ex quo restituit, succedit in locum ejus qui damnum passus fuerat, ut jus habeat parem exigendi summam à præcipuo damnificante, cujus per suam solutionem negotium utiliter gessit, l. *Cùm pecuniam* 45. D. de negot. gest.

III. Indè sequitur, restitutione facta ab eo qui rem alienam penes se detinebat, si nihil aliùd illatum fuerat damni reliquos liberari. Item restituente illo mandante, qui sive authoritate status sui, sive etiam per oblatam, vel promissam pecuniam alterum ad damnum faciendum adegit, sub-

levari

sublevari à restitutione mandatarium qui obtemperavit. Istoque restituente qui exequutus est, eximi à restitutione illum qui consuluit, aut illum qui sive authoritate, vel pretii oblatione mandavit. Præfatis autem restituentibus cessare obligationem eorum qui vel receptarunt, vel comitati sunt damnificantem. Et his demùm restituentibus, immunes reddi eos qui non impedierunt, cùm tenerentur ex officio. Quod si illi qui secundùm præfatum ordinem inferiores in obligatione erant restituerint, tenentur illi qui sunt in superioribus ordinibus præstare ipsos indemnes. Si verò plures in eodem ordine concurrant, ut si plures exequuti sunt damnum, aut efficaciter mandarunt, vel consuluerunt, eo casu si unus ejus ordinis totum restituat, tenentur reliqui ejusdem ordinis illum servare indemnem singuli pro sua parte, ut si tres exequuti sunt damnum æstimabile triginta aureis, uno horum triginta aureos restituente, duo reliqui tenebuntur eidem refundere singuli decem, ut justitiæ servetur æqualitas.

IV. Qui postquam rem alienam inscius ac bona fide emit, si addiscat esse alterius, potest eandem furi reddere à quo emit, ut pretium repetat quod dedit. Ratio est, quia ubi intervenerit bona fides, nemo tenetur alterius indemnitati per proprium damnum consulere. Sylvester, Navarra, Lessius, Bonacina. Sed si sciens emeris rem furtivam, id tibi non licebit, sed domino teneris restituere, etiam cum jactura soluti à te pretii, nisi hac mente rem vili pretio emeris ut illam domino redderes: tunc enim jus habes recuperandi à domino pretii quod ejus causâ solvisti, antequam rem ei restituas, quia utiliter & bona fide rem ejus gessisti, ac proinde tenetur indemnem te constituere. Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu nasc. §. 1. & l. *Si quis absentis*, D. de neg. gest.

*V. Pensio alimentaria pupillorum, aut etiam adulterorum filiorum honestæ conditionis, sed corpore vel mente impotentium, ex bonis paternis aut etiam maternis deducenda, præferenda est aliis quibuscumque creditoribus præcedentibus, quia scilicet alimenta necessaria dilationem non sustinent, juxta l. 17. in princ. D. de privileg. cred. Quod quidem jus Senatusconsultis roboratur, quæ referunt Louetus lit. *B*, num. 17. Quod idem statuendum de Medicorum, Chirurgorum, Seplasiariorum seu Pharmacopolarum expensis in ultima ægritudine factis, juxta l. 4. C. de petit. hæred. *In restituenda*, inquit, *hæreditate compensatio ejus habebitur, quod te in mortui infirmitatem, inque sumptum funeris bona fide ex tuo proprio patrimonio erogasse probaveris*. Ad quartam istam legem dicit Baldus in terminis: *Impensa facta in infirmum præfertur cuique creditorum, post tamen funeris impensam*. Et l. 1. §. 2. D. de var. & extraord. cognit. dicitur quod Medicorum justior causa est, cùm hi salutis hominum curam agant. Ergo Homerus iliad. λ. ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Medicus enim vir (de Machaone loquitur) multis anteponendus aliis.

VI. In concursu plurium creditorum, si sufficientia omnibus bona supersint,

persint, non opus est ordinem solvendi servare; sed si non sufficiunt omnibus, hic ordo servari debet, ut primùm res aliena, si secundùm propriam substantiam extet, reddatur à quocumque teneatur, ut equus, vas, ager, domus. Præterea ut debita certa incertis debitis præferantur, quorum creditor ignoratur. Debita etiam onerosa, ut ex emptione, locatione, permutatione; debitis gratuitis, ut ex gratuita promissione. Realia pariter quibus affectatum est pignus, vel hypotheca, debitis personalibus, seu chirographariis sine pignore, leg. *Eos* 9. Cod. qui potior. in pign. hab. Et ubi una, eademque res pluribus esset oppignorata, præferendi sunt anteriores in hypotheca non privilegiata.

VII. Secus verò dicendum in hypotheca ad quam debitor, quanvis posterior, habet à Jure privilegium. Cujusmodi sunt primò specialis hypotheca quæ illi conceditur qui suam credidit pecuniam ad ædificandam, vel reparandam domum, vel navim alterius, aut quid ejusmodi: hic enim creditor habet specialem à jure indultam hypothecam circa rem illam, ob quam præfertur etiam anterioribus creditoribus hypothecariis, sive habeant generalem, sive etiam specialem in ea re hypothecam, l. 5. D. qui potior. in pign. hab. & l. *Qui in navem*, D. de privilegiis creditorum. Cujus ratio est, inquit Lessius cap. 15. dub. 4. num. 26. quia sine tali mutuo pignus illud vel non extitisset, vel certè periisset; atque ita prior creditor vel nihil, vel parum commodi ex ea re habuisset.

VIII. Secunda hypotheca privilegiata constituitur ob rationis paritatem cum prima jam dicta, in eo qui mutuavit pecuniam ut alter rem aliquam emeret: æquum enim est ut in eam rem habeat supra anteriores creditores hypothecarios jus hypothecæ, quia absque tali mutuo rem illam debitor non haberet. Bonacina disp. 1. q. 8. puncto 2. num. 16. & deciditur per l. *Licet* 7. C. qui potior. in pignor. hab.

IX. Tertia est in mercibus pro quarum vectura domino earum mutuavi: & in supellectili, aut mercibus à conductore in domum comportatis, quam ei locavi, in quibus hypotheca mihi à Jure tribuitur cæteris creditoribus hypothecam generalem, vel specialem habentibus anteferenda, l. 6. C. qui potior. in pignor. hab.

X. Quarta est hypotheca pro dote, pro qua bona omnia viri tacitè sic hypothecantur, ut in dotis restitutione uxor ejusque descendentes præferantur in hac dotali hypotheca cæteris creditoribus habentibus anteriorem generalem hypothecam, l. *Assiduis* 12. C. qui potior. in pignor. hab. & l. 2. in fin. l. 3. l. 4. D. de privileg. cred. Creditoribus verò anteriorem hypothecam expressam habentibus nequaquam præfertur posterior hypotheca dotalis. Iniquum enim esset si omnes anteriores creditores per nuptias viri supervenientes exciderent jure suo quod expressè pacti fuerant. Quinetiam dos non præfertur tacitis hypothecis tribus paulò antè memoratis, si dotis conventionem præcesserint. Lessius c. 15. dub. 4. n. 27. Bonacina punct. 2. n. 16.

XI. Quinta

XI. Quinta hypotheca quæ reliquis etiam anterioribus præfertur, est in favorem Fisci, cujus debitor habet suas omnes opes Fisco hypothecatas, sive cum Fisco contraxerit, ut contingit in receptoribus & redemptoribus vectigalium, sive alius quivis tributum debitum non solverit, l. 2. C. de privileg. fisci. Covarruvias lib. 1. var. resol. cap. 7. plures alias privilegium habentes hypothecas ibidem recenset, quas prætermitto.

XII. Salvo igitur jure prælationis creditorum eorum quibus competunt hypothecæ privilegiatæ, in reliquis hypothecariis creditoribus illi præferri debent qui anteriorem habent hypothecam. Etenim qui prior est tempore potior est in jure, l. 1. D. qui potior. in pign. hab. & l. *Si fundum*, C. eod. Quæ tamen regula valet in solis, uti diximus, realibus seu hypothecariis creditoribus concurrentibus, cùm constet eos esse præferendos omnibus personalibus, seu chirographariis, licèt tempore anterioribus. Atque ita creditor realis aliis creditoribus pariter realibus, quos tempore præcedit, adeo præferendus est, ut solvendum sit ei in totum ac solidariè, quanvis bona non suppeterent quæ possent reliquis hypothecariis creditoribus sufficere, qui defectu bonorum sæpe coguntur propriis juribus in totum excidere, ne creditores hypothecam habentes anteriorem pro parte fraudentur. Secus tamen evenit in personalibus creditoribus, in his quippe nulla servatur præferentia, neque ulla in facultatum debitoris partitione inæqualitas; si namque omnibus solvendis non sufficiant, dividuntur inter istiusmodi sine ullo discrimine anteriorum, aut posteriorum obligationum, ita ut singuli pro rata & partem lucri, & partem jacturæ sortiantur recipiendo & amittendo, ut dici solet, solidum pro libra. Exemplum esto, si postquam integrè satisfactum est hypothecariis creditoribus supersint ex bonorum discussione aurei trecenti, restentque sex chirographarii creditores quibus singulis centum aurei debeantur, singulis portio assignabitur quinquaginta aureorum; atque ita singuli eorum pro dimidio solutionem accipient, & pro dimidio jacturam subibunt æqualiter. Si autem essent eorum jura & nomina inæqualia, servaretur in divisione pro rata proportio inæqualitatis, tam in discussione facultatum viventis debitoris, quàm in inventario facultatum hæreditatis. Hæc ita determinavit communis & rationabilis Jurisconsultorum & Summistarum sententia ubique ferè, atque adeò in Gallia vigens, l. *Eos*, C. qui potior. in pign. hab. S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 7. §. 3. Paludanus in 4. Sent. dist. 15. q. 3. Glos. in l. 2. D. qui potior. in pign. hab. Navarra cap. 17. num. 51. Sylvester verb. *Restitutio* 6. q. 5. Lessius cap. 15. dub. 6. n. 44. & colligitur ex l. 1. D de separation. his verbis: *Licet alicui adjiciendo sibi creditorem, creditoris sui deteriorem facere conditionem.* Et in tit. C. qui potior. in pign. hab. & D. eod. regula illa, *Qui prior est tempore*, in subjectis legibus non nisi in hypothecariis obligationibus applicatur.

XIII. Observandum est in primis, quod in communi bonorum discussione revocari debent omnes bonorum immobilium alienationes, quæ-

cumque factæ fuerint toto illo anno qui discussionem præcessit, ut in massam discussionis reducantur. Quod quidem est contra jus prætorium, quo non revocantur nisi in fraudem alienata, l. 1. D. quæ in fraud. credit. Nulla verò fraus creditori potest imputari, si ante discussionis instantiam sibi prospexit per bonorum immobilium alienationem, ac in solutum dationem, cùm adhuc liberum sit creditoribus anteriorem habentibus hypothecam experiri adversùs eum hypothecariâ actione. Verumtamen consuetudinario hujusce provinciæ jure istud receptum est, ut illæ immobilium rerum distractiones revocentur propter fraudis suspicionem, quæ oriuntur discussionis eodem ipso anno sequutæ vicinitate: solutiones autem, quæ annum præcesserunt, non huic subjiciantur revocationi, si tempore illo nondum ventum erat ad judicium discussionis. Neque poterit creditor, qui ante id tempus solutum in rebus immobilibus recepit, conveniri ad discussionis judicium, nisi post factam discussionem adhuc supersint hypothecarii creditores anteriores, quibus bona debitoris non sufficiant. Isti quippe poterunt adversùs posteriores sibi creditores, qui ante discussionis annum in prædiis ac immobilibus solutum acceperunt, actione regressus experiri, postquam omnes debitoris principalis facultates excussæ fuerint. Circa hæc legi potest Hiacynthus Bonifacius tom. 1. lib. 1. Placitorum Senatus Provinciæ, tit. 33. Porrò inter immobilia recensentur constitutorum censuum, seu pensionum capitalia.

XIV. Inter creditores merè personales diligentia in petendo parit jus prælationis super aliis creditoribus similiter personalibus, etiam tempore prioribus, juxta l. *Pupillus* 24. quæ in fraud. credit. & l. *Si non expediverit*, §. 1. D. de bonis author. jud. possidend. *Statuendum ne alterius aut negligentia, aut cupiditas huic qui diligens fuerit noceat. Quod si utroque instante tibi gratificans tutor solvit, æquum est aut prius eandem portionem mihi quæri, aut communicandum quod accepisti.* Ipse verò debitor à creditorum uno, aliis creditoribus silentibus, sive in judicio, sive extra judicium interpellatus potest tutâ conscientiâ creditori huic satisfacere, etsi aliis posteriori. Sylvester verb. *Restitutio* 6. quæst. 8. Navarra cap. 17. num. 52. Lessius lib. 2. cap. 15. dub. 5. num. 39. Verumtamen non licet debitori qui omnibus solvendo non est, sponte sua gratificari alicui creditori in præjudicium anteriorum, aut habentium potiorem hypothecam: & nisi ipsum juris, vel facti ignorantia excuset, tenebitur de damno & expensis creditoris potius jus habentis, qui potest etiam quod alteri in sui præjudicium solutum fuerit, judicio recuperare, l. *Scimus* 22. §. *Etsi præfatam*, C. de jure deliber. Similiter non licet debitori non interpellato posteriorem personalem creditorem proprio motu præferre aliis itidem personalibus creditoribus tempore prioribus, quanvis creditor qui recepit, possit sibi solutum retinere quandiu à Judice non compellitur. Non enim tenetur rei suæ quam possidet jacturam sponte subire, ut aliis prospiciat. Ita post Molinam Lessius

num. 41.

num.41. Filliucius tract.35.num.200. Barbosa de offic. & potest. Episc.p.3. alleg. 96. num.81. his verbis: *Qui rem habet sibi debitam, potest sine peccato eam retinere, quamvis sint alii creditores ipso anteriores.* Raimundus Bonaldus tract. 11. lect. 42. num.2. aliique.

XV. Quin etiam in judiciis contradictoriis communiter judicari solet in favorem hypothecarii creditoris possidentis pignus quod habuit à debitore, contra cæteros anteriores creditores pariter hypothecarios: & satis apertè favet lex *Qui insulam* 14. D.qui potior.in pign.hab. & lex unica, C. etiam ob chirogr. pecun. pign. Ita tenent ex Jurisconsultis Gallicanis Mornacius in d.l. *Qui insulam*, Cujacius in comment. ad illam rubr. etiam ob chirogr. pecun.pign. &c. & probat testimonio Pauli JC. lib.2. sentent. tit.23. non posse etiam ab anterioribus creditoribus inquietari ad refundendum pignus quod possidet, nisi ei omne debitum offerendo. Eadem docet Chopinus in consuet. Paris. lib.3. tit.2. num.18. & tit.3. num.4. Est enim privilegium possessionis cum jure conjunctæ, quæ prævalet anterioritati juris alieni; cùm nemo teneatur alteri in sui præjudicium consulere, adeò ut laudetur & præferatur à lege & omnibus unanimiter Doctoribus creditor posterior qui fuerit in prosequendo jure suo diligentior. Multa Gallicana Senatusconsulta in hanc rem proferuntur à Chopino citato, & à Bonifacio tom.2. Placitorum Curiarum Provinciæ, lib.4. tit.3. cap.1. Et in universum non metuit Prætoris Edictum *Quæ in fraudem creditorum facta sunt*, is qui pecuniam recepit priùs quàm bona debitoris possessa, idest inter creditores distributa sint; sibi enim diligenter prospexit: secus si bona jam possessa sint; tunc enim cæteris præripere nemini licet, l. *Qui autem* 6. §. *Sciendum* 7. D. quæ in fraud. creditor.

XVI. Hic est communior & receptissimus ferè ubique gentium ordo in creditorum solutione servandus. Si quid tamen aliter alicubi Statuto, Edicto, vel probata consuetudine cautum sit, illud ibidem tenendum & servandum erit. Si obligationum aliæ sint ex contractu, & aliæ ex delicto, ut furto, usura, censent Medina & Salonius solvenda priùs esse debita ex delicto. Ex adverso Caietanus & Navarra adstruunt priùs solvenda illa quæ sunt ex contractu. Præstat tertia & communior sententia Aragonii, Bannez, Molinæ, Lessii, Reginaldi, Bonacinæ, nihil referre utrum ex his priùs solvatur, nisi contingat superesse rem propriam unius creditorum, v. g. equum ejus, aut vas aliquod, vel commodatum, vel furto ablatum: aut accedat ex una parte privilegium hypothecæ, aut anterioritas unius debiti præ alio.

CAPUT XXIV.

De damno ex legitimo proprii juris usu in alterum redundante.

I. NON rarò contingit, ut quis res suas pro suo jure curando alterius rebus indirectè noceat. Quæritur an id liceat, & an ita agenti incumbat obligatio alterius damnum reparandi? Axioma commune in Jure istud est: *Qui suo jure utitur nemini facit injuriam.* Id verò supponit jus in eo qui illo utitur absolutum, & ab alterius consensu independens, unà cum bona fide, & conveniente moderatione, quibus simul concurrentibus excluditur peccatum, & nulla est damni alieni reparandi obligatio. Inter sanctos veteris Ecclesiæ Patres hoc ipsum luculenter docet admirandus ille S. Petrus Alexandriæ Episcopus & Martyr in suo canone 13. idque firmat pluribus ex Scriptura deductis exemplis. Idemque adstruitur isto Jurium Canonici simul & Civilis effato: *Qui jure suo utitur nemini facit injuriam*, cap. *Cùm Ecclesia Vulterana*, de elect. & l. *Injuriarum*, §. 1. D. de injur. & l. 1. §. *Denique Marcellus ait*, D. de aqua pluvia arcenda.

II. Istius juris permulta superioribus capitibus exempla retuli, in quibus ex communi Doctorum sententia retuli, posse quem ex justa causa fraudare vectigal, licèt exactor inde jacturam patiatur, etiam habens bonam fidem, & nihil de vectigalis jactura dubitans. Item in creditore per suam diligentiam licitè præveniente anteriores sibi personales creditores. Præterea in reo criminis capitalis effringente carceris claustra cum gravi commentariensis periculo; & in eo qui ædes suas nulli obnoxias servituti, altiùs elevando lucem & prospectum vicino eripit cum gravi ejus incommodo, & domus illius diminutione pretii. Insuper in eo qui cuniculo ac fossâ in agro suo factâ vicini aquam in agrum suum derivat: neutrum enim de damno teneri declarat lex *Proculus ait*: D. de damno infecto. Ad hæc sic ait lex 1. §. *Denique Marcellus ait*, D. de aqua pluv. arcenda: *Denique Marcellus ait, cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, nihil posse agi, nec de dolo actione; & sanè non debet habere, si non animo vicino nocendi, sed suum agrum meliorem faciendi id fecit.* Atque ibid. §. *Sed & si vicinus*, sic decernit: *Sed & si vicinus opus tollat, & ablato eo aqua ad inferiorem agrum naturaliter perveniens noceat, Labeo existimat aquæ pluviæ arcendæ agi non posse: semper enim hanc esse servitutem inferiorum, ut naturâ profluentem aquam excipiant.* Similiter in eo qui exstructo muro, vel aggere suum munit prædium ab incursu amnis, vel torrentis: sic enim statuit lex *In summa*, §. *Idem Labeo*. D. eod.

D. eod. *Idem Labeo ait, si vicinus flumen vel torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo sit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo pluviæ aquæ arcendæ non posse: quæ sententia verior est, si modò non hoc animo facit ut tibi noceat, sed ne sibi noceat.* Et declaratur l. 1. C. de alluvion. *Ripam suam adversùs rapidi amnis impetum munire prohibitum non est.* Quæ omnia fundantur in his juris naturæ principiis: Qui jure suo utitur nemini facit injuriam. Nemo tenetur cum proprio damno alterius rebus consulere. Juris exequutio non habet injuriam, l. *Injuriarum actio*, §. *Is qui jure*, D. de injur. Præterea, ut consentiunt omnes Theologi, & fusè probat S. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 3. 4. 5. primus ordo charitatis Deum respicit; secundus nos ipsos; tertius proximos.

*111. Similia pleraque leguntur in corpore Juris exempla, quorum admodum conducibilis cognitio est. Quale est istud excusum in l. *Habitatores*, §. *Iterum interrogatus*, D. locati. *Iterum interrogatus est: Si quis timoris causâ emigrasset* (videlicet ex domo conducta) *deberet mercedem, necne? Respondit: Si causa fuisset cur periculum timeret, quamvis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris justa non fuisset, nihilominus debere.* Item de damno ex lege Aquilia, l. *Si quis fumo*, D. ad leg. Aquil. *Quod dicitur damnum injuriâ datum Aquiliâ persequi, sic erit accipiendum, ut videatur damnum injuriâ datum, quod cum damno injuriam attulerit, nisi magna vi cogente fuerit factum: nam hîc scribit cessare legis Aquiliæ actionem. Justo enim metu ductus ne ad se ignis perveniret, vicinas ædes intercidit. Et sive pervenit ignis, sive antè extinctus est, existimat legis Aquiliæ actionem cessare.* Proferimus aliud quoque exemplum quod frequenter in praxim deduci potest, ex l. *Qui occiderit*, §. *Si vulneratus*, D. eod. *Si vulneratus fuerit servus non mortiferè, negligentiâ autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso.* Paria etiam sacri Canones definiunt, scilicet caput *Lator*, caput *Dilectus*, & caput *Ex litteris*, de homic. in quibus declaratur homicidium casuale non esse imputandum Clerico qui dabat operam rei licitæ, nec fuit in culpa.]

CAPUT XXV.

De restitutione per moribundum facienda: & de restitutionis internunciis.

1. QUANDO ex confessione pœnitentis existentis in periculo mortis innotescit Confessario, cum teneri ad aliquid restituendum, providendum est illius animæ saluti, & restitutionis securitati, simulque pœnitentis famæ. Atque ad hoc duo media suppetunt: unum quidem, ut æger vel testamento, vel codicillis

pecuniam, aliamve rem debitam per legatum destinet personæ cui debetur; aut si incerta sit, pauperibus distribuendam à Confessario, si videbitur, aut ab hæredibus quorum dubia fides non sit. Secundum medium erit, si accersito Notario & duobus testibus declaret ægrotus velle se ut ex sua hæreditate dematur talis pecuniæ summa per designatum proprio nomine confessarium applicanda prout ambo convenerunt; & ut itta declaratio statim deponatur in manus Confessarii. Verùm istud fortasse medium minùs securum est quàm primum, si fortè hæres tergiversaretur prætextu non adhibitarum solemnitatum Juris, quod septem testes ad testamenta, & quinque ad codicillos requirit.

II. Expediret fortassis ad excludendam suspicionem sive restitutionis, sive inductionis & fraudis ex parte Confessarii, si post deliberationem inter ægrotum & Confessarium initam accerseretur persona spectatissimæ probitatis, cui secretò ægrotus injungeret faciendam pecuniæ in ejus manus depositæ, vel ab hæredibus deponendæ ex præscripto per testamentum legato, vel per codicillos restitutionem fiduciariam, prout Confessarius ex privato & occulto consilio cum ægroto habito indicabit. Sic tamen providendum ne in testamento, vel codicillis fiat ulla mentio fiduciariæ restitutionis, aut Confessarii, sed tantùm ab illo legatario data sit fides ac promissio ipsi privatim ægroto. Laurentius Bochellus in Summa Beneficiali, verbo *Legatum*, priùs refert solenne Senatusconsultum totius Senatus Parisiensis in togis purpureis anni 1580. Decembris 23. quo fuit approbatum trium millium aureorum legatum relictum Joanni Pelleterio Parocho S. Jacobi ad Macellum, ea lege ut de iis disponeret secundùm ei privatim communicatas testatoris intentiones. Quod idem Senatusconsultum refertur pariter à Mornacio ad l. 15. D. de dote præleg. Quæ lex 15. statuit habendam esse fidem juramento mediante illi quem testator nominaverit, & cui mentem suam sub secreti promissione declaraverit.

III. Porrò ad servandam pœnitentis bonam famam Confessarium videri esse aptiorem restituendi ministrum, dummodo probus & prudens electus fuerit, testatur Navarra Manualis cap. 27. num. 67. Sed si vel ipse Confessarius, vel alius electus à debitore internuncius non restitueret, non statim liberaretur debitor à restituendi obligatione, nisi in ipsum illum internuncium creditor consensisset. S. Antoninus parte 2. tom. 2. cap. 4. §. 1. Navarra cap. 17. num. 67. Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 6. num. 65.

IV. In universum ad restitutionum resolutiones tenenda est regula: Ubicumque res perit sine debitoris ulla præcedente culpa, domino rei perit. Itaque si internuncius receptâ in se reddendi obligatione rem sibi retinuit, vel suâ culpâ destruxit, distinguendum ita est. Vel internuncius habebatur communiter vir probus & exploratæ fidei, vel non. Si primum, adhuc distingue: aut debitor sic per eum restituens tenebatur titulo rei justè acceptæ, aut titulo injustæ acceptionis, aut titulo contractus legitimi.

timi. Si titulo injustæ acceptionis, nullatenus liberatur debitor, licèt res in manibus internuncii absque dolo, sed casu fortuito deperierit. Ratio est, quia casum istum culpa præcessit debitoris: nisi enim alienum usurpasset, res ista non incidisset in illum casum quo supponitur periisse in aliena manu. Pacto enim, vel culpæ, vel moræ præcedentibus casus etiam fortuitus imputatur, cap. fin. de deposito. Sanè si pro certo res æquè peritura erat apud dominum, verius est non teneri injustum detentorem nisi ad fructus & interesse injustæ detentionis & acceptionis. Ratio est, quia restitutio non nisi ex alieno damno nascitur, quale nullum hîc existit; quia nimirum non minùs ex casu fortuito privatus dominus fuisset re sua, quàm si nulla fuisset injusta acceptio. Et insuper statuitur l. *Si plures* 14. §. *Sive autem*, D. depositi, eum qui renuit depositum reddere, si res deposita intereà naturali interitu pereat, non teneri pretium restituere. Et l. fin. §. fin. D. ad legem Rhodiam, statuitur si ea conditione navem conduxerim ut eâ merces meæ conveherentur, ipse verò nauta contra meam voluntatem & mala fide merces meas in navem deteriorem transtulerit, & merces meæ cum ea nave perierint, teneri mihi de hoc damno, si altera navis salva evaserit. Sed si ambæ naves eâ navigatione perierint, non teneri, quia peræque merces meæ in priori nave conducta periissent. Ita docet Covarruvias ad regul. *Peccatum*, p. 2. §. 6. Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 15. num. 93. Sylvester verb. *Restitutio* 7. q. 5. §. *Tertium*, Martinus Navarra cap. 17. num. 8. Petrus Navarra lib. 4. de restitut. cap. 1. num. 17.

V. At verò si debitoris obligatio non fuit ex culpa, sed vel ex re accepta, vel ex contractu; & internuncio qui fidelis, nec suspectus habebatur, restitutionem mandavit, adhuc distinguendum. Vel mandans erat debitor speciei, hoc est rei particularis ac determinatæ, ut equi, vasis, libri, vestimenti; & eo casu liberabitur debitor culpâ vacans, etsi internuncius sive dolo, sive ex casu non restituat, l. *Argentum*, D. commodati, & cap. unico, de commodato. Ratio est, quia quoties omni debitoris culpâ seclusâ res debita perit, domino suo perit. Vel debitor qui nuncium illum transmisit, est debitor generis, ut nummorum, tritici, vini, olei, aliarumve rerum quæ debentur non secundùm individuam ac determinatam, seu singularem substantiam, sed secundùm pondus, numerum aut mensuram; & tunc debitor quantumvis culpæ expers, qui internuncio etiam fidelissimo mandavit, & hic fuit in itinere spoliatus, adhuc remanet obligatus. Ratio liquet; cùm enim sit debitor generis, non verò hujus, aut illius specialis materiæ quæ in transmissione fuit intercepta, hac ipsa pereunte durat adhuc ejus obligatio: genus enim perire non potest, l. *Incendium*, C. si certum petatur.

VI. Itaque juxta regulam istam, quod ubicunque res perit sine debitoris culpa, domino suo perit, & debitor liberatur si res locata apud locatarium sine ejus culpa deperit, vel res commodata apud commodatarium, vel

vel depositum apud depositarium, vel pignus apud creditorem, isti ad nihil tenentur ubi neque culpa, neque mora, neque conventio ulla in oppositum interceſſit. Mutuatarius quoque perſtat in dominio rei transmiſſæ pro ſolutione, ideoque ſi deperditur antequam creditor eam recepe-rit, vel per ſe, vel per medium à ſe approbati quoad hoc internuncii, res illa deperit mutuatario ut domino. De emptione major eſt difficultas re nondum emptori tradita depereunte; cùm dicatur in l. *Traditionibus* 20. C. de pactis: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Et tamen perſpicuè ſtatuitur l. 1. C. de pericul. & commod. rei vend. & Inſtit. de emption. §. *Cùm autem*, ſi res vendita caſu pereat ante traditionem, perdi non venditoris, ſed emptoris damno. Quam Juris diſpoſitionem omnes Caſuiſtæ approbant. Sed emptor re nondum tradita habet aliquod in eam imperfectum dominium traditione perficiendum. Quanvis autem contractus emptionis venditionis ſolo Partium mutuo conſenſu perficiatur, ſi tamen utriuſque mens erat eam ſcripto firmandi, & ante ſcripturam res deperiit apud venditorem, illam rei jacturam non emptor, ſed ſolus venditor debet ſuſtinere, utpote nondum perfecto contractu per ſcripturam, quæ ex mutua amborum voluntate conditionis neceſſariæ vicem habet, adeo ut ſit locus pœnitentiæ donec Pars utraque ſubſcripſerit, ut decernitur Inſtit. de empt. & vendit. in princ. & l. *Contractus*, C. de fide inſtrum.

VII. Monet denique Navarra c. 27. n. 67. Confeſſarium, aut alium quemvis internuncium reſtitutionis, quanvis non requiratur, ſuam tamen debere fidem probare recipiendo ſolutionum ſyngraphas quas exhibeat debitori.

CAPUT XXVI.

De pactis quæ contractibus adjunguntur.

I. PACTA quæ pro diverſis contrahentium intentionibus ad contractus adjunguntur vim ordinariam ac legitimam contractuum quibus apponuntur poſſunt extendere, vel reſtringere, dummodo juri naturali non repugnent pacta oppoſita, ut perſpicuè docet l. *Contractus quidam*, D. de regul. jur. hiſce verbis: *Niſi quid nominatim convenit, vel plus, vel minus in ſingulis contractibus. Nam hoc ſervabitur quod initio convenerit; legem enim contractui dedit. Excepto eo quod bonæ fidei judicio contrarium eſt: & ita utimur.*

II. Sic fit ut commodatarius qui ex vi commodati non tenetur niſi de ſola culpa, teneatur ex vi pacti commodato adjuncti etiam de caſu fortuito, cap. unico, de commodato.

III. Depoſi

III. Depositarius quoque ex vi contractus depositi nullatenus tenetur de casu fortuito : & tamen tenebitur si conventum inter ambas Partes fuerit, ut ipsum quoque casum fortuitum præstet, l. 1. §. *Sæpe*, D. depositi, & cap. *Bona fides*, de deposito. Neque tamen his pactis dominium immutatur rei ipsius, cùm proprietas ipsa rei adhuc remaneat penes ipsum commodantem, & penes ipsum qui deposuit.

IV. Ita etiam ex vi mutui nihil debet mutuatarius præter mutuatam sortem : neque tenetur ad interesse, sive damni, sive lucri, etiamsi creditor occasione mutui vel lucrum amittat, vel damnum reverà sustineat. Et consentiunt Summistæ omnes, non posse quidquam exigi per creditorem, quantumvis reale ac verum interesse, nisi pactum ab initio de præstando interesse præcesserit. Sed de utroque interesse mutuatarius tenebitur si speciatim in ipso mutui contractu convenerit. Navarra in Enchir. cap. 17. num. 211. cæterique Doctores.

V. In emptione quoque & venditione, re traditâ transfertur ita dominium, ut venditori ad eam jus nullum reliquum sit. Secus tamen erit si appositum fuerit pactum addictionis in diem, hoc est, ut si intra conventum tempus alter emptor meliorem offerat conditionem venditori, res sit inempta, l. 1. & l. 4. D. de addict. in diem. Idem obtinet in pacto redemptionis seu retrovenditionis, ut possit venditor eodem pretio redimere rem venditam, aut eo pretio quale tunc æstimabitur tempore præstituto, l. *Si fundum*, & l. *Si à te comparavit*, C. de pactis inter empt. & vendit. Itemque in pacto legis commissoriæ, ut si intra præfixum diem pretium non solvatur, redeat res ipsa ad venditorem, l. 2. & 3. D. de lege commissoria. Quod tamen pactum in emptione approbatum reprobatur in pignore, de quo paciscì non licet, ut debitore non solvente pignus acquiratur creditori. Est enim contra bonos mores, & contra æqualitatem dati & accepti, quia pignus sæpe valorem excedit rei debitæ, cap. *Significante*, de pignor. & l. 1. & 3. C. de pact. pignor. Denique facilis esset similis inductio ad cæteros quoscumque contractus.

VI. Sicut autem ex pactis additis contractus determinantur, contingit vicissim ut ex contractu exurgat citra ullam expressionem pactum tacitum: ut in locatione prædii urbani quidquid intus defertur, vel invehitur à conductore, oppignoratur tacita conventione locatori, l. *Item quia*, D. de pact. Plura istiusmodi exempla perquire sub tit. Digestorum & Codicis in quib. causis pignus vel hypotheca tacitè contrahatur.

CAPUT XXVII.

De conditionibus, demonstrationibus, & causis appositis.

I. FREQUENTER evenire solet ut in dispositionibus, tam inter vivos quàm mortis causâ factis adjungantur conditiones, ut *si navis ex Asia venerit*: necnon demonstrationes, ut *Fundum lego Nomentanum quem à Titio emi ducentis aureis*: itemque causæ, ut *Centum aureos Titio do, quia negotia mea utiliter gessit.* Hinc multiplices nascuntur ambiguitates in Jure circa defectum appositarum conditionum, aut circa falsas vel dubias demonstrationes, vel causas: utrum hujusmodi rerum defectu falsitate, vel incertitudine vitietur dispositio.

II. Pro universali regula tenendum est, conditionem appositam sive dispositioni inter vivos, ut sunt contractus, rescripta Principum, pœnæ, privilegia; sive dispositionibus causâ mortis, ut sunt testamenta, codicilli, usque eò limitare atque determinare dispositionem, ut hæc non aliter subsistat, nisi existente conditione. Ratio petitur ex libera disponentis intentione, non aliam volentis inducere obligationem, nisi eam quæ conditionis veritate nitatur, l. *Cùm ad præsens*, D. si cert. pet. & l. *Conditio in præteritum*, D. de verb. oblig.

III. Ab hac tamen regula excipiuntur impossibiles conditiones, & illæ similiter quæ sunt contra bonos mores, si sint adhibitæ dispositionibus causâ mortis, ut *Si cœlum digito attigerit, Si datam fidem fregerit, Si alterum injuriâ affecerit.* Istæ omnes pro non appositis habentur. Nec minùs effectum sortietur ultima dispositio, illis non adimpletis, l. *Turpia*, D. de legat. 1. l. *Cùm in secundo*, D. de injust. testam. & Instit. de hæred. instit. §. *Impossibilis.* Secus tamen statuendum in materia contractuum. In his quippe irrita fit quævis dispositio sub impossibili, vel turpi conditione facta, §. *Quod turpi ex causâ*, Instit. de inutil. stipul. l. *Generaliter*, D. de verb. oblig. l. *Non solum*, D. de act. & oblig. Ipsa verò Glossa in d. §. *Impossibilis*, Inst. de hæred. instit. istam Juris differentiam refert appositè in favorem ultimarum voluntatum.

IV. Olim quidem Jure Digestorum conditio ista, *Si non nupserit, Si uxorem non duxerit*, apposita in legato, vel fideicommisso, censebatur bonis moribus, hoc est libertati nuptiarum & publico bono adversari, ideoque pro non adjecta habebatur: neque minùs valebat legatum, vel fideicommissum, l. *Titia*, D. de conditionib. & demonstrat. Sed Justinianus hoc ita temperavit, ut conditio habeatur pro non adjecta circa primas nuptias, sed

valeat

valeat circa posteriores nuptias. Auth. *Cui relictum*, C. de indicta viduit. toll. Ab eodem pariter statutum fuit in favorem Religionis, ut si legatum fuit sub conditione si matrimonium inierit, nihil de Religionis ingressu exprimendo, & contingat legatarium Religionem ingredi, ejusdem nihilominus legati beneficium consequi debeat. Auth. *Nisi rogati*, C. ad SC. Trebellian. Novel. 123. de sanctiss. Episcopis, cap. 37. Atque in hoc omnes convenire Doctores asserit Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 15.

V. Solutior est Juris dispositio circa demonstrationes quàm circa conditiones appositas. Etenim falsa demonstratio, modò de re ipsa constet, non perimit dispositionem, sive contingat in Principum rescriptis, sive in contractibus, sive in ultimis voluntatibus. Nec etiam nominis error quidquam officit, modò de persona, vel de re habeatur certitudo, cap. *Significante*, de rescript. l. *Falsa demonstratio*, D. de condition. & demonstr. l. *Patronus*, §. 2. D. de legat. 3. & l. *In venditionibus*, D. contrah. empt.

VI. Similiter falsa causa nullatenus obest dispositioni: ut, *Fundum Tusculanum Titio lego, quia negotia mea vtiliter gessit*; quanvis ejus negotia non gessisse probetur, l. *Cum tale*, §. *Falsam causam*, D. de condition. & demonst. Veruntamen si falsa demonstratio, vel causa conditionaliter adhibita sit, procul dubio irrita & nulla erit dispositio, d. l. *Falsa demonstratio*. Statuitur tamen in l. *Qui libertatis*, §. *Servus*, D. de eviction. si sit servo libertas relicta sub conditione, si rationes reddiderit administrationis, censendum esse purè relinqui libertatem, si servo nulla supersint reliqua, de quibus reddenda foret ratio. Præsumitur enim testatoris intentionem in hoc esse ut libertate servus donetur, ex quo liquebit servum non esse reddendæ rationi obnoxium. Nec tantùm falsa causa, sed etiam falsa conditio habenda est pro impossibili, ut pro non adjecta habeatur: *Pamphilus si quod Titio debeo persolverit, liber esto*. Reverà tamen si sic disponens nihil Titio debet, fiet nihilominus liber Pamphilus. At si testator Titio debet aliquid, idemque post conditum testamentum exsolvat quæ Titio debet, isto casu intelligitur conditio defecisse, atque ita caducum erit libertatis legatum, d. l. *Cum tale*, §. *Falsam conditionem*, D. de condition. & demonstr.

CAPUT XXVIII.

Sponsarum, uxorum, & viduarum jura: & de diversorum creditorum concursu, ac prælatione.

I. DISPICIENDUM hîc est de sponsalitia primùm largitate, tum de mundo muliebri, tum de arrhis sponsalitiis, tum de dotibus aliisque conjugatarum, aut viduarum juribus. Sponsalitia itaque largitas

facta inter sponsos de futuro valida est, ita ut res donata acquiratur donatario, si deinde fiat & consummetur matrimonium. Id verum est tam favore sponsi quàm sponsæ, l. *Cùm veterum*, C. de donat. ante nupt. his verbis: *Quæ similiter observari oportet & si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit.* Quæsitum est si solvantur sponsalia, sive ex mutuo amborum consensu, sive ex alterius eorum morte, quid juris? Hîc tria distinguenda, scilicet donationes ante nuptias, mundus muliebris, & arrhæ nuptiales. Donationes quidem ante nuptias factæ, solutis sponsalibus revertuntur ad eum qui dedit, ejusve hæredes, d. l. *Cùm veterum.* Ratio est, quia sponsalitia largitas tacitam secum includit conditionem matrimonii futuri: itaque caduca fit defectu conditionis. Quod verò donatur sponsæ ante nuptias ea lege, ut ejus dominium acquirat ex quo nuptiæ sequutæ fuerint, nullius est effectus, l. *Quod sponsæ*, C. de donat. ante nupt. quia nimirum omnem inter conjuges donationem jura prohibent, ne sese mutuo amore spolient. Hinc dicit Baldus: Paria sunt fieri aliquid tempore prohibito, & transferri in tempus prohibitum. Et Glossa ibid. Quod potuit sponsus ante nuptias noluit; & quod voluit sponsus post nuptias non potuit.

II. De mundo muliebri, id est jocalibus & vestibus, hæc quidem penes uxorem mortuo marito remanere, & submovendos esse mariti hæredes decernit lex *Si tibi*, & lex *Si mater*, C. de donat. ante nupt. Innixus tamen Mornacius Senatusconsulto Curiæ Parisiensis quæ non regitur scripto Romanorum jure, scribit vestes & nuptialia ornamenta restituenda esse hæredibus mariti; sic enim judicavit Curia illa Decembris 12. anno 1598. pro hæredibus Petri Colombeau contra ejus viduam Genovefam Boulanger. Idtestatur Mornacius ad l. 3. D. de sponsal. idemque ad l. *Si à sponso*, C. de donat. ante nupt. Chopinus verò ad consuet. Paris. lib. 2. cap. 2. num. 4. distinguit inter res pretiosas, & non pretiosas; & istas quidem adjudicandas esse viduæ, pretiosas autem hæredibus mariti. Eadem distinctio & resolutio adstruitur à Julio Claro §. *Donatio*, quæst. 10. initio, & approbatur à Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 25. n. 28. & Bonacina de contractib. disp. 3. quæst. 13. puncto 4. num. 13. & aliis Summistis qui hoc addunt, extendi debere si sponsus ante consummationem decesserit, dummodo de sponsalibus intervenerit osculum ante nuptias, juxta l. *Si à sponso*, C. de donat. ante nuptias, sic dicentem: *Si à sponso rebus sponsæ donatis interveniente osculo, ante nuptias hunc, vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pervenire præcipimus, dimidiam ad defuncti, vel defunctæ hæredes, cujuslibet gradus sint, & quocunque jure successerint.* Bacquetus verò de justitia & jure cap. 21. num. 334. dicit hoc esse arbitrarium ob Doctorum & Senatusconsultorum contrarietates decernentium circa contractum jam, consummatumque matrimonium. Etenim si sola extiterint sponsalia, neque sequutæ sint nuptiæ, jam decisum est, res donatas esse integrè restituendas, si osculum non intervenerit; restituendam verò esse dimidiam partem solam,

si osculum intervenerit, juxta d.l. *Si à sponso.* Hoc ita decernitur jure communi Romanorum. At in Gallia ratio nulla habetur istiusmodi osculi, quod non tanti æstimatur; cùm soleat hoc in Regno ad omnem civilitatis occursum exhiberi, ut observant & docent Bugnyon lib.4. de legib. abrogat. cap.33. & Jacob. Gothofred. in comment. Cod. Theodosiani, ad hanc ipsam legem *Si à sponso.* His addenda est altera restrictio hæc, dummodo alterius desponsatorum culpâ non fuerit impeditum matrimonium: si enim culpa unius horum obstiterit, Jus providet ne ullum emolumentum ex hujusmodi donationibus & largitatibus Pars culpabilis percipiat, d.l. *Cum veterum*, in fine, C. de donat. ante nupt.

III. De arrhis porrò sponsalitiis non sequuto matrimonio, hæ quidem remanent penes recipientem, si per donantis culpam steterit quominus matrimonium compleretur. Si autem per recipientem steterit, tenetur eas restituere etiam in duplum, l. *Mulier*, C. de sponsal. & arrhis. Si verò per neutrius culpam steterit, sed alterius mors, aliudve grave incommodum supervenerit, arrhæ acceptæ restitui debent, sic statuente lege *Arrhis*, C. eod. *Arrhis sponsaliorum nomine datis, si interea sponsus, vel sponsa decesserit, quæ data sunt jubemus restitui, nisi causam ut non celebrarentur defuncta persona jam præbuit.* Quo loco Glossa dicit: *Sive intervenerit osculum, sive non: licèt in donatione propter nuptias secus.* At verò si matrimonium sequutum sit, arrhæ sponsalitiæ restituendæ sunt Parti quæ dederat. Ratio perspicua est, quia arrhæ sunt pares pignori tradito in conventione futuræ venditionis, quod amittere convenit injustè resilientem; celebrata autem venditione recuperare oportet eum qui tradiderat. Ostiensis in Summa, tit. de sponsalib. §.1.num.3. Abbas in cap. *Gemma*, eod. tit. num.7. Angelus verb. *Sponsalia*, num.17. Sylvester, Covarruvias, Ludovicus Lopez, aliique communiter, quos citat & sequitur Sanchez de matrim.lib.1. disput.36.num.2.

IV. Denique quanvis lex fin. C. de jure dot. eximat ab insinuationis obligatione donationes propter nuptias, Constitutiones tamen Franciæ donationum propter nuptias insinuationem requirunt, ut & aliarum quarumcunque donationum. Mornacius in d. l. fin. C. de jur. dot.

V. Conjunx ob sævitiam divertens à toro & cohabitatione viri, potest judicio agere per procuratorem, ne acriores fiant simultates per conflictantium conjugum mutuas accusationes & convicia. Imò ne quid deterius contingat, servatur in Gallia cap. *Literas*, in fine, de restitut. spoliat. providens ut uxor in quam desævit maritus, honestæ alicui matronæ committatur & sequestretur quandiu lis duratura est, nisi eam parentes, vel cognati apud se recipiant. Præclarè S. Chrysostomus ad cap. 11. epist. 1. ad Corinth. homil.26.ait: *Hoc ex Legislatoribus externis addiscitis, qui talia passam uxorem habitare amplius non cogunt cum marito qui eam verberibus affecit, quippe indigno ulla deinceps ipsius consuetudine.* Videri possunt Covarruvias de testamentis §.5.cap.7. & Mornacius ad l.2.§.1. D.de divort. qui & hoc docent,

pensionem, seu provisionem alimentariam in bonis mariti pro modo facultatum ejus per Judices adjudicari debere, donec dotalitio per mortem viri fiat locus. Quinimò possessores, seu tertii detentores rerum mariti damnantur pensioni huic annuæ, excussis primùm mariti facultatibus, nisi malint possessione bonorum eorum uxori cedere, ut judicavit teste Mornacio Senatus Parisiensis secundùm Magdalenam Lecaron separatam à toro & ædibus mariti Jacobi Flamani, contra Firminum du Fresne tertium possessorem, anno 1611. die 6. Augusti.

VI. Quando maritus adulteratur ac tenet concubinam, potest uxor innocens agere ad separationem tori, dotem repetere, & lucrari donationem propter nuptias debet. Decius in reg. *Semper in contractibus*, D. de reg. jur. Raphaël Cuman. consil. 175. Quando etiam vir concubinam tenet, uxor ejus quæ pariter adulteratur, non perdit dotem, ut docet Paulus Castr. cons. 128. Decius in d. l. *Semper in contractibus*, quia paria delicta compensatione mutuâ tolluntur, l. *Viro atque uxore*, D. solut. matrim. & cap. *Significasti*, de adulter. Vide Matth. 19. vers. 9. & Concil. Trident. sess. 24. de matrimon. can. 7.

VII. Ubi verò uxor de propriorum bonorum deperditione ob viri prodigalitatem & incuriam periclitatur, agitque de mutua bonorum separatione, oportet inquisitionem juridicam fieri, quâ probetur maritum decoctorem esse. Idque faciendum non spontaneo, sed contradictorio judicio. Edendum est enim facultatum uxoris inventarium, tum sententia obtinenda divisionis bonorum, tandemque succedere debet publicatio, quâ per præconem, aut per schedulas locis publicis affixas, aut etiam in Notariorum stationibus admoneantur universi hujusce bonorum inter conjuges separationis, expressis amborum nominibus. Nisi enim ista fiant, præsumetur dolus & collusio conjugum in fraudem creditorum. Sanè quacunque ex causa uxor juremeritò doti suæ, & propter nuptias donationi timet, exaudienda est à Judicibus, ut res suas salvas sibi habeat, l. *Ubi adhuc*, D. de jure dot. Sciendum verò, uxorem quæ juridicè hanc obtinuit bonorum separationem, posse sine mariti interventu obligari in illis quæ ad rerum suarum conservationem & administrationem pertinent, perinde ac si vidua esset; in hoc quippe sui juris effecta est. Hoc tamen excepto, quod vivente viro non potest alienare, ut judicavit Senatus Parisiensis 21. Januarii ann. 1597. in causa Sebastianæ Benedictæ. Hoc idem scribit Commentator Consuetudinum Borboniorum, art. 28. quem allegat & sequitur Mornacius ad l. 1. §. 2. D. de divort. & repud. Ubicumque autem de alienando agitur, mariti consensum esse necessarium statuit dicta lex *Ubi adhuc*, de jure dot. & est constans in foro regula, quanvis facta fuerit juridica bonorum separatio; ad quod alterum producit Mornacius Senatusconsultum Parisiense 24. Aprilis anni 1585. Denique Pomponius sapienter ait, l. 1. D. solut. matrim. *Dotium causa semper & ubique præcipua est, ac publicè interest dotes mulieribus conservari.* Providendum igitur ne à maritis dilapidentur.

VIII. Jure

VIII. Jure Romanorum magnum est dotis privilegium, adeò ut omnia viri bona jure tacitæ hypothecæ ad dotis restitutionem obligata sint uxori, l. unica, §. *Et ut plenius*, C. de rei uxor. act. & §. *Fuerat*, Instit. de act. Præterea cæteris creditoribus etiam tempore anterioribus præferantur uxores, l. *Assiduis*, C. qui potior. in pign. hab. l. *Ubi adhuc*, & l. *In rebus*, C. de jure dot. Justinianus etiam Novel. 97. de æqualit. dotis, §. *His consequens*, uxoribus concessit jus tacitæ hypothecæ in bona mariti, eodem privilegio quo fruitur creditor, cujus pecuniâ res empta fuit, aut qui ad navim fabricandam, aut domum ædificandam credidit pecuniam suam.

IX. Veruntamen Justiniani mens non videtur hæc fuisse, ut præferatur mulier creditoribus anterioribus, nisi solis illis qui hypothecam nullam habent, aut habent dumtaxat tacitam. Quid enim iniquius foret quàm si aliquod jus hypothecæ nobis expressa conventione anteriùs acquisitum posset nobis invitis aut insciis præripi quocunque privilegio posterioris creditoris? Et ex Scævolæ responso constat, etiam privatum habentem expressam hypothecam, ipsi Fisco & Cæsari postea contrahenti oportere præferri, l. fin. §. fin. D. qui pot. in pign. hab. Et quidem communis & potior est Interpretum Juris Romani sententia, præferri utique in causa dotis mulierem creditoribus anterioribus, ex Justiniani constitutione, non tamen expressam habentibus hypothecam. Ita Accursius, Joannes Faber, Bartolus, Baldus, Salicetus in l. *Assiduis*, C. qui pot. in pign. hab. & in §. *Fuerat*, Instit. de act. Jus istud Romanum prælationis dotis super hypothecariis reliquis creditoribus anterioribus servatur in provinciis Gallicanis quæ jure scripto regun-tur, qualis est provincia Tolosana: cùm tamen in aliis Gallicanis provinciis quæ jure consuetudinario utuntur, jura dotium non præferantur aliis anteriorem habentibus hypothecam. Hoc ita observat Papo lib. 11. tit. 3. num. 11. & Oliva lib. 3. Judiciorum Tolosanorum, cap. 25. Attamen in provincia Aquensi, quanvis sit in aliis observatrix Juris Romani, dos non præfertur hypothecis anteriorum creditorum, nisi circa bona à marito post matrimonium acquisita; quemadmodum nec Fiscus, juxta l. *Si qui*, D. de jure Fisci. Nam uxor & Fiscus pari gradu ambulant, l. 2. C. de privil. fisci. Ita docet Claperius Aquensis parte 2. causa 84. quæst. 1. num. 2. & 3.

X. Iste igitur servatur ordo in distractione bonorum debitoris, ut habentes hypothecas cæteris chirographariis creditoribus præferantur in solidum, sive hypothecæ sint generales, sive speciales, juxta l. *Pro debito*, C. de bonis authorit. jud. possid. Inter creditores hypothecarios præferuntur etiam anterioribus illi qui habent privilegiatas hypothecas, qualis est creditor qui affectatum sibi pignus penes se habet: & ex Salviano interdicto dominus fundi qui res à colono in prædium illatas tacitæ jure hypothecæ sibi præ aliis quibuscumque creditoribus asserit, l. 1. & tot. tit. D. de Salviano interd. Itemque alii creditores, de quibus agitur in tit. Cod. & Digest. qui potior. in pign. hab. Si debitoris bona omnibus hypothecariis creditoribus

ditoribus non sufficiunt, anteriores quidem recipiunt in solidum, & excludantur posteriores. Similiter si omnibus hypothecam habentibus sufficiunt, ut tamen chirographariis nihil supersit, isti omnes omni suo jure frustrantur. Si verò postquam de integro singulis tam generalem quàm specialem habentibus hypothecam satisfactum fuerit, supersint aliqua bona, quæ tamen omnibus personalibus creditoribus minimè sufficiant, nullus habetur respectus anteriorum, aut posteriorum hujusmodi creditorum; sed quæ supersunt bona in tributum veniunt, hoc est ita distribuuntur, ut nemo ex illis de integro excludatur, neque de integro seu in solidum recipiat, sed singulis aliquid distribuatur ad proportionem tum quantitatis rei debitæ, tum quantitatis bonorum quæ distrahuntur, juxta d.l. *Pro debito*, C. de bon. authorit. jud. possid. & l. *Si fundum*, C. qui potior. in pign. hab. Actionem illam inter chirographarios, & tantùm personales creditores tributoriam Pragmatici vocant *Déconfiture*, ou *Contribution au sol la livre*.

XI. Quæsitum est utrum venditori asserenda sit tacita & privilegita hypotheca super re vendita pro ejusdem pretio? Jus commune hanc ei denegat hypothecam, solamque concedit ei personalem actionem adversùm emptorem, l. *Incivile* 13. C. de rei vendicat. & l. *Qui ea lege* 3. C. de pactis int. empt. & vend. Cæterùm in toto Galliæ Regno jus oppositum viget, adeò ut etiam in provinciis Jure Romano utentibus venditori tacita indulgeatur hypotheca pro pretio super re vendita; cujus favore præfertur anterioribus etiam hypothecariis creditoribus, dummodo res vendita penes emptorem ejusve hæredem permaneat, neque distracta sit. Et sanè hac in parte major effulget species æquitatis. Sic ex provincia scripti Juris Oliva Tolosas lib. 4. cap. 10. ex provinciis verò Juris consuetudinarii Louetus lib. *P*, cap. 19. & Brodeus ejus Scholiastes, & Mornacius ad l. *Procuratoris*, §. *Planè*, D. de tributor. act.

CAPUT XXIX.

Selecta quædam, & præcipua jura donationum.

I. MULTÆ restituendi obligationes dimanant ex jure donationum. Itaque visum est ad cæteros restitutionum fontes hunc postremum tractatum adjungere. Quanvis ex sui natura donatio sit contractus irrevocabilis, si fiat inter vivos, l. *Aristo*, D. de donat. sunt tamen quatuor præcipuæ causæ ob quas permittunt leges illam revocari. Prima est ingratitudo donatarii, l. fin. C. de revoc. donat. Nec solùm ob quinque ingratitudinis causas ea lege expressas, sed etiam

etiam ut docet Gloſſa ibid. verbo *Voluerit*, ob alias ſimiles, aut graviores cauſas: nam & filius exhæredari à patre legitimè poteſt ex aliis ingratitudinis cauſis quàm à Jure expreſſis, ut probat Julius Clarus lib. 3. Sentent. §. *Teſtamentum*, quæſt. 41. verbo *Sed quæro*. Secunda revocandæ donationis cauſa eſt ſupervenientia liberorum, ne paterna quæ præceſſit liberalitas vergat in horum detrimentum, l. *Si unquam*, & ibi Gloſſa, C. de revoc. donat. Tertia cauſa eſt ſi ſit inofficioſa donatio, de qua toto tit. de inoffic. donat. Qua in re ita diſtinguendum, ut ſi donatio ſit inofficioſa re tantùm, revocanda ſit uſque ad legitimam neceſſariis hæredibus, ſive jam natis, ſive ſupernaſcentibus debitam, l. 1. 2. & 3. C. eod. Si inofficioſa ſit re ſimul & conſilio, revocari in totum debet, juxta Bartolum & alios communiter Doctores, quos refert & ſequitur Clarus §. *Donatio*. Atque hoc jus viget in Gallia, ut tradunt Eroſtratus Gallicanus tract. de inoffic. donat. & dotib. num. 59. & Papo lib. 11. Placitorum, tit. 1. num. 6. Vide ad hoc l. *Titia Seio*, §. *Imperator*, juncta Gloſſa, D. de legat. 2. Dicitur inofficioſa Donatio re ſimul & conſilio, quam facit ex propoſito pater in filiorum damnum. At ubi abfuerit prava illa voluntas liberis nocendi, erit inofficioſa re tantùm. Eadem reductio uſque ad legitimam pari ratione locum habet in præfata cauſa ſupervenientiæ liberorum. In cunctis tamen his cauſis nulla modicarum donationum habetur ratio, neque fit ulla revocatio. Quarta demùm revocandi cauſa eſt ſi quid donatum ſit ob cauſam, minimè ſequutâ causâ. Revocatur enim ipſo jure, & donatori competit rei vindicatio, l. 1. C. de donat. ob cauſ.

* II. Diſceptatum fuit, utrum donatio propter nuptias facta per minorem in gratiam nuptiarum cognati pariter minoris, reſcindi poſſit favore minoris ætatis? Et quidem adverſus illam reſtitui in integrum poſſe donatorem, ſolenni in Togis Purpureis ac Latiſclaviis Senatuſconſulto judicatum fuit Aquis Sextiis inter nobiles fratres ambos minoris ætatis Claudium Graſſé Comitem Barii, & Henricum Graſſé, hunc donatarium, illumque donatorem, præſidente Guillelmo Vairy Senatus Principe, qui & hanc deciſionem ſuis excuſis Operibus attexuit. Claudius Graſſé, ſecundùm regulam vulgarem in Galliæ regno receptiſſimam, *Nullitatis in Gallia nulla habetur ratio*, Literas Cancellariæ, ut contra hanc donationem reſtitueretur obtinuerat. Itaque inter ambos fratres de vi harum Literarum coram Senatu Provinciæ litigatum eſt. Allegabat Henricus matrimonii privilegium, cujus gratiâ nec ipſa mulier dotans Vellejani privilegio adjuvatur. Proferebat donatorem expreſsè renuntiaſſe minoris ætatis privilegio, præſente & conſentiente curatore, adhibito etiam jurejurando. Item mulierem non poſſe reſtitui, ſi ſemel Vellejano renunciaverit, l. ult. §. ult. D. ad Vellejan. Denique contra hanc ætatis reſtitutionem proferebatur lex *Hoc jure*, §. ult. D. de donat. ſtatuens irrevocabile eſſe quod datum fuit ſub conditione mox adimpleta, ut evenit in hoc Matrimonio.]

III. At verò donatio causâ mortis potest à donatore quandocumque voluerit revocari, l. *Mortis causâ* 4. D. de donat. causâ mort. Nec tantùm per expressam donatoris voluntatem revocatur, verùm etiam per tacitam significationem; ut si quis rem à se mortis causâ donatam transferat in alium, l. *Illud*, D. de donat. causâ mortis.

IV. Quod spectat ad donationem inter conjuges viventes factam, hæc invalida communi jure censetur, cap. fin. de donat. int. vir. & uxor. & l. 1. D. eod. *Ne* (ait lex) *conjuges mutuo amore se spolient*: quæ causa honesta est. Verùm contraria plerumque urget causa evitandæ coactionis & malæ tractationis, quam facilè suadere posset alterius conjugum vesana cupiditas, aut saltem causa frequentis & odiosæ importunitatis. Idcircò non solùm expressa, sed etiam tacita revocatione donatio conjugum facilè dissolvitur. Verùm si conjunx donator nullatenus revocet, adveniente demùm ejus morte, & altero conjugum superstite validitatem sortitur, l. 1. & 3. & l. *Donationes*, C. de donat. int. vir. & ux. & d. cap. fin. eod. tit. Nec solùm talis donatio viventibus conjugibus invalida est, si fiat post matrimonium ratum, verùm etiam facta ante matrimonium, sed dilato ejus effectu postquam matrimonium ratum, contractumque fuerit, l. *Quod sponsa*, C. de donat. ante nupt. Nam idem est facere tempore prohibito & inhabili, & differre obligandi vim ad tempus prohibitum & inhabile, l. *In tempus*, D. de hæredib. instit.

V. Secus tamen statuendum in aliis à donatione contractibus, ut sunt venditio, locatio, permutatio, &c. Tum quia sola inter conjuges donatio prohibetur: tum quia venditio inter eos expressè confirmatur, l. *Si sponsus*, D. de donat. in vir. & ux. Excipitur tamen illa venditio quæ fieret animo donandi, vel condonandi pretium, aut notabilem pretii partem, d. l. *Si sponsus*, §. *In venditione*.

VI. Donationes inter conjuges adeo morte donantis confirmantur, ut ad tempus retrotrahantur quo factæ fuerunt, perinde ac si tunc valuissent: & consequenter fructus omnes post donationem percepti pertinent ad donatarium conjugem superstitem. Ita tradit Glossa in l. *Talis scriptura*, §. *Universa*, D. de legat. 1. Covarruvias de testam. rubricæ parte 3. num. 3. Julius Clarus §. *Donatio*, quæst. 9. in fine, attestans hanc esse communem Doctorum sententiam.

VII. Valet quidem à patre facta donatio filio emancipato; sed non valet facta filio quem sub sua potestate habet, l. 2. C. de inoffic. donat. & l. *Donationes quas*, C. de donat. inter vir. & ux. Valet tamen donatio patris facta liberis quos in potestate habet, duobus casibus, scilicet causâ dotis pro filia, & causâ donandi filio propter nuptias, l. *Pomponius Philadelphus*, D. familiæ erciscundæ. Baldus in l. *Pactum*, C. de collat. Ad donationem propter nuptias reducitur titulus patrimonii constitutus à patre filio Clerico, ut possit ad sacros Ordines promoveri, per quos Clericus

contrahit:

contrahit cum Ecclesia spirituale & insolubile connubium. Aliis verò casibus donatio patris facta filio non emancipato revocabilis est, nec nisi patris morte firmatur, l. 2. cum ibi notatis, C. si quis alteri vel sibi, & l. *Donationes quas*, C. de donat. int. vir. & ux. sicut paulò ante dixi de confirmatione donationis per conjugem factæ in favorem conjugis superstitis. Atque his juribus in Gallia quoque utimur. Papo lib. 11. tit. 1. num. 1.

VIII. Donatio traditione perficitur. Ex quo enim aliquis verbo, aut scripto suam donandi voluntatem expressit, sibi necessitatem imposuit tradendi quod donavit, & ad tradendum compelli potest, §. *Perficiuntur*, Instit. de donation. & l. *Si quis argentum*, §. fin. C. eod. tit. Verumtamen si donator sibi usumfructum retinuit, potest quidem rem ad possessionem & usumfructum retinere, sed Juris fictione intelligitur tradidisse, licèt non tradiderit, l. *Quisquis*, Cod. de donation. & d. l. *Si quis argentum*, §. *Sed si*.

CAPUT XXX.

De Regulis Juris.

AD omnium disciplinarum peritiam mirificè conducunt Regulæ generales, quæ singulis rebus sub eodem genere contentis, quæque rationum paritate nituntur, sunt à studiosis accommodandæ. Hinc factum est ut Medicorum Princeps Hippocrates suos ediderit aphorismos qui discipulis suis essent pro regulis Artis medicæ, & præceptis universalibus, à quibus dirigerentur. Similiter Jurisprudentia, tum Canonica, tum Civilis suas utraque profert Juris regulas occurrentium causarum judiciis accommodandas. Hoc argumento Philosophi præceptiones quasdam pro inconcussis principiis exhibent nomine Axiomatum quibus contradicere sit nefas, ex quibus ut fontibus suarum conclusionum rivulos derivant. Hujuscemodi pariter sunt ad morum institutionem veterum Hebræorum proverbia & parabolæ, quales nobis suppeditant tum Salomonis, tum Jesu Siracidæ libri sacri. Cavendum nihilominus multorum sive Juris, sive medicæ Artis candidatorum vitium, qui vel nullatenus, vel paulisper expensis rerum judicandarum momentis & circumstantiis, sive corporum singularium quæ curanda suscepere particularibus complexionibus & viribus, indiscriminatim suas illas universales regulas contra earumdem finem, atque authoris à quo prodierunt mentem, perinde ac unum aliquod ephippium ad omnem equitationem atque vecturam, & unum cothurnum ad omnem pedem violenter simul & ineptè accommodant, ut in corporibus curandis morbos adaugeant, & in causis

dijudicandis quamlongissimè à Jure aberrent. Huc tendit Ulpiani monitum istud : *Omnis definitio in jure periculosa est ; parum est enim ut non subverti possit.* l. *Omnis definitio,* D. de regul. jur. Et Sapiens Hebræus Eccli 20. egregiè dicit : *Ex ore fatui reprobabitur parabola ; non enim illam dicit in tempore suo.* Idcirco adhibenda semper prudens discretio & circumspectio, ne regulæ extra proprios fines detorqueantur. Selegi verò in hujus Operis calce ex universo utriusque Juris corpore, nonnunquam etiam ex libris sacris regulas Juris diversas, quarum notitiam præ compluribus aliis quas prudens omisi, maximè conducere ad Jurisprudentiam Canonicam visum est mihi. Atque his ipsis aliquas passim observationes præcipuæ utilitatis adjunxi.

I. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institutione obtineri, c. 1. de reg. jur. in 6. & can. *Si quis deinceps,* 16. q. 7. Porrò institutio canonica hîc requisita pertinet ad Episcopum, can. *Nullus omninò,* 16. quæst. 7. Si quis opponat regulam Cancellariæ excludentem omnem litem adversùs pacificum triennalem Beneficii possessorem : respondemus cum Glossa hujus cap. *Beneficium,* & cum Felino in cap. *Licèt,* de simon. & cum Gomesio in reg. de trien. possess. quæst. 42. regulam quidem de triennali possessore excludere privatum quemlibet prætendentem jus ad Beneficium pro quo lis mota est, adeo ut hac triennii exceptione actor submoveatur : sed posse nihilominus Episcopum ex officio compellere triennalem pacificum ad ostendendum se titulo niti canonicæ provisionis. Utrùm autem bona fide provisus cum titulo colorato possit licitè sic possessum retinere Beneficium, disputatur inter Canonistas, quorum aliqui volunt istam de triennio regulam æquivalere ex Legislatoris Pontificis intentione titulo canonico ; alii negant. Videri potest loco cit. Gomesius qui talem Romanæ Rotæ stylum esse perhibet, ut stabiliatur pacificus triennalis possessor, dum nitatur titulo colorato, cui juncta sit bona fides, idque totum constituat canonicum titulum.

II. Actor sequi debet forum rei, cap. *Si Clericus,* de foro compet. & l. 2. & l. *In criminali,* C. de jurisd. omn. jud.

III. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, cap. *Possessor,* de reg. jur. in 6. & cap. fin. de præscription.

IV. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debet, cap. *Is qui,* de reg. jur. in 6. & l. *Qui in jus,* D. eod.

V. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulteriùs transferendum, cap. *Semel,* de reg. jur. in 6.

VI. Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum, cap. *Peccatum,* de reg. jur. in 6.

VII. Minus est habere actionem quàm rem, l. *Minus,* D. de reg. jur.

VIII. Nihil est tam contrarium consensui quàm error qui imperitiam detegit, l. *Si per errorem,* D. de jurisd. omn. jud. Hoc tamen tenendum de consensu

consensu quo ratum contrahitur matrimonium, non infringi nisi errore personæ, aut onditionis, ut si pro libero supponatur servus, aut pro Titio Sejus: sed nullatenus errore morum, vel qualitatis, vel fortunarum, ut habetur 29. quæst. 1. per totam.

IX. Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem cùm moribus utentium comprobantur, can. *Inistis*, §. *Leges*, dist. 4.

X. Tempus à Jure præscriptum non currit adversus impeditum, cap. *Inter quatuor*, de cler. non resid. & cap. *Commissa*, de elect. in 6.

XI. Nemo plus juris in alium transferre potest quàm ipse habet, cap. *Nemo potest*, de reg. jur. in 6. & l. *Nemo plus juris*, D. eod.

XII. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, cap. *Contractus*, de reg. jur. in 6. & l. *Contractus*, D. eod.

XIII. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de reg. jur. & l. *Nihil tam naturale*, D. eod.

XIV. Non potest esse pastoris excusatiò si lupus oves comedit, & pastor nescit, can. *Quamvis*, de reg. jur. ex S. Gregorii Magni registro.

XV. Facientis culpam procul dubio habet qui quod potest corrigere negligit emendare. Scriptum quippe est (Rom. 1.) non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur: (& aliquanto pòst) & nihil prodest non puniri proprio qui puniendus est alieno peccato, can. *Facientis culpam*, dist. 86.

XVI. Quatuor modis pervertitur humanum judicium, timore, cupiditate, odio, & amore, can. *Quatuor modis*, 11. quæst. 3. ex sancto Isidoro.

XVII. Temporale annexum rei spirituali non potest vendi quin vendatur simul per simoniam ipsum spirituale, ut contingit in beneficio, can. *Si quis objecerit*, 11. q. 3. At verò res temporalis cui annexa est accessoriè, seu per accidens res spiritualis, vendi potest, dum non æstimetur, neque augeat pretium res ipsa spiritualis, ut contingit in calicibus, vel lapidibus consecratis, aut in prædio sub jurepatronatus.

XVIII. Causa semel affectata apud superius Tribunal, non potest eò inconsulto deinceps devolvi ad inferius Tribunal, cap. *Proposuisti*, de for. compet. & l. *Si quis postea*, D. de judic. & l. penult. D. de jurisd. omn. jud.

XIX. Forum sortitur quis ratione delicti, aut ratione contractus, aut ratione domicilii, aut ratione rei de qua contra possessorem causa movetur cap. fin. de for. compet.

XX. Res inter alios acta aliis nocere non potest, cap. *Quamvis*, de sent. & re jud. & l. *Sæpe*, in princ. D. de re judic. Huc pertinet lex *Id quod nostrum est*, D. de reg. jur. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

XXI. Vocem in Capitulo, tam seculari, quàm regulari nemo habere permittitur, nisi saltem in Ordine Subdiaconatus constitutus. Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. de ref. & Clem. *Vt ii qui*, de æt. & qual. & ord. præfic.

XXII. Res aliena, aut alteri obligata transit cum suo onere, ad quemcunque novum etiam bonæ fidei possessorem transferatur, can. *Si quis Laïcus*, 16.quæst.1. & cap. *Ex literis*, de pignor. His consonant leges civiles, l. *Si debitor*, Cod.de distract. pignor. & l.2. Cod.quib.mod.pign. tac. contr. & l. *Alienatio*, D. de contrah. empt. & l. *Inter debitorem*, D.de pact.& l. *Si convenerit*, D.de pignor. act. Hac ratione is qui bona fide rem furto ablatam ab illo emit quem credebat rei dominum, tenetur vero domino restituere simul atque ipsi certò innotuerit, tametsi jacturam incurrat soluti à se pretii. Quæ utique obligatio subsistit circa rem ipsam adhuc existentem. At verò circa rem deperditam, aut circa perceptos dudum ex re fructus, stante bona fide, secus judicandum. In his enim valet istud alterum Juris axioma: *Bonæ fidei possessor in id tantùm tenetur in quo ditior factus sit* : l. *Item venium*, §.*Eos autem*, D. de petit. hæred. ubi Gloss. in verb. *Facti essent*, dicit hanc esse optimam regulam, quâ nulla in Jure sit verior. Cæterùm qui mala fide rem alienam invasit, non solùm rem ipsam restituere tenetur, sed præterea fructus, non modò quos perceperit, sed etiam non perceptos; si modò legitimus rei dominus, si ei liquisset, fuerat percepturus: hæc enim spectant ad integram damni injuriâ illati reparationem, cap. *Gravis*, de restit. spoliat.

XXIII. Appellatur ad Episcopum à sententia Capituli cui ipse Episcopus interfuit tanquam Canonicus; sed non si interfuit ibi tanquam Episcopus, cap. *Postulastis*,de concess.præb. & cap. *A collatione*, de appellat.in 6.

XXIV. Cùm sunt Partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori, cap. *Cùm sunt partium*, de reg. jur. in 6.

XXV. Actore non probante reus absolvitur, cap. *Cùm Ecclesia Sutrina*, de causa poss. & l. *Qui accusare*, C. de edend. & l. *Actor*, C. de probat.

XXVI. Episcopus proprius triplex esse potest, originis, domicilii, & beneficii, cap. *Cùm nullus*, de tempor. ordin. in 6.

XXVII. Pretium simoniacum triplex recensetur, munus à manu, munus à lingua, munus ab obsequio, can. *Sunt nonnulli*, 1. q. 1.

XXVIII. Fundans novum Beneficium hac lege ut sibi conferatur, simoniam committit, cap. *Tua nos*, de simon.

XXIX. Electio est simonica, & proinde invalida, si propter eam aliquid à quocunque datum sit, etiam electo hoc ignorante, cap. *Nobis*, de simon.

XXX. Cùm quis astringitur aliquid facere cum alterius consilio, necesse habet consilium requirere, non tamen tenetur consilium sequi, c. *Cùm olim*, de arbitr. Similes aliæ sunt paucæ in Jure decisiones. Nam Regularis ad strictiorem aspirans Religionem potest eam ingredi, dummodo licentiam discedendi petierit à suo Superiore, licèt eam ille recusaverit, cap. *Licèt*, de Regular. Præterea Episcopus quem impiorum protervia impedit in sua diœcesi residere, nec permittit ibi ullam jurisdictionem sive per se, sive per alium exercere, potest ad convicinum Episcopum refugere, à quo debet veniam

niam postulare exercendi in ejus Diœcesi contentiosam jurisdictionem: quam veniam si petierit, nec tamen obtinuerit, poterit nihilominus non solùm juridicè citare, & deinceps procedere contra suos illos oppressores, verùm etiam reliquorum sibi subditorum causas contradictoriis judiciis dirimere, Clem. 1. de foro compet. Quæ tamen venia non est necessariò petenda ad exercendos jurisdictionis voluntariæ actus in aliena Diœcesi.

XXXI. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur, cap. *Nullus ex consilio*, de reg. jur. in 6. & l. *Consilii non fraudulenti*, D. eod.

XXXII. Sunt multa quæ de judicio Dei homines ignorant, quia fortassis quæ vos laudatis ille reprehendet, & quæ vos reprehenditis ille laudabit, can. *Sacerdotibus*, in fine, 11. quæst. 1. ex S. Greg. Papa.

XXXIII. Habenti jusPatronatus laicum quatuor menses, Ecclesiasticum autem sex menses conceduntur ad præsentandum, cap. unico de jurepatr. in 6

XXXIV. Matrimonium per vim contractum spontaneâ cohabitatione convalescit, quæ talis judicatur in uxore quæ plusquam anno siluerit, cap. *Ad id*, de sponsal.

XXXV. Unum corpus constituitur ex Episcopo & Capitulo Cathedrali, ut Episcopus habeatur caput, & Capitulum reliquorum membrorum loco sit, cap. *Novit*, de his quæ fiunt à Prælat. fine.

XXXVI. Delegata jurisdictio exspirat morte delegantis, sicut mandatum quodlibet morte mandantis. Excipe tamen si necdum mortuo delegante lis contestata fuerat, cap. *Relatum* 19. de offic. deleg.

XXXVII. De alicujus delicto non est facienda inquisitio, nisi præcesserit infamia, non quidem apud malevolas, aut maledicas personas, sed apud providas & honestas, cap. *Qualiter*, il 2. de accusat.

XXXVIII. Transactio de compensandis litis expensis cum litigioso Beneficio, simoniaca reputatur, cap. *Cùm pridem*, de pactis.

XXXIX. Injustum est alterius libertatem ex nostra opinione, seu conscientia particulari damnare; ut quid enim mea libertas judicatur ab aliena conscientia? 1. Cor. 10. 29.

XL. Digni sunt morte non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Rom. 1. vers. 32.

XLI. Non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3. vers. 8. Neque enim sat est bonum intendere finem, nisi mediis pariter honestis utare, dicente Deo Deuter. 16. vers. 20. *Justè quod justum est persequêris.*

XLII. Omnis agens contra propriam conscientiam quantumvis erroneam peccat. *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. vers. 23.

XLIII. Ab Apostolici delegati processu, vel judicio non appellatur nisi ad Papam vel Legatum, cap. *Super quæstionum*, §. *Porrò*, de offic. deleg.

&c.

& cap. *Si delegatus*, cap. *Si is qui*, cap. *Si à delegato*, eod. tit. in 6. Quæ vera sunt de delegatione particulari. At verò si delegatio Apostolica communis sit alicui ordini, ut sunt tituli Legatorum Apostolicorum omnibus Episcopis communes, ea non intervertit communem appellationum ordinem, & devolvitur ad Metropolitanum quæ interjicitur appellatio.

XLIV. Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari, cap. *Quod omnes*, de reg. jur. in 6. Vulgò dicitur Universitas approbare aut decernere quod major pars approbaverit aut decreverit. Cæterùm quia Jura statuunt nonnunquam ut singuli quique approbent, quandoque verò ut singulis vocatis id prævaleat quod majori, aut meliori parti visum fuerit, non inconcinnè à Doctoribus sic distinguitur. Alia esse quæ à pluribus ut universis approbanda sunt, atque in his consensum majoris partis sufficere, ut contingit toto tit. de his quæ fiunt à majori parte Capituli; itemque in deliberationibus Civitatum, aut Collegiorum, & in causarum judiciis, in quibus calculi & suffragia dinumerari solent. Alia verò esse quæ ab omnibus ut singulis approbanda sint, adeò ut unius oppositione reliquorum deliberatio nullius sit vigoris, ut in alienatione prædiorum Ecclesiæ, quæ impediri potest per unicum de toto Capitulo Clericum, cap. *Si quis*, §. fin. de reb. Eccl. alien. & can. *Non liceat Papæ*, ibi: *Liceat quibuslibet etiam Ecclesiasticis personis contradicere*, 12. q. 2. & can. *Sine exceptione*, ibid. Hîc ergo valet illa Juris regula: *In re communi potior est conditio prohibentis*. At ubi commodum Ecclesiæ notoriè promovetur, non habetur ratio privati alicujus contradicentis, utpote non ex ratione, sed ex manifesta pervicacia: & sufficit ad ejusmodi alienationem Episcopi cum majore Capituli parte consensus, cap. *Ut super*, §. fin. de reb. Eccl. alien. In Jure Civili decernitur licere mortuum inferre in commune sepulcrum, aliis etiam quorum est sepulcrum invitis, Instit. de rer. divis. §. *Religiosum*, & l. *Cùm in diversis*, D. de relig. & sumpt. fun. Contra quàm scriptum est in cap. *In re communi*, de reg. jur. in 6. In re communi potiorem esse causam prohibentis.

XLV. Demùm ut Opus istud gemmeâ fibulâ concludatur, summam regulam tradit Apostolus: *Ut simus omnes in Christo Jesu nova creatura*, Gal. 6. vers. 15. statimque subjungit vers. 16. *Et quicumque* HANC REGULAM *sequuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israël Dei*. Idemque Apostolus sic prædicat 2. Cor. 15. vers. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*. Quem locum Theodoretus consuetâ peritiâ simul & brevitate sic exponit: *Oportet eos qui Christo crediderunt, tanquam in nova aliqua creatione vitam instituere: per sanctissimum enim Baptismum renovati, peccati senium exuimus.*

INDEX

INDEX RERUM OMNIUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Theoria & Praxi Juris Canonici pertractantur.

Prior nota arithmetica paginam literâ p, *designat; posterior numerum articulorum singulorum Capitum denotat.*

A

Abbas, Abbatissa, & Abbatia.

ABBATIS Commendatarii potestas circa sibi subditorum Monachorum translationem. p.100.6
Vide *Commenda.*

Abbatiæ claustrales possunt Secularibus Clericis conferri absque obligatione assumendi monastici instituti : sed in commendam solùm, non in titulum. p.117.5

Abbatibus quibusdam permittitur Tonsuram & minores Ordines conferre propriis subditis. p.350. & seq.4

Abbatissarum electio : vide *Electio.*

Abortus.

Abortum procurans fœtus animati, irregularis & homicida est ; secus si procuretur abortus ante animationem. p.599.6

Abortus procuratio fœtus inanimati nullatenus est tentanda ; animati autem prorsus est detestanda. ibid. & seq.7.8.

Absens.

Absens legitimè impeditus, interesse potest per procuratorem qui sit de gremio Capituli : vide *Capitulum, Elector.*

Absens localiter validè à censuris absolvitur. p.567.7
Vide *Censura.*

Absolutio, & Absolvere.

Absolutio pœnitentibus est deneganda, qui in præcedenti confessione injunctas pœnitentias adimplere neglexerunt. p.344.& seq.5

Absolutio non est ei impendenda, in quo nulla præcesserunt petitæ confessionis vel contritionis à Sacerdote perspecta, vel à circumstantibus attestata signa. p.318.10

Absolutio Sacramentalis Sacerdotis excommunicati tolerati, quanvis illicita, valida est; absolutio verò Sacerdotis excommunicati vitandi nulla & irrita est. p.567.8

in Absolutione majoris excommunicationis, ubi non intervenit damnum tertii, sufficit promissio, aut juratoria cautio pœnitentis. p.568. 10

Absolvendi facultates, tam generales quàm speciales, quantumvis in eis habeantur clausulæ generales & derogatoriæ, quomodo limitatæ à Sacra Congregatione ex mandato Clementis VIII. ibid.11

Absolutionis ab excommunicatione species duæ. p.569.12

Absolutio deneganda est ad restitutionem obligatis, & incorrectis. p.614.1

Accrescendi jus.

Accrescendi jus inter Episcopum, & Capitulum. p.228.17

Vide *Jus.*

Accusator.

Accusator in materia criminis capitalis quomodo possit se immunem ab irregularitate servare. p.595.19

Actio, Actor, & Agere.

Actio civilis ex mutuo consurgens vocatur Condictio certi. p.633.3

Actio hypothecaria quo tempore præscribatur, tam inter præsentes quàm absentes. p.637.8

Actor debet suam probare intentionem, alioqui ab actione repellitur, & reus absolvitur. p.429.10

Ad agendam alterius causam nomine procuratorio nemo admittitur, nisi sit conjuncta persona. p.430.11

Adoptio.

Adoptione cessante cessat impedimentum matrimonii ex ea exurgens. p.375. & seq.13.

Ad adoptionem faciendam quæ de jure conditiones requirantur. p.376. 14.

Adulter.

Adulter an teneatur credere matri filium ex se conceptum dicenti: & ad quid teneatur si indubitanter id credat. p.713.2

Ædituus.

Æditui Ecclesiarum qui sint: vide in verbo *Matricularius.*

Æquivocatio.

Æquivocationum usus an aliquando licitus. p.442. & seqq.11.12.& 13

Æquivocationes ex se sunt abusivæ, si justa non urgeat necessitas. p.446.1

Ætas.

Ætatis defectus excludit à Beneficiis. p.153.8

Ætas ad Episcopatum & alias majores Dignitates ac inferiora Beneficia quæ requiratur. ibid.& seq. 8.9

Affinitas.

Affinitas quid sit, & quomodo, & inter quos contrahatur. p.387. 22.23

Affinitatis arbor. ibid.24

Affinitas orta ex copula licita dirimit matrimo-

matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè ; ex illicita verò copula orta, usque ad secundum. ibid.25.
de Affinitate superveniente matrimonio contracto. ibid.
Affinitatis impedimentum in recta linea est ab ipso jure naturæ. p.388. 28.

Alienatio.

Alienatio rerum Ecclesiæ cuilibet est prohibita, inconsultâ Synodo, vel Capitulo : & quid alienationis prohibitæ nomine veniat. p.257.1
Alienantium res Ecclesiasticas pœnæ. ibid.2
Alienationis bonorum Ecclesiæ tres justæ causæ referuntur. ibid. & seq.4
Alienationis rerum Ecclesiæ solennitates requisitæ in Gallia referuntur. p.258.5
ad Alienationem rescindendam duplex Ecclesiæ competit actio.ibid.6
Alienationem bonorum Ecclesiæ potest impedire unius solius de Capitulo oppositio. p.259.7

Alimentum.

Alimenta Jure Canonico filiis illegitimis & naturalibus debentur, licèt secus Jure Civili. p.616.11

Ambiguum.

in Ambiguis absolutum debet abesse judicium. p.466.10
Ambiguitatum tres species. ibid.

Annata.

Annatæ possunt ex intentionum diversitate esse licitæ, aut illicitæ. p.504. & seq.21

Annus.

Annus Jure Francico conceditur ad tenendum Beneficia incompatibilia, & deliberandum de retinendo, vel dimittendo ; sed Jure communi statim atque secundi incompatibilis sumpta est possessio, vacat primum. p.169.8
Annalis possessor : vide *Regula de annali possessore.*

Apostolicæ litteræ.

Apostolicæ literæ vel rescripta : vide *Litteræ, Rescripta.*

Appellare, Appellatio.

Appellationum ab Ordinariis ad Romanam Sedem admissio gravem in Clero morum depravationem, & varia scandala invexit. p.78.1
Appellatio si interjiciatur à sententia Officialis Gallicani, qui extraneo Metropolitæ subsit, ad quem causa remittatur. ibid.& seq.2
Appellationes de quibus ordinario jure cognoscere posset Episcopus, ad Capitulum Sede vacante devoluntur. p.231.28
Appellari potest à Capitulo cui interfuit Episcopus tanquam unus ex Canonicis, ad ipsum Episcopum. p.236.7
Appellatio à sententia quando, & intra quod tempus interponi possit, & quantum tempus concedatur ad eam prosequendam etiam in Gallia. p.467.& seq.1.& 2
Appellare potest etiam post juridicam exequutionem in integrum restitutus per litteras Principis, & quanto tempore hoc beneficio gaudeat. p.468.3
Appellatio unius ex pluribus succumbentibus cæteris prodest, si victoria sequatur. p.496.6
Appellatio gradatim facienda est : ubi de appellationis ordine in causis

Ecclesiastici fori. ibid.8.& seq.
Appellatione non obstante potest Judex à quo ulteriùs procedere, si non teneatur appellationi deferre. ibid.9
Appellare ulteriùs non licet, si sententia à qua primùm fuit appellatum, duabus fuerit aliis sententiis confirmata. p.469.& seq.11
Appellatio non admittitur à sententia Officialis, aut Vicarii Generalis ad Episcopum. p.470.12
Appellatio non admittitur à sententia vel deliberatione Capituli ad Episcopum, si ei Episcopus interfuit tanquam Prælatus, secus verò si tanquam Canonicus adfuit. ibid.13
Appellatio regulariter duplicem vim habet. ibid.& seq.14
Appellatio in quibusdam casibus sententiam non suspendit. ibid.13.16. & seqq. & p.472.22.& 23
Appellationes tanquam ab abusu in Gallia, & quibus ex causis interjici possint. p.473.1
Appellatio à judiciis Prælatorum Ecclesiæ duplex, juxta Gallicanam Jurisprudentiam. ibid.
Appellationes tanquam ab abusu cœperunt sub finem Regni Ludovici XI. & ineunte Regno Caroli VIII. ibid. & seq.3
Appellationes ab abusu cautè debent à Secularis fori Magistratibus admitti. p.474.4
Appellans tanquam ab abusu, & malè fundatus, quomodo multandus: ubi circa hanc materiam variæ Regum Galliæ Constitutiones. p.475. & 476.5. & seqq.

Archidiaconus.

ab Archidiaconi judicio ad Episcopum datur appellatio. p.62.5
Archidiaconus oculus Episcopi dicitur : & quale sit ejus officium. p.66.20
Archidiacono facto per morbum, vel amentiam inhabili ad munia obeunda, non vacat ejus Dignitas, vel Beneficium. p.67.21

Archiepiscopus.

Archiepiscoporum privilegium in Pallii usu, & quando eo uti debeant. p.25.16
Archiepiscopi nec nomen, nec authoritatem habent, nec eis Pontificalia exercere licet ante obtentum ab Apostolica Sede Pallium. ibid.
Archiepiscopus potest intra provinciæ suæ, etsi extra propriæ diœcesis fines, Crucis vexillum ante se deferre facere. p.26.17

Arrha.

Arrhæ sponsalitiæ penes quem remanere debeant, non sequuto matrimonio. p.733.3
Arrhæ sponsalitiæ restituendæ sunt non sequuto matrimonio. ibid.

Attentio.

Attentio, licèt actus internus, ab Ecclesia in celebratione Missæ & Divini Officii recitatione præcipitur. p.163.9
Attentio triplex distinguitur, & quænam in Divinis peragendis requiratur & sufficiat. ibid.& seq.10
Attentio recitationi Horarum canonicarum prorsus necessaria qualis sit. p.681. & seq.15
Attentio quotuplex. ibid. & p.682.
Vide *Restitutio.*

Attritio.

Attritio supernaturalis an sufficiat ad justificationem in Sacramento consequen-

sequendam. p.299.& seq.6.7.& 8
Attritionis diversæ species. p.301.11
Ad attritionem Sacramento pœnitentiæ præviam necessarius est actus amoris Dei imperfectus.ibid. p.302

Author.

de Authoribus receptioribus hujus seculi, qui de probabilitate scripserunt. p.331.15

Vide *Probabilitas.*

B

Baptismus, & Baptizatus.

BAptismus characterem in anima indelebilem imprimit. p.268.1
Baptismi genus triplex. ibid.2
Baptizatus an aliquis fuerit si dubitetur, hic est sub conditione rebaptizandus. ibid.3
Baptismus validus est, etsi ad amussim Grammatices ejus forma non pronuncietur; si tamen servetur juxta communem intelligentiam verborum sensus & significatio. ibid. & seq.4
Baptismi effectus quinque. p.269.5
ad Baptismi gratiam suscipiendam prærequiritur fides in adultis baptizandis. ibid.6.
ad Baptismum necessariæ dispositioni opponitur fictio; quâ tamen cessante resultant omnes hujus Sacramenti effectus. ibid.7
Baptismus in Donatistarum schismate collatus validus erat; non operabatur tamen salutem quo tempore conferebatur, ex D. Augustino. ibid. & seq.8
Baptismi indignè suscepti gratia revivisit per subsequentem pœnitentiam. p.270.9
Baptismus collatus à quovis homine etiam non baptizato valet, si modò intentionem habuerit faciendi quod facit Ecclesia. ibid.10
Baptismi solius iteratio irregularitatem inducit: secus verò iteratio Confirmationis, vel Ordinis. p.601.& seq.11

Beneficium, & Beneficiarius.

Beneficium curatum an vacet ipso jure, sitque impetrabile, si de illo provisus suam post annum ad Sacerdotium promotionem distulerit. p.124.17.
Beneficiarii criminum rei an Beneficia validè resignare possint. p.163. & seq.1.& 2
Beneficiarius capitalis criminis reus & damnatus potest aliquando pendente appellatione à sententia condemnatoria validè Beneficium resignare. p.164.2
Beneficiarii propriâ authoritate Beneficia permutantes, eis ipso jure privantur. p.185.3
Beneficiario quæ expedienda supersint post obtentam Beneficii provisionem.p.212.1.& seqq.& 213.& 214
Beneficiarii assisii & mansionarii dicti quinam sint. p.229.21
Beneficiarii hæredes & successor quomodo Beneficii fructus, qui post ejus obitum supersunt, inter se dividere possint.p.238.& seq.5.6.& 7

Vide *Successor.*

Beneficiarii fructibus Beneficii abutentes minimè excusandi sunt à mortali. p.239.7
Beneficiorum collatio Episcoporum propria penitus est, eaque nondum Clerico conferri non debent. p.28. & seq.8.

Beneficium idem si duobus ab Episcopo & Vicario generali conferatur, altero alterius collationis inscio, quæ collatio prævaleat. p.64.10
Beneficium Ecclesiasticum quid sit, & quæ comprehendat. p.115.1
Beneficii nomen & origo unde ducatur. ibid.p.116
ad Beneficium constituendum quid requiratur. p.116.2
Beneficiorum divisio. ibid.3
Beneficia Regularia quomodo à Secularibus distinguantur. ibid.
Beneficia Regularia, & Claustralia possunt Secularibus Clericis in commendam conferri absque obligatione assumendi monastici instituti. p.117.5
Beneficiorum variæ divisiones. p.118. 7.& seqq.
Beneficium in Regno Galliæ vacat per Commendatarii obitum, & ita impetratur ac si fuisset in titulum: & quid juris alibi. p.119.14
Beneficia curata sunt alia actu, alia solo habitu; & an solo habitu curata legibus omnibus actu curatorum Beneficiorum subjiciantur. ibid.& seq.18.
Beneficiorum collationi quodnam sit præfixum tempus: & quod ad eidem præstandum consensum. p.121.34
Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. ibid.5
Beneficia quælibet, & majores & inferiores Dignitates intra quod tempus conferri debeant. p.122. 10.11
in Beneficiorum institutione, confirmatione, & permutatione nullum est tempus Canone præfinitum. ibid. 12
ad Beneficii resignati possessionem ineundam quod tempus præfigatur: ubi de praxi Gallicana circa hoc, & de regula de publicandis resignationibus agitur. p.122.& seq.13
Beneficiorum provisiones in Romana Curia per Signaturas duplicis generis fiunt, & qualis sit earum vis ad hoc. p.126.1
Beneficia Ecclesiastica intra quod tempus conferri debeant, ut ad alium superiorem collatorem jus conferendi non devolvatur. p.129. 13
Beneficium non censetur conferri, nisi re ipsa vacet, nec nisi acceptaturo. ibid.14
Beneficia conferendi jus ad Papam devolutum, an aliquando regrediatur ad Ordinarios. p.130.16
Beneficii ejusdem iterata collatio ob prioris errorem. ibid. 14.& 15
Beneficia litigiosa possunt recusari tam ab Indultariis, quàm à Graduatis. p.132.4
Beneficiorum collatores in Gallia non possunt plusquam semel in vita Regio Indulto gravari. p.133.7
Beneficia locorum muratorum Graduatis tantùm conferri possunt in Gallia. p.138.4
Beneficium juripatronatus subditum non potest alteri conferri sine Patroni consensu, quàm ei quem præsentaverit, si dignus sit. p.140.1.& 2
Beneficii provisio facta ad Patroni præsentationem propriè dicitur institutio. p.141.5
Vide *Iuspatronatus*, *Patronus*.

Beneficiorum provisio conditiones aliquas requirit, quarum defectu electio, præsentatio, institutio, aut collatio invalida est. p.150.1. & seqq.
ad Beneficium quem pater immediatè antè possedit, an possit admitti filius, vel nepos illius. p.151.4
de Beneficio eodem si plures provisi fuerint, quis sit [illegible]; & quid si provisio utriusque eadem die data sit. p.156.& seq.1.2
Beneficiorum unio quibus de causis fieri possit. p.157.4
Beneficium Patrono laïco subditum, alteri non potest uniri sine illius consensu. p.158.5
Beneficiorum uniones ab iisdem revocari & dissolvi possunt, à quibus fieri. ibid.& seq.6
Beneficia divisa, quorum unum annexam habet animarum curam, aliud verò ab ea sejunctum est, in Ecclesia Christi optabile valde esset denuò uniri. ibid.
Beneficiorum uniones per quas ipsa contra primævum statum & fundationem divisa redintegrantur, favore dignæ sunt. p.159.6
ad Beneficiorum unionem faciendam quomodo sit procedendum. ibid. 7. & 8
Beneficiorum unio quibus ex causis fiat, & qualis ejus forma in Gallia recepta sit. p.161.11
Beneficiorum uniones à quibus fieri possint. ibid.& p.162
Beneficiorum divisiones regulariter prohibitæ, aliquibus ex causis fiunt; & à quibus fieri possint. p.162.12
Beneficiorum resignationes à quibus Beneficiariis fieri possint. p.163. & seq.1.2.3.4
Beneficia quæ coram Episcopis, aliisve Superioribus permutantur, nullatenus subjacent Mandatis, Indultis, aut Expectativis. p.166.11
Beneficia incompatibilia ultra annum retineri non possunt. p.169.8
Beneficia Ecclesiastica debent sine diminutione conferri. p.170.1
Beneficium si resignetur, pensionis onus ad successorem transfertur. p.177.14
Beneficia diversæ diœcesis si permutentur, cujus Episcopi authoritas intervenire debeat. p.185.2
Vide *Permutatio.*
Beneficiæ permutantibus tantùm conferri possunt, admissa resignatione ex causa permutationis. p.186.8
ad Beneficium pristinum datur regressus, si permutatum Beneficium contingat evinci: & an ad hoc requiratur nova provisio. ibid. & seq.9
Beneficiorum vacationis modi diversi referuntur, & discutiuntur. p.217. 1.& seqq.
Beneficium Sacerdotio annexum vacat, si provisus intra annum ad Sacerdotium promoveri non curet. p.219.8.
in Beneficiorum vacatione per incompatibilitatem quis dispensare possit. p.221.12
Beneficia incompatibilia quænam censeantur. p.222.13.& 14.
Beneficia plura simul teneri possunt per Episcopi dispensationem. ibid. 15
Beneficiorum mentio quæ quis possidet, in quibus impetrationibus facienda

cienda sit. p.246.& seq.1
Beneficia plura tenere non est intrinsecè malum, nec prorsus indifferens, sed quandam speciem mali præ se fert. p.248.5
Beneficia duo utrâque incompatibilitate carentia simul teneri possunt, si unum non sufficiat ad decentem proviſi sustentationem : & quæ mala sequantur ex utriusque retentione, si unicum ad eam sufficiat. p.249.6
Beneficiorum plurium incompatibilium pluralitas spiritui Ecclesiæ valde repugnans, & ad mortale obligans. p.250.7
Beneficium unde Sacerdotale censendum sit, & quandonam inferioribus Clericis conferri possit. p.253.12
Beneficii regressus quando concedatur. Vide *Regressus.*
Beneficiorum quæ in regalia vacant petitorium & possessorium ubi ventilandum sit, juxta nova jura Gallicana. p.483.18.& 19
de Beneficiorum possessorio & petitorio judicio. p.453.& seq.
Beneficiorum collatio etiam in Gallia ita Prælatis Ecclesiæ tota competit, ut sine sacrilegio non possit ab alio quoquam usurpari. p.454. & seq. 4
Beneficium à Clerico possessum ipso facto vacat post contractum ab eo matrimonium. p.455.1
Beneficiarii quicumque quibus animarum cura incumbit, jure divino naturali tenentur ad residentiam. p.487.1
Beneficiarii curam animarum habentes quanto tempore possint à loco Beneficii abesse ; & an dum absunt faciant fructus suos. p. 488. 2. 3. & 4
Beneficiati in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis quanto tempore abesse possint, quin fructus Præbendæ amittant. p.489.5
Beneficiarii ob aliquas legitimas causas à residentia excusantur. ibid. & seq.7
Beneficia Ecclesiastica non conferre, non esse contra justitiam, opinio damnata est. p.498.10
in Beneficiis non potest distingui spirituale à corporali, ita ut unum pecuniâ rependi possit, aliud verò secus. p.502.17
Beneficia quare vendi non possint, sicut Calices, & aliæ res sacræ, aut spiritualibus annexæ. ibid. & seq. 18. & 19
in Beneficiis quibus animarum cura non incumbit, an possit minister dignus, posthabito digniore, præferri. p.677. & seq.7. & 9
Beneficia simplicia quibus animarum cura non incumbit, nec debent ex lege fundationis digniori, aut in concursu conferri, possunt minùs digno dari absque onere restitutionis. p.568.9
Beneficia Ecclesiastica per Signaturas, per Pontificia rescripta de providendo, aut per Romanas expeditiones nullatenus conferuntur actu ipso, etiam juxta praxim Gallicanam. p.609.& seq.7
si Beneficium sit aliis oneribus quam recitationi Horarum Canonicarum obnoxium, an possit aliquid de ejus fructibus sibi retinere Beneficiarius qui recitationem Officii omisit

omisit, & satisfecit aliis oneribus. p.680.13

Vide *Restitutio.*

Beneficiarius sacris non ordinatus, an quotidie teneatur ad Officii recitationem, si ejus Beneficium sit tenue, & victui insufficiens. p.689. 17

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institurione obtineri. p.740.1

Bigamia.

Bigamia vera, interpretativa, & similitudinaria quænam sint. p.592.4

Bigami quare ab Ordinibus arceantur. ibid.

Bigamia quomodo contrahatur. ibid. 5

Bonitas, & Bonum.

Bonitas quo major est, eo magis appetit ipsa in alios esse benefica. p.2

Bonitatem divinam allicit, mirificeque provocat ad commiserendum & opitulandum nobis humana miseria. ibid.

Bonitatem Dei & ejus dilectionem in res creatas, circulum admirabilem facere comprobatur in divinis Sacramentis. p.265.1

Bonum sui diffusivum. ibid.

Bona.

Bonorum Ecclesiasticorum quæ Episcopus habere potest, quadrimembris divisio, & de quibus tutâ conscientiâ disponere possit. p.241.9

in Bonorum discussione revocantur omnes alienationes anno discussionem præcedente factæ. p.721. & seq.12

Vide *Creditor.*

Breve Apostolicum.

Breve Apostolicum quid sit. p.17.5

in Brevibus fit mentio Annuli Piscatoris. ibid.

Breve Innocentii X. in causa Palafoxii Episcopi, & Jesuitarum provinciæ Mexicanæ refertur. p.41.& seq.8

Breve Alexandri VII. damnans quandam propositionem super approbatione, & potestate Regularium ad confessiones secularium audiendas. p.42. & seq. 9

Brodeus.

Brodei Scholiastis Loueti imperitia notatur in materia matrimoniali. p.402.7

Bullæ Apostolicæ.

Bullæ Pontificiæ quid sint, & quomodo sigillentur. p.17.6

Bullis aliquando appenditur sigillum è filis sericis, aliquando verò è filis cannabinis, & quare. ibid.

Bulla *Inscrutabili*, Gregorii XV. summariè exponitur. p.41. & seq.7

Bulla *Superna magni*, Clementis X. super facultate Regularium prædicandi, & audiendi Secularium confessiones, affertur. p.43.& seq.11

Bulla Gregorii XV. providens rectæ administrationi Sacramentorum, & Monasteriorum Monialium. p.57. & seqq.

Bullæ Alexandri VII. & Innocentii XI. damnantes propositiones laxas, perniciemque animabus inferentes, referuntur. p.332. & seqq.

C

Cadaver.

CAdavera defunctorum in Regno Galliæ passim & citra scrupulum exenterantur sine incursione excommunicationis. p.194.3

Cæcitas.

Cæcitas humani, nec supernaturali luce collustrati ingenii, quàm deploranda. p.1

Cambium, & Campsor.

Cambii definitio, & divisio. p.658.1

Cambia alia licita, alia illicita. ibid. & seq.1.2

Cambium locale, in quo solutioni præfiguntur primæ, secundæ, vel tertiæ nundinæ. p.659.3.4

Cambii summa lex, & servandæ conditiones. ibid.4.& 5

Cambium cum recambio quid sit, & an licitum. p.660.7

Cambium reale quomodo sit licitum. ibid. & seq.8

Campsor nihil à campsario exigere potest ratione laboris numerandi pecuniam, aut scribendi literas. ibid.9

Canon.

Canonum primâ collectio quæ, & à quibus procusa. p.6.2

Canonum variæ collectiones referuntur. ibid.& seq.

Canonum collectiones aliæ recensentur apud Hispanos & Germanos. p.8.5. & 6

Canonum collectio quæ apud Græcos in usu. p.9.20

Canones pœnitentiarum à quibus editi. ibid.

Canonum collectio apud Gallos quando cœperit, & quæ continebat. p.9.11

Canonum liber ad Carolum Magnum Galliæ Regem missus. p.10.12

Cantor.

Cantores Regiæ Capellæ quando fructus & distributiones aliarum, in quibus provisi sunt, Ecclesiarum lucrentur vel amittant. p.133.6

Cantores Regiæ Capellæ fructibus Præbendarum quas alibi possident potiuntur, quandiu præfixis sibi vicibus Regiæ Capellæ inserviunt. p.264.10

Capellania, & Capellanus.

Capellanorum obligatio circa Missas fundatas, & earundem applicationes. p.251.& seq.9

Capellaniæ quænam Sacerdotales, & quæ Clericales censendæ. p.253.12

Vide *Missa.*

Capitulum.

Capitulis quorumdam Beneficiorum collatio competit, sive ipsis solis, sive conjunctim cum Capite. p.128.10

Capitulum potest Sede vacante præsentatos à Patronis instituere, & alias exercere collationes, quæ sunt præsentis necessitatis. ibid.11

Capitulum Sede vacante an possit collationibus liberis se ingerere. ibid.& seq.12

Capituli major, & sanior pars unde sit æstimanda. p.227.14

Capituli consensus in alienatione rerum Ecclesiæ, & aliis à Prælato faciendis requiritur: & in quo differant quoad hoc *consilium*, & *consensus*. ibid.& seq.15.& 16

Capitulo quandonam competat jus conferendi Beneficia Sede vacante. p.228.17

Capitulum Sede vacante tenetur intra dies octo de Vicario Generali, vel Officiali Ecclesiæ providere, alioquin jure suo excidet. ibid.18

Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in aliquibus, etiam in jure concedendi Dimissorias ad Ordines,

Ordines, anno vacationis Sedis elapso. p.230.23. & 24
Capitulo competit Sede vacante jus aliquod Beneficia conferendi. ibid. & seq.26. & 27
ad Capitulum devolvuntur appellationes Sede vacante, de quibus ordinario jure cognoscere posset Episcopus. p.231.28
Capitulo multa jura Episcopalia Sede vacante competunt. ibid. & seq. 29. & seqq.
Capituli potestas quænam circa canonicas pœnas infligendas, & censuras ferendas Sede vacante, vel vivente Episcopo. p.233.39
Capituli major pars sumenda est per comparationem ad totum Capitulum. p.234.40
Capitulorum quorumdam jura referuntur circa provisionem Præbendarum. ibid. & seq.1
Capitula inferiora Cathedralibus non possunt prætendere jus simultaneæ collationis cum Episcopo. p.235.6
à Capitulo ad Episcopum an admittatur appellatio. ibid.7

Carcer.

Carceris pœnam pro obligationibus civilibus infligere prohibetur novis juribus Gallicanis, quibusdam casibus exceptis. p.485.33
Carcer de jure civili deputatur in reorum custodiam, de jure autem canonico etiam in pœnam & pœnitentiam. p.472.20. & p.612.11

Cardinalis.

Cardinalibus quale jus competat ad Beneficiorum collationem. p.126.3
Cardinales collatores sunt immunes à dispensatione regulæ de viginti circa Beneficia quæ sunt de Cardinalium ipsorum collatione. p.197.14
Cardinales Ordinarii non possunt præveniri, ne quidem in Beneficiis Patronatus Ecclesiastici, nec ubi Cardinali conjunctim cum Capitulo vel Monasterio jus competit conferendi. p.205.8
Cardinalium privilegium prædictum Senatusconsulto confirmatum. ibid. p.206
Cardinalium amplum Indultum conferendi Beneficia à substitutis, & à suis Commendis dependentia; excludensque quævis mandata, reservationes, & præventiones Apostolicas, & dispensationes regulæ de infirmis resignantibus. p.126.3. & p.197.14
Cardinales soli Papæ, aut majori Pœnitentiario poterant olim confiteri. p.291.4
Cardinales sunt Superiores, Prælati, & exempti. ibid.
Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenentur residere in propriis Episcopatibus. p.488.2

Casus reservati.

Casuum reservatio exspirat, uti alia odiosa, reservantis morte, vel abdicatione, nisi jam quis incurrisset in pœnam statutam dum vigebat Prælati potestas. p.72.11
Casus Papæ reservati in Galliæ Regno quatuor recensentur. p.571.3. & seqq.
Casus Episcopis partim à jure scripto, partim à jure consuetudinario reservati in Regno Galliæ quinam sint. p.572.10
Casus à jure communi Episcopis reservati sex recensentur. p.573. & seq.11

Casus unicus in toto Jure scripto Episcopis reservatus. p.575.19. 20

Casus Episcopis reservati post Canonici Juris compilationem. ibid. & p.576

Causa.

Causæ Fidei, & quæ circa Divina Sacramenta inter quaslibet, etiam laïcas personas agitantur, Ecclesiastici fori sunt in Gallia, ut in cæteris Catholicis provinciis. p.88. 15.& 16

Causæ omnes Ecclesiastici fori intra triennium à die motæ litis terminari debent, juxta Concilium Tridentinum. p.408.4

in Causarum judiciariis processibus quis modus tenendus, juxta nova jura Gallicana. p.480.& seqq.

Causæ personales quæ non excedunt summam ducentarum librarum, censendæ sunt summariæ in Officialitatibus, & sunt summariè tractandæ & judicandæ. p.483.2

Causarum variæ genera recensentur, quæ etsi ducentarum librarum, aut majorem summam excedant, quia tamen celerem provisionem requirunt, summariè dijudicandæ sunt. ibid.21

in Causa criminali quomodo adversus reum procedatur novo jure Gallicano. p.486.39

Causa semel affectata ad superius tribunal, non potest ad inferius devolvi, inconsulto superiore. p.741. 18

an Causa falsa adhibita dispositioni eam irritet. Vide *Demonstratio.*

Censura.

Censuræ à Prælato latæ, an ligent eo mortuo, vel ab officio amoto. p.72.10

Censurarum Ecclesiasticarum species tres recensentur. p.543.1

Censuræ aliæ a jure, aliæ ab homine, & quomodo inter se differant. p.545.7

Censuras ferre non potest, nisi qui est Clericus, & in externo foro Judex. ibid.8

Censuræ injustæ aliæ validæ sunt, & subditos ligant : aliæ invalidæ, & nullæ. p.546.10

Censura quæ non fundatur in culpa mortali personæ contra quam fertur, etiamsi falsa, quæ mortalis foret, causa fuerit sufficienter in judicio probata, nulla prorsus & invalida est apud Deum, nec conscientiam rei ligat. ibid.11

Censura materialiter lata contra innocentem, non obest ei quominus possit privatim, & secluso scandalo Missam celebrare, ac adhibita simili præcautione Sacramentum Pœnitentiæ administrare : ubi de censuris intolerabilem continentibus errorem. ibid. & seq. 12.

in Censuris tam à jure quàm ab homine ferendis, quæ formæ servandæ sint. p.549.1&

Censura quælibet debet ferri in scriptura, cum expressione causæ, p.550.21

Censura injusta potest esse multis modis : ubi etiam de modo tenendo quando agitur de declarando aliquem in censuram incidisse pridem à jure, vel ab homine latam. ibid.& seq.22

Censura præcedens electionem, aut provisionem Beneficii, facit eam invalidam

invalidam & irritam; sed collato jam Beneficio superveniens non inducit Beneficii privationem. p.555. & seq.8
à Censurarum incursu an excuset inadvertentia & oblivio. p.564.9
Vide *Ignorantia.*
à Censuris Papæ reservatis potest absolvere is qui facultatem habet absolvendi à casibus Papæ reservatis. p.565.2
Censuras Papæ reservatas, & publicè & notoriè incursas an possint absolvere Episcopi. ibid.3.4
Censuræ reservatæ incursæ ob peccata quæ quis ex oblivione non est confessus, remanent absolutæ dum confitetur Sacerdoti facultatem habenti circa censuras reservatas. p.567.6
Censuras Bullæ Cœnæ in diversis provinciis nec recipi, nec ligare diversi Authores approbati contestantur. p.570.1
ad Censuram aliquam incurrendam duo necessariò requiruntur. p.568. 46

Census.

Census vitalitius in favorem Religiosi constitutus, quatenus sit licitus. p.108.9
Census definitio traditur. p.662.1
Census alius resignativus, alius consignativus. ibid. & seq.2.
Census resignativi ab emphyteusi differentia. p.663.3
Census consignativus triplex. ibid.4
an Census personalis sit jure naturæ licitus. ibid.& seq.5
Census mixtus quis. ibid.6
ad Censum contrahendum conditiones requisitæ jure naturæ. p.664.7
Census vitalitius an licitus, & quæ sit in illo justa pretii taxatio. p.665.8
Census temporalis quis sit, & quomodo possit emi. ibid.& seq.9
in Censibus contrahendis & imponendis multæ requisitæ conditiones proponuntur. p.666. & seq.10
an Census jam constitutus augeri possit ex ejus pensionibus. p.667. 13
de Census emphyteutici, seu vitalitii solutione. p.669.18
Census prædiales, & census pecuniâ empti differunt in Gallia quoad pensionum non solutarum reliqua. p.670.21

Character.

Character distinctus à Sacerdotio an imprimatur in Episcopali Ordinatione; & quisnam sit major & dignior. p.24.11.& 12

Charitas.

Charitas Dei virtutum omnium fons. pag.3

Chrisma.

Chrisma pro Confirmatione debet necessariò ab Episcopo confici, nec potest illud simplex Sacerdos conficere, etiam ex commissione Summi Pontificis. p.373.6

Citatio.

Citationes omnes debent esse libellatæ in omni, tam Ecclesiastica, quàm Seculari jurisdictione, juxta nova Jura Gallicana. p.480.2
Citationis modus tenendus ab apparitoribus. ibid.3
Citationes eorum qui in ditionibus aliorum Principum degunt, quomodo fieri debeant in Gallia. p.481.4

Citationes iteratæ prohibentur in omni materia deserti vadimonii. ibid.6

Citatio circa Beneficii possessorium qualis esse debeat. ibid.8

Clausula.

Clausulæ vis in Signaturis, quod obstantiæ habeantur pro expressis. p.209.20

Clausula, *Sive quocumque alio modo Beneficium vacet*, quando quis sive per resignationem, sive jure devoluto Beneficium impetrare cupit, valde utilis est. p.223.19

Clausura.

Clausuræ Monasteriorum violatio etsi Supremæ Sedi reservata, ab Episcopis absolvitur in Gallia. p.575. & seq.21

Clericus.

Clericorum exemptiones ab oneribus personalibus & realibus referuntur. p.85.4. & p.86.8.9. & 10

Clericorum privilegia ex Regum Galliæ constitutionibus referuntur, & quid requiratur, ut his fruantur. p.87.11.12. & seqq.

Clericorum exemptiones ab oneribus juxta Caroli IX. Henrici III. & Ludovici XIII. Galliæ Regum Constitutiones. p.89.17. & seqq.

Clerici Gallicani non possunt cogi ad exhibendum titulos possessionum, aut proventuum Ecclesiasticorum, ex prædictorum Regum Constitutionibus. p.90.& seq.20

Clerici de quibus Beneficiorum fructibus validè per ultimam voluntatem disponere possint. p.114.6. & 7

Clerico de curato Beneficio proviso conceditur annus intra quem ad Sacerdotium promoveri debet, & à quo tempore currere incipiat. p.122.7

Clerico de duobus incompatibilibus Beneficiis proviso quale tempus præfigatur ad unum dimittendum. p.123.14

Clericus cui resignatum est Beneficium Capitulare, quomodo satisfaciat Regulæ de publicandis resignationibus. p.124.15

Clericis Nobilibus ex utroque parente minus studiorum tempus sufficit, ut jure Graduatorum ad Beneficia potiantur. p.138.5

Clericus non potest fori Ecclesiastici beneficio renunciare. p.426. & seq.1

Clericus si in una Diœcesi situm habeat Beneficium, & in alia delictum Beneficii privatione dignum commiserit, à quo sit eo privandus. p.428.6

Clericus criminis reus Beneficium habens Ecclesiasticum, utrum & qua ratione possit illud in alterius favorem abdicare. p.452.4

Clerici quibus competit jus declinatorium ad Ecclesiasticum Judicem, quinam censeantur in Gallia. p.455.1

Clericale privilegium per matrimonium amittitur in Gallia, & Beneficium antè possessum ipso facto vacat. ibid.

Clerici in Gallia quamvis fori privilegium habentes, in multis casibus non eximuntur à laïcorum jurisdictione. ibid.2

Clerici in Gallia gaudent fori Ecclesiastici privilegio in personalibus causis, secus verò in realibus: & quænam

quænam sint hæ causæ reales & personales. p.456. & seq.3.4.& 5
Clericorum criminales causæ à quo Judice discutiendæ, juxta praxim Gallicanam. p.457.6
à Clerico peti potest fori declinatio in quemcumque statum deducta sit lis. ibid.7
Clericus non potest exceptioni fori declinatoriæ renunciare. ibid.
Clericus potest à patre, vel præceptore citra peccatum & excommunicationem percuti, dum non excedatur notabiliter modus correctionis. p.494.12
in Clericum violentas manus ignoranter injiciens, excommunicationem non incurrit. p.563.5
Vide *Ignorantia.*
Clerico in causa sanguinis testificari non licet, neque ad id compelli potest: potest tamen testificari ad innocentis liberationem, petitâ Superioris licentiâ. p.595. & seq. 20
Clericus in sacris, & beneficiatus, in causa mortis & mutilationis ex jure licitæ, præter irregularitatem mortali etiam peccato implicatur: secus si nec in sacris, nec beneficiatus sit. p.595.18
Clericis in sacris quomodo Medicinam exercere liceat absque incursu irregularitatis. p.596.22
de Clerico duplicis canonum infractionis convicto casus proponitur. p.607. & seqq.
Clericus sine Diœcesani literis dimissoriis Ordines suscipiens, quàm graviter erret. ibid.2.3
Clericum alienum sine Dimissoris ad Ordines admittere multis Canonibus prohibitum. p.608.4
Clericus suspensus quam censuram celebrando incurrat. p.609.5
Clerici sine proprii Episcopi literis peregrè proficiscentes excommunicati. ibid.
Clericus qui per exercitium sacri Ordinis Ecclesiasticam censuram supergreditur, ipso actu irregularis efficitur. p.610.8
Clerici sine Dimissoriis ordinati, & in Curatum Beneficium intrusi pœna. p.611.10
Clerici Beneficiarii qui in profanis impendunt fructus Beneficiorum qui supersunt post condecentem ipsorum sustentationem, an ad eorum restitutionem teneantur. p.674. & seq.2. & 3
Clerici tria bonorum genera possidere possunt, & de quibus ad libitum disponere possint. p.676.4
Clericus stipendia accepta ob aliquod ministerium quod non persolvit, restituere tenetur: ubi etiam de stipendiis Missarum votivarum. ibid.5
Clericus Beneficiatus Officium recitans absque ulla virtuali, aut actuali attentione, an teneatur ad restitutionem fructuum Beneficii. p.681.14
Vide *Beneficiarius.*
Coadjutor.
Coadjutor cum spe futuræ successionis à solo Papa constitui potest. p.37.16
Coadjutor datur Archidiacono, & cuivis in Ecclesiastica dignitate constituto, per legitimum impedimentum ad proprium munus inhabili facto. p.67.21

Coadjutor à Papa providetur Episcopo Pontificale munus exercere non valenti : inferioribus verò Clericis quibus aliqua Cura, vel Officium incumbit, de Coadjutore providet Ordinarius. ibid. & seq. 21. & 22
Coadjutor Episcopo impotenti quibus ex causis providendus, & à quo postulandus. p.76.1. & seqq.
Coadjutorum jus & potestas. ibid. & p.77.2. & 3
Coadjutor Episcopi cum futura successione à solo Papa provideri potest. p.77.4
Coadjutores Parochorum, & Rectorum quibus animarum cura incumbit, ab Episcopo providendi. ibid. 5

Cognatio.

Cognatio triplex, ex qua oritur impedimentum matrimonium dirimens. p.373.6
Cognatio spiritualis inter quas personas intercedat. p.375. 10
Cognatio spiritualis an contrahatur à procuratore missio ad suscipiendum infantem de sacro Fonte, an verò à mandante. ibid. 11. & 12
Cognatio legalis est impedimentum dirimens matrimonium : ubi quomodo contrahatur. ibid. & seq. 13

Collatio.

Collationis jus à quo excidisse videbatur Capitulum, in duobus casibus non amissum. p.236.8
Collatio Beneficiorum adeo Prælatorum Ecclesiasticorum propria, ut non possit ab alio quoquam citra sacrilegium usurpari. p.454.4
de Collatione facienda inter filios in hæreditate paterna succedentes. p.707.6
Collatio locum habet hodie in quibuscumque liberis, ac etiam in successionibus quæ procedunt in stirpes. ibid.
Collatio jure Novellarum admittitur inter hæredes, sive testamentarios, sive ab intestato succedentes. ibid. 7

Commenda, Commendatarius.

Commendâ Papæ finitâ potest Ordinarius in Regno Galliæ ad libitum de titulo providere. p.110.7
Commendæ perpetuæ in eodem Regno solent cum Beneficiis in titulum collatis permutari. ibid.
Commendatario perpetuo omnia ferè jura permittuntur, quæ titularibus competunt. p.118.13. & seqq.
Commendatarius perpetuus in alterius Beneficii impetratione tenetur sibi commendatum Beneficium exprimere. p.119.16
Commenda ad vitam permutari potest cum titulari Beneficio. p.186.7

Commodatarius.

an Commodatarius teneatur de casu fortuito : vide *Pactum in contractibus appositum.*

Communicare, & Communio.

Communionis necessitas non præmissâ confessione, quibus casibus contingere possit. p.278.2
ad Communionem accedere semper præmissâ confessione, constans est & universalis Fidelium consuetudo. p.279.3
Communionem an impediant pollutiones nocturnæ, vel congressus conjugum. ibid. & seq. 4. 5. & 6
Communicaturus debet esse perfectè jejunus. p.280.7
Communio an impediatur per reliquias hesterni cibi, aut similia deglutita. ibid. & seq. 7. & 8

Commu

Communicare potest non jejunus urgente periculo mortis. p.281.9. & 11. & in pluribus aliis casibus. p.282.& seq.12

Communicare sæpius potest non jejunus æger in eadem ægritudine. p.281.10

Communio an sit concedenda iis qui prorsus amentes sunt, arreptitii, aut energumeni. p.285.3.& 4

Communio an sit deneganda peccatori petenti. p.286. & seq. 1.2.3. & 4

Communicans in divinis & sacris, aut civilibus & humanis cum excommunicato vitando, quam pœnam incurrat. p.559.4

Compositio.

Compositio ab Apostolica Sede obtenta quandonam valida sit, & solvendi obligationem tollat. p.717. 10.& 11

Compromittere, & compromissum.

Compromittere non possunt Conventuum absentium procuratores, sive deputati, nec transigere sine speciali ad hoc ipsum mandato. p. 226.11.

ad Compromissum capitulare conditiones necessariæ. p.227.12

Concessio.

Concessiones gratiosæ non exspirant morte, aut abdicatione concedentis, sed solæ pœnales & odiosæ. p.71.8

Concessionum variæ species proponuntur, & inquiritur an exspirent morte concedentis. p.476.477. & seqq.

Concessio potestatis particularis ad absolvendum certam aliquam personam à casibus reservatis, an exspiret morte concedentis. p.478.8

Vide *Privilegium.*

Concilium.

Conciliorum discrimen quadruplex recensetur. p.5

Concilia ex ampliori numero Episcoporum majorem authoritatem nullatenus nanciscuntur, sed semper nationalia œcumenicis cedunt.ibid.

Concilia priora quandoque posterioribus emendantur. ibid.

Concordatum.

Concordatum Bononiense inter Leonem X. & Franciscum Galliæ Regem circa Regias nominationes ad Consistoriales Regni Dignitates. p.135.1

Concordatum à Concilio Lateranensi approbatum. ibid.& seq.2

Concordati aliquæ conventiones recensentur, quæ in Regno Galliæ vim habent. p.136.& seq.6

Concordatum Bononiense quid instauravit in Graduatorum favorem: vide *Graduatus.*

Conditio.

Conditionum variæ species ex Jure Civili proponuntur: ubi etiam de conditione ob turpem causam. p.685.3

Conditionum jura cum obligatione restituendi extra repetitionem & judicium, unde proficiscantur. p.686.& seq.4.&5

Conditio.

Conditio apposita contractui, rescripto, privilegio, aut cuilibet alteri dispositioni, quid operetur. p.730.2

Conditiones impossibiles, aut bonis moribus repugnantes, pro non scriptis habentur, & quandoque

propter earum appositionem dispositiones irritæ fiunt. ibid.3
de Conditione, *Si non nupserit*, tam juxta jus vetus, quàm novum. ibid. & seq. 4

Cœmeterium.

Cœmeterium polluitur Ecclesiâ polutâ : cœmeterium verò alteri contiguum non polluitur altero polluto. p.605.15

Confessarius.

Confessarii ad libitum eligendi privilegium cui competat. p.295. 11. & 12
Confessarium eligendi facultas pro una tantùm vice, vel indefinitè à Papa facta, quando desinat. p.296. 13
Confessarius in conscientia tenetur absolutionem sub conditione illi impendere qui confiteri voluit, sed amissâ loquelâ, aut aliàs jam confiteri non pōteſt quum Confessarius advenit. p.317.8
Confessarius jure merito potest absolutionem recusare pœnitenti sic affecto, ut sciens alteram opinionem esse probabiliorem, & tutiorem, eligat tamen agere secundùm minùs probabilem, & minùs tutam. p.326.& seq.10
Confessarius non debet adigere pœnitentem ad oppositam opinionem, nisi ei persuasum sit, in ea adesse majorem probabilitatem & securitatem. ibid.
Confessarius tenetur absolvere pœnitentem, qui non vult abstinere ab opere quod secundùm probabilem piorum & doctorum, nec in Ecclesia reprobatam opinionem licitum est, quanvis juxta probabilem aliorum authoritatem, quam sequitur ipsemet confessarius, videatur minùs probabilis. p.329.& seq.13
Confessarius rei juridicè interrogati, sed renuentis suum coram Judice crimen fateri, operam debet quoad potest adhibere, ut reus suum illud crimen Judici interroganti manifestet. p.451.3
Confessarius an possit reum juridicè interrogatum, crimen suum coram Judice diffitentem absolvere. ibid. & seq.
Confessarii cauti esse debent ne inconsulta facilitate absolvendi confitentium injustitias ad restitutionem obligatorum foveant. p.613.1
an Confessarii quorum culpâ pœnitens non restituit id ad quod tenebatur, teneantur ipsi ad restitutionem. p.679.11
an Confessarius secundus injunctam à primo satisfactionem commutare, vel minuere ex justa & rationabili causa possit. p.343.2

Confessio.

Confessio Paschatis an possit fieri à quocunque apud quemcunque Confessarium ab Ordinario approbatum. p.296.13
Confessio sacramentalis divino jure instituta fuit in statu novi Testamenti, & in veteri præfigurata. p.304.1
Confessionis necessitas. ibid.& seqq.
Confessio sacramentalis ad salutem animæ necessaria. ibid.
Confessionis conditiones necessariæ. ibid.& seq.2
Confessionis integritas in quo consistat. p.305.& seq.4

in Confessione explicanda sunt peccata secundùm species morales, non physicas. p.306.5
in Confessione omnia peccata mortalia in specie & sigillatim sunt exprimenda. p.307.8.& seq.
Confessio peccatorum dubiorum an requiratur necessariò ad integritatem necessariam. p.311. & seq.15. & 16
Confessionis integritas alia materialis, alia formalis. p.314.1
Confessionis integritas materialis non est præcepta ad Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.
Confessionis integritas formalis quibus casibus sufficiat. ibid.& seq.2. & 3
in Confessione an liceat reticere peccatum quod exprimi aliter non possit, nisi manifestando peccatum complicis, ubi non est alius Confessarius cui complex sit ignotus? p.315.& seq.5
de Confessione dimidiata olim approbata, nunc verò reprobata. p.316.& seq.6
Confessio iterari debet propter aliquos defectus occurrentes ex parte ipsius pœnitentis. p.312.17
Confessionis invaliditas, aut ejus iterandæ obligatio non oritur ex omissione peccatorum quæ pœnitens nec tredebat, nec dubitabat esse mortalia. ibid.18

Confidentia.

Confidentia simoniaca in Beneficiis quid sit; & plura de confidentialibus conventionibus in materia beneficiali. p.535.10.& seqq.
Confidentia circa pensiones Ecclesiasticas eisdem pœnis subjicitur, quibus confidentia in Beneficiis. p.538.16

Confirmatio, & Confirmare.

Confirmatio debet ei conferri, de quo dubitatur an fuerit confirmatus. p.270.& seq.11
Confirmatio quid conferat confirmato. ibid.
Confirmandus non debet necessariò esse jejunus, nec præmittere confessionem. p.271.2
in Confirmatione contrahitur inter suscipientem & confirmatum spiritualis cognatio, quæ potest esse matrimonii contrahendi impedimentum dirimens. p.272.3
Confirmationis ordinarius minister solus Episcopus: at simplex Sacerdos potest ex magna & urgente causa cum Summi Pontificis immediata delegatione fieri Confirmationis extraordinarius minister. ibid.4
Confirmatio non potest conferri nisi cum Chrismate ab Episcopo confecto. p.273.6
Confirmationis forma. ibid.& seq.7
Confirmationis Sacramentum utrum debeat Fidelibus omnibus conferri, ibid.& n.8
Confirmatio quâ ætate convenientiùs conferatur. p.274.9

Confraternitas.

Confraternitates matriculariorum ad quid teneantur. p.245.6

Congressus.

Congressus experimentum, tanquam valde incertum, novumque in sola Gallia receptum inventum, Senatusconsulto Parisiensi vetitum. p.391.& seq.8
Congressus conjugum in alienis ædi-

bus ad judicandum de impotentia: vide *Communio*, *Impotentia*.

Consanguineus, & Consanguinitas.

Consanguinitatis gradus quomodo computandi; & quomodo in hoc differant Jus Civile, & Canonicum. P.373.7

Consanguinei & affines non admittuntur in testes, nec in judiciis causarum, usque ad quartum gradum. P.484.25

Conscientia.

Conscientia est judicium quo aliquid bonum, vel malum judicamus. P.320.& seq.

Conscientiæ distinctiones variæ. ibid.

Consensus.

Consensus utcumque liber an sufficiat ad matrimonii vinculum, & voti obligationem: vide in verbis *Matrimonium*, *Votum*.

Conservator.

Conservatores a Sede Apostolica dati, an subdelegare possint: ubi aliqua de eorum potestate. P.76.18

Consiliarius.

Consiliarii Curiæ Parisiensis ex vi Regii indulti provisi de Canonicatu, dum Curiæ ministeriis addicti absunt à Choro, privantur distributionibus. P.133.6.& P.264.11

Consiliarii prædicti canendo in Choro temporibus quibus Curia vacat, distributiones lucrantur. ibid. pag. 264.11

Consiliarius qui præcedentium injusto judicio suum addidit suffragium, ad quid teneatur. P.446.2

Consuetudo.

Consuetudo quæ apud quosdam irrepsit, impedire non debet quominus veritas prævaleat. P.13.3

Constitutio.

Constitutio Constantiensis Consilii circa censuras Ecclesiasticas affertur, & ejus mens exponitur. P.552.& seq.3

Constitutio prædicta quomodo sit recepta in Gallia. P.557.12

Constitutio prædicta permittens communicare cum excommunicatis toleratis, etiam in divinis officiis & Sacramentis, abolet quidem veterem Ecclesiæ prohibitionem, sed non naturalem juris divini. ibid. 13

Contractus, & Contrahens.

ut Contractus validè & ritè celebrentur, quænam requirantur, & quæ personæ contrahere possint. p.626.1

Contractus definitio, & divisio. p.620. & seq.5

Contractus nominati tribus contrahuntur modis. ibid.

Contractus quatuor qui re perficiuntur. ibid. & p.632.& seq.1

Contractus bonæ fidei, & stricti juris. p.621.7

Contractus liberè, & à personis idoneis celebratus, sine tamen solennitatibus Juris Civilis, an validus sit, & obliget in conscientia. p.623. & seq.2

Contrahentium alii de dolo & lata culpa tenentur; alii de levi; alii etiam de levissima, secundùm contractuum differentias. p.650.1

an Contrahentes teneantur de levi & levissima culpa ante Judicis sententiam. p.651.2

Contractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt; quidam dolum & culpam. p.695.& seq.1

Contritio.

Contritio & confessio partes essentiales sunt Sacramenti Pœnitentiæ. p.297.1
Contritionis definitio. ibid. & seq.2
Contritio duplex, & explicatur. p.298.3.4
Contritio est dolor de peccato super omnia cætera mala, propter Deum summè dilectum. p.302.12
ad Contritionem eliciendam quis amor Dei requiratur. p.303.13
Contritio perfecta valens statim sine Sacramenti susceptione justificare, non semper nascitur ex charitate, quanvis detestetur peccatum propter Deum super omnia dilectum. ibid.14

Contumelia.

Contumeliæ graves & mortales, & quæ ab appetitu irascibili proficiscuntur, quomodo in confessione accusandæ. p.313.19.& 20
Vide *Confessio.*

Creditor.

Creditores Gallicani non tenentur debitorum bona extra regni fines sita discutere. p.79.2
Creditorum in solutione servandus ordo proponitur. p.719. à n. 6. & seqq.& p.623.16
de Creditoribus hypothecariis, chirographariis & personalibus. p.620. & seq.
Creditores inter merè personales diligentia in petendo parit jus prælationis. p.621. & seq.13
Creditor hypothecarius pignus possidens, obtinere solet in judiciis contradictoriis contra creditores pariter hypothecarios. p.722.& seq.

Crimen.

Crimina matrimonium dirimentia quænam. p.376.& seq.2.3.4.5
ut Criminum impedimenta locum habeant, & matrimonium dirimant, quid requiratur. p.377.& seq.6
Crimen in judicio tribus modis intentari solet : & in criminalibus causis actor & reus tantùm per seipsos ad agendum & respondendum admittuntur. p.431. & seq.1. & 2
Criminaliter agi non solet pro levibus delictis, & injuriis. p.432.3
Et quid si reus non compareat, sed vadimonium deserat, aut citationibus obtemperans se judicio sistat : & multa alia de judiciario processu criminali. ibid. & seq.
Crimina Clericorum privilegiata quænam censeantur in Gallia. p.436. & seq.15
Crimina duo si sint admissa, privilegiatum & commune, uterque Judex separatim judicat, quanvis interrogatio rei & inquisitio conjunctim faciendæ sint à Judice Ecclesiastico & Laïco. p.437.16
Crimen privilegiatum à communi in multis casibus separari potest. ibid. 17
in criminibus mixti fori solet esse præventioni locus. ibid.18
Criminales causæ in Gallia ante prandium judicantur. ibid.& seq.19
in Criminalibus causis triplex inquirendi modus est : & quid requiratur præcessisse, ut licitum sit contra certam personam de crimine inquirere : ubi etiam de processu criminali. p.438.1.& 2
Criminum alia inducunt ipso facto

Beneficii privationem, alia non nisi per Judicis sententiam: & quænam sint. p.452. & seq.4. & 5

Culpa.

Culpa in contractibus à quo & quando præstari debeat. p.595.& seq.1

Culpa in foro interiori duplex distinguitur. p.596.2

Culpæ commensuratur pœna. ibid. & seq.

Culpam facientis habet qui quod potest corrigere, negligit emendare. p.741.15

D.

Damnificatio, & Damnum.

DAmnum reparare tenetur ipsemet qui intulit. p.447.3

Damni emergentis & lucri cessantis exempla referuntur, & an propter ea interesse exigi possit. p.642.9. & 10

Damno alterius cooperans tenetur illud reparare: ubi de modis alterius damno cooperandi; & an in casibus dubiis damnificans ad restitutionem teneatur. p.690.& seq.

Damnificationem injustam mandans aut consulens, sed ante exequutionem mandatum aut consilium revocans, an teneatur ad damni restitutionem. p.692.5

Damnum illatum ex proprii juris usu legitimo, an ab inferente reparari debeat. p.724.1. & seqq.

Damnorum ex simili usu datorum exempla proferuntur. p.725.3

Datarius.

Datarii evasio & negatio habetur pro Data in Gallia, dummodo de ejus recusatione constet: & quomodo jus ad Beneficium per Datam quæsitum caducum fiat. pag.211.31. & seqq.

Debitor.

Debitoris bona si distrahenda sint ad instantiam creditorum, quis ordo servandus in solutione. pag.735.& seq.10

Debitor per moram culpabilem non solvens quo tempore tenebatur, ad quid teneatur erga creditorem. p.711.& seq.1

Debitor à rei debitæ præsenti solutione plerumque excusatur ob justas & rationabiles causas; & quomodo possit esse justa hujusmodi dilatio. p.712.3

à Debitorum solutione causæ excusantes. p.713.à n.1.& seqq.

Debitor cessione bonorum non liberatur ab obligatione solvendi quod reliquum est, tam in interiori, quàm in exteriori foro: duo tamen per eam consequitur Juris beneficia. p.714.5

Decimæ.

Decimarum triplex genus recensetur, & quomodo in earum solutione fraus interveniat. p.254.1.& 2

Decimæ ex integris fructibus sunt solvendæ ante omnes alias præstationes. ibid.3

Decimarum jus an laïcis possit competere. ibid.

Decimarum jus nec tempore immemoriali sine justo & probato titulo præscribi potest à laïcis in Gallia. ibid.& seq.5

Decimarum infeudatarum à laïcis nulla est præscriptio in Gallia ab anno 1180. ibid.

Decimæ

Decimæ ex novalibus provenientes juribus Parochorum accrescunt. p.255.6
Decimarum solvendarum exemptio aliquibus Religiosis indulta jure communi. p.256.7

Decretum.

Decreta Fidei ligant quoscunque privatim illorum sufficientem notitiam habentes, quanvis nec promulgata, nec publicè recepta fuerint. p.14.& seq.6

Degradatio.

Degradatio actualis quid sit. p.589.2
Degradatio quid habeat supra totalem depositionem. ibid.
Degradationis modus juxta Concilium Tridentinum. p.590.3
Degradatio actualis, & depositio verbalis quomodo inter se differant. ibid.4

Delegatus.

Delegatus à Papa an possit subdelegare. p.10. & seq.19
Delegatus quomodo à Legato differat. p.72.& seq.1
Delegatus Principis non agnoscentis Superiorem in quibus casibus possit subdelegare. p.74.10
Delegati jurisdictio an per delegantis mortem exspiret. p.75.12
Delegati si plures sint à Sede Apostolica, an uno impedito cæteri possint in causa procedere. ibid.13
Delegatus à Papa quanto tempore possit causam reassumere postquam subdelegavit. ibid.14.& 15
de Delegati officio & potestate alia traduntur. ibid.16.17
Delegatus à Papa subdelegare potest, sicut & delegatus à Principe; secus verò delegatus ab Ordinario. p.425.11
Delegationis generalis & ordinariæ potestatis casus possunt subdelegari. ibid.
Delegatus debet in citatione tenorem inferere suæ delegationis. p.426.14

Demonstratio.

Demonstratio falsa, aut causa falsa adhibita in dispositione quandonam eam irritet. p.731.5.6

Denunciatio.

Denunciationes matrimoniales quomodo faciendæ. p.365.1
Denunciationes matrimoniales faciendæ sunt in utriusque contrahentium Parochia, si sint diversarum Parochiarum. ibid.2
à Denunciationibus matrimonialibus faciendis quis dispensare possit, & quibus ex causis. ibid.3. & p.366.4
Denunciationibus factis, & elapso quadrimestri, an novæ fieri debeant, ut possit contrahi matrimonium. p.367.7

Depositarius.

an Depositarius teneatur de casu fortuito. p.729.3

Depositio.

Depositio & degradatio quomodo inter se conveniant, & differant. p.589.1
Depositio quid sit. ibid.2
Vide *Degradatio.*

Devolutarius, & Devolutio.

Devoluti semestre non currit durante legitimo impedimento, neque vacante Sede. p.131.17.
Devolutio ab Episcopo ad Capitulum non admittitur in Gallia quoad jus conferendi Beneficia. p.129.& seq. 14.& p.230.22.

Devolu

Devolutionis terminus ab uno ad alium Collatorem qualis. p.235.5
Devolutarii quid observare debeant post impetratam provisionem super vacatione alicujus Beneficii, ut ad prosequendum prætensum devolutum admittantur. p.463.2
Vide *Beneficium.*

Deus.

Deus unus summum hominis bonum, & felicitas est. p.2
Dei cum homine consortio non obstat infinita inter utrosque disparitas. ibid.
Deus solus ut finis appetendus, in quem actus omnes, omnemque rerum præsentium usum dirigant mortales. p.2.& 3
Deus solus eligendus, quem præcipuè diligamus. p.3
Deus hominum exemplar vitæ activæ & contemplativæ. p.261.1

Diaconatus & Diaconus.

Diaconorum officium quodnam fuerit olim. p.348.& seq.1.& 2
Diaconis officium baptizandi jam non competit, nisi ex commissione Sacerdotis, vel necessitatis causâ. ibid.
Diaconi præcipuum ministerium juxta praxim tam præsentis quàm antiquæ Ecclesiæ. ibid.& p.349
Diaconatus an sit verum & perfectum Sacramentum. p.350.3

Dimissoriæ literæ.

Dimissoriæ proprii Episcopi non requiruntur ad Ordinationem in quatuor casibus. p.69.2
Dimissoriæ non sunt concedendæ ante ordinandi factam examinationem, & qui eas concedere possint, & quæ continere debeant. p.70 & seq.3.4.5.& 6
Dimissoriæ an per obitum concedentis, aut ejus ab officio amotionem revocentur. p.69.& seq.7.8

Dispensare, & Dispensatio.

Dispensatio non requiritur in voto, de quo quis dubitat, an illud emiserit. p.31.& 32.15.& 19
Dispensare non possunt Episcopi in quarto consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis gradu. p.410.& seq.6
Dispensare potest Ecclesia ob salubre animarum regimen in obligationibus divini juris, quibus quis adstringitur dependenter à propria & libera hominis electione. p.527.& seq.3
Dispensatio supremæ Sedis requiritur ad absolvendum Clericum duplicis canonum transgressionis reum, de quo casus refertur. p.608.4.& p.610.8

Dissidium.

Dissidium inter Theodorum Episcopum, & Faustum Abbatem Lerinensem subortum, quibus conditionibus à Concilio Arelatensi compositum. p.38.1
Dissidia gravia inter Episcopos & Regulares Gallicanos regnante Ludovico XIII. orta, interventu Armandi Richelei tandem amicè composita. p.44.12

Distributiones quotidianæ.

Distributiones quotidianæ statim ipso jure per absentiam amittuntur, nec debentur nisi solis iis qui personaliter divinis Officiis intersunt. p.489.6

Divortium.

Divortium quid sit, & quæ ejus species

ſpecies. p.415.1.& 2
Divortium quoad vinculum an dirimat conjugium. ibid.2
Divortium quoad torum, & quoad torum ſimul & cohabitationem non diſſolvunt vinculum nuptiale, & poſſunt ex diverſis cauſis fieri. p.416.3
Divortium propter adulterium ceſſat innocente parte offenſam conſorti condonante: ubi multa de adulterio. ibid.& ſeq.4.& 5
Divortium non poteſt fieri propter alios actus impudicos præter copulam, & niſi pars læſa certitudinem moralem habeat commiſſi adulterii: & quid ſi uterque conjux adulteratus fuerit, ſed horum unus ab hoc vitio pridem deſtitit, altero non emendato. p.417.6.7. & 8
Divortii variæ cauſæ. ibid. & ſeq. 9
Divortii ſufficiens cauſa non eſt lepra ſuperveniens alteri conjugum. p.418. 10

Dominica.

Dominica in locum Sabbathi ſucceſſit, & quid in ea Chriſtianis ſit agendum. p.261.1

Donatio.

ad Donationem cujuſlibet rei ritè faciendam duo neceſſariò requiruntur. p.502.& ſeq.18
Donationes ante nuptias factæ, ſolutis ſponſalibus revertuntur ad eum qui dedit, aut ejus hæredes. p.731.1
Donationes propter nuptias in Gallia inſinuationem requirunt. p.733.4
Donationes ob quatuor præcipuè cauſas revocari poſſunt. p.736.1
Donatio inofficioſa re ſimul & conſilio quænam ſit. ibid.
Donatio cauſâ mortis poteſt à donatore ad libitum revocari, etiam per tacitam ſignificationem. p.738.3
Donatio inter conjuges viventes facta invalida cenſetur, & tacitâ revocatione diſſolvi poteſt. ibid.4
Donationes inter conjuges morte donantis confirmantur. ibid.6
Donatio à patre facta filio emancipato valet; ſecus verò facta filio ſub patria poteſtate exiſtenti. ibid. & ſeq. 7
Donatio traditione perficitur. p.739.8
Donatio per minorem facta in gratiam nuptiarum cognati pariter minoris, an reſcindi poſſit favore minoris ætatis. p.737.1

Dos.

Dos ſuccedit in locum alimentorum. p.618.& ſeq.15
Dote priore amiſſa quandonam pater teneatur ad iterum dotandam filiam. p.619.16

Dubium.

contra Dubium ſpeculativum in communi illicitum eſt agere, cùm plerumque occurrat obligatio conſentiendi in oppoſitum. p.330.13
Dubium aliud ſpeculativum, aliud practicum: *vide Opinio.*

Duellum.

Duella Gallorum Pontificiis reſervationibus non emendata, quibus tandem remediis è Galliæ Regno eliminata. p.572.& ſeq.10

E

Eccleſia.

ECcleſia Romana quando cœperit habere ſuum Canonum Codicem. p.7.3

Ecclesiæ simpliciter exemptæ, sive Seculares, sive Regulares, an ab Episcopis visitari possint. p.39. 2. & 3

Ecclesia nullius Diœcesis, an possit ab Episcopo visitari, sive Secularis, sive Regularis sit. ibid. & seq. 4

Ecclesiæ curatæ Monasteriis & Religionibus annexæ, Ordinariorum authoritati, jurisdictioni, & visitationi subsunt. p.53.8

Ecclesiæ Ordinis Militum S. Joannis, quibus animarum cura incumbit, in quibus Episcoporum authoriti subjiciantur. p.55.12

Ecclesia nova nequit ædificari sine licentia Ordinarii, sive per Seculares, sive per Regulares. p.56.14

Ecclesiarum Parochialium Ecclesiis principalibus, aut matricibus unitarum mutua officia, & harum in illa jura honoraria. p.82. & seq. 10

Ecclesiæ jura & immunitates aliæ divini, & incommutabilis juris sunt, aliæ humani & Ecclesiastici, quæ recensentur & discutiuntur. p.83. 1. 2. & seqq.

Ecclesiæ quædam jura, & immunitates recensentur, de quibus dubitatur an divini, an humani juris sint. p.85. 4

Ecclesiasticæ personæ prædia quibus exemptionibus à Potestatibus sæcularibus, & quo jure gaudeant. ibid. & seq. 5. 6

Ecclesiarum unio duabus viis fieri potest, & quæ in Gallia recepta sit. p.161. 11

Ecclesiarum status si per erectionem mutetur, quorum consensus requiratur, & cujus authoritate id fieri possit. p.162.13.14

Ecclesia Regularis si in Secularem, vel econtrà erigatur, cujus authoritate id possit fieri. p.163. 15

Ecclesiarum instaurationi, & reparationi quinam contribuere teneantur, juxta usum in Gallia receptum. p.244. & seq.2.3.& 4

Ecclesiæ ornatus & reparatio incumbit matricularii: vide in verbo *Matricularii*.

Ecclesia aliquos actus etiam internos potest præcipere. p.263.9

Ecclesia debet consecrari, de qua dubitatur an fuerit aliquando consecrata. p.270.& seq.11

Ecclesia pœnas infligit tum spirituales, tum corporales. p.434.8

Ecclesiæ non licet pœnam sanguinis ulli inferre. ibid.& seq.9

Ecclesia decernere potest multas pecuniarias. p.435.11

Ecclesia Gallicana nullum habet jurisdictionis territorium, solis exceptis feudalibus territoriis, quæ possidet. p.458. & seq.9

Ecclesiæ Gallicanæ potestas circa exequutionem propriarum sententiarum & judiciorum. p.459. 10. & 11

Ecclesiæ ædificia vendi non possunt, sicut sacræ vestes, & vasa sacra. p.524. & seq.7

Ecclesiam ædificare nullus potest sine consensu Episcopi loci in quo ædificanda est. p.603.1

Ecclesiam ædificans, ad sufficientem ejus dotationem tenetur. ibid. 2

Ecclesia ædificata à quo benedici, vel consecrari debeat. ibid. 3

Ecclesia semel consecrata quibusdam in

in casibus potest denuò consecrari. ibid. & seq. 4. & 5
Ecclesia consecrata, vel solùm benedicta, polluta quomodo sit reconcilianda. p.605.14
de Ecclesiæ pollutione casus quidam notabilis proponitur, & deciditur. p.605. & seq. 16

Edictum.

Edictum Francisci I. ad colligendam verisimilem notitiam, & obviandum fraudibus recelantium obitum Beneficiariorum. p.204.24

Electio, & Electus.

Electionis Episcoporum antiqua & canonica forma non habet locum in Gallia. p.21.1
ad Electionem qui vocandi, & an absentes suffragium dare possint, & quomodo. ibid.2.& 3
Electionis triplex modus. p.22.4
Electionis per scrutinium forma antiqua abrogata, & nova per Trident. subrogata. ibid.
Electio intra quod tempus sit peragenda, & à Superiore confirmanda. p.22.6
Electio ad Beneficia fons & principium est omnis ferè boni, aut mali advenientis in Ecclesia. p.120.1
Electio Canonica nihil juvat, nisi confirmetur: quod jus electo tribuat, & de aliis ad eam requisitis. ibid. & seq. 2
Electus, vel institutus ab eo qui erat in quasi possessione præsentandi, vel eligendi, non est à Beneficio removendus, etsi postea elector vel præsentans suis juribus excidant. p.148.17
ad Electionem canonicam qui sint vocandi juxta hodiernam Galliæ consuetudinem; & quomodo per non vocatorum oppositionem irritetur. p.224.1.2
ad Electionem faciendam potest absens legitimè impeditus procuratorem constituere aliquem de corpore ipsius Capituli. ibid.2
Electionis forma per scrutinium à Concilio Trid.abrogata. p.225.5
ut Electiones omninò liberæ sint & secretæ quoad eligentium personas & suffragia, valde intendit Concilium Trident. & antea providerat Concilium Lugdunense.ibid.& seq. 7. & 8
Electiones meritò irritantur, si impediatur libertas suffragiorum, aut coarctetur numerus personarum passivi suffragii capacium. p.226.9
in Electione per compromissum tenentur compromittentes idoneum à compromissario electum acceptare: sed Procuratores singulorum Conventuum ad Capitulum deputati non possunt compromittere sine speciali mandato, quantumvis habeant generale. ibid. & seq. 10. & 11
in Electione per compromissum duo necessariò requiruntur. p.227.12
Electio assumendi ad Præbendam Theologalem, vel Præceptorialem, ad quem pertineat.p.228.& seq.19
Electio Pœnitentiarii solius est Episcopi. p.229.20
Electio Assistiorum, & Mansionariorum ad solum Capitulum pertinet. ibid. 21
Electio ordinandorum, & Pastorum Dominico gregi præficiendorum quàm cautè facienda. p.610. & seq. 9

Emphyteuta.

Emphyteuta non potest prædium emphyteuticum alienare inconsulto Domino directo. p.668.15

Emphyteutæ & vassallis pœnæ & jura communia. ibid.

Emphyteuta & vassallus in Gallia non incidunt in pœnam privationis, aut commissi ob omissam in alienatione denunciationem. p.668. & seq. 16

an Emphyteuta liberetur, fundo emphyteutico pereunte in totum, vel pro parte. p.669.19

Emptio, & Emptor.

Emptionis definitio. p.651.3

Emptor & venditor eodem jure gaudent, dum viliùs emendo, & cariùs vendendo non excedunt justum pretium, quoad forum externum. ibid.& seq.4. & 5

Emptionis & venditionis contractus consensu partium perficitur, & rei traditionem tantùm ad sui complementum requirit. p.653.8

Emptor rei furtivæ ad quid teneatur erga dominum ejus, cùm primùm scit, rem esse furtivam. p.656.14

Emptionis genus, quo mutuum cum augmento lucri supra sortem cumulatum obtegitur, prorsus improbandum & usurarium. p.657. 16

Emptor census non tenetur ad ejus diminutionem, oblata parte pretii à venditore ad illum per partes redimendum. p.667.& seq.14

Vide *Census.*

Epilepsia.

Epilepsia ante pubertatem contingens non facit locum irregularitati; secus verò epilepticæ affectiones post pubertatem contingentes. p.592.& seq. 8.& 9

Epilepsia post susceptos Ordines superveniens an impediat ab eorum exequutione. ibid. & seq.

Epilepticus an celebrare possit. p.593. & seq. 10

Episcopus.

Episcoporum postulatio quid sit, & ad quid prosit. p.22.5

Episcopus electus, aut à Rege nominatus, sed à suprema Sede nondum confirmatus; aut confirmatus, sed nondum consecratus, quid possit in Regno Galliæ. p.23.7

Episcopi consecratio quomodo facienda, & à quibus, & de unctione in ea adhibenda. ibid.8.& 9

Episcopus electus, etiamsi sit Cardinalis, consecrationem suam differens negligenter, quomodo mulctetur. p.23.10

Episcopi ex præscripto Trid. singulis trienniis ad Synodum per provincias convenire debent. p.25.15

Episcopis quibusdam Suffraganeis Pallii usus extraordinario privilegio concessus. ibid. & seq.16

Episcopus non potest extra propriæ Diœcesis fines contentiosam etiam in proprios subditos exercere jurisdictionem: secus de voluntaria. p.27.1

Episcopus in aliquibus casibus potest aliquid etiam ad contentiosam jurisdictionem spectans, in alieno territorio exercere. ibid.2.3.& 4

Episcopus est competens judex criminis admissi in propria Diœcesi, vel Beneficii litigiosi in eadem siti. p.28.5

Episcopi ea possunt in suis diœcesibus quæ

quæ nec divino juri opponuntur, nec sibi Papa reservavit. ibid.6
Episcopi præcipuum officium in visitatione diœcesis positum est. ibid.7
Episcopi possunt & debent Synodum diœcesanam quotannis convocare. p.29.10
de Episcoporum jure dispensandi circa censuras, irregularitates, matrimoniorum impedimenta non dirimentia, & circa vota. ibid. & seq. 11. 12. & 13
Episcopus quandoque etiam in voto castitatis dispensare potest. p. 30. 14
Episcopus potest dispensare in voto reservationis Papalis, si dubitetur an sit obligatorium. p.31. 15
Episcopus dispensans in voto Summo Pontifici reservato, non perimit, sed tantùm suspendit voti obligationem. ibid. 16
Episcopus potest dispensare in voto in alicujus gratiam emisso antequam sit acceptatum, secus postea. ibid. & seq.17
Episcopus etsi nondum consecratus, potest in votis dispensare statim ac ab Apostolica Sede est confirmatus. p.32.20
Episcopus potest alienum subditum à triennio familiarem ordinare, & minores Ordines conferre Dominicis, & Festis per annum, ac quacumque anni die primâ Tonsurâ initiare suscepturum mox Ecclesiasticum Beneficium. p.33.1.& 2
Episcopus confirmatus, necdum consecratus, quasdam potest Indulgentias concedere, & quædam jura pecuniaria subditis Ecclesiis, & Clericis imponere. ibid.& seq.3.& 4
Episcopis attributus titulus Apostolicorum Delegatorum est de jure ordinario, & ideo ab eis ad Papam non appellatur immediatè. p.34.5
Episcopi possunt ex causa prædicationem etiam Regularibus Exemptis interdicere, etiam in eorum Ecclesiis, & contra eos juridicè procedere. p.35. 6
Episcoporum potestas qualis circa divisionem, & unionem Beneficiorum. ibid.7.& 8
Episcopi ut Sedis Apostolicæ Delegati possunt facere uniones perpetuas Beneficiorum curatorum simplicium, ac Præbendarum, easque ad minorem numerum reducere. p.35. & seq.9
Episcoporum jura circa suppressionem, vel novam erectionem Parochiarum, & aliorum Beneficiorum; & circa Vicariorum creationem cum congrua portione. p.36. 10. 11. & seqq.
Episcoporum potestas circa exequutionem omnium piarum dispositionum, & visitationem quorumcumque piorum locorum. ibid. & seq. 14
Episcopus non potest coadjutorem constituere cum spe futuræ successionis. p.37.16
Episcopus nec jurisdictionem ullam habet, nec jus visitandi Regulares Ecclesias nullius Diœcesis, quantumvis curatas. p.39. & seq.4
Episcopi possunt limitatas ad certum tempus licentias audiendi confessiones secularium Regularibus exemptis concedere. p.45. & seq. 13
Episcopi revocare possunt facultates

quas ipsimet Regularibus concesserunt audiendi Secularium confessiones. p.46.15

Episcopus Biterrensis Diœcesim suam lustrans, dum Minoritarum Conventualium Ecclesiam & contiguum cœmeterium visitare aggreditur, commota à Franciscanis plebe vi repellitur. p.47.15

Episcoporum potestas in Monachos integris ferè duodecim seculis absoluta permansit. p.49.1

Episcopi possunt subditos Regulares visitare, & corrigere, quando eorum Prælati admoniti officio desunt. p.53.7

Episcopi jus habent visitandi quascumque Ecclesias quomodolibet exemptas. p.54.9

Episcopus potest denunciare Regularem exemptum in excommunicationem lapsum. ibid. 10

Episcopus appellatione remotâ componere potest controversias inter quascumque Ecclesiasticas personas de præcedentia ortas. p.55.11

Episcopus cognoscere debet de lite adversus Regularem in figura judicii terminanda, aut si Regularis extra Regulam deliquit. ibid. & seq. 13

Episcopus, aut ejus Vicarius explorare debent voluntatem puellarum antequam ad habitum, vel professionem religiosam admittantur. p.56.17

Episcopus ut suspectus recusari non potest eo ipso, quod ejus Vicarius, vel Officialis recusabilis est. p.64. 13

Episcopus novum Vicarium Generalem constituendo, an priorem revocare censeatur. 65.14

Episcopi extra Galliæ regnum degentes, Vicarios foraneos regnicolas constituunt. P.79.4

Episcopis etiam ante Episcopatum Monachismum professis fas fuit prioribus Ecclesiæ sæculis testamenta condere. p.112.& seq.4

Episcopis jamdudum de proventibus Ecclesiæ testari prohibitum fuit, quanvis postremis seculis hæc sacra disciplina conciderit. ibid. p.113

Episcopus potest Beneficium Regulare Seculari Clerico conferre. p.117.4

Episcopus an ante possessionem Episcopatus adeptam, aut post ejusdem resignationem possit Beneficia diœcesis conferre. p.126. & seq. 4. & 5

Episcopus excommunicatus caret jure conferendi. p.127.6

Episcopus iniquam Vicarii Generalis collationem reparare potest digno Beneficium conferendo. p.128.8

Episcopis data est facultas certis quibusdam casibus, ut possint absque ullo ad Sedem Apostolicam recursu, Ecclesias & Beneficia certis pensionibus onerare. p.171.5

an Episcopis omnibus potestas competat stabiliendi Beneficiarias pensiones. ibid. & seq.6. & 8

Episcopus an possit pensionem beneficiariam constituere, cujus onus etiam ad Beneficii successores transeat, vivente adhuc pensionario. p.182. & seq.3.4

Episcopus quando Capitulo interesse censeatur tanquam Episcopus, vel tanquam unus ex Canonicis. p.236. 7

Episcopus proprius triplici ratione constituitur. p.351.5
ad Episcopum originis quod attinet duplex ex jure communi consideratur origo. ibid.6
Episcopus qui alterius Episcopi subditum laicum clericali Tonsurâ citra licentiam initiavit, æquè suspensus est ac si alienum Clericum absque dimissoriis ordinasset. p.352.9
Episcoporum sacer ordo immediatè à Jesu Christo institutus ad regendam Ecclesiam. p.421.1
Episcoporum jurisdictio in omnes Fideles. p.422.2. & 3
Episcopi à secularibus non debent judicari: ubi de memorabili Constantini Augusti, & Valentiniani etiam Augusti facto in honorem Episcoporum. ibid.& seq.5
Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ Prælatorum potestas: vide *Potestas.*
Episcopos plures sortitus, si ab uno horum aliquem Ordinem susceperit, non potest ad alios recurrere pro cæteris Ordinibus suscipiendis. p.427.& seq.4
an Episcopus possit pecuniam exigere ad sacrum & spirituale Beneficium peragendum, ad quod ipse ex officio tenetur. p.523.5
Episcopi possunt constituere pensiones super Beneficiis propriæ collationis: sed disquiritur an hæc sacra potestas integra penes Episcopos perduret, an per non usum prorsus exoleverit. p.510.11.& 12
Episcopus in aliena diœcesi existens quam potestatem habeat ad ferendas censuras. p.545.9
Episcopus in propria Diœcesi existens qua ratione possit in alienum subditum censuras ferre. ibid.
Episcopi nullâ suspensionis, aut interdicti inflictivâ sententiâ, aut constitutione ligantur, nisi speciali exprimantur. p.586.31
Vide *Suspensio.*
Episcopi possunt ab omni suspensione absolvere, etiam quæ Papæ esset reservata, dummodo sit occulta. p.589.47
Episcopus non potest dispensare cum irregulari ex defectu, nisi in quibusdam casibus. p.591. & seq.3
Episcopis non licet dispensare in quarto consanguinitatis, vel affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibito gradu, ad matrimonium contrahendum. p.410.& 411.6
Episcopi tenentur residere in Episcopatu, & quanto tempore abesse possint: vide *Beneficiarius.*

Error.

Error nominis, aut falsa designatio non vitiat actum, nec rescriptum, modò de re constet. p.207.11
Erroris impedimentum, vide verbo *Impedimentum.*

Ethicoproscoptæ.

Ethicoproscoptæ apud D. Joan. Damascenum quale genus hominum sint. p.613.1

Eucharistia.

Eucharistia rationem habet Sacramenti & Sacrificii, sed non constituitur in ratione Sacramenti, nisi per Sacrificium. pag.274. & seq.1
in Eucharistiæ Sacramento Christus immolatur. ibid. & p.275.2

in

in Eucharistia duplex distinguitur sacrificium. p.276.3
ad Eucharistiæ perceptionem requiritur præparatio quoad corpus, & quoad animam. p.278.1
de Eucharistiæ sumptione multa. p.281. & seq.
Eucharistiæ sumendæ an sint capaces rationis usu carentes. p.284.1
Eucharistiam antiquis sæculis tribuebat infantibus Ecclesia. ibid.2
Vide in verbo *Communio.*

Examen.

Examen sub Ordinario debet præcedere sumptionem possessionis Beneficii alibi impetrati. p.213.3
in Examine recusatus appellare potest ad Superiorem qui debet instrui à recusante de causis repulsæ. ibid. & seq.
Examen ad confessionem sacramentalem prærequisitum, quale esse debeat. p.305.3
Vide *Confessio.*

Excommunicatio, & Excommunicatus.

Excommunicatione propter Clerici percussionem latâ remanente, tollitur ejus Papalis reservatio. p.491. & seq. 4
Excommunicatio nulla incurritur ex percussione Clerici vel Monachi, si fiat ab habente jus correctionis, dum non excedatur enormiter modus. p.494.12
Excommunicatio quid sit, & quotuplex; & quibus bonis Ecclesiasticis privet eam incurrentem. p.543. 2. & 3
Excommunicatio comminatoria, seu ferendæ sententiæ, quomodo distinguatur ab excommunicatione latæ sententiæ. p.544.4. & 5
Excommunicatio sub ambigua formula lata, an potiùs sit censenda ferendæ, quàm latæ sententiæ. ibid. & seq.6
ad Excommunicationis sententiam ferendam prærequiritur citatio. p.549. 19
Excommunicatio præcipuè debet ferri in scriptura cum expressione causæ. p.550.11
Excommunicationis effectus octo recensentur. p.552.& seqq.
Excommunicati vitandi quinam censeri debeant. p.552.& seq.3
Excommunicatio minor quid sit, & quomodo incurratur. p.558.& seq. 1. 2.& 3
Excommunicationis minoris effectus. p.559. & seq.5.& 6
Excommunicati litigantes absoluti in Senatibus Gallicanis ad cautelam. p.569. 12
Excommunicati in Gallia non excluduntur à litibus fori secularis propter excommunicationem, sive actorum, sive reorum partes sustineant. ibid.
Excommunicationes reservatæ in Gallia non receptæ, remanente tamen excommunicatione non reservata. p.571.& seq.8.& 9

Expectativæ literæ.

Expectativæ odiosæ. p.16.3
Expectativæ omnes, & mandata de providendo damnata, & revocata. ibid.

Expensæ.

Expensæ in ultima ægritudine & funere factæ, privilegio gaudent ut omnibus aliis defunctis creditoribus præferantur. p.719.5

Expositus.

Expositus.

Expositus an habendus sit pro legitimo, etiam quoad Ordines suscipiendos. p.329. 12

Extravagans.

Extravagans 1. de simonia, inter communes, decernens excommunicationem in eos qui pro ingressu Religionis aliquid dant, accipiunt, aut exigunt, non est recepta. p.520.& seq.17.& p.534.6

Extrema-unctio.

Extremæ-unctionis Sacramenti subjectum, materia, forma & effectus. p.345.1

ad Extremæ-unctionis materiam num requiratur de essentia Sacramenti, quod oleum sit ab Episcopo benedictum. p.346.2

Extremæ-unctionis solæ quinque sensuum unctiones de necessitate exiguntur. ibid. 3

Extremæ-unctionis essentia an perficiatur in qualibet unctione. ibid. & seq. 4

Extrema-unctio conferri debet ei qui solius peccatorum remissionis capax est, etsi aliorum ejus effectuum incapax sit. p.347.5

ad Extremam-unctionem dispositiones requisitæ quænam sint. ibid.6

Extrema-unctio non debet iterari, dum perseverat idem mortis periculum, & morbi status. ibid. & seq.7

de Extremæ-unctionis necessitate tam ex parte infirmi, quàm administrantis. p.348. 8

Extremæ-unctionis Sacramentum ministrare soli Parocho licet, vel de Parochi licentia. ibid.9

F

Facultas.

Facultates & licentiæ Regularibus concessæ Secularium confessiones audiendi, verbique Dei prædicandi, possunt ab Episcopis limitari, & prorsus adimi. p.46. & seqq. 14.15.16.& 17.

Felicitas.

Felicitas, summumque hominis bonum in solius Dei fruitione consistit. p.2

Festum.

Festa quomodo celebranda: vide in verb. *Opus.*

Fidei professio.

Fidei professio ubi & quando facienda, & insinuanda. p.214.4

Fidejussor.

Fidejussores perinde ac principalis debitor creditori sunt obligati; & quando conveniri possit fidejussor non excusso principali debitore. p.635.5

Filiusfamilias.

Filiifamilias in pubertate constituti contrahere possunt de bonis castrensibus, & quasi castrensibus, secus de profectitiis. p.626.1

Filiorumfamilias jura explorantur circa peculium castrense, quasi castrense, profectitium, & adventitium. p.627.3.& 4

Filiifamilias de quibusdam bonis disponere & testari possunt, quanvis de patria potestate non exierint. ibid. 5

Filiofamilias aliquid lucrante in paterna domo, an lucra ad ipsum pertineant, an verò patri acquirantur,

rantur. p.628.6.&7
Filiusfamilias nullam obligationem in Jure Civili contrahit ex mutuò accepta pecunia, dum erat in patria poteſtate. p.629. 8

Filius.

Filiis etiam legitimis immediata ad paternum Beneficium ſucceſſio prohibetur, ad quam à ſolo Papa diſpenſari poſſunt. p.151.& ſeq.4.& 5
Filii erga parentes ad quatuor præcipuè officia tenentur: ubi de filiorum obligatione ſubveniendi parentibus in neceſſitate conſtitutis. p.615. 7. & 8
Filius tenetur ob gravem parentum neceſſitatem ab ingreſſu Religionis abſtinere, & ab ea exire; cum aliquibus tamen limitationibus. ibid. & p.616
Filii naturales & illegitimi quomodo ſuccedant in bonis tam paternis, quàm maternis. p.616. & ſeq.12
Filius emancipatus liberum habet de bonis ſuis diſponendi arbitrium, tam inter vivos quàm mortis causâ, etiam ſine patris ſui conſenſu. p.627. 5
Filius non tenetur credere matri eum adulterinum dicenti. p.713.2
Vide *Filiusfamilias.*
Filiis prioris conjugii optimè proviſum eſt per Imperiales Conſtitutiones & Gallicana Edicta, ne bonis ſibi competentibus per ſecundas nuptias fruſtrentur. p.708.8

Forum.

Forum ſortiri poteſt aliquis diverſis modis. p.426.& ſeq.1
Forum ratione domicilii quomodo quis contrahere poſſit. p.427. 2. & 3
in Foro Eccleſiæ ſi Prælatus ſuſpectus ſit, ejus quoque Vicarius, & Officialis abſtinere debet à cauſæ cognitione: & ad quem re urrendum ſit in cauſa ſuſpicionis Judicis ordinarii. p.430. & ſeq. 13. & 14

Frater.

Frater ſororem germanam dotare & alere tenetur, ſi aliunde non habeat; non tamen uterinam. p.618. & ſeq. 15

Fructus.

Fructus, ſeu redditus Beneficii ſibi ſuperfluos non licet Clerico vel avarè reſervare, vel de iis ſive inter vivos, ſive poſt mortem diſponere aliter quàm ad pias cauſas. p.114.6.& 7.& p.240.8.& 9
Fructus Beneficii ſimoniacè accepti reſtitui debent ante omnem Judicis ſententiam. p.542.& ſeq.9
Fructus ex pignore percipere ſine ſortis diminutione permittunt Canones. p.646. 15

Furtum.

Furtum ad mortalem culpam ſufficiens, & ad reſtitutionem obligans, quodnam ſit, vide *Quantitas.*

G

Gabella.

GAbella ſuper victualibus ad uſum familiæ neceſſariis impoſita an ſit juſta: vide *Vectigal.*

Galli.

Galli præſertim Eccleſiaſtici privilegio gaudent dum intra Regnum verſantur, ne extra ejus fines litigare cogantur. p.781

Generales

Generales Regularium.

Generales Ordinum Regularium extra Regnum degentes, nequeunt Francigenas Regulares ad se citare. p.79. 3

Graduatus, & Gradus.

Graduatus intra semestre petere debet Beneficium vacans sibi conferri. p.124. 16

Graduati alii simplices, alii nominati dicuntur, & quod jus habeant ad Beneficia. p.138.2

ex Graduatis pluribus simul concurrentibus quis præferri possit. ibid. & seq. 5

Graduati tam simplices quàm nominati, quid agere debeant, ut jure suo ad Beneficia non excidant. p.139. 6

Graduatorum privilegia circa Beneficia in multis casibus vacant. ibid. 7. & 8

Graduatorum tam simplicium quàm nominatorum jus ad Beneficium vacans sex mensibus terminatur. p.140. 6

Graduum defectus quasdam ad Beneficia incapacitates parit. p.154. 10

Graduatorum nominatio extra Quadragesimam facta est irrita; & hoc etiam tempore literas suorum graduum cum aliis attestationibus tenentur quotannis exhibere Collatoribus & Patronis Ecclesiasticis, easque insinuare, sub pœna nullitatis pro illo anno. p.139. 6

Graduatorum privilegium cedit mandatariis Apostolicis, & Indultariis Regiis de Senatu Parisiensi, & privilegiis Regalistarum, & præventionibus Papæ. ibid.7

Graduati jus habent circa sola Beneficia per obitum vacantia, non verò per resignationem aut permutationem, neque ad primarias Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum Dignitates. ibid. & seq.8

Gratia.

Gratia cui annectitur particula limitans, finitur morte concedentis. p.477. 6

Vide *Privilegium, Concessio.*

Gravamen.

Gravamen irreparabile quodnam dicatur. p.472. 20

H

Hæres, & hæreditas.

HÆredes Beneficiarii quos fructus Beneficii percipere possint, & quomodo eos inter successorem in Beneficio dividere debeant. p.238. & seq.5.6

Hæredes Beneficiarii fructus Beneficii oblatos sibi quocumque jure recipientes an peccent. p.240.8

Hæres Beneficiarii quos Beneficii fructus lege conscientiæ ad pietatis opera destinare debeat, & intra quod tempus. ibid. p.241

Hæredes quæ Beneficiarii defuncti debita solvere, & onera subire teneantur. p.242.& seq.10.& 11

de Hæreditate usurarii. p.705. 2

Hæres ad omnia defuncti onera tenetur; non verò hæredes sigillatim in solidum. ibid.

Hæres succedens in jura defuncti, succedit etiam in onera, & una eademque persona cum defuncto in Jure censetur. ibid. 3

Hæres tenetur in conscientia obtem-

perare voluntati defuncti, quâ teſtamento expreſſit, ut faciat quod per Confeſſarium decernetur. p.705.& ſeq. 4.& 5

Hæredes legitimi ad ſucceſſionem ab inteſtato venientes, quinam ſint: ubi etiam de ſucceſſione in linea collateralium. p.709.11

Hermaphroditus.

Hermaphroditus poteſt ſecundùm ſexum prævalentem validum inire matrimonium? & ſi æqualiter ſit potens utriuſque ſexus, poteſt quem maluerit eligere ſexum, & ſecundùm illum nuptias inire. p.396. 17

Hermaphroditus an poſſit ſemel facta electione ſexus variare, & ſecundùm novam electionem validè inire matrimonium. ibid.

Hermaphroditi conjugio quandonam liceat Parocho ſuam exhibere præſentiam. ibid. 18

Homo.

Homo ſolus juris capax. p.11.1

Hominis primævâ innocentiâ perſiſtente, an fuiſſet introducta terræ diviſio, Regna, & Imperia. ibid.

Homini naturale eſt ut in ſocietate vivat multorum. ibid. p.12

Homines quomodo unum cum Deo fiant. p.265.& ſeq.1

Homines per Spiritus Sancti gratiam in filiorum Dei adoptivorum dignitatem & conditionem evehuntur. ibid. & p.266

Hypotheca.

Hypothecæ generalis & ſpecialis diſcrimen affertur, & quænam præferatur: & quæ ſit praxis circa hoc in provincia Provinciæ. p.636. & ſeq.7

Hypothecaria actio: vide *Actio.*

Hypothecæ privilegiatæ recenſentur, quarum ſolutio priùs facienda eſt. p.720 8

I

Ignorantia.

IGnorantiæ multiplices diſtinctiones referuntur. p.560.1

Ignorantia rerum ad proprium cujuſque officium ſpectantium culpabilis eſt. ibid.2

Ignorantia, inadvertentia & error poteſt quandoque in arte propria contingere citra culpam & offenſam Dei. ibid.& p.561

Ignorantia antecedens, concomitans & conſequens. ibid.& ſeq.3

Ignorantia culpabilis, tam juris, quàm facti, an excuſet à cenſura, vel irregularitate impoſita in pœnam. p.562.4.& 5

Ignorantia inculpabilis, ſeu invincibilis, tam juris pœnalis, quàm facti, eximit ab omnibus cenſuris. p.563.6

Ignorantia irregularitatum an eximat ab incurſu earum. ibid.7

Ignorantia concomitans eſt immunis à cenſuris, imò etiam ab irregularitatibus ex delicto naſcentibus. ibid. & ſeq. 8

Illegitimus, & Illegitimè natus.

Illegitimè nati regulariter ſunt Beneficiorum incapaces: ſed per Epiſcopi diſpenſationem minores Ordines, & Beneficia ſimplicia ſuſcipere poſſunt; majores autem Ordines & Beneficia curata ſolo diſpenſante Papa. p.151.2

Illegitimis Jure prohibetur quale-

cumque

cumque tenere Beneficium in eadem Ecclesia, in qua patres ipsorum aliud habent Beneficium, aut aliquando habuerunt. p.152.5
Illegitimi censendi non sunt quicumque nati extra matrimonium; nec nati ex conjugio in facie Ecclesiæ bona fide contracto, quanvis postea aliquod dirimens impedimentum detegatur: secus censendum de spuriis. p.415.13
Illegitimè natus sit capax sacrorum Ordinum per Professionem religiosam: sed non Prælaturarum. p.592. 6

Immunitas.

Immunitas Ecclesiastica triplex recensetur, & præsertim de locali agitur. p.91. & seq.21.& 22
Vide *Ecclesia.*

Impedimentum.

Impedimenta matrimoniorum duplicis generis referuntur, & quænam sint. p.368. 1
Impedimentum ex voto castitatis, aut Religionis. ibid. & seq. 2.3. & 4
Impedimentum catechismi quodnam. p.370.5
Impedimentum ex sponsalibus cum alia persona contractis. ibid.6
Impedimentum interdicti. ibid. & seq. 7
Impedimentum matrimonii ex tempore prohibito ab Ecclesia. p.371. 8
Impedimenta ex delictis non dirimentia. ibid. 9
Impedimenta quatuordecim matrimonium dirimentia recensentur. p.372.1
Impedimentum erroris explicatur. ibid.2.& p.373. 3
Impedimentum criminis: vide *Crimen.*
Impedimentum disparitatis cultus Jure Ecclesiastico introductum est. p.378.7
de Impedimento vis & metus. p.580. 1. & 2
Impedimenta Ordinis, ligaminis, & publicæ honestatis. p.385. & seq. 13.14.15.& 16
Impedimentum publicæ honestatis non cessat per liberam sponsalium ex mutuo consensu dissolutionem. ibid. & seq. 17
Impedimentum publicæ honestatis usque ad quem gradum pertingat. p.388.18.& 19
Impedimento publicæ honestatis locus est in matrimoniis clandestinis, secus verò in matrimoniis invalidis ex defectu consensus. ibid. & seq.20.& 21
Impedimentum impotentiæ: vide *Impotentia.*
Impedimenta matrimonium etiam sub ratione Sacramenti dirimentia, num possint per Principes, & Respublicas seculares induci. p.398. & seq.2.3.& 4.
Impedimentum raptus: vide *Raptus.*
in Impedimentis matrimoniorum duabus potissimùm de causis dispensari potest: & ex quibus causis dispensari possit in gradibus prohibitis. p.408. 1
in Impedimentis matrimonii dispensari non debet sine rationabili causa, nec quidquam pro dispensatione exigi. ibid.2
circa Impedimenta matrimoniorum quis regulariter dispensare possit, vel non. ibid. & seq. 3

in Impedimentis matrimoniorum quandoque dispensare possunt Episcopi, & alii Ordinarii. ibid. & seq.

in Impedimentis dirimentibus circa matrimonia irrita, bonâ tamen fide contracta, viget potestas dispensandi Ordinariorum: ubi quid circa matrimonia contrahenda, re adhuc integrâ. p.409.4

in Impedimento consurgente in quarto, aut tertio affinitatis, vel cognationis gradu, an possint Ordinarii in Regno Galliæ dispensare. p.410.5

in Impedimentis dirimentibus possunt ex justa & rationabili causa dispensare Ordinarii, non solùm ad priùs contractum, sed etiam ad contrahendum matrimonium, exceptis votis simplicibus, & absolutis perpetuæ castitatis & Religionis. ibid. 6

Impedimentum occultum quod sit. p.413.10

Impedimentum consurgens ex consanguinitate in primo gradu lineæ rectæ & transversalis, consurgit ex jure naturæ, contra quod non potest Ecclesia dispensare; secus verò in gradibus affinitatis, nisi fortè in lineæ rectæ primo gradu. ibid. & seq. 11

Impedimenta non dirimentia diuturnâ consuetudine abolita sunt, exceptis votis simplicibus perpetuæ castitatis, Religionis, sponsalibus præcedentibus cum altera vivente persona, & Ecclesiæ interdicto. p.414.11

Impotentia.

Impotentia constituens impedimentum dirimens matrimonium quænam censenda sit. p.389.1

Impotentia consurgens ex nimio viii calore rarò constituit perpetuum matrimonii impedimentum. ibid. & seq. 2

Impotentia alia perpetua, alia temporalis. p.390.3

Impotentia alia absoluta, alia respectiva. ibid.

Impotentia perpetua & absoluta matrimonium dirimit jure naturæ. ibid. 4

Impotentia temporalis matrimonium non dirimit: & quid si post contractum matrimonium dubitetur an sit perpetua, vel temporalis. ibid. p.390.5

de Impotentiæ judicio per congressum conjugum in alienis ædibus. p.391.6. & 7

de Impotentiæ judicio per Senatum Gratianopolitanum. p.392.9

ex Impotentiæ causa separati conjuges an jus habeant novum matrimonium contrahendi. p.393.10. & 11

Impotentia alia naturalis, alia ex maleficio distinguitur, ad elucidationem capitis *Laudabilem*, de frigid. & malef. & canonis *Si per fortiarias*, 33.q.1. ibid.12

Impotentia ex maleficio perdurans post exactum triennium, præsumitur perpetua simul & respectiva ad priorem uxorem. p.394.13

Impotentia sola quæ matrimonium antecedit, illud dirimit; secus verò post contractum matrimonium superveniens. ibid. 14

de Impotentiæ judicio instruendo, in quo non est facile mulieri conquerenti

renti credendum. p.397. 19
in causa Impotentiæ si nullatenus probari possit mulieris intentio, & vir neget se impotentem, partesque ad copulam requisitas habeat integras & illæsas, viro potiùs quàm mulieri credendum est post præstitum juramentum. ibid.20

Impubes.

Impubes qui quocumque modo Clericum vel Monachum percussit, potest per proprium Episcopum absolvi. p.493. 10
Impuberes an validè contrahant matrimonium, si in eis malitia suppleat ætatem: ubi malitiæ supplentis ætatem illustria exempla referuntur. p.395. 15
Impuberes utriusque sexus in causis criminum admitti possunt in testes, novo jure Gallicano. p.485. 34

Indultarius, & Indultum.

Indultum Regium circa Beneficia quid sit in Regno Galliæ. p.131.1
Indultariorum Regiorum privilegia novissimè aucta. ibid. 2
Indultarii Apostolici Regios; Regii verò Graduatos quoscumque Universitatum excludunt. p.132.3
Indultarii, tam Regii, quàm Apostolici nullum jus habent ad Beneficia per resignationem, aut permutationem vacantia. ibid. & seq. 5
circa Indulta & Indultarios quæ praxis servetur in Gallia. p.153. & seq. 8. 9
Indulta Regia quamvis collatori Beneficii significata, non annullant posteriorem vacantis Beneficii collationem, sed collatorem adstringunt ut Indultario provideat de pensione æqualis redditus collato Beneficio. p.134.10
Indultorum Regiorum jura pro Senatoribus, aliisque Officialibus Parisiensibus nunc toto Regno diffunduntur. ibid.
Indulta Regia pro felici ad Regnum adventu, ab Aulicorum ambitione, & adulatione introducta, quibus pluries Senatus Parisiensis fortiter obstitit. p.134.11
Indulta Regia, & Apostolica concedentis morte exspirant. p.135.20
Indultarii Regii de Senatu Parisiensi sumpti præferuntur quibuscumque Graduatis. p.139. 7

Infamia.

Infamia ex delicto etiam putativo & præsumpto irregularem constituit. p.598. 3
Infamia duplex. ibid.

Innocentia.

Innocentiæ statu perstante viguissent & bonorum divisiones, & Regna. p.11. & 12

Inobedientia.

Inobedientia etiam pervicax & criminosa à schismate distinguitur. p.97.5
Inobedientia erga Regulas Ordinis procedens ex contemptu mortalis est. p.99.9
Inobedientia circa materiam levem non excedit culpam venialem, ne quidem circa divina præcepta. p.104. 18

Insinuatio.

Insinuationes variæ ad Beneficia Ecclesiastica pertinentes recensentur, quæ Regum Edictis fieri jubentur. p.155. & seq. 3

Insinuationis genus quoddam est in Regno Galliæ, quo Graduati ad Beneficia Ecclesiastica aspirantes adstringuntur. p.156.4
in Insinuationibus rerum beneficialium, quæ exactè observanda sint. p.465. & seq. 8
Insinuationum tempora, & alia multa requisita. p.466.9
Insinuationis edictum despectui habetur apud probos Judices, nisi præsumptio falsi, vel fraudis urgeat. ibid.

Intentio.

Intentio in Missæ celebratione, & precibus recitandis requisita, quænam, vide verbo *Attentio.*
Intentio directa de procurando abortu fœtus inanimati, damnatur ut prohibita. p.600.8
Vide *Abortus.*

Interdictum.

Interdictorum possessoriorum species duæ distinguntur. p.453.2
Vide *Possessio.*
Interdictum Ecclesiasticum quid, & quotuplex sit; & quæ munia Ecclesiastica prohibeantur interdicti tempore. p.547.& seq.14.& 15

Interesse.

Interesse potest à mutuatario exigi, & de eo præstando potest creditor ab initio pacisci. p.642.9
Interesse ex damno emergente & lucro cessante potest quandoque propter mutuum exigi. ibid. 10
Interesse lucri cessantis an possit in mutuo exigi. p.643.& seq.11
Interesse potest in pactum deduci tribus concurrentibus conditionibus. p.644. & seq. 13.

Joannes de Poliaco.

Joannis de Poliaco errores damnati, & ab eodem execrati. p.295.9

Irregularitas.

Irregularitas quid & quotuplex sit, & quid ejus effectus. p.591.1.& 2
Irregularitatum ex defectu novem species recensentur. p.592.4
Irregularitati ex defectu locus est in energumenis, arreptitiis, dementibus, epilepticis & lunaticis. ibid. & seq. 8
Irregularitates variæ ex defectu animi & corporis. p.594.11. 12. 13. & 14
Irregularitas ex defectu lenitatis quomodo, & à quibus contrahatur: ubi ejus exempla. ibid.& seq.16
Irregularitas an ab eo contrahatur qui somno vel furore correptus alium occidit; vel mentis compos aggressorem interimit cum moderamine inculpatæ tutelæ; vel etiam invasorem alienæ vitæ. p.597. 24
ut Irregularitas ex delicto contrahatur, requiritur mortale peccatum, & actus externus consummatus. ibid. & seq.1.& 2
Irregularitas ex delicto multis modis contrahitur. p.598.4
Irregularitatem præcipuam ex delicto producit homicidii crimen: ubi distinctio inter mandantem, consulentem, & exequentem homicidium. ibid.& seq.5
Irregularitas ex mutilationis delicto nascens quâ mutilatione contrahatur. p.599.& seq.9
an Irregularitas contrahatur ex homicidio casuali. p.601.10.11
Irregularitas contrahitur violando aliquam

aliquam censuram Ecclesiæ per Ordinis exercitium. ibid. 12
Irregularitas non contrahitur ex iteratione Confirmationis, vel Ordinis, sed solius Baptismi. ibid. & seq. 13
an Irregularis censendus sit is qui dubitat aliquid fecisse, ex quo irregularitas non nascitur. p. 602. 14
Irregularitatis dubiæ effectus tantùm ad cessationem à sacro ministerio extenditur. ibid. 16

Itineratio.

Itineratio quocumque modo fiat, non est absolutè diebus Dominicis & Festis prohibita, sed tantùm ratione quarumdam circumstantiarum. p. 260. 5

Iudex, & Iudicium.

Judicibus aurea monita à Josaphat Rege traduntur. p. 3
Judex suo prævaricatur officio, si sponte litis victoriam adjudicet Parti, cujus videt jus esse minùs probabile. p. 323. & seq. 7
an Judex Ecclesiasticus possit reum crimen inficiantem torturæ addicere. p. 435. 12
Judex in tribus casibus censetur reum ex Juris ordine interrogare p. 450. 1
de Judicis recusatione. p. 460. 1
Judex Ecclesiasticus solus cognoscit in Galliarum Regno de petitione congruæ portionis, & de præcedentiis Clericorum, sive secularium, sive regularium. p. 461. 4. & 5
ad Judicem Ecclesiasticum solum spectat cognitio judicii petitorii decimarum. ibid. 6
Judex appellationis, si temerè appellatum sit, non potest causam retinere, & prioris Judicis sententiam authoritate sua exequi. p. 468. 5
Judex à quo potest ulteriùs procedere, appellatione non obstante, si non teneatur ei deferre. p. 469. 9
Judicis delegati potestas an exspiret morte delegantis. p. 476. 1
Judicibus prohibetur ad loca se transferre in casibus in quibus sufficit expertorum & prudentum æstimatio. p. 484. 24
Judex pretium accipiens pro ferenda justa, aut injusta sententia, an ad restitutionem teneatur : vide *Conditio.*
Judicium probabile ab Aristotele vocatur opinio. p. 323. 6
Judicia nocte exerceri vetitum est Constitutionibus Ecclesiæ, contra morem Areopagitarum Atheniensium. p. 437. & seq. 19
Judicium petitorium in causis Ecclesiasticis, non aliis quàm Ecclesiæ Prælatis competit; possessorium verò sibi arrogant Curiæ Regiæ in Gallia. p. 454. 4
Judicium possessorium nullatenus in Gallia possunt exercere Curiæ Regiæ circa provisiones beneficiarias in Romana Curia in forma *Dignum* expeditas. p. 462. & seq. 1
Judicium in causa devolutarii quando exercere possint Judices Regii in Gallia. p. 463. 2
Judicium criminale : vide *Crimen, Criminalis causa.*

Iuramentum.

Juramentum à Judicibus præstandum & Advocatis Justiniani lege. p. 3

Iurisdictio.

Jurisdictionis externæ actus Papæ re-

scripto demandatus cuinam committatur. p.20. 16
Jurisdictio voluntaria, & contentiosa quomodo inter se differant. p.26. 1
Jurisdictio completa & incompleta ad administrandum Eucharistiæ Sacramentum, & à quo detur. p.289.1
Jurisdictio ad confessiones audiendas quibus, & quomodo ab Episcopis & aliis Ordinariis conferri debeat. ibid. & seq.2
Jurisdictio nunc vigens in Ecclesia ad confessiones audiendas, quomodo differat à pristina. p.291. & seqq.
Jurisdictio contentiosa non potest extra proprium territorium ac districtum exerceri; jurisdictio verò gratiosa & voluntaria potest exerceri à Judice existente in alieno territorio. p.424. 8
Jurisdictio interioris fori requirit characterem. ibid.9
Vide *Potestas.*
Jurisdictio delegata contentiosa finitur morte delegantis, re adhuc integra. p.478.8

Iurisprudentia.

Jurisprudentia canonica, & theologica disciplina plura inter se communia habent, & in aliquo differunt. P.3
Jurisprudentia canonica dividitur in res Fidei, & in res quæ circa disciplinam versantur; jureque scripto, & non scripto constat. p.3. & 4
Jurisprudentia canonica apud Romanum Tribunal incrementa suscepit. P.7.4

Ius.

Jus Canonicum unde conflatum. p.6.1
Juris divisio ab Ulpiano tradita rejicitur. p.10.1
Juris anima & legis est ipsa ratio. ibid. & p.11
Juris variæ divisiones. p.11.2
Jus Civile quodnam dicendum. ibid.
Jus Canonicum quatenus à Civili differat, & cum eo conveniat. p.15.1
Jus Canonicum quid comprehendat. ibid. 2
Juris Canonici tractatio in sex libros distribuitur in hoc Opere. ibid. & seq. 3
Jura in rebus lege non definitis permulta relinquunt judicantis arbitrio. p.326.9
de Jure Regio in populum. p.700. & seqq.
Vide *Vectigal.*

Iuspatronatus.

Juripatronatus possessio acquiritur cum titulo colorato, & bona fide possessoris per præscriptionem, quam multæ præsentationes effectum sortitæ roborarunt. p.143. & seq. 14
Juspatronatus per successionem ad hæredes transmittitur, nullo habito sexuum discrimine, & semper hæreditarium præsumitur, nisi de oppositio constet. p.146.22
Juspatronatus etiam quoad proprietatem acquiritur per consuetudinem præsentandi; & quid ad hanc consuetudinem requiratur. ibid. & seq. 24
Juspatronatus tribus modis acquiritur. p.140.3

Juspatro

Juſpatronatus aliud Eccleſiaſticum, aliud Laïcum, & in quibus differant. p.141.4
Juſpatronatus Laïcum quomodo ab Eccleſiaſtico diſcernatur. p.142.8

Iuſtitia.

Juſtitiæ definitio & diviſio traditur. p.603.1

L

Laïcus.

LAïcus in cauſa mortis vel mutilationis ex jure licitæ ſolam irregularitatem abſque peccato incurrit. p.595.18
Laïcus Chirurgiam, aut Medicinam exercens juxta regulas artis ſuæ, non incurrit irregularitatem, etſi membrum reſecet, aut reſecari mandet. p.596.21

Largitio munerum.

Largitiones munerum Religioſis quæ licitæ, vel illicitæ. p.106.5

Laudemium.

Laudemium ex emptione & venditione cenſus non debetur; ſecus verò in emphyteuſi. p.667.12

Legatum.

Legata pia relicta in teſtamento nullo & invalido ſuſtinentur, & ſolvenda ſunt ab hærede. p.706.5
Legata pia etiam non aditâ hæreditate debentur. ibid.

Legatus.

Legati ſtatuta non exſpirant ejus morte; quâ tamen exſpirat ejus ſubdelegati juriſdictio, niſi jam antea præceſſerit citatio: idemque dicendum de quomodocumque finita legatione. p.72.9
Legati & delegati diſcrimen. ibid. & ſeq. 1
Legatorum Papæ tres diſtinguuntur differentiæ. p.73.2
Legati à Latere in quo conveniant cum veterum Romanorum Proconſulibus. ibid. 3
Legatorum & Nunciorum Apoſtolicorum poteſtas quandiu duret, & ad quæ ſe extendat. ibid. 4. & ſeqq.
Legatus à Latere an poſſit beneficiarias penſiones imponere in provincia ſuæ legationis. p.174.12
Legatus an poſſit admittere reſignationem Beneficii ſub onere penſionis. p.184.7

Lex.

Lex humana ligat etiam ſecundùm conſcientiam. p.12.1
Legis conditiones requiſitæ, quarum, vel alterius harum defectu nullatenus ligat. p.13.2.& 4
Leges non receptæ an obligent. p.14.5
Legis Aquiliæ capita duo. p.622.9
Leges civiles tuentur diſpoſitiones ultimæ voluntatis, quibus defunctus inutiliter de facultatibus ſuis diſpoſuit, dummodo de ipſius voluntate conſtet. p.625.& ſeq.7

Licentia.

Licentiæ Regularibus conceſſæ confeſſiones audiendi & concionandi, poſſunt ab Epiſcopis reſtringi, ad tempus limitari, & penitus auferri. p.46.& ſeqq. n.14. & ſeqq. ubi varii caſus circa hoc referuntur.

Lis.

Litis conteſtatio quomodo fiat, & qui ſint ejus effectus. p.428.7
Lite non conteſtata an procedendum

sit aliquando ad auditionem partium, vel ad sententiam definitivam; ubi etiam de Ordine judiciario. ibid.& seq.8.9

Litem contestari necesse non est ubi de plano proceditur, ac sine strepitu, & figura judicii. p.430.12

Lis quandonam contestata censeatur, tam Jure Gallicano, quàm communi. p.481.7

Litis cessio gratuita circa Beneficia litigiosa ab omni simoniæ labe pura est. p.509.8

Literæ.

Literæ gratiosæ & justitiæ quid sint, & quomodo inter se differant. p.18.8.& 9

Vide *Rescriptum.*

per Literas Apostolicas non potest quis ultra duas dietas extra suam diœcesim extrahi, nisi vel de Partium consensu impetrentur, vel aliter expressè in ipsis statuatur. p.19.14

Literæ provisionum beneficialium insinuandæ sunt apud tabularia Episcopalia, & intra quod tempus ab ipsarum data. p.212.1.

Literæ subrogationis quid sint, à quo obtinendæ, & quis earum effectus & vis. p.215. & seq.9.& 10

Literis subrogationis collitigantium obtentis à Papa intra mensem, necesse est præterea in Gallia obtinere literas Regias intra annum ad illarum effectum, hisque peractis potest etiam aliquis tertius alias literas in Romana Curia impetrare cum clausula, *si neutri, si nulli jus quæsitum sit*, ut aliis deficientibus is subrogetur. p.216.11. & seqq.

Literæ dimissoriæ an exspirent morte concedentis: vide *Concessio, Privilegium.*

Locus.

Loca exempta, & loca nullius Diœcesis, quantum in Jure differant. p.38. 1

Loci sacri pollutio: vide *Pollutio.*

Loci sacri reconciliatio non est necessaria, si ejus profanatio non est publicè notoria. p.605.11

Lucrum.

Lucra à filiofamilias in paterna domo facta cui acquirantur: vide *Filiusfamilias.*

Lucrum ex re aliena particulari alicujus industriâ factum, quod dominus rei non fecisset, cuinam acquiratur. p.661.& seq.1.2. & 3.

Lucrum cessans quid sit, vide in dictionibus *Damnum emergens*, & *Usura.*

M

Mandatarius, & Mandatum.

Mandatarius Apostolicus decem dies habet ad eligendum, utrum è duobus Beneficiis vacantibus acceptare velit. p.121.6

Mandatarii Apostolici præferuntur quibuscumque Graduatis, etiam in Beneficiis, quæ in Graduatorum mensibus vacant. p.139.7

Mandatum Apostolicum in jure frequens, & odiosum, quodnam. p.16. 3.

Mandata spontanea, & liberæ delegationes simplici notificata revocatione exspirant. p.48.17

Mandata procuratoria ad resignandum post anni lapsum, ut irrita rejicit

rejicit Cancellaria Romana, p. 124. 18

Vide *Expectativæ.*

Mandata Apostolica collatori Beneficii significata, ad quid eum adstringant. p. 134. 10

Vide *Indultarius, Indultum.*

Manuum injectio.

Manuum injectio in Clericum quâ pœnâ multetur; & qui in hac materia Clerici nomine comprehendantur. p. 491. 1. 2. & 3

Manuum injectio in Clericum triplex, & quæ excommunicationi subjaceat. p. 492. 5

Vide *Percussio.*

Mater.

Mater tenetur filium triennio majorem alere, & filiam dotare, si aliunde alimenta & dotem habere non possint. p. 618. 14

Matres jure scripto Romanorum ad successionem filiorum admittuntur, sed paulò aliter provisum est in Gallia per Constitutionem Caroli IX. p. 708. 9

Mater adultera quæ filium adulterinum marito suppositi, ad quid teneatur. p. 713. 2

Matricularius.

Matricularii, sive æditui conferre tenentur ad Ecclesiæ cultum & reparationem quas recipiunt eleemosynas, quarum rationem reddere tenentur Ordinariis, aut horum delegatis, non verò Officialibus laïcis. p. 245. 6

Matrimonium, & Matrimoniales causæ.

Matrimonium inter Episcopum propriamque Ecclesiam interveniens quatuor modis dissolvitur. p. 60. 1

Matrimonium quid sit, quomodo initietur, ratificetur, & perficiatur. p. 355. 1

Matrimonium magis consistit in animorum, quàm in corporum conjunctione. ibid.

ante Matrimonium denunciationes præmittendæ sunt in Ecclesia. p. 356. 5

ex Matrimoniis clandestinis, fictis & simulatis nulla nascitur obligatio sponsalium. p. 358. 9

Matrimonii minister essentialis non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes. p. 360. 1. 2

Matrimonii materia proxima & remota quænam. p. 361. 3

ad Matrimonii validitatem utrum requiratur mutuus consensus ad copulam. p. 362. 5. 6

in Matrimonio quod præcessit votum castitatis, perdurare potest dominium mutuum in corpora, sed tamen ligatum & impeditum: ubi etiam de matrimonio Beatissimæ Virginis cum Sanctissimo Josepho. ibid. & seq. 7

Matrimonium validè per procuratorem ante & post Tridentinum contractum est. p. 363. 1

Matrimonium per procuratorem contractum an validum sit, si mandans post mandatum inciderit in amentiam quæ perduret quo tempore procurator contrahit. p. 364. 4

Matrimonium contrahendum ter in Ecclesia denunciandum. p. 365. 1

Vide *Denunciatio.*

Matrimonium quandonam contrahi

possit, non præmissis denunciationibus. p.367.5
Matrimonium contrahendum impeditur assertione unius testis fide digni, & non suspecti circa matrimonii impedimentum, donec oppositum probetur. ibid. 6
Matrimoniorum impedimenta, vide *Impedimentum.*
Matrimonium illicitè contrahitur inter eos qui vovêre castitatem aut Religionem. p.368.2
Matrimonia tempore interdicti contrahi possunt. p.370.& seq.7
Matrimonia an penitus prohibeantur temporibus præscriptis ab Ecclesia. p.371.8
Matrimonium inter consanguineas personas usque ad quem gradum prohibeatur Jure Canonico, & in quibus possit dispensari. p.374. 8. & 9
Matrimonium baptizatæ personæ cum non baptizata irritum est Jure Ecclesiastico; secus de matrimonio Catholicæ personæ cum hæretica. p.378.8
ut Matrimonium Catholicus licitè cum hæretica contrahat, an semper sit necessaria dispensatio. ibid. & seq. 9
Matrimonia Catholicorum cum hæreticis non debent permitti in Gallia. ibid.
Matrimonium ab infidelibus contractum an possit dissolvi ab eo qui ad fidem convertitur, altero nolente ad fidem converti. p.379.10. & 11
ad Matrimonii vinculum non sufficit consensus utcumque liber, & qualis metus sufficiat ad eum invalidandum. p.381.5
ut Matrimonii promissio obliget, debet fieri cum voluntate se obligandi. p.383. & seq.10
Matrimonium fictè promittens adhibito juramento emisso animo jurandi, quanvis careat intentione fictè promissi matrimonii contrahendi, tenetur nihilominus matrimonium illud contrahere: secus verò dicendum si fictum quoque esset juramentum. p.384. & seq. 11. & 12
Matrimonia ex defectu consensus invalida nullum pariunt publicæ honestatis impedimentum. p.386.21
Matrimonium senis planè decrepiti, vel ægrotantis morbo incurabili, an sit validum. p.394. & seq. 14. & 15
Matrimonium impuberum an sit validum: vide *Impubes.*
Matrimonio contracto à puberibus, quomodo sit computandum triennium experientiæ, si de eorum impotentia dubitetur: ubi de malitia supplente ætatem. p.395. 16
Matrimonium clandestinum irritum est jure novo Concilii Tridentini. p.398.1.& p.402.& seq.7
Matrimonia filiorumfamilias absque consensu parentum inita, Constitutionibus Regum in Gallia prohibita: ubi de vero intellectu Regiarum Constitutionum, & articuli 40. Blesensis circa hanc materiam. p.400.& seq.4.5.& 6
Matrimonii nullitas proveniens ex defectu conditionum quas requirit articulus 40. Blesensis Constitutionis, nullatenus attingit ipsum Sacramentum. p.402.7

Matrimonia filiorumfamilias in quibus patris consensus non intervenerat, jure civili Romanorum irrita erant. p.403.8

in Matrimoniis filiorumfamilias necessarius est tutorum, curatorum, & proximiorum cognatorum assensus in Regno Franciæ. ibid.9

in Matrimoniis liberorum non est necessarius præcedens & expressus parentum assensus. p.404.10

Matrimonium absque præmissis proclamationibus contractum, Blesensium Conciliorum articulo 40. decernitur invalidum: ubi de aliis requisitis juxta prædictum articulum. ibid. 11

ad Matrimonii validitatem an sufficiat Parochi etiam inviti præsentia, etiam in Gallia. ibid.& seq.12

Matrimonium cui Parochus unius contrahentium assistit intra propriæ Parochiæ fines, validum est. p.406.18

ad Matrimonium contrahendum quis censeatur proprius Parochus. Vide *Parochus.*

Matrimonio in gradibus prohibitis contracto vel consummato, an indulgenda sit dispensatio. p.412.8

si Matrimonium coram Parocho & testibus bona fide initum, comperiatur tandem invalidum propter aliquod dirimens impedimentum, necesse est, ut post impetratam dispensationem, aut impedimenti cessationem, Partes mutuum inter se denuò consensum renovent. p.412. & seq.8

Matrimonium per vim contractum spontaneâ cohabitatione convalescit. p.743.34

Matrimoniales causæ jure communi & usu Gallicano ad Ecclesiæ cognitionem pertinent. p.460. & seq.3

Medicus.

Medicus munus suum non implet, qui remedium efficacius quod ad manum habet, ægroto non exhibet, ut aliud administret, quod minùs probabiliter proderit. p.327. & seq. 7

Mendacium.

Mendacium officiosum non est licitum. p.441.& seq.9.& 11

Mendacii definitio juxta mentem Divi Augustini. ibid.10

à Mendacio excusantur sanctissimi homines in Scriptura laudati, etsi videantur mendacium protulisse. p.442. 11

ad Mendacium fugiendum licitum est uti verbis amphibologicis, urgente justa causa & ratione. ibid. & p.443. ubi aliquot Sanctorum doctrina, & facta circa hoc adducuntur.

Mendacium non eousque devitandum est, ut ejus vitandi causâ publica fides violetur. p.446.1

Meretrix.

an Meretrix possit turpitudinis suæ pretium retinere: vide in dictione *Condictio.*

Meritum.

Merita solius Christi cunctis applicari possunt, aliorum verò soli operanti. p.344.3

Metropolitanus.

Metropolitanorum præeminentia, & jurisdictio in Suffraganeos Episcopos. p.24.13

Metropolitanorum jus totam provinciam, & suffraganeorum Diœceses visitandi

visitandi valde imminutum, & ferè penitus ademptum. ibid.13
Metropolitæ possunt in tota provincia sua Crucis vexillum ante se facere deferre. p.26.16

Metus.

Metûs minor causa sufficit in fœmina quàm in viro. p.380.1
Metus : vide in verbis *Matrimonium, Impedimentum.*

Minister.

Minister minùs dignus quandonam digniori præferri possit, absque peccato conferentis Beneficium. p.677. 6
Vide *Beneficium.*

Minor.

Minor 25. annis de Beneficio provisus capax est ad agendum in judicio sine authoritate, vel assistentia tutoris vel curatoris. p.482.14

Missa.

Missarum applicatio an libera sit Capellano vel Ecclesiæ Rectori, ubi non constat de certa Fundatoris intentione. p.250.& seq.8
Missa perpetua & quotidiana si fundata sit, an adstringatur Capellanus quotidiè per se, vel per alium celebrare. p.251.9
Missarum quotidianarum fundatarum induciæ, & intermissiones diversimodè à Summistis, & Canonistis assignantur. p.252.10
Missarum induciis absque stipendii diminutione quandonam locus sit. ibid. & seq.11
Missæ audiendæ præceptum quale à Christianis exigat officium.p.261.2
Missæ auditioni an satisfaciat qui simul obligationi Divini Officii recitandi, vel injunctæ à Confessario pœnitentiæ satisfacit. ibid.3
Missæ audiendæ præcepto an satisfaciat qui tempore celebrationis ejusdem Missæ peccata sua sacramentaliter confitetur. ibid.4
Missæ duas medietates à duobus Sacerdotibus audiens, an præcepto satisfaciat, vel qui ad breve tempus discedit, ut deferat candelas, vinum, aquam, aut similia requisita. p.262.5.6
Missæ audiendæ quænam pars omissa pertingat ad mortale. ibid.7
Missam celebrans tempore recitationis Officiorum Chori, non lucratur distributiones ejus Officii quod tunc in Choro canitur, nisi id fiat ex aliqua rationabili causa, approbante Prælato. p.162. & seq.8. & p.490. 8
Missarum stipendia quibus Sacerdos non satisfecit, aut quarum celebrationem nimis distulit,ita ut non profuerit secundùm intentionem stipem dantis, restituenda sunt. p.683. 18
Missæ valor triplex distinguitur. ibid. & seq.19
pro Missa unica non potest accipi duplex stipendium, quin teneatur Sacerdos onere restituendi. ibid.
Missarum votivarum stipendia, aut onera quotidiana : vide *Clericus.*

Missio in possessionem.

Missio solennis in possessionem Beneficii postremò requiritur, quæ tamen prærequirit ad consistorialia Beneficia literas magni Sigilli Regii. p.214.5
Missionis in possessionem Beneficii forma, & subsequens insinuatio. ibid. & seq.6

Missio in possessionem non est actus personalis, & fieri potest per procuratorem. p.215.7

Mobilia.

Mobilia cultui divino destinata, aut deservientia ad necessarios usus constitutorum in Sacris, pignori capi, vel distrahi non possunt: & quid de mobilibus agricolarum. p.485.31. & seq.

Monachus.

Monachi etiam ex levibus culpis possunt à Superioribus causâ correctionis, citra peccatum & excommunicationem percuti. p.494.12

Monasterium.

Monasterium inopiâ laborans potest absque labe simoniæ paciscì super alimonia ejus qui suam in Religione prosequitur admissionem, & cujus victui suppeditare non sufficit, modò non plus petatur quàm opus sit. p.515.6.& seqq.

Monasteriis divitibus non licet pacisci titulo alimentorum ante admissionem postulantium: ubi quomodo in hac materia taxandæ sint Monasterii facultates temporales. p.518.& seq. 12. & 13

Monialis.

Monialis futuræ voluntas ab Ordinario exploranda ante habitus susceptionem & professionem. p.96.11

Moniales à quibus clausura violata est, non possunt ab alio quàm à Supremo Pontifice absolvi; secus tamen in Gallia. p.565.& seq.4

Monitorium.

in Monitoriis ad criminis testificationes eliciendas non debet reus nominari, nisi per voces individui vagi. p.551.24

Monitoria non sunt pro re levi decernenda: & quæ taxatio sit in hoc sequenda. p.557.& seq.14

Mulier.

an Mulieres pro clausura Monasterii violata teneantur ad Supremam Sedem recurrere: vide *Casus reservati*, *Clausura*.

Mulieribus in quibusdam casibus non competit exceptio Senatusconsulti Vellejani: vide *Senatusconsultum Vellejanum*.

Mulier in Galliæ Regno & vicinis quibusdam provinciis se obligans pro liberando è carcere viro, non juvatur Vellejano. p.631.& seq.14

Mundus muliebris.

Mundus muliebris ad quem pertineat mortuo marito, an ad uxorem, an ad mariti hæredes. p.732.2

Munus.

Munera non sunt semper præsumenda gratuita,, præsertim creditori à debitore oblata. p.641.8

Munus à lingua, munus à manu, & munus ab obsequio: vide *Simoniacum pretium*.

Mutuans, Mutuatarius, & Mutuum.

Mutuanti quando licitum sit aliquid supra sortem accipere ratione periculi eam amittendi. p. 648. & seq. 1.2

an Mutuatarius teneatur ad aliquid ultra sortem mutuatam. p.729.4

Mutuum quid sit; quare ita dicatur; & quæ sit materia circa quam versatur. p.632. & seq. 1.& 2

Mutui differentia ab aliis contractibus. ibid.2

Mutuum debet esse merè gratuitum. p.633.4

Mutuum implicitum & explicitum usurarum copiosa seges : & quomodo mutuum palliatum & fœneratitium contrahatur. p.638.& seq. 2. & 3

N

Nepos.

NEpotes an ad avorum Beneficia immediatè admitti possint. p.151. & seq.4

Nepotes quomodo ad prædefuncti patrui successionem simul cum avunculis admittantur ; & an ex diversis fratribus filii avunculo succedant in capita, an in stirpes. P.709.& seq.12

Nominatio, & Nominatus.

Nominatus intra quod tempus petere debeat Beneficium vacans sibi conferri. p.124.16

Nominationis jus ad vacatura Regni Beneficia Consistorialia, Episcopatus & Abbatias Regi Galliæ attributum per Concordatum Bononiense. p.135.1

Nominationi Regiæ ad Consistoriales Regni dignitates locus est, sive per obitum, sive per resignationem, sive per juridicam depositionem vacent. ibid.& seq.2

Nominationi Regiæ an locus sit quando Regni Dignitates vacant in Curia Romana. p.136. & seq.6

Novale.

Novale quid sit in Jure Canonico, & cui accrescant novalium decimæ. p.82.9

O

Obedientia, & Obedire.

OBedire Superioris subalterni mandato non licet contra voluntatem altioris Superioris.p.96.1

Obedire Superiori Ecclesiastico subditus non tenetur in tribus casibus. p.97.2.3. & 4

Obedientia Potestati spirituali & temporali debetur, circa quam doctrina D.Thomæ affertur. p.97.& seq. 6. & 7

de Obedientia Superioribus Regularibus à subditis debita, traditur D. Bernardi doctrina. p. 101. & seq. 14

Oblatio.

Oblationum nomine quæ comprehendantur, & quæ Parochis, quæ verò Ecclesiæ fabricæ, & ornatui cedant. p.256.8

Vide *Inobedientia, & Religiosus.*

Obligatio, & Obligatus.

Obligationes quæcumque centum librarum valorem excedentes, apud acta Notariorum redigi debent ; nec admittitur probatio per testes, nisi in necessariis quibusdam casibus, etsi in his summa sit minor quàm centum librarum. p.483.23

Obligationes quæ ad restitutionem non astringunt,recensentur.p.614. & seqq.

Obligationis definitio. p.619.1

Obligationum fontes disquiruntur ad Theologorum & Jurisconsultorum mentem. p.620.2

Obligatio ex pacto nudo. ibid.3

Obligationes ex Jure naturali & civili

vili permixtæ ex quatuor fontibus emanant. ibid.4
Obligationes ex quaſi contractu quæ. p.621.6
Obligationes ex delicto, & quaſi delicto. p.622.& ſeq.
Obligatio naturalis prævalet poſt factam ſolutionem, ne condicatur ut indebitum quod jure naturæ debebatur. p.630.9
Obligatio principalis debitoris extenditur ad fidejuſſores, & extraneos pignorum aut hypothecarum poſſeſſores. p.636.6
Obligati ad ratiocinia irregulares cenſentur. p.592.7

Oeconomus.

Oeconomus viduatæ Eccleſiæ datus non poteſt defuncti Prælati locationes reſcindere jure Regaliæ. p.243.12

Officialis.

Officialis Epiſcopi quis ſit, & quæ ejus munia. p.61.& ſeq.1.& 2
Vide *Vicarius.*

Officium Divinum.

Officii Divini recitationi quinam adſtringantur, & in quibus caſibus ab ea obligatione eximantur.p.104 & ſeq. 18
Officium Divinum nocturnum pariter & diurnum ſtudioſè & devotè recitari Eccleſia præcipit. p.263.9

Opinio.

Opinio, ſcientia, & dubium diſtingui ſolent in ſpeculativa & practica. p.321.2
Opinio probabilior poteſt eſſe minùs tuta; & opinio tutior poteſt eſſe minùs probabilis. p.322.3
Opinio tutior, & probabilior, quæ ſint. ibid.
ex Opinione probabili quandonam quis poſſit agere. ibid. & ſeq. 4. & 5
ex Opinionibus oppoſitis, quarum ſingulæ ſint probabiles, non licet eligenti præferre minùs probabilem, probabiliore relicta. p.323. & ſeq.7
in Opinionum conflictu ſi ex utraque parte probabilitas æqualis appareat, quid agendum. p. 324. & ſeq.8
ex Opinionibus oppoſitis, ſi una quidem tutior eſt, & altera probabilior, licitum eſt ſequi probabiliorem. p.327.& ſeq.11
Opinio tutior ſemper eſt eligenda ubi Sacramenti conficiendi valor, vel alicujus animæ ſalus periclitatur. p.330.14
Opiniones ſcandaloſæ recentiorum aliquot ab Alexandro VII. damnatæ recenſentur. 332. 333. 334. & ſeqq.
Opiniones aliæ ab Innocentio XI. damnatæ referuntur p.337.& ſeqq.

Opus.

Opera feſtis diebus interdicta quænam, & quæ licita. p. 259. 1. 2. & 3
Operum ſervilium genera quatuor, quæ etiam Dominicis licita cenſentur. ibid.& ſeq.4

Ordinarius.

Ordinarii jus habent viſitandi clauſuras Monialium, Exemptis tam Secularibus, quàm Regularibus ſubditarum. p.56.16
Vide *Epiſcopus.*
Ordinarii nullum jus habent circa proviſionem Beneficiorum certo alicui Monaſterio affectatorum,

ubi in commune vivitur. p.117.6
Ordinariis in Gallia non permittitur condemnatio in exilium, neque relegatio ad triremes. p.435.10
Ordinariorum jurisdictio circa delicta Regularium. p.436.13
Ordinariorum jurisdictio circa delicta Clericorum privilegiata limitatur in Gallia. ibid.14
Ordinariorum potestas circa dispensandum in impedimentis matrimonii : vide *Impedimentum.*

Ordinare, Ordinatus, Ordo.

Ordines alieno subdito sine proprii Episcopi Dimissoriis conferri non debent : & quid de habente privilegium à Papa Ordines suscipiendi à quocumque Episcopo. p.29.9
Ordinari nemo potest, nec etiam primâ Tonsurâ initiari, nisi à proprio Episcopo, vel de ejus licentia Literis dimissoriis expressa ; & quæ pœnæ incurrantur à secus facientibus, & à quibus absolvi possint. p.68.& seq.1
Ordines an absque dispensatione suscipere possit ille, de quo dubitatur, an sit legitimus. p.329.12
Ordinis Sacramenti definitio traditur. p.348.& seq.1
Ordinum septem species. ibid.
Ordines sacri quinam. ibid.
Ordines omnes, etiam minores, vera & propria sunt Sacramenta, juxta communiorem opinionem. p.350.3
Ordinis ordinarius minister est Episcopus. ibid.& seq.4
Ordinari nemo debet nisi per proprium Episcopum, aut cum ejus licentia, de qua constet per Literas Dimissorias. p.351.5
Ordinari potest absque dimissoriis qui privilegium habet à Sede Apostolica ad suscipiendos Ordines à quocumque Episcopo communionem Sedis Apostolicæ habente. ibid. & seq.8
Ordinati cum falsis, fictis, aut fiduciariis titulis, suspensionem incurrunt. p.352.10
Ordinati extra tempora à Jure statuta, vel ante legitimam ætatem, suspensionem perpetuam incurrunt. ibid.11
Ordinandorum ætas, & qualitates. p.353.13
Ordinationum tempora, & interstitia. ibid.12.& 14
Ordinatus ab Episcopo qui ante Ordinum collationem protestatur se non intendere ordinare eos qui aliquem contra Canones defectum habent, censetur verè, & validè ordinatus, etsi conscius alicujus talis defectus, sine peccato tamen mortali, se sistat ordinandum. ibid. & seq.15
Ordines plures simul suscipiens, sive sacros, sive minores, quam pœnam incurrat. p.354.16
Ordines sacri & Sacerdotium validè conferri possunt infantibus baptizatis, & adultis, qui nec habent, nec unquam habuerunt rationis usum. ibid.& seq.17
Ordinatus coactè, an validè ordinatus censeatur. p.355.18
Ordines minores recipiens ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem. p.578.7

Osculum.

Oscula, & amplexus, & similes tactus quando sint peccata mortalia, vel non. p.418. & seq.23

Oſcula & amplexus, ſecluſo periculo pollutionis, non prohibentur inter ſponſos. p.419.3

P

Pactum.

PActum apud Ordinarium initum de ſolvendis expenſis olim factis in Beneficio compermutato, illicitum eſt. p.188.13

Pacta alia & circumſtantiæ permutationis, aut reſignationis illicitæ. ibid. & ſeq.14.& 15

Pactum legis commiſſoriæ poteſt apponi in contractu cenſus reſignativi: ſecus verò in contractu cenſus conſignativi. p.662.& ſeq.2

Pacta quæ contractibus ex contrahentium intentione adjunguntur, vim ordinariam ac legitimam contractuum extendere, vel reſtringere poſſunt. p.728.1

Pactum addictionis in diem, redemptionis, aut retrovenditionis, appoſitum in contractu emptionis & venditionis, quid operetur. p.729.5

Pactum legis commiſſoriæ approbatum in emptione, reprobatur in pignore, ibid.

Pactum tacitum citra ullam expreſſionem quandoque exurgit ex contractu. ibid.6

Pactum nudum an pariat actionem: vide *Actio.*

Pactum legis commiſſoriæ: vide *Emptio, Venditio, Uſura.*

Pallium.

Pallium extraordinario privilegio aliquibus Epiſcopis conceſſum eſt; ſed à talibus gratificationibus jam omninò ceſſatum eſt. pag.25.& ſeq.

Pallii uſus ſoli Romano Pontifici ſemper & ubique licitus. p.26.15

Pallium dandi jus qui habeant. ibid.

Pallium perſonæ cohæret, & cum ea debet ſepeliri. ibid.

Papa.

Papa titulo præventionis jus habet conferendi univerſa Beneficia. p.125.1

Papa conferre poteſt quæcumque Beneficia vacant in Romana Curia. ibid.

Papa ſolus poteſt Regularem perſonam de Eccleſia Seculari providere. p.117.4

Papæ duplex jus competit circa Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem. p.125.1

Papa acceptans reſignationem patris in favorem filii legitimi, cenſetur in ea diſpenſare. p.152.6

Papa ſolus poteſt Collegiatam Eccleſiam in Cathedralem erigere. p.163.16

Papa poteſt diſpenſare circa regulam de infirmis reſignantibus, etiam in præjudicium Graduatorum, & Indultariorum Curiæ Pariſienſis. p.197.13

Papa poteſt tempus publicationi reſignationis præſtitutum prorogare. p.198.3

quomodo Papa poſſit abſque delicto ſimoniæ permittere, & conſtituere penſiones, etiam cum obligatione illas largiore pecuniâ redimendi, ſuper Beneficiis & Epiſcopatibus, de quibus pleno jure non providet. p.526. & ſeq.1.& 2

Parentes.

Parentum obligatio erga filios, & in

quibus casibus non teneantur eos alere. p.616.10
Parentes liberos vivos ex priore conjugio habentes non possunt posteriori conjugi, aut liberis ex posteriori conjugio natis aliquid amplius relinquere, quàm filiis prioris matrimonii, sive per donationem, sive per aliam dispositionem. p.617.13
Parentes liberos habentes ex priori & posteriori conjugio, quomodo debeant, & possint disponere de bonis tam priore quàm posteriore matrimonio constante acquisitis. ibid.p.618

Parochia, Parochianus, & Parochus.

Parochia quid sit, & quid requiratur ad Parochialem Ecclesiam constituendam. p.79.& seq.1
Parochiali Ecclesiæ vacanti statim, & & quammaximè fieri potest, providendi sunt idonei Pastores. p.80. & seq. 4.& 5
Parochus unicus unius Parochialis Ecclesiæ debet esse, & stabilis ad vitam. p.80.2.3
Parochi officium quale. p.81.6
Parochi jura circa oblationes & decimas, quæ ex novalibus proveniunt. p.82 8.9
Parochi oppidorum muratorum constitui non debent in Gallia, nisi in Theologia, vel sacris Canonibus Graduati. p.83.11
Parochus proprius quis censeatur, & quomodo acquiratur. P.405.13
Pa ochi quilibet locorum, per quæ vagi transeunt, possunt ipsorum matrimoniis interesse: ubi quid circa hoc statuerit Concilium Tridentinum. ibid.14
Parochus fœminæ sæpiùs interest matrimonio, quando Partes sunt diversarum Parochiarum. ibid.15
Parochus proprius potest assistere matrimonio sui Parochiani, etiam in aliena Parochia & Diœcesi, sine licentia Parochi illius loci, extra tamen Ecclesiam Parochialem. ibid. & seq.16
Parochus proprius validè, licèt non licitè, potest Parochiani sui matrimonio assistere contra Ordinarii prohibitionem. ibid.& seq.17
cum Parochis dispensari non potest, ut studiorum causâ à sua Ecclesia abesse possint. p.490.7
an Parochus possit pecuniam exigere ad sacrum & spirituale beneficium peragendum, ad quod ipse ex officio tenetur. P.523.3
Parochiani astringuntur fabricæ domus Curionis: vide in verbo *Populus.*
Parochi quanto tempore possint à Parochia abesse, quin fructus amittant: vide *Beneficiarius.*

Pater.

Pater potest immediatè succedere in Beneficium quod filius possedit. p.153.7

Patronus.

Patroni Ecclesiastici solùm, & non laïci, præsentatio per Papam potest præveniri, dummodo per expressam clausulam eidem derogaverit. p.141.6
Patronus quanvis ad Beneficium idoneus, non potest seipsum præsentare. ibid.7
Patronus quomodo præsentationem facere possit, & intra quod tempus: ubi de forma præsentandi. p.142.

p.142. & seq. 9.10.11. & 13
Patronus unus potest ab aliis compatronis, & proprio Procuratore præsentari. p.143.12
Patroni hæretici non per seipsos, sed per Catholicos procuratores in Gallia præsentare possunt. p.144. 15
Patronorum jura suspenduntur, eisque ad tempus derogatur in quibusdam casibus, qui recensentur. p.145.16. & seqq.
Patronis præter jus præsentandi alia jura competunt, quæ recensentur. p.145.21
Patroni si plures sint, quid requiratur, ut eorum præsentatio valeat. p.146.23
Patrono qui aliquem præsentavit, cujus præsentatio ex aliquo accidenti, quod nullatenus prævideri potuit, effectum non est sortita, liberum est alium præsentare. p.147. 26
Patronus non excidit jure nominationis, si citra ipsius fraudem prima non successerit. ibid. p.148
Patronus pater potest proprium filium ad Beneficium præsentare. p.148. & seq. 1.2

Paupertas.

Paupertas regularis & essentialis obligat quoscumque Religiosos, non verò accidentalis, nisi hanc Regula quoque injungat. p.105.1

Peccator, & Peccatum.

Peccatorum numerus & circumstantiæ quomodo sint in sacramentali confessione exprimendæ. p.308.11. 12.13
Peccatum nascitur ex conscientia erronea in actibus etiam per se licitis. ibid.12
Peccatorum circumstantias quamvis notabiliter aggravavantes, non est necesse confiteri, dummodo speciem non mutent. p.309.14
Peccator publicus quis sit, & an sit ei deneganda Communio. p.286. & seq.3
Peccator occultus an sit Communione privandus. p.287.4
ut Peccatori publico publicè Communio dari possit, quæ requirantur. p.288.& seq.7
Peccato alieno cooperans per actus de se licitos aut indifferentes, an peccet mortaliter: ubi de remigibus Christianis apud Infideles captivis. p.693.& seq.9.& 10
Peccatum quomodo in confessione Examinandum, vide *Confessio.*

Peculium.

Peculium triplicis generis distinguitur, & quodnam religiosæ paupertati adversetur. p.105.2
Vide in verbo *Filiusfamilias.*

Pensio.

Pensiones super Beneficiis ex tribus causis apponi possunt. p.170.3
ut Pensio super Beneficio constituatur, quæ requirantur. p.171.4
Pensiones super Ecclesiis, & Beneficiis in quibusdam casibus imponi possunt ab Episcopis. ibid.5
Pensio an extinguatur, si contingat Clericum pensione oneratum recipere Beneficium super quo erat constituta pensio. p.172.7
Pensionem extingui aliud est, aliud consolidari cum Beneficio. ibid.
Pensionis modus diversimodè taxatur. p.173.9
Pensionis beneficiariæ redimendæ, & extin

extinguendæ modus quis licitus, & quæ dispensationes ad id requirantur. ibid.& seq 10 11
Pensionum reliqua solvere non tenetur successor in Beneficio. ibid.9
Pensiones beneficiariæ quibus modis finiantur, & extinguantur. p.175. 15.& 16. & p.176. 17. & seqq.
Pensionis onere solvendæ astringitur Ecclesia, cùm beneficii fructibus possessor juridicè privatur. p.177 23
Pensionem solvere tenetur successor in Beneficio sibi resignato. ibid. 24
Pensiones beneficiariæ qua parte anni solvendæ sint. ibid. & seq. 25. & 26
Pensiones beneficiarias olim pro re temporali habitas, in spiritualem statum evexit Pius V. p.178.27
Pensionarius ad quæ Beneficii onera teneatur. ibid.& seq.28
de Pensionibus super Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, aut Parochialium, & super Beneficiis Curatis impositis tria edicit Ludovicus XIV. p.179. 30
Pensionum reservationes super Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, aut Curatarum, certis limitibus Edicto Regio in Gallia coërcentur, earumque abusus resecatur. p.179.& seq.1
Pensiones beneficiarias ab Episcopis constitutas, quas approbent, quasve ut irritas, & simoniacas rejiciant Curiæ Regni Gallicani. p.181. & seq.1
Pensionum reductio qualis admittatur in Gallia. p.182.2
Pensiones ab Episcopis constitutæ an transeant ad Beneficii successorem, vivente adhuc pensionario, an verò extinguantur morte illius, cui primùm imposita fuit solvendæ pensionis obligatio. ibid. & seq. 3. & 4
Pensiones beneficiarias ab Episcopis, aut inferioribus Prælatis constitui permittentes Canones sacri referuntur. p.183.5
Pensiones beneficiarias approbandi causæ in solis Romanorum Pontificum provisionibus Gallicano usu receptæ, tres referuntur. p.184.8
Pensiones Ecclesiasticæ an pro Beneficiis habeantur, ut in impetrationibus earum mentio sit facienda. p.246.2
Pensio permulta cum Beneficio communia habet, non tamen appellatione Beneficii continetur. p.247. & seq.3
Pensionis expressio necessaria est dum impetrandum est rescriptum in forma pauperum, & dum aliquis vult novæ pensionis gratiam impetrare. p.248.4
ut Pensio ab Episcopo super Beneficio imposita valeat, quæ requirantur. p.511.13
Pensio terminos à Canone, vel consuetudine præfixos excedens, ad terminos à jure præscriptos est reducenda. p.512.14
Pensionum quæ ex aliquo Beneficio percipiuntur tres species referuntur. p.528.& seq.4
Pensio laïca quæ propter aliquod ministerium temporale tribuitur laïco, sive Clerico de bonis Ecclesiæ, potest redimi, atque etiam pretio

pretio vendi ſine ſimonia. p.529.5
Penſionis onus impoſitam in Beneficii ceſſione, vel renunciatione, addito pacto, ut ſtatim, vel paulò poſt aliquâ ſummâ oblatâ integrâ, penſio redimatur, ſimoniacum cenſetur. ibid.& ſeq.
Penſio ſuper Beneficiis impoſita à Papa abſque juſta cauſa, an ſit ſimoniaca : vide *Papa*.
ſi Penſio Clericalis pretio in alium transferatur, aut per anticipatas ſolutiones extinguatur, an excommunicatio incurratur. p.533.4
Penſiones annuæ in perpetuum piis locis relictæ an habeant vim indeficientem, & quamcumque præſcriptionem excludant. p.716. & ſeq. 9
Vide *Beneficiarius, Clericus.*
Penſio alimentaria filiorum ex bonis paternis, vel maternis deducenda, omnibus aliis creditoribus eſt præferenda. p.719.5

Percuſſio, & Percuſſor.

Percuſſio levis Clerici quænam cenſeri debeat. p.492.6
Percuſſio gravis, aut mediocris Clerici potius cenſenda eſt quàm levis in re ambigua. ibid. & ſeq.7
à Percuſſione gravi, aut mediocri Clerici quis abſolvere poſſit. p.493.8
à Percuſſione quacumque Clerici, vel Monachi poſſunt aliquæ perſonæ abſolvi. p.494. 11
Percuſſores Clerici vel Monachi urgente neceſſitate ab Epiſcopo, vel Sacerdote abſoluti, ratione impedimenti adeundi ſupremam Sedem, an ceſſante impedimento teneantur ſupremum Pontificem adire. ibid.15
ſi Percuſſio Clerici ſit occulta, nec in forum deducta contentioſum, nullibi neceſſe eſt convenire ſupremam Sedem pro abſolutione. p.495.14

Perjurium.

Perjurium nullum eſt ſine mendacio, & notabilis circa hoc aliquot Sanctorum Patrum doctrina refertur. p.443.& ſeq.12.& 13

Permutatio.

Permutationes Beneficiorum licitæ, & à quibus admitti poſſint. p.185.1
ad Permutationes Beneficiorum quæ requirantur. ibid. 4. & p.186.5. & 6
Permutatio Beneficiorum, ſive conformium, ſive difformium, valida eſt. p.186.7
in Permutationibus Beneficiorum conditiones, & pactiones aliquando apponuntur, quæ pravitate ſimoniaca fœdantur : aliæ etiam quæ non aliter validæ ſunt, niſi ſummi Pontificis diſpenſatione roborentur. p.187. & ſeq.11.12.13
Permutationes Beneficiorum fraudulentæ quæ cenſeantur. p.186. & ſeq.14
Permutatio certi Beneficii cum alio incerto, & indefinito paris proventus, nunquam confirmatur à Papa, nec debet ab Ordinariis admitti. p.189.15
Vide *Beneficium.*
Permutatio Beneficiorum, & renunciatio quandonam ſimoniaca ſit : vide *Simonia.*

Philoſophus.

Philoſophorum Ethnicorum ducentæ octoginta-octo fuere de ſummo

hominis bono sententiæ, ex quibus unica sola vera est. p.1

Plebanus.

Plebanus in jure quis dicatur, & quid sit Plebania. p.150.4

Plato.

Plato singulari felicitate ingenii notitiam summi boni assequutus est. p.2

Pœnitens, & Pœnitentia.

Pœnitentiæ falsæ, quibus nulla est impertienda absolutio, quæ sint juxta Canonem 22. Lateranensis Concilii. p.344.& seq. 5

Pœnitens qui Confessarium accersiri mandavit urgente mortis periculo, & antequam advenerit loquelam amisit, an absolvi possit. p.316. & seq.6.& p.318.9

Pœnitens absolvendus non est, in quo nulla præcesserunt petitæ confessionis, aut contritionis à Sacerdote perspecta, vel à circumstantibus attestata signa. ibid.10

Pœnitens confitens in aliena Diœcesi an possit absolvi à casibus reservatis in propria Diœcesi, sed non in ea in qua confitetur. p.318. & seq. 1

Pœnitens confitens in aliena diœcesi remittendus est ad proprium Superiorem pro absolutione ab excommunicationibus reservatis, sive sint à jure, sive ab homine. p.319.2

Pœnitens oblitus alicujus peccati reservati, & in confessione absolutus ab habente facultatem absolvendi à reservatis, poterit in alia confessione absolvi ab iisdem casibus reservatis oblitis per alium Sacerdotem approbatum, quanvis careat facultate absolvendi à reservatis, dummodo cum bona fide accedat, & sciens & volens non abutatur confessione. ibid.& seq.3. & 4

Pœnitens qui non vult desistere ab opere quod secundùm probabilem piorum & doctorum, nec ab Ecclesia reprobatam opinionem est licitum, est absolvendus, quanvis minùs probabilis videatur Confessario. p.329. & seq.13

Pœnitentiæ Sacramentum administratur per modum judicii, & requirit causæ cognitionem & jurisdictionem completam. p.289.1

Pœnitentia ut Sacramentum ex quibus conster. p.297.1

Pœnitentiæ Sacramenti forma est absolutio per Sacerdotem collata. ibid. & seq.

Pœnitentiæ Sacramentum nullus potest ex sola vi sui Sacerdotii administrare. p.289. & seq.2

Pollutio.

Pollutio voluntaria, aut voluntaria in ea delectatio ita divinâ lege prohibentur, ut nulla causa possit has reddere licitas. p.419.4

Pollutio prævisa an possit permitti. ibid.& seq.5

Pollutio loci sacri non contingit, nisi vulnus fuerit receptum in loco sacro. p.604.10

Pollutione loci sacri notoriâ factâ, nefas est divina in eo Officia peragere: & quid si profanatio contingat dum Missa celebratur. p.605.13

Populus.

Populus quomodo contribuere teneatur reparationi Ecclesiæ, & fabricæ domus Curionis. p.346. & seq. 4. & 5.

Portio.

Portio congrua perinde ac alimenta non patitur dilationem, & peti potest ab ipso litis initio per provisionem. p.255.6

Possessio, & Possessor.

Possessionis causa dividitur à causa proprietatis quoad controversias Ecclesiasticas in Gallia : & vide quomodo intelligatur. p.454.3

Possessionis tempora inter emptorem & venditorem, inter defunctum & hæredem continuantur in civilibus : secus verò in pacifica Beneficii possessione. p.464. & seq.3

Possessor condemnatus ad dimittendam possessionem quomodo multetur, si post duodecim dies significatæ sententiæ non obtemperaverit. p.484.29

Possessor bonæ fidei desinit bona fide possidere statim ac novit rem quam possidet esse alienam : & ad quid teneatur si eam vendiderit, aut alteri donaverit. p.699. & seq. 7. & 8

Possessor rei alienæ an teneatur ad restitutionem fructuum bona fide perceptorum. ibid.8

Potestas.

Potestas Prælatis Ecclesiæ à Deo duplex concessa, & ad quid utraque referatur. p.423.6

Potestas utraque, ordinaria & delegata, exerceri potest & attribui tam in interno foro, quàm in externo. p.424.7

Potestas duplex confertur in Sacerdotis ordinatione. ibid.9

Potestas Clavium duplex. ibid.

Potestas jurisdictionis interioris requirit characterem, sed non potestas exterioris jurisdictionis. p.424. & seq.9.& 10

Potestas confertur per modum jurisdictionis, quando eligitur non tam personæ industria, quàm ejus officium. p.425.11

Potestas delegata quandonam subdelegari possit. ibid.& seq.11.& 12

Prabenda.

Præbendæ Theologales & Præceptoriales idoneis conferri debent ; sed in hoc abusus quidam invaluit deplorandus. p.228.19

Præbendæ nomine quæ comprehendantur. p.235.2

Præbendarum Capitularium vacantium provisio ad quem de jure pertineat ibid.3

Præbenda Capitularis si duobus, uni per Episcopum, alteri verò per Capitulum conferatur, neutri acquiritur : & quid si seorsim ab uno ex duobus conferatur. ibid.4.5

Præceptum.

Præceptum charitatis erga proximum, aut ab alia virtute manans non parit restituendi obligationem, si violetur : ubi de hac materia varia exempla. p.614. & seq.

Præceptum de honorandis parentibus inter primam & secundam tabulam medium collocatum. p.615.7

Prælatus.

Prælati Regulares jus habent conferendi Beneficia suæ jurisdictioni ac dispositioni subjecta. p.128.9

Prælati Ecclesiastici quibus ex causis suspendantur : vide *Suspensio.*

Præscriptio.

Præscriptio in favorem Ecclesiæ introducta quo tempore finiatur ; &

unde centenaria ortum habuerit. p.160.& seq.80
Præscriptiones rerum Ecclesiæ interest valde non esse longiores. ibid.
Præscriptio introducta est in bonum publicum, quietem civium & familiarum. p.715.6
ad Præscriptionem legitimam requisitæ conditiones recensentur. ibid.7
de Præscriptione rerum Ecclesiæ scitu digna. p.716.8
Præscriptiones prolixas introducere periculosum, & hominum nequitiæ expositum. ibid.9
Præscriptiones centenariæ piis locis indultæ, flagitiosè emptæ & venditæ. ibid. & seq.

Præsentatio, & Præsentatus.

Præsentatio facta insinuanda est apud acta Ecclesiastica. p.143.11
Præsentatum instituere non debet Ordinarius, nisi præsentati capacitatem exploraverit. p.145.20
Præsentandi consuetudine quomodo jus patronatus præscribatur. p.146. & seq.24
Præsentatio, quæ effectum non est integrum sortita, potest à Patrono iterari. p.148.26
Vide *Jus patronatus, Patronus.*

Præsul.

Præsulum Gallicanorum nimia in dispensando ad nuptias non solùm contractas, sed etiam contrahendas licentia perstringitur. p.410. & seq. 6

Præventio.

Prærentionis jus Papæ competens, per Concilium Basileense abrogatum, & per Concordatum instauratum, quale sit. p.204.1
Prærentionis jus competit Legatis Apostolicis, sed non Nunciis. ibid. 2
Prærentio cessat si coram Ordinario res inchoata sit, quanvis nondum Beneficium collatum. p.205.3
Prærentio valet contra Patronum Ecclesiasticum, sed non contra laicum. ibid.4
Præveniri possunt Graduati & Indultarii, etiam post insinuationem indulti, sed non postquam Beneficium vacans requisiverunt. ibid. 5. & 6
Prærentioni non est locus contra Cardinales Ordinarios, ne quidem in Beneficiis Patronatus Ecclesiastici, nec ubi conjunctim Cardinali cum Capitulo, aut Monasterio jus conferendi, vel instituendi competit. p.205.& seq.7
Prærentio tam Papæ, quàm inferiorum Collatorum non admittitur ubi statuto, consuetudine, vel privilegio divisum est jus conferendi inter Papam & Episcopum vel Abbatem; vel inter Episcopum vel Abbatem, & Capitulum. p.206.8

Presbyter.

Presbyteros alienæ Diœcesis sine literis commendatitiis non esse recipiendos. p.609.5
Vide in verbis *Clericus, Sacerdos.*

Pretium.

Pretium simoniacè acceptum pro re spirituali, cui sit restituendum, non data re promissa. p.539.1
Pretium simoniacè & injustè acceptum restituendum est illi qui inculpabiliter, neque liberè dedit, etiamsi res spiritualis fuerit ei collata. p.540.2

Pretii simoniacè accepti restitutio non præcipitur, nisi per modum pœnæ, & in tribus casibus. ibid. 3
Pretium rerum venalium quotuplex. ibid. 4
Pretium legitimum consistit in indivisibili. ibid.
Pretium vulgare habet suam latitudinem : ubi an liceat illud supergredi, vel minuere ; & ad quid teneatur hæc faciens. ibid.
an Pretia rerum ptopter peculiarem affectum dominorum possint ad libitum augeri. p.652.6
an Pretium pro turpitudine & similibus flagitiis acceptum restitui debeat : vide *Condictio.*

Princeps.

Principes constituti sunt propter populos, non populi propter Principes : ubi de mutua populorum & Principum obligatione. p.700. & seq. 1
Vide *Vectigal.*

Privilegium.

Privilegia à Principe sive Seculari, sive Ecclesiastico concessa, strictè sunt interpretanda. p.16.2
Privilegium ritè obtentum non cessat morte, vel amotione concedentis : & quid si ei particula limitans adjecta fuerint. p.477.10
Privilegia externi quidem fori, sed non contentiosi, an expirent morte concedentis. p.479.9
Vide *Concessio.*

Probabilitas.

Probabilitatum fontes gemini indicantur, quarum una interna, alia externa dicitur. p.331.15
Vide *Confessarius, Opinio, Pœnitens.*

Procuratio.

circa Procurationes in visitatione debitas mens Ecclesiæ proponitur. p.523.& seq.4.& 5

Procurator.

Procuratoris ad matrimonium constituti requisita quænam sint. p.364. 2. 3
Procurator missus ad suspiciendum infantem de sacro Fonte, an contrahat cognationem spiritualem, an verò mandans. p.375.11. & 12

Professio.

Professio Regularis, quæ est medium ad perfectiorem vitam adductivum, prorsus libera & spontanea debet esse. p.92.1.2
Professio in strictioris observantiæ monasteriis ætatis annum 18. requirit. p.93.3
Professionem religiosam invalidare possunt singuli ex sex defectibus qui recensentur. ibid. 5
à Professione quomodo possit sive intra, sive post quinquennium reclamari. p.94.6.& 7
Professio tacita à Jure communi admissa, quæ tribus modis fieri potest, nullatenus in Regno Galliæ recepta. p.95.9. & 10
ad Professionem nullus admittendus, nec ad Habitum Regularem, cujus voluntas non fuerit ab Ordinario loci explorata. p.96.11

Propositio.

Propositiones per Bullas Alexandri VII. & Innocentii XI. damnatæ referuntur. p.332.& seqq.
Vide *Opinio.*

Provisio, & Provisus.

Provisus ignoranter, & bona fide de Beneficio per alterius simoniam,

non juvatur beneficio triennalis possessionis, sed sola decennii præscriptione. p.202. 18
Provisus ab Ordinario per obitum an præferatur resignatario à Papa, Legatove proviso, si resignans moriatur nondum expletis viginti à renunciatione diebus. p.206. & seq.9. 10
Provisus de Beneficio quid agere debeat post obtentam possessionem. p.212.1.& seqq.
Provisus debet solenniter in possessionem Beneficii mitti, & quomodo facienda sit hæc solennis in possessionem missio. p.214. & seq. 5. 6, & 7
Provisus de Beneficio Sacerdotio annexo, illud amittit si intra annum ad Sacerdotium promoveri non curet. p.219.8
Provisus in Gallia de Beneficio Ordinem sacrum requirente, non computat annum ad promotionem concessum, nisi post elapsum annum pacificæ possessionis collati Beneficii. p.220.10
Provisus de Beneficio incompatibili cum priore, alterum horum tenetur dimittere. p.221.12
Provisus de duobus incompatibilibus Beneficiis potest horum alterum resignare, dummodo non sit alteri jus quæsitum. p.222. & seq.16
Provisus de Beneficio simoniacè, quantumvis ignarus pacti simoniaci, tenetur Beneficium dimittere statim ac pactionis simoniacæ notitiam habuerit. p.496. & seq.7
Plura vide in verbo *Simonia.*
Provisus de Beneficio alieno interventu, ignorans tamen simoniam ab altero commissam, juvabitur beneficio triennalis possessionis pacificæ, si integro triennio hujus simoniæ notitiam non habuerit, secus si prius commissam simoniam resciverit. p.531.& seq.3

Prudentia.

Prudentiæ virtus respicit pro objecto suo res opinabiles. p.323.6

Q

Quantitas.

QUantitas furti sufficiens ad culpam mortalem, & obligans ad restitutionem, quænam sit. p.697.1
Quantitas notabilis ex multis & levibus furtis potest in tribus casibus effici. p.698.2
Quantitas major requiritur ad constituenda furta filiorumfamilias, uxoris & famulorum mortaliter culpabilia. p.699. & seq.

R

Raptus.

RAptûs impedimentum dirimens matrimonium definit ex quo rapta est pristinæ libertati restituta. p.406. 19
ad Raptus impedimentum dirimens matrimonium constituendum duo requiruntur. p.407.20
Raptus species duæ, & an utraque eisdem pœnis subjaceat. ibid. 21

Reconventio.

Reconventio coram delegato Judice agitari potest, sed nullatenus coram arbitris admittitur. p.426.15

Rector,

Rector.

Rectores plerique , tum Seculares, tum Regulares, tanquam Patroni jure potiuntur præsentandi Vicarios pro subditis sibi Ecclesiis. p.149.& seq.3.4

Rectorum superiorum tria genera in Jure , quibus Parochiales Ecclesiæ subjiciuntur. p.150.5

Regressus.

Regressus ad Beneficium an resignanti concedatur in Gallia , in cujus gratiam Papa concessit pensionem super resignato Beneficio. p.175.& seq.14.& p.184.6

Regressus ad dimissum Beneficium datur , si contingat permutatum evinci. p.186. & seq.9

Regressus ad resignatum Beneficium quando detur , vel non detur resignanti. p.189.& seq.1. 2.& seqq.

Regressus ad Beneficium in Galliæ Regno datur post valetudinem recuperatam , ei qui in gravi infirmitate constitutus resignavit. p.190. 6

Regressus etiam conceditur ei qui Beneficio se abdicavit ob criminis capitalis accusationem. p.191.7

Regressus praxis hodierna quænam in Galliæ Regno. ibid. & seq.8

Regressui etiam locus est quando quis vi , metu , dolo , aut fraude ductus Beneficium resignavit. p.192. 9. & 10

Regressus locum habet etiam in renunciatione à minori vigintiquinque annis facta , per restitutionem in integrum. p.193.11

per Regressum ad omnia pristina jura & prærogativas Senatusconsulto restituitur regrediens , ac si nunquam se Beneficio abdicasset. p.193.12

Regula.

Regula juris , *In dubiis tutior pars est eligenda* , an semper absque exceptione sit vera. p.328.& seq.12

Regula Juris , *Bona fides non patitur ut bis idem exigatur* , ex ipsis Juris emersit visceribus. p.634.2

Regula Juris , *Qui jure suo utitur nemini facit injuriam* , perpenditur. p.724.1.2

Regulæ generales singulis rebus sub eodem genere contentis applicabiles mirificè conducunt ad omnium disciplinarum peritiam , adhibita tamen discreta & prudenti circumspectione. p.739.1

Regulæ variæ ex universo utriusque Juris corpore depromptæ , quandoque etiam ex libris sacris , ad Jurisprudentiam Canonicam maximè conducentes proponuntur. p.740. & seqq.

Regulæ Cancellariæ.

Regulæ Cancellariæ circa rem beneficiariam , quæ in Gallia vigent referuntur. p.194.1

Regulæ de infirmis resignantibus referuntur. ibid.2

Regula prædicta an habeat locum in resignationibus quæ fiunt ad mutuò permutanda Beneficia. p.195.4

Regula prædicta an valeat quando in resignatione inserta est clausula, *Vel aliàs quovis modo valeat*. ibid.5

Regula ista solùm obtinet in Gallia in resignationibus quæ fiunt coram Papa, vel Legato. p.196.8

Regula prædicta in quibus casibus non habeat locum , eique derogetur. ibid.9.& seqq.

Regulæ

Regulæ de viginti non potest derogari in præjudicium Ordinarii qui Cardinalitia dignitate præeminet. p.197.14

Regulæ de publicandis resignationibus in Gallia vigentis verba referuntur. ibid.& seq.1

Regulæ hujus triplex ratio traditur. p.198.2

Regulæ prædictæ verba, *ubi talia Beneficia consistunt*, quid importent. ibid. & seq.5

Regula ista in quibus casibus locum non habeat, & in quibus procedat. p.199.6. & seqq.

Regula hæc juxta praxim Gallicanam requirit publicationem resignationis fieri, & possessionem Beneficii sejunctim acciri. p.200.10

Regula de annali possessore traditur, quæ nullum ei novum jus tribuit, sed tantùm exceptionem adversus actorem. ibid.11

Regula hæc non habet locum in collationibus ab Ordinariis factis: & quibus clausulis Papa, aut Legatus ei derogent. p.201.12

ad Regulæ hujus effectum formæ Gallicis edictis præscriptæ. ibid. 13

Regula de triennali possessore traditur, quæ non juvat Secularem per triennium Beneficium Regulare possidentem, nec Regularem Beneficii Secularis possessorem triennalem. ibid.14.15

Regula prædicta valet etiam contra Regalistas. ibid.& seq.16

Regulæ hujus triennium quomodo, & à quo tempore computandum. p.202.17

Regula prædicta an juvet eum qui simoniacè Beneficium accepit. ibid. 18

Regulæ huic non est locus, nisi triennalis possessor titulum saltem coloratum habeat. p.203.21

Regulæ annalis, aut triennalis pacificæ possessionis beneficio irregulares quicumque juvari non possunt. ibid.

Regula Cancellariæ de non tollendo jure quæsito quid sanciat. ibid.22

Regula de verisimili notitia valet in collationibus Papæ, Legati, & Ordinariorum. ibid.& seq.23

ut Regulæ huic fraus non fiat, quomodo Gallicis edictis cautum fuit. p.204.24

Regularis.

Regulares nullius diœcesis Episcopi vicinioris authoritati subsunt quoad Ordines suscipiendos tantùm. p.40.5

Regulares Exempti in spectantibus clausuram sibi subditarum Monialium subjiciuntur Episcoporum authoritati. ibid.& seq.6.& 7

Regularibus prohibetur transgredi limites præfixos in mandatis & concessionibus Ordinariorum circa facultatem prædicandi, & Secularium confessiones audiendi. p.46.13

Regulares quidam Episcoporum justis prohibitionibus & admonitionibus obsistentes, Senatusconsultis reprimuntur. p.47. & seq. 15. & 16

Regularium exemptiones per supremos Pontifices & quædam Concilia moderatæ. p.49. & seq.2. & 3

Regularibus quantumvis per proprios Superiores approbatis non licet sine Episcopi, vel Ordinarii licentia

licentia verbum Dei prædicare, etiam in propriis Ecclesiis. p.51.4
Regulares privilegium habentes absolvendi à quibuscumque casibus etiam ipsi Papæ reservatis, non habent hoc ipso potestatem absolvendi à casibus & censuris per Ordinarios locorum reservatis. ibid. & seq.5
Regulares quantumvis exempti Ordinariorum jurisdictioni subsunt in causis Fidei, & quoties agitatur contra eos causa criminalis. p.53.6
Regulares Parochi Ordinariorum visitationi, & correctioni subsunt in his quæ ad curam & Sacramentorum administrationem pertinent. ibid. & seq.8
Regularis nequit à religiosa professione solvi, nisi coram Ordinario allegatis nullitatis causis. p.56.15
Regulares nequeunt uti privilegiis expressè per Concilium Trid. Gregor. XIII. & XV. ac Urban. VIII. revocatis. ibid. & seq.18
Regularis qui se invalidè professum credit, nec unquam professionem ratificasse, non potest quocumque tempore transacto fugam arripere, non deductis coram Superiore Regulari causis. p.95.8
Regularis professus si ad seculum redeat, an possit dimissa Beneficia obtinere. p.218.5. & 6
Regularis non professus non potest in Abbatem eligi. p.227.13
Vide *Professio.*
Regulares non habent immediatè à Summo Pontifice potestatem absolvendi seculares. p.294.7
Regulares etiam hodie proprio Sacerdoti confitendi obligatione adstringuntur. p.295.10
Regulares quandonam possint Confessarium ad libitum eligere. p.296.12
Regulares se invicem percutientes leviter aut mediocriter, à quo possint absolvi: & quid si percussio intervenerit inter diversorum claustrorum Regulares, aut si Regularis Clericum secularem percusserit. p.494.9

Religio, & Religiosus.

Religiosus professus in monasterio, in quo Regula sine supremæ Sedis dispensatione relaxata est, an teneatur ad rigidam ejus observantiam. p.99. & seqq.10.11. & 12
Religiosus inobediens tantùm veniaaliter delinquit, ubi Regula, vel Superior non intendunt ad mortale obstringere. p.101.13
Religiosus qui sancta intentione ductus collapsæ regularis disciplinæ reformationem molitur, non dependet in hoc à Superioribus relaxationi addictis. p.102.16
Religiosus an in dubio Superiori præcipienti obedientiam præstare teneatur. p.103.17
Religiosis quidquam elargiri sine consensu Capituli generalis prohibetur, quibusdam levioribus exceptis. p.106.5
Religiosi Beneficiarii an possint ad libitum disponere de Beneficiorum suorum proventibus, & sint eorum domini. ibid.6. & 7
Religiosorum beneficiariorum dispensatio & usus circa fructus Beneficiorum multò minùs libera est quàm quæ Militibus Regularibus competit. p.107.8

Religiosus, cui post propositam Superiori indigentiam denegata sunt necessaria, an possit occultè de Monasterio subripere, ut suis necessitatibus provideat. p.108.10
Religioso quatenus sit licitus ex una ad aliam Religionem transitus. p.108.& 109.1.& seqq.
Religiosus quilibet potest de Abbatis sui licentia ad quodlibet eidem subjectum Monasterium ejusdem Ordinis transferri. p.111.9
Religiosi nec licitè, nec valide testari possunt. ibid.& seq.1
Religiosus factus Episcopus, utrum à Religionis votis solvatur, & testari possit. p.112.2.3
Religiosi facti Episcopi in Gallia nullâ in re pristinæ Religioni astringuntur, nisi ut colorem Ordinis in habitu servent. ibid.3
Religionis perfectio ex quo dijudicetur dum agitur de transitu ab una in aliam. p.109.3
à Religionis ingressu potest suasionibus abduci is qui manifestè Religionem ingrediendo majus bonum excluderet. p.368.& seq.3
Religiosi quibus ex causis suspendantur : vide *Suspensio*.

Reliquiæ.

Reliquias redimere ab injusto detentore licitum est, quin simonia incurratur. p.509.9
Reliquiarum venditio & locatio simonia est. p.522.1

Remex.

Remiges apud Infideles captivi an peccent mortaliter adversus Christianos remigando, & bellum gerendo : vide *Peccatum*.

Renunciatio.

Renunciatio quid sit, & quibus de causis Episcopus propriæ Ecclesiæ renunciare possit. p.60.3
Renunciatio illius authoritate fieri debet, ad quem spectat ejus confirmatio. p.61.4

Res.

Res spiritualis simoniacè accepta non est restituendi obligationi obnoxia Jure Divino naturali : & quid de Jure Ecclesiastico. p.542.7.& 8
Res inter alios acta aliis nocere non potest. p.741.20
Res aliena, aut alteri obligata transit cum onere suo ad quemcumque, etsi bonæ fidei possessorem. p.742.22

Rescriptum.

Rescripta gratiæ & justitiæ quid sint, & quomodo eorum discrimen ex ipso aspectu dignoscatur. p.17.7
Rescriptum posterius in eodem negotio impetratum, an anterius abroget. p.18.10
Rescripta quatenus per obreptionem, vel subreptionem invalidentur. ib. & seqq. 11
Rescriptum quo mandatur Ordinario ut corrigat suæ diœcesis Clericos, non dat eidem jurisdictionem in exemptos. p.19.12
Rescriptum ad gratiam restituens intelligitur, salvo jure alteri ante restitutionem quæsito, nisi contrarium disertè exprimatur. ibid.13
Rescriptum posterius non invalidat primum ab impetrante sive ex negligentia, sive ex malitia legitimo tempore non productum. ibid.15
Vide *Literæ Apostolicæ*.
Rescripta & literæ, tam Papæ, quàm Legati, quæ Ecclesiæ disciplinæ dero

derogant, aut Ordinariorum authoritatem ac jurisdictionem minuunt, debent ante omnia Ordinariis examinanda exhiberi. p.20.18
Rescriptum *perinde valere*, quando sit à Papa impetrandum, & quæ sit ejus vis. p.215.8
Rescriptum in forma *Dignum*, quare sic dictum, & ad quid impetretur. p.462.1

Residentia.

Residentia in loco Beneficii quibus Beneficiatis divino jure præcipiatur: vide *Beneficiarius*.

Resignans, Resignare, Resignatio.

Resignatio Beneficii in vim resignatorii vel procuratorii mandati facta, elapso anno exspirat. p.124.18
Resignationem in favorem factam quædam crimina invalidant ipso facto, quædam ipso jure tantùm. p.163.& seq.1.2
Resignatio validè potest fieri pendente appellatione à sententia condemnatoria. p.164.2
Resignationum variæ formæ recensentur: & quid observandum si resignatio fiat per procuratorem in Regno Galliæ. p.164. & seq.5.6.7
Resignatio ab illo admitti debet cui jus competit Beneficium conferendi. p.165.8
Resignatio tantùm in manibus Superioris fieri potest. p.166.9
Resignatio ex causa permutationis an possit à Vicario Episcopi admitti. ibid.10
Resignationes in favorem prohibentur à jure, & nullius sunt momenti, nisi à Papa, vel à Rege tempore regaliæ in Gallia admissæ fuerint. ibid.12. & p.167.1
Resignatio conditionata sub clausula, *Non aliter, aliàs, nec alio modo*, in manibus Papæ conditionem renuentis, non privat resignantem Beneficio, nec Papæ liberum est alteri conferre. p.167.2
Resignatio in favorem facta coram Legato Apostolico, vel Ordinario invalida est, & quæcumque sequuta provisio. p.167.& seq.1.& 3
Resignatio, & sequuta provisio invalidæ sunt, si resignans cum clausula, *Nec aliter, aliàs, aut alio modo*, sibi retinuerit pensionem, aut aliquid aliud, & hoc non fuerit prosequutus apud Papam. p.168.5
Resignatio simplex, cum precibus tamen in favorem tertii facta in manus Ordinarii, non adimit Ordinario alteri potestatem conferendi cui libuerit. p.169.6
Resignans retinet adhuc Beneficium, quamdiu resignatarius ejus non subit possessionem: at si circa finem triennii ejus possessionem non adeat juxta usum Galliæ, uterque, tam resignans, quàm resignatarius Beneficio resignato spoliantur. ibid.7
Resignationes in favorem coram Vicelegato factæ in Gallia non admittuntur, sed cum onere pensionis factæ validitate nituntur. p.174.12
Resignatio vi, metu, dolo, aut fraude facta, ipso jure est irrita; facta verò à minore viginti quinque annis, beneficio restitutionis in integrum rescindetur. p.192. & seq.9. 10. & 11
Resignatarius à Papa, vel Legato provisus cum dispensatione super Regula de viginti, an sit semper præferendus proviso per obitum

ab Ordinario. p.206.& seq.9.10
Vide *Præventio.*
Resignans per confidentialem conventionem, & simul resignatarius & mediatores incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. p.537. 12

Restitutio, & Restituere.

Restituendi obligationi obnoxii sunt Beneficiarii qui suâ culpâ Officii recitationem omiserunt; & quando & quomodo sit hæc facienda restitutio. p.679.& seq.12
Restituendi obligationi obnoxius est ille qui post omissionem recitationis Officii aliis diebus illam supplet. p.682.16
Restituendi oneri obnoxius est Sacerdos qui post acceptum pro Missa justum & rationabile stipendium pro unius tantùm intentione, illam pro pluribus celebravit.p.683. 18
Vide *Clericus, Beneficium, & Beneficiarius, Missa.*
Restitutionis definitio traditur, & explicatur. p.684.1
Restituendi obligatio ex quatuor potissimùm causis oritur. ibid.2
Restituendi obligatio versatur etiam in injusta boni alicujus alteri obventuri impeditione, & quæ conditiones ad hoc requirantur.p.687. & seq.6.7
Restitutionis obligationi an sit obnoxius ille qui testamentum alicujus revocari curavit, & alium hæredem instituit. p.689.10
de Restitutione facienda præclara traditur D.Thomæ doctrina ad varios casus applicabilis. p.693.7. & 8
Restituendi obligatio etiam ex peccato veniali oriri potest. p.696.& seq. 2
de Restitutione rei alienæ facienda per bonæ, vel malæ fidei possessorem. p.710. 1
Restituendi obligatio præscriptione perimitur. p.715.6
de Restitutione incertorum pauperibus facienda. p.716.9
in Restitutione facienda ordo servandus proponitur. p.718.719.& seq.
de Restitutione per moribundum facienda; & quomodo pœnitentis famæ, ejus animæ saluti, & restitutionis securitati providendum. p.725.1
ad Restitutionum resolutiones regula generalis proponitur: ubi etiam de restitutionis internunciis. p.726.& seq.4
an restituendi obligatio desinat re sine debitoris culpa pereunte. p.727.5
Restitutio rerum simoniacè acceptarum quomodo facienda: vide *Pretium, Fructus, Res spiritualis.*

Retractus.

Retractus olim in usu apud veteres Judæos & Romanos invaluit, ac etiam in Gallia. p.654.11
Retractus feudalis quæ prærogativa & vis, & quæ gentilitii. ibid. 12, & p.669. 17

Reus.

Reus interrogatus à Judice de crimine, sed non juridicè, non tenetur illud fateri. p.450. 1
Reo etiam non juridicè interrogato non licet mentiri. ibid.
Reus dubius an Judex interroget ex juris ordine, non tenetur confiteri. ibid.

Reus

Reus legitimè & juridicè interrogatus tenetur veritatem aperire, quæcunque illi immineat pœna. ibid.2
Reus juridicè interrogatus, ac crimen suum diffitens, an possit à Confessario absolvi. p.451.& seq.3
de Reis duobus uni creditori pro eadem re obligatis in solidum frequens occurrit quæstio. p.634.1
Reis pluribus in solidum obligatis quandonam competat divisionis beneficium, & quando non: & quæ actio competat reo qui pro cæteris solvit. ibid.& seq.3.4

Rex.

Rex Galliæ circa Beneficia jure Indulti, seu Expectativæ gratiæ potitur. p.131.1
Rex Galliæ resignationes in favorem admittere solet, & secundùm eas Beneficia conferre, ubicumque jus regaliæ viget. p.166.12.& p.167.1

S

Sacerdos.

SAcerdos simplex potest ex magna & urgente causa cum immediata Summi Pontificis delegatione fieri minister extraordinarius Confirmationis. p.272.4
Sacerdoti simplici non licebat olim quemquam chrismate linire, imò nec baptizare, nisi jubente, aut procul absente Episcopo, & aliqua urgente necessitate. ibid. & seq.5
Sacerdos simplex non potest etiam ex commissione Summi Pontificis conficere chrisma pro Confirmatione. p.273.6
Sacerdoti non jejuno celebrare non licet, ut communicetur infirmus. p.281.& seq.11
Sacerdos non jejunus quando possit perficere Sacrum celebrantis Sacerdotis cordis deliquium passi. p.283.13
Sacerdos debet sumere post haustum sanguinem, vel etiam post ablutionem particulam de qua dubitat an sit consecrata, aut etiam verè consecratam. ibid.14
Sacerdos qui purgaturus est Ciborium, quomodo se gerere debeat. ibid.15
Sacerdos an teneatur peccatori, cujus delictum novit, Communionem petenti denegare. p.288.5
Sacerdos quandonam possit occultos peccatores admonere ne ad mensam Domini accedant antequam peccata expiaverint. ibid.& seq.7
Sacerdos potest in Confessarium approbari etiam ab illo Episcopo cujus non est subditus. p.290.3
Sacerdos proprius quisnam erat, cui soli viguit aliquandiu obligatio confitendi. p.291.4
Sacerdos ad Confessiones audiendas approbatus potest alienæ diœcesis subditos ad se accedentes absolvere. p.292.& seq.5
Sacerdotis proprii notio multò latiùs quàm olim jam nunc extenditur. p.294.& seq.9
Sacerdoti proprio confitendi obligatio non est penitus abolita, & præsertim viget in Regularibus. p.295.10
Vide *Confessarius.*
Sacerdos excommunicatus toleratus validè potest, licèt illicitè, Sacramenta administrare; at verò vi-

tandus nec validè, nec licitè potest Sacramentum Pœnitentiæ administrare. p.552.2
Sacerdos scienter celebrans coram excommunicato vitando, quam pœnam incurrat. p.559.3
Sacerdos intendens vitia reprimi potest absque incursu irregularitatis suadere Principi ut legem ferat, quâ certorum criminum rei morte digni capite plectantur. p.595.17
Sacerdoti quid agendum si profanatio loci sacri contingat dum Missam celebrat, vide *Irregularitas, Pollutio.*

Sacramentum.

per Sacramenta veluti sanctitatis instrumenta suum in nos Spiritum Deus effundit. p.265.1
Sacramenta novæ legis vel suscipientes justificant, vel præexistentem jam gratiam novo adaugent incremento. p.266.2
Sacramenta novæ legis emundant animas à peccatis. ibid. & seq. 3
Sacramenta omnia non requirunt elementarem substantiam adhiberi; requirunt tamen omnia, ut constituatur in eis pro materia aliquid sensibile. p.267.4
Sacramenta omnia consistunt in communi genere signi, & exigunt aliquam similitudinem externi signi cum operatione interna quam significant. ibid.5
Sacramenta vocari solent à Patribus Græcis ἀντίτυπα. ibid.
Sacramenta novæ legis non solùm significant gratiam interiùs productam, sed ipsam etiam producunt. ibid.6
Sacramenti definitio. p.268.6
ad Sacramenti cujuslibet essentiam tria requiruntur, & quæ sint. ibid.7
Sacramenta tria characterem indelebilem in anima producunt. p.268.1
Sacramentorum indignè susceptorum gratiam revivisscere per subsequentem pœnitentiam non est certum. p.270.9
Sacramenta dignè susscipientibus conferunt gratiam habitualem, & convenientibus occasionibus & temporibus gratias quasdam actuales. p.271.1
Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, & Matrimonii conferri non possunt infantibus. p.354.17

Sacrificium.

Sacrificium duplex in Eucharistia, & in quo consistat ratio sacrificii. p.276. & seq.3. & 4
de Sacrificii ratione an sit ut res oblata realiter immutetur, & an in Sacrificio Missæ contingat talis immutatio. ibid. & seq.4.5

Satisfactio.

Satisfactio Sacramenti Pœnitentiæ pars, non essentialis, sed integrans & substantialis, quomodo à Sacerdotibus sit pœnitentibus injungenda; & quatenus possit commutari, & diminui. p.343.1. & 2
ad Satisfactionem aliorum prodesse possunt quorumlibet Justorum opera. p.344.3
Satisfactionis genus quoddam est ex stricta justitiæ obligatione pœnitentem simul, & Confessarium adstringens, circa quod monitum datur. ibid.4

Scientia.

Scientia alia speculativa, alia practica: vide *Opinio.*

Scriptura.

Scripturæ sacræ Justiniani lege apud Judicum Tribunalia habendæ. p.3

Sedes.

Sede vacante : vide *Capitulum.*

Seminarium.

ut Seminaria fundari possint data est Episcopis facultas à Tridentino, confirmata Regiis Constitutionibus, ut possint Ecclesias quasdam & Beneficia certis pensionibus onerare. p.171.5

Senatusconsultum.

Senatusconsultum Macedonianum ad quid introductum, & quibus ejus beneficium & exceptio competat. p.629.8

Senatusconsulto Macedoniano non juvatur filiusfamilias, nec quilibet alius qui sponte solvit, ad hoc ut solutum repetere possint. p.630.9

Senatusconsulti Macedoniani exceptio non admittitur, si filiofamilias mutuatum sit ad mercaturam, sciente & consentiente patre. ibid. 10

an Senatusconsulti Macedoniani exceptio admittatur in aliis, quàm mutuo pecuniario. ibid.11

Senatusconsultum Vellejanum ad quid introductum, & quibus casibus ejus privilegium cesset. ibid. & seq. 12

Sententia.

Sententiæ judiciales evidenter injustæ, licèt non appelletur ab eis, nullæ sunt, & irritæ. p.99.8

Sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti sub futura conditione contumaciæ suspenditur per appellationem interpositam ante conditionis eventum. p.469.7

Sententia evidenter injusta & erronea, nulla est ipso jure, etiam citra appellationem. ibid.10

ad Sententiam recredentiæ, vel sequestrationis requiruntur quinque Judices in ea subscripti. p.482.17

Sententia provisionis simul cum sententia definitiva proferri debet, si causæ in eo statu sint, ut simul terminari possint. p.483.22

Sententiâ juridicè significatâ potest condemnatus post triennium interpellari ab adversaria parte ad appellandum, vel acquiescendum judicio : & quid in causis piis. p.484. 26

Sententia contra eum lata qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure. p.549.19

Sepultura Ecclesiastica.

Sepulturam, vel locum ad sepulturam vendere quatenus liceat. p.525.8

Sepulturæ Ecclesiasticæ privatio est effectus excommunicationis. p.555. 16

à Sepultura Ecclesiastica septem genera personarum excluduntur, quæ recensentur. ibid.7

Signatura.

Signaturæ Apostolicæ quid, & quales sint. p.17.4

Signaturis, aliisve Romanæ Curiæ expeditionibus nulla fides habetur in Regno Galliæ, nisi certificatis à duobus trapezitis, aut expeditionariis. p.21.20. & p.211.30

Signatura duplex in Romana Curia, & qualis sit earum vis circa Beneficiorum provisionem. p.126.2

Signatura in forma *Dignum*, duplex distinguitur. ibid.

Signatura in forma *Dignum*, non operatur

ratur in Gallia, nisi Ordinarius apponens in illa *Visa*, scribat simul factum à se examen de impetrantis capacitate. ibid.
Signaturarum & supplicationum stylus in Curia Romana. p. 208. & seq. 13.15.& 16
in Signaturis valet apposita clausula, quod obstantiæ Oratoris, seu tacita pro expressis habeantur. p.209.20
Signaturâ solâ quæritur jus ad Beneficia in Gallia, exceptis consistorialibus, in quibus Bullæ necessariæ sunt. p.211.29

Simonia.

Simoniæ definitio. p.495.1
Simoniæ triplex species distinguitur. p.496.3
Simoniacum pretium triplex. ibid.4
Simonia committitur in ipso pacto reparandi Ecclesiam, aut reficiendi similia loca pia. ibid.5
Simonia ab eo committitur qui pretio sibi devincit familiarem Episcopi hac pactione, ut pro se, aut sibi conjuncta persona Beneficium ab Episcopo petat. ibid.7
Simonia nulla inest ubi cessio aut largitio fit alicujus rei ad injustam redimendam vexationem. p.497.8
de Simoniæ constitutivo pretio recentiorum quorumdam Scriptorum opinio hactenus inaudita. ibid.
de Simonia mentali, utrùm in aliquibus casibus qui proponuntur, committatur. p.499.11
Simonia alia ideo prohibita, quia talis est; alia ideo talis habita, quia prohibita est. p.500.12
Simoniæ tres species solo jure Ecclesiastico introductæ. ibid.13
Simoniam Jure Divino prohibitam committi accipiendo pecuniam ad Beneficia Ecclesiastica alienanda, vel dando ad ea acquirenda, communis est opinio. p.501.15
Simonia tam circa sacras ordinationes, quàm circa Ecclesiastica Beneficia damnata. ibid.& seq.16
Simonia quomodo committatur in mutua Beneficiorum permutatione, aut renunciatione. p.505.& seq.1.2
Simonia committitur ubi quis proprio Beneficio renunciat in favorem hac lege, ut sibi resignatarius impensas resarciat, quas in adeptione & conservatione Beneficii resignans sustinuit. p.506.3
Simonia committitur quando quis bona sua confert ad novi Beneficii fundationem, cum pacto ut idem sibi Beneficium conferatur. p.507 4
an Simoniacæ & illicitæ sint consuetudines & statuta, quorum præscripto Canonici dant aliquid in sua receptione. p.508.6
Simonia committitur dando aliquid temporale ad redimendam vexationem pro Beneficio nondum adepto; secus si pro acquisito. p.512.15
Simoniacæ quædam pactiones referuntur, unde multi comperiuntur Canonici simoniæ rei. ibid.16
an Simonia contrahatur quoties in ingressu Monasterii ex mutua conventione aliquid datur, vel exigitur titulo alimentorum, vel onerum Monasterii. p. 513.514. & seqq.
Simoniacis triplex pœna à Canonibus infligitur; & quando hæ locum habeant. p.531.1.2
Simonia completa & realis commissa in

in adeptione Prælaturarum Regularium, an inducat nullitatem actus, obligationem ad dimittendam superioritatem, & excommunicationem Papæ reservatam. p.533. & seq.5
Simonia in materia beneficiali omni ex parte completa facit reum inhabilem ad idem Beneficium: ubi an privet eum pariter aliis Beneficiis ritè obtentis, & reddat incapacem ad alia in futurum obtinenda. p.534. & seq.7.8.& 9
Simoniaca confidentia in Beneficiis quid sit, & cui pœnæ subjaceat. p.535.& seq.10.& 11
Vide *Confidentia.*
Simoniacæ pravitatis tres casus referuntur inducentes privationem omnium quæ quis possidet Beneficiorum, & inhabilitatem ad futura recipienda. p.538.& seq.17
Simoniacè accepta quomodo sint restituenda: vide *Pretium*, & *res spiritualis.*

Societas, & Socius.

Societas quid sit,& ad quid societatis contractus socios obliget. p.671.1
ad Societatem justam requisita quatuor proponuntur. p.672.3
Socius minimè tenetur sociis de levissima culpa. ibid.4
in Societate divisio communis lucri ad æqualitatem quomodo sit inter socios facienda; & quomodo æs alienum contractum solvendum. ibid.& seq.5.& 6
Societate finita, ad quem sors pecuniæ in societatem collatæ pertineat. p.673.& seq.7.& 9
Sociorum expensæ ad utilitatem & necessitatem Societatis factæ, de communi societatis pecunia solvendæ sunt. ibid.8

Spes.

Spes ab omni conventione remota, neque usuram in temporalibus, neque simoniam in spiritualibus inducit. p.638.1

Spirituale.

Spiritualibus annexa quænam dicantur, & quæ annexa antecedenter, & quæ consequenter; & quænam pretio vendi, & distrahi prohibeantur. p.495.& seq.1.2

Spolium.

Spolii jus quodnam sit, & ubi servetur. p.113.5

Sponsalia, & Sponsalitia largitas.

Sponsalia quid sint, & quomodo contrahantur. p.355.& seq.2
Sponsalia de futuro, etiam juramento firmata, multis dissolvuntur modis. p.356.3
Sponsalia de futuro jure veteri duobus modis transibant in matrimonium de præsenti. ibid.4
Sponsalia clandestina sine præsentia Parochi & testium validè & licitè contrahi possunt. p.357.7
Sponsalia à parentibus contracta pro pueris impuberibus præsentibus & tacentibus, aut etiam absentibus, sed re perspectâ non repugnantibus, valida sunt. ibid.8
Sponsalia ejus qui anteacto tempore voverat castitatem, vel Religionem, irrita sunt; & quid si post contracta sponsalia velit Religionem ingredi. p.538.10
Sponsalibus contractis si quis castitatem voveat, quid agendum, si sponsa huic voto acquiescere nolit. p.338.11

Sponſalitia largitas quid ſit, & an ſuſtineatur diſſolutis ſponſalibus. p.731. & ſeq.1
Vide *Donatio.*

Spurius.

Spurii Jure Canonico & Civili arcentur ab hæreditate paterna. p.704.1
Spurii quinam propriè dicantur, & quomodo differant à naturalibus. ibid.& ſeq.
Vide *Illegitimus.*

Subdelegatus.

à Subdelegato ad quem appelletur. p.75.15
Vide *Delegatus.*

Subdiaconatus.

Subdiaconatus non fuit olim ſacris Ordinibus accenſitus. p. 348. & ſeq.1
an Subdiaconatus ſit Sacramentum. p.350.3
Subdiaconatui annectitur obligatio cœlibatus, etiam ex antiquiſſima inſtitutione. ibid.

Subrogare, & Subrogatio.

Subrogatio collitigantium circa Beneficium à ſolo Papa vel Legato fieri poteſt. p.215.9
Vide *Literæ Subrogationis.*
Subrogatio collitigantium in re beneficiaria admittitur in Gallia : ubi de effectu literarum ſubrogationis. p.463.& ſeq.1.2
ad Subrogationis effectum in Gallia impetrandæ ſunt literæ à Cancellaria Apoſtolica,& Regia. p.464.3
Subrogatione obtenta à collitigante, proviſio tertii redditur irrita ipſo jure. ibid. & ſeq.4
Subrogari quandonam poſſit novus adverſarius prioribus collitigantibus. p.465.5

Succeſſor.

Succeſſor in Beneficio non tenetur reſpondere de jure, aut capacitate præceſſoris ſui. p.237.1
Solvere tamen tenetur prædeceſſoris ſui debita, quæ pro utilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ contraxit. ibid.2
Succeſſor præceſſoris Beneficiarii tenetur ſolvere debita quæ pro ſui ſuſtentatione contraxit, & penſiones decurſas, & non ſolutas. p.238.3.& 4
Succeſſor in Beneficio, & hæredes Beneficiarii quomodo dividere debeant inter ſe fructus ultimi anni, ſive perceptos, ſive percipiendos, & unde annus in hac diviſione inchoandus. ibid.& ſeq.5.6
Succeſſorem in Beneficio præceſſoris ſui locationi ſtare, quàm eam reſcindere, æquius eſt. p.243.12

Suffragium.

Suffragii jus nullus habet in Capitulo ſive ſeculari, ſive regulari, niſi ſit Subdiaconus. p.224. & ſeq.3
Vide *Capitulum.*

Supplicatio.

Supplicatio beneficialis quomodo ſit contexenda cùm ad Papam, vel Legatum recurritur in cauſis beneficiariis, ſive jure præventionis, ſive devoluti, ſive ex neceſſitate diſpenſandi. p.207.11
Supplicationi non obeſt error nominis, aut falſa demonſtratio, modò de re & perſona conſtet. p.208.12
in Supplicatione quæ ſint exprimenda cùm petitur reſcriptum in forma gratioſa. ibid.13.14
Et quid ſi petatur reſcriptum in forma pauperum. ibid.15

in Supplicatione Beneficiorum expreſſio non exigitur in aliquibus caſibus, etiam in gratioſa conceſſione. ibid.p.209.16.17. & ſeqq.
Supplicatio debet exprimere qualitates Beneficii vacantis; erronea tamen annui valoris proventuum expreſſio non officit, præſertim in Gallia. ibid.& ſeq.23
in Supplicatione pro Beneficio obtinendo quænam alia ſint exprimenda. p.210.24.& ſeqq.
Supplicatio neceſſaria eſt in proviſionibus, quæ per Papam, vel Legatum fiunt, non in eis quas Ordinarii faciunt. ibid.& ſeq.28

Suſpenſio.

Suſpenſio quænam cenſura ſit.p.547. 13
Suſpenſionis definitio; & quotuplex ſit. p.577.1
Suſpenſionum, atque irregularitatum à Jure exactior eſt obſervatio,quàm excommunicationum. p.578.3
Suſpenſiones Juris recenſentur. ibid. 4. & multis ſeqq.
Suſpenſiones latæ in Epiſcopos, & alios Prælatos Eccleſiaſticos proponuntur. p.583. & multis ſeqq.
Suſpenſiones Juris, quæ Conventus & Capitula attingunt, enumerantur; & ſimul in Religioſos latæ. p.586. 22.& ſeqq.

Synodus.

Synodus ab uno Epiſcopo indicta poteſt aliqua conſtituere & definire. p.5.
Vide *Concilium.*

T

Teſtamentum.

TEſtamenta veterum aliquot Epiſcoporum, etiam anteà monachiſmum profeſſorum, adhuc ſuperſunt. p.112.& ſeq.4
Teſtamentum ſine ſolennitatibus Juris Civilis conditum an obliget in conſcientia hæredem ad' implendam teſtatoris voluntatem. p.624.4
de Teſtamentorum ſolennitatibus: ubi etiam de teſtamentis, & ultimæ voluntatis diſpoſitionibus ad pias cauſas. p.706.5

Teſtificari, & Teſtis.

an Teſtis unicus qui deponere poſſit in materia criminalis accuſationis, aut denunciationis, teneatur interrogatus à Judice criminis veritatem aperire. p.439.& ſeq.5
Teſtium jura breviter recenſentur, & an ſemper teneantur ad interrogantis mentem reſpondere: ubi circa hoc proponitur caſus. p.440. & ſeq.7.& 8
Teſtificari etiam requiſitus in multis caſibus aliquis non tenetur. p.445.1
Teſtis falſus etiam per veri ſuppreſſionem, quanvis nihil falſum poſitivè protulerit, ad quid teneatur. p.446.2
Teſtis in judicio falſitatem alteri damnoſam proferens', putans tamen ex memoriæ confuſione verum ſe dicere, ad quid teneatur. p.447. & ſeq.4. & 5
Teſtis malitioſe falſum deponens tenetur omne damnum inde reſultans

tans, etiam cum propriæ vitæ periculo reparare : ubi circa hoc refertur exemplum S. Conradi Placentini. p.448.& seq.6
ad Testificandum personæ assignatæ in causis criminum,quomodo compelli possint post primum comparendi edictum. p.485.35
Testes an antequam testificentur, semper producere debeant significatam comparendi jussionem : ubi multa alia de testimonio ferendo in causa criminali. ibid.36.& seqq.

Textus.

Textus capitis *Navigantes*, de usuris, elucidatur. p.649.3

Tonsura.

Tonsura,prima si conferatur non confirmato, qualis culpa incurratur. p.274.10

Traditio.

Traditionis nomine quid significetur ab Apostolo Paulo. p.6.1

Transactio.

Transactionis definitio traditur. p.509.8
Transactio rei temporalis cum re spirituali compensata est apertè, atque indubiè simoniaca. ibid.9
Transactio pecuniaria circa reliquias an semper sit simoniaca. ibid.
Transactio rei spiritualis cum alia re spirituali quandoque licita, quandoque verò illicita est. ibid.10

Translatio.

Translatio Episcoporum ex una in aliam Ecclesiam justa urgente causa, solius Papæ authoritate fieri potest : aliorum verò Clericorum translationi sufficit proprii Episcopi authoritas. p.60.2

Transitus.

Transitus ad laxiorem Religionem, vel ad diversum alterius Ordinis Monasterium non licet absque Papæ dispensatione : & quid de Abbatis commendatarii potestate circa subditorum sibi Monachorum translationem. p.109.4. & seqq.
Vide *Religio*, *Religiosus.*

Tribunal.

Tribunalium duo genera, quæ suis limitibus & finibus quæque coërcentur. p.421.4
Tribunalia Regiæ jurisdictionis non permittunt Ecclesiæ Gallicanæ ullum habere territorium. p.435.10

V

Vassallus.

VAssallus feudalem fundum irrequisito Domino alienans, quâ pœnâ teneatur : ubi de aliis pœnis & juribus vassallis & emphyteutis communibus ; & de differentia vassalli & emphyteutæ. p.668.15
Vassallus in Regno Galliæ non incidit in pœnam commissi ob omissam in alienatione denunciationem : & quid in casu rebellionis. ibid. & seq.16
cum Vassallis & emphyteutis mitiùs in pluribus casibus agitur in Regno Galliæ quàm alibi. ibid.16

Vectigal.

ut Vectigalia justa sint quinque requiruntur conditiones, juxta doctrinam Caietani.p.701.& seq.2,3. 4.5.& 6
an Vectigalia nova imponi possint urgente necessitate, cùm Rex profusis

fusis & inutilibus impensis ærarium exhausit. p.702.7
Vectigalia fraudantes an teneantur ad restitutionem. ibid.8.& seq.
Vectigalium justitia est commutativa. p.703.8
an Vectigalia pro quotidianis victualibus imposita possint esse justa, & an ea fraudantes peccent mortaliter. ibid.
Vectigal in dubio potiùs judicandum est justitiæ conforme, quàm injustum. p.704.9

Venditio, & Venditor.

Vendere cariùs præcisè ob dilatam solutionem, an usurarium sit & illicitum. p.649. & seq.4
Venditionis definitio. p.651.3
Venditori qui viliùs vendendo non excessit dimidium justi pretii, nulla conceditur actio adversùs emptorem in externo foro. ibid.4
Vendere non licet cariùs ex eo quod res sit commoda, & necessaria emptori. p.652.7
Venditionis contractus rei traditionem non ad sui essentiam, sed tantùm ad complementum requirit. p.653.8
Vendita re ab emptore evicta, ad quid teneatur venditor erga emptorem. ibid.9
in Venditione possunt intervenire pacta, per quæ invitâ etiam alterâ parte conventio rescindatur. ibid. & seq.10
Venditio in Gallia dissolvitur per retractum feudalem, vel gentilitium. p.654.11.12
de Venditione frumenti & aliórum frugum cum pacto ut pretium emptionis, vel par quantitas rei mutuò creditæ solvatur alio tempore quo res fortasse plus valebunt. p.655.13
Venditor sciens pretium mercis mox esse minuendum, an possit eam currenti pretio vendere. p.656.& seq.15
Venditionis genus prorsus usurarium & improbandum proponitur. p.657.16
Venditoris declaratio, rem venditam servituti obnoxiam esse, aut liberam, quatenus noceat, vel prosit emptori. p.670.22
an Venditor jure tacitæ, vel privilegiatæ hypothecæ gaudeat super re vendita. p.736.11

Verba.

Verba obscœna, quæ impulsu appetitus concupiscibilis proferuntur, & cogitationes fœdæ, & libidinosæ quomodo sint in confessione aperiendæ. p.313.& seq.20.21
Vide *Confessio.*

Vicarius.

Vicarii generales & foranei Episcoporum qui sint, & quod eorum munus. p.61.1
Vicarii generalis & Officialis munia in quo differant. ibid.
Vicarius generalis in materia jurisdictionis una eademque cum Episcopo persona censetur. p.62.2
à Vicariis foraneis ad Episcopum datur appellatio. ibid.3
Vicarii facultas qualis circa collationem Beneficiorum. ibid.4.& 5
Vicarius generalis, cui Episcopus Beneficiorum collationem specialiter non indulsit, nequit eorumdem resignationes, aut permutationes recipere. p.63.6

Vicarius generalis potest absente & ignorante Episcopo, acceptare Mandatum Apostolicum de providendo, & Nominationem Indultarii, aut Graduati. ibid.7
Vicarius, cui Episcopus potestatem dedit excipiendi resignationes in causa permutationis Beneficiorum, an possit eadem conferre. ibid.8
Vicarii plures si constituti sint in eadem Diœcesi, potest unus sine alio in his quæ sui muneris sunt procedere. ibid.9
Vicarius Generalis habens Beneficia conferendi potestatem, potest extra Diœcesim ea conferre. p.64.11
Vicarius Generalis an possit Dimissorias ad Ordines dare sine speciali, & expressa Episcopi concessione. ibid.12
Vicarius suspectus & recusabilis est, quoties Episcopus justè pro tali haberi potest. ibid.13
Vicarius, vel Officialis Episcopi excommunicati nullam possunt exercere jurisdictionem. p. 65. & seq. 17
Vicarii potestate, ipso inscio, per Episcopum revocata, an per eum post revocationem acta sint valida. p.65.15
Vicarius Generalis nequit sine expresso Episcopi mandato resignationes recipere. ibid.16
Vicarius, vel Officialis generalis constitui non debet, nisi sit simul Sacerdos, & Graduatus. p.66.18
Vicarius Generalis primum post Episcopum dignitatis gradum obtinet. ibid.19
Vicarii in Gallia foranei qui. p.78. & seq.
à Vicariis foraneis provisiones beneficiarias sumere, aut eis signaturas Apostolicasque literas exhibere an necesse sit. p.79.5
Vicarius Generalis in Regno Galliæ potest præsentatos à Patronis instituere, etsi specialem Beneficia conferendi potestatem non habeat. p.127.7

Vicelegatus.

de Vicelegati potestate in imponendis beneficiariis pensionibus aliqua referuntur. p.174.& seq.12

Vidua.

de Viduis intra annum luctus ad secundas nuptias transeuntibus, & quibus pœnis subjaceant. p.709. 10
Viduæ liberos habentes ex duobus conjugiis quomodo possint de bonis suis disponere: vide in verbo *Parens.*

Virtus.

Virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, ex D. Augustino. p.3

Universitas.

Universitas vulgò dicitur approbare & decernere quod major pars decreverit, aut approbaverit. p.744. 44

Voluntas.

Voluntatis actus alii eliciti, & alii imperati. p.381.4
Voluntas in actibus elicitis cogi non potest; secus verò in actibus imperatis. ibid.

Votum.

Vota quædam ab Episcopis dispensabilia in materia continentiæ & Religionis. p.29.30. & 31
si votum in alterius gratiam emissum

sum à Confessario excipiatur, cujus nomine acceptatum censeatur. p.32.18
Votum de quo dubitatur an sit emissum, non indiget dispensatione. p.31.15.& p.32.19
Vota relaxandi, aut commutandi potestas solis Ecclesiæ Prælatis externi fori jurisdictionem habentibus competit. ibid.20
Votorum irritatio multis competit, qui dispensandi jus non habent. ibid.21
Vota omnia per professionem in Religione dispensantur, etsi de ea professus non cogitet. p.93.4
Voto simplici continentiæ astrictus, si matrimonii jugum suscipiat, graviter peccat. p.368.& seq.3
Voto simplici castitatis adstrictus, aut Religionis, an si contrahat matrimonium per verba de præsenti, teneatur ante consummationem ingredi Monasterium. p.369.4
Votum solenne in susceptione sacrorum ordinum, vel professione Religionis emissum, est impedimentum dirimens matrimonium. p.373.4
Votum solenne Religionis tanto privilegio munitur, ut antecedens matrimonium ratum per verba de præsenti contractum dissolvat, dummodo non fuerit consummatum. ibid.5
ad Voti obligationem non sufficit consensus utcumque liber, & quis metus sufficiat ad eum invalidandum. p.381.5

Usura.

Usuræ definitio traditur, & explicatur. p.638.1
Usurarum seges & materia frequens est mutuum implicitum & explicitum. ibid.& seq.2
Usuræ multiplici ratione ipso naturæ jure prohibitæ sunt. p.639.4
Usuræ legibus Cæsareis licitæ, sanctionibus Ecclesiasticis prohibitæ. ibid. & seq.5
Usuræ hemioliæ, & centesimæ. p.640.6
Usuræ Jure Civili permissæ in bonæ fidei contractibus, legatis & fideicommissis. p.641.7
Usuræ lege Chinensi permissæ, qua triginta creditori adjudicantur pro sorte centum nummorum, an in conversis ad Christi fidem tolerari possint in illa regione. p.643.10. & p.648.& seq.2
Usuras suas falsis prætextibus sæpe homines obvelant. p.645.& seq. 14
Usura palliata contrahitur etiam in hypothecis & pignoribus. p.646. 15
Usuras nondum solutas in sortem convertere prohibitum est. ibid. 16
Usuræ ex pecunia pupillari prohibitæ. p.647.17
Usuras easdem non potest exigere creditor subrogatus in locum ejus qui lucri cessantis, aut damni emergentis interesse patiebatur, nisi idem interesse sustineat. ibid. & seq.
Usura fundata super periculo sortis, quibus conditionibus licita. p.648. & seqq.

Uxor.

Uxoris à toro & cohabitatione viri divertentis propter ejus sævitiam jura

jurâ proponuntur. p.733.5
Uxor innocens marito adulterante quomodo possit agere in virum. ibid.6
Uxor adultera, marito pariter adulterante non perdit dotem. p.734.6
Uxor ad bonorum separationem agens propter vergentiam viri ad inopiam, quomodo procedere debeat. ibid.7
Uxor quæ bonorum separationem obtinuit, potest sine mariti consensu obligari, non tamen alienare. ibid.
Uxor super bona mariti pro dotis restitutione habet jus tacitæ hypothecæ; & quibus creditoribus præferatur. p.735.8.& 9
Uxor intercedens pro viro, an Senatusconsulti Vellejani exceptione juvetur? vide *Senatusconsultum Vellejanum, mulier.*

Collegii Sodij Jesu Paderborna 1701.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


SUTII
Iur. Can
The. & Pra:
G. IV
12b